BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
G
83
NAPOLI

Digitized by Google

BIBl

Digitized by Google

RELECTIO
DE HABITVALI CHRISTI SALVATORIS NOSTRI SANCTIFICANTE GRATIA.

Auctore

ADM. R.P.M.F. IO. VINCENTIO ASTVRICENSI
Ordinis Prædicatorum, olim publico in Salmanticenſi Schola Sacr. Theol. Profeſſore, & Procuratore, ac Vicario Generali eiuſdem Ordinis.

VBI DE CHRISTI MERITO, SATISFACTIONE, PRAEDESTINATIONE, & de alijs, quę ad Chriſti gratiam pertinent tractatur.

QVAE IN INDICE INSINVANTVR QVEM TOTI OPERI poſt epiſtolam ad Lectorem immediatè præpoſuimus.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI



NEAPOLI,

Ex Typographia Lazari Scorigij. M. DC. XXV.

Digitized by Google

Imprimatur.

Lælius Taſtius Vicarius Generalis.

Alexander Ruſſus Canonicus Dep.

V. Vrbanus Feliceus Dep.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI GENERALI
Magiſtro totius Ordinis Prædicatorum.
FRATRI SERAPHINO SICCO
PASTORI VIGILANTISSIMO.

SEmper inſtituti, & officij mei ratio (Reuerendiſs. P.) illum ſibi præfixit ſcopum, probatiſſimorum Theologorum opera excudere, & in lucem orbi euulgare; vt non tàm meo commodo, quàm ſtudioſorum, & catholicæ in primis religioni, & fidei vtilitati, cui modicum id quod ſum totum debeo, conſuluiſſe videri poſſim. Inter cæteras autē, illas prælegi Theologicas lucubrationes, quæ facilius, aptius, neruoſius fidei hoſtium obiectiunculas ſoluunt, & Theologum ſolidius informant; quales ſunt quæ è D. Thomæ Aquinatis ſchola prodeūt, & Thomiſticam doctrinam ſincerè tuentur. Nam ſicut Sanctiſs. Præceptorem Eccleſiæ lumen ad Theologiam illuſtrandā diuinitus datū vniuerſus orbis profitetur; nō ſecus Thomiſtæ, qui è Sancti huius Oceano hauſtos latices populis propinās, & cibaria fideliter adminiſtrāt, magno totius generis humani bono deſtinati ſunt ad eandem Theologiam enucleandam; & difficiles quæſtionum nodos diſſoluendū. Teſtes Fratrum Prædicatorum monumenta tum impreſſa, tum manuſcripta, quæ in Bibliothecis tum publicis, tum priuatis aſſeruantur. Teſtes Academiæ orbis, vbi vſq; ad hac noſtra tempora ſcholaſtici eorūdem tuorum Fratrū vocem tanquā buccinam perſonantem audiunt, & plauſu vniuerſali excipiunt. Inter eas Salmantina non ſecundum tenet locum, vbi inſignis ille Mag. P. Fr. Franciſcus à Victoria, quem è veſtigio ſequuti ſunt, Mag. Melchior Canus, Fr. Mātius de Corpore Chriſti, Mag. Dominicus Bānes, Mag. Medina, Mag. Petrus de Herrera, & Mag. Fr. Ioā. Vincentius Aſturicenſis, glorioſè Cathedrā illā rexerunt, doctrinā Theologicam ſcriptis illuſtrantes, quorum opera partim impreſſa, partim imprimenda in dies expectantur. Cū ergo è multis cōmentarijs manuſcriptis præfati Mag. Io. Vincentij vna relectio olim impreſſa Romæ in Bibliotheca S. Mariæ Sanitatis aſſeruata diligenter à Patrib. Religioſis illius Cœnobij (præcipuè à Theol. Curiæ Archiepiſc. S. Officij Conſultore Adm. R. P. M. F. Dominico Grauina, cuius ſecundus Tomus de Controuerſijs aduerſus hæreſes typis meis iam excuditur) tanquam pretioſum monile mihi oſtenderetur, & ad reimprimendum incitarer; annui illico tot Patrū conſilijs, neq; animo meo ſatisfeciſſe arbitratus ſum, niſi (vt dicitur) Mineruæ manum admouerem, & dignam hanc relectionem de habituali gratia Chriſti Domini diligenter à mendis expurgatam, & diſtinctione ornatam typis committerem. Id quidem libentius præſtiti, quò hac impreſſione Patres viciſſim incitarem ad eiuſdem alia monumenta (vt de origine gratiæ, & in Sanct. Thomæ ſummam commentaria, ſicut & aliorum heroum) imprimenda pararetur via. Opportunum id valde, nam furentibus hoſtibus Eccleſiæ, & quotidie inſultantibus, vt perdant, Dominicanos, hoc eſt Fratres Prædicatores opponere neceſſe eſt. Scitè Quintus Catulus in Senatu Romano à Philippo increpatus, quòd corruptos hominum mores acriter increpaſſet, & ſub hac verborum formula punctus, Quid latras Catule? *appoſitè reſpondit,* quia video furē. *Potiori iure cum fures, & latrones veniant, vt mactent, & perdant, canes opponimus, non ſolū Canum illum, ſed & Ioannem iſtum Vincentium, cuius opus excudi curauimus. Quòd ſi legibus ſancitum eſt, vt quod naſcitur in alieno ſolo illius cenſeatur, cuius eſt ſolum: cum hæc monumenta in agro Dominicano inuenerim, tua ſunt ſicut & cætera, quæ ſi auctoritate, & iuſſu Reuerēdiſs. P. Tuæ ad manus meas deueniēt in mei amoris erga te perpetuū monumentū, tuo nomini conſecrata in lucem pariter euulgabuntur. Vale. Neapoli die primo Auguſti 1625.*

P. V. Reuerendiſs.

Seruus & orator

Lazarus Scoriggius.

† 2

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NOn poſſum (lector optime) in hoc de habituali Chriſti ſanctificante gratia opere nonnulla nõ aduertere, quæ & me in quibuſdam, quæ tibi non admodum erunt grata, fortaſſis excuſatum reddent, & te mihi, meoque operi efficient beneuolum. Et principio quidem prolixiore, & elaborata magis me oportuiſſet præfatione vti, vt causam, quæ me ad ſcribendum ratio impulit, aperta tibi ſignificatione explicarem: niſi de hoc argumento alibi nonnulla dixiſſem, quæ meam tibi mentem ſatis valent aperire: & ipſam officij mei rationem exponere. Neq; enim poteram temeritatis crimine alias non grauiter incuſari, quod vix diuturna, ac laborioſa ſatis & maris, & terræ pericula euaſeram: vix metum è ſyrtis, ſcopulis, tumeſcentibusq; maris vndis ſubortum excuſſeram: vix ab infirmitate grauiſſima, qua ad extremam vſq; fere vitæ periodum laboraueram, ad mediocrem fueram ſanitatem reuocatus: vix moleſto, prolixoq; itinere peracto, non ad otiandum, ſed ad priuata, communiaq; inclitæ Salmantinæ vniuerſitatis negotia, debita ſolicitudine pertractandum Romam appuleram: cum illud mihi, & legendi, & ſcribendi officium aſſumpſi, cui & ſanitatis firmitas, & tranquillitas tũ corporis, tum præcipuè animi apprimè ſunt neceſſaria. Verum neq; illud temeritate vacat, quod rem tam difficilem ſolus aggrederer, & auxiliaribus amicis deſtitutus, & familiaribus libris minimè recreatus, quibus inter Penates Deos (ſi ſermone Gentilico licet religioſo viro vti) principem ipſe locum tribuerim. Necnon me audaciæ vitio vehementer arguit, quod famoſo Tyberi guttulam aquæ afferre aduiterer, dum Romæ & Catholicæ veritatis Matri, & omnium tum humanarum, tum diuinarum literarum altrici, leuiſſimam literaturę ſupellectilem quam ex mea mecum deferebam Hiſpania, mox & linguę & calami faſtu oſtentare paraſſem. Sed quod obſecro manifeſtius audacioris animi expectaretur inditium, quam quod conari viſus fuerim velociſſimum temporis curſum ipſa operis velocitate ſuperare, ac plane vincere? Nam quinque menſium ſpatium vix ſatis erat ad ea legendum, quæ prelo mandanda parabantur, vix ad meditandum, vix ad dictandum, vix ad corrigendum, & nullatenus ad ea, quę faſtidioſa pręli importunitas in ipſo operis progreſſu aſſiduè offert authori ſuffecerat: & tandem hæc omnia vnico quaſi faſce conglobata intra eiuſdem præſcripti tẽporis metam, ipſo repugnante tempore, abſoluimus. Sed quoniam non cuiuis homini illud feliciter dicere contingit, veni, vidi, & vici, non tam res ſucceſſit ex voto, vt non multa, & in ipſa operis ſubſtantia, & in debita ordinis diſpoſitione, & in neceſſaria denique præli fidelitate, ob præuentam iuſti temporis menſurã, deſiderari poſſint. Vnde & neceſſum erit lectori ad errata, quæ in ipſo operis fine adnotauimus, oculos aliquando conijcere. Iſta, quæ me in temeratij facti ſuſpicionem inducunt, idcirco propoſui, vt aduertas bone lector, hæc mihi omnia præconſideranti, tam grauem ſcribendi occaſionem occurriſſe, vt ſatius, ac plane honeſtius mihi fore iudicauerim temeritatis ſuſpicionem, imo & notam incurrere, quam officio multis à me titulis debito aliqua ratione deeſſe. Sed iam vlterius in meis aduerſionibus progredior, & quod te lector candide ipſe operis titulus vehementer offendat, non me clam eſt, nam neq; mihi ſatis eſt gratus. Quia integro & iuſto volumini, & in quo grauiſſimæ, & variæ exagitantur controuerſiæ, ſimplex relectionis titulus non admodũ quadrat. Qua in re nihil inuenio aliud: quo & tibi, & mihi faciam ſatis, quam vt id, quod ipſa rei veritas ad dicendũ ſuppeditat, expedita narratione proponam. Iſtud, nimirum, opus ex ipſa primaria ſuæ Inchoationis intentione, eorum tantum, quæ duorum menſium ſpatio de habituali Chriſti gratia in inſigni Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam collegio priuatis lectionibus prælegi, vulgandæ in publicum relectioni fuiſſe dicatum: ſed cum tantiſper in eius verſarer progreſſu, vel ipſo agitatæ meditationis calore ductus, vel quod verius eſt, quia vidi, me non poſſe non magno rubore ſuffundi, ſi Principi Illuſtriſs. Card. Alexand. tam breuem, tamq; minutulam, etſi grauem diſputationem complectentem, cartam dicaſſem. Vnde me continere non potui, quin ea adderem, quæ, etſi humili relectionis titulo non gratanter ſubmitterentur, à præcipuo tamen eius intento ſecundum debitum conſequentiæ ordinem minime reſiſterent. Illud quoq; animaduertas obſecro lector candide, me multa in hoc opere conſulto, vel intacta reliquiſſe, vel breui diſcuſſione exagitata inſinuaſſe: quia in Authoribus, qui vniuerſis fere Theologis familiares ſunt, & communes, tam ſunt copioſa tractatione digeſta, vt nullam me poſſe eis acceſſionem facere iudicauerim. Et ne abſq; legentium fructu aliena tranſcriberem, ab eorum diſputatione abſtinere decreui, aut ſaltem calamum in ipſorum diſcuſſione temperare. Nonnulla quoque reperies in quibus te ad noſtrum librum de Origine, & poteſtate gratiæ remitto. Non putes ſolum eſſe ſine re titulum; nam opus illud, Deo aſpirante, Salmanticenſis excuſum typis breui poteris, ſi placuerit, legere; in quo & vberiorem rerum copiam, & multiplicem controuerſiarum varietatem inuenies. Neque vero quæ ibi exacta diſputatione diſſeruimus, ad hanc de Chriſti gratia relectionem tranſportauimus: pauciſſima enim ſunt, quæ ex illo acceſſiuimus libro: quod ſi quando id fecimus (nam ſemel me id feciſſe memini) eo plane factum eſt, vt eis, quæ ibidem dixeramus, nonnulla, & ea quidem conſideratione digna, ad maiorem eorum amplificationem adderemus. Hæc tam familiariter diximus, bone lector, vt vel ex hac ratione intelligas, quanta cum ſecuritate noſtrum hunc tibi laborem fidimus. *Ambulat enim confidenter, qui ſimpliciter ambulat*, Sapiens dicebat. Prouer. 10. Quare ſimplici ſuſcipe animo, quod tibi ſimplici & veraci corde offero. Non enim, vt cuiuſpiam authoris doctrinæ præiudicium inferam, noſtra te legere cupio, ſed eam tibi doctrinam ex affluentiſſima S. Thom. ſapientia, quaſi ex perenni, & limpidiſſimo fonte hauſtam, propono, quam à primis meis fere cunabulis in Religione Dominicana, in religioſiſſimo præſertim, & inſigni Sancti Stephani Salmanticenſis Cænobio, & in Collegio S. Gregorij Valleoletano toto orbe terrarum celeberrimo didici; & in eodem Collegio, atque in inclita Salmanticenſi Academia publico ſtipendio addictus, non paucis diebus docui. Neque enim ex tempore theologabar, quando citiſſimo tempore hoc theologicum opus confeci. Vale lector optime.

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM, ET DVBITATIONVM, QVAE IN HOC opere diſputantur.

QVia ſeptem præcipuis præſens opus quæſtionibus conſtat, quarum ſingulis peculiares annectuntur dubitationes: idcirco ſigillatim in hoc indice hæc omnia ſuo ordine ſunt proponenda: ita vt cuilibet principali quæſtioni dubitationes ei annexas ſupponamus. Sed & ſingulis propria in S.Thom.ſumma deſignamus loca, in quibus ab eius interpretibus regulariter ſolent verſari, vt ipſius S.Th.doctrinæ deditis officioſior fiat noſter hic labor. Principio tamen hanc totam de ſanctificante Chriſti gratia tractationem ab interpretatione illius celeberrimi S.Ioan.teſtimonij, Et Verbum caro factum eſt,&c. *incoauimus. Cui præambulam de dignitate & excellentia habitualis gratiæ diſputationem immediate coniunximus. Et Quæſtiones deinde alias ſequenti ordine pertractauimus.*

Prima Quæſtio principalis.

NVm in rationali Chriſti anima habitualis, ac ſanctificans reperiatur gratia. pag. 2. col. 2. S. Th. 3. p. q. 7. ar. 1.

Dubitationes huic primæ quæſt. annexæ.

AN Chriſtus potuerit peccare, pag. 14. col. 2. S. Tho. 3. p. q. 15. ar. 1.

An aliquod erroneũ iudicium potuerit eſſe in Chriſto. pag. 17. col 2. S. Th. 3. p. q. 15. ar. 3.

An in Chriſto fuerit fomes peccati. pag. 19. col. 1. S. Th. q. 15. ar. 2.

Vtrum in Chriſto omnis operatio voluntatis, & appetitus ſenſitiui fuerit deliberata, pag. 20. col. 1. S. Thom. 3. p. q. 18.

Vtrum Verbum poſſet aſſumere naturam peccato infectam, pag. 23. col. 1. S. Thom. 3. p. q. 7.

An in Chriſto fuerint virtutes Theologicæ, pag. 27. col. 2. D. Th. 3. p. q. 7. ar. 3. & 4.

An in Chriſto fuerint virtutes morales, pag. 30. col. 1. S. Th. 3. p. q. 7. ar. 2.

An in Chriſto fuerint dona Spiritus ſancti, pag. 33. col. 2. S. Th. 3. p. q. 7. a. 5.

An Chriſtus per vnionis gratiam ſit ſimpliciter Sanctus, pag. 37. col. 1. S. Thom. 3. par. q. 7. ar. 1. & q. 34. ar. 1.

Vtrum Chriſtus ratione habitualis gratiæ ſit cenſendus filius Dei adoptiuus, pag. 48. col. 1. S. Th. 3. p. q. 23. ar. 4.

An ſi Spiritus ſãctus homo fieret eſſet p gratiã adoptiuus Dei filius, pag. 65. col. 2. in reſp. ad 7. arg.

Quæſtio 2. principalis.

AN habitualis gratia fuerit humanitati Chriſti neceſſaria in ratione diſpoſitionis præcedentis hypoſtaticam vnionem, pag. 66. col. 2. S. Thom. 3. p. q. 7. ar. 13.

Dubitatio Annexa.

VTrum gratia habitualis ita ſit principium concomitans vnionem hypoſtaticam, quod fluat ſimplici reſultantia ab vnione hypoſtatica, pag. 71. col. 1.

Quæſtio 3. principalis.

VTrum Chriſti gratia tanta polleat plenitudine, vt cenſeri debeat infinita, & in duobus articulis diſputatur latiſſimè de infinitate gratiæ Chriſti, & de principio, ex quo trahit hanc infinitatem pag. 81. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 7. ar. 9. & 10.

Dubitatio Annexa.

VTrum gratia Chriſti ſit alterius ſpeciei à gratia puri hominis, & diſſeritur etiam an gratia habitualis ſeparata ab humanitate Chriſti ſit eiuſdẽ ſpeciei cum ſeipſa in humanitate Chriſti exiſtente, pag. 105. col. 2. S. Thom. vbi ſupra.

Quæſt. 4. principalis.

VTrum Chriſtus aſſequutus fuerit gratiam per propriã diſpoſitionem, pag. 109. col. 2. S. Tho. 3. p. q. 34. ar. 1. & 2.

Quæſtio 5. principalis.

VTrum habitualis gratia fuerit ſimpliciter Chriſto neceſſaria ad exequendum redemptionis opera, ad merendum, & ſatisfaciendum, &c. pag. 112. col. 1. S. Th. 3. p. q. 7. ar. 1.

Dubitationes annexæ.

VTrum Chriſtus verè, & ꝓpriè ſatisfecerit Deo, pro peccatis humani generis, & diffuſè etiam diſputatur, an Chriſti ſatisfactio fuerit opus elicitum à virtute iuſtitiæ commutatiuæ, pag. 116. col. 1. S. Th. 3. p. q. 1. ar. 2. ad ſecundum.

Vtrum Chriſti ſatisfactio fuerit infinita, pag. 130. col. 2. S. Thom. 3. par. vbi ſupra.

Vtrum peccatum habuerit infinitam malitiam ſimpliciter in ratione mali moralis, & offenſæ Dei, pag. 134. col. 1. S. Thom. 3. p. q. 1. ar. 2. in reſponſione ad ſecundum.

Vtrum ſatisfactio Chriſti fuerit valoris infiniti, in qua eruditè diſputatur, ſi Chriſtus per primum actum ſatisfactorium nos perfectè, & conſummatè redemerit. pag. 141. col. 2. D. Tho. 3. p. q. 1. a. 2. & q. 34. ar. 3. circa ſolutionem ad 3.

Vtrum ſatisfactio Chriſti fuit de toto rigore iu-

ſtitiæ: diſſeritur ſimul, an Deus teneretur ex iuſtitia Chriſti ſatisfactionem acceptare, pag. 161. col. 2. S. Th. 3. p. loco citato.
Vtrum Chriſtus dominus mereri potuerit, & de facto meruit. Diſputatur etiam an meruerit in primo inſtanti incarnationis. Et an eius meritum aliquando fuerit interruptum. Et in quo conſiſtat infinitas meriti Chriſti, & tādē ſi liberè obedierit Patris præcepto, pag. 177. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 19. ar. 3. & 4. & q. 33. ar. 3.
Vtrum Chriſti Domini voluntas in obſeruatione, mandatorum legis naturalis liberè, an neceſſario ſe habuerit, pag. 195. col. 2. S. Thom. 3. par. loco cit.
Vtrum Chriſtus Dominus ſuam meruerit incarnationem, pag. 201. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 11.
Vtrum Patres antiquæ legis meruerint incarnationem de congruo. Vbi diſputatur etiam an Patres antiquæ legis de condigno potuerint incarnationem mereri. Et an Beata Virgo meruerit de condigno eſſe matrē Chriſti, pag. 212. col. 1. S. Tho. q. 2. ar. 11.
Vtrum Chriſtus meruerit gloriam eſſentialem animæ ſuæ. pag. 222. col. 2. S. Th. 3. p. q. 19. ar. 3. & 4. & q. 34. ar. 3.
Vtrum Chriſtus meruerit gloriã ſui corporis, ſuique nominis exaltationem, p. 235. col. 2. S. Thom. 3. p. quæſt. 34. ar. 4.
Vtrum verè ac propriè gloriam ſui corporis meruerit directè, an tantum remotionem impedimenti, & egregiè diſputatur de modo, quo Chriſtus meruit gloriam ſui corporis, pag. 240. col. 2. S. Th. 3. p. vbi ſupra.
Vltima dubitatio appendix, in qua proponuntur bona, quæ nobis ex Chriſti meritis cōferuntur, pag. 251. col. 1.

Queſtio 6. principalis.

AN Chriſti gratia ſit gratia capitis Angelorum, & hominũ, pag. 273. S. Th. 3. p. q. 8. a. 3. 4. & 5.

Dubitationes annexæ.

AN Chriſtus ſupremum ſit omnium [illegible], in qua diſputatur vtrũ Chriſtus fuerit prædeſtinatus prius rationis ordine, quam Deus prædeſtinaueriti homines, & Angelos, & quidquam de vniuerſi creatione diſpoſuerit: & an veniret Chriſtus in mundum non extante originis peccato, & alia multa in hac dubitatione (quæ iſta concernunt) explicantur, pag. 274. col. 1. S. Th. 3. p. q. 8. ar. 5.
Vtrum Adam habuerit gratiam ex meritis Chriſti, pag. 327.
Vtrum Chriſtus ſit caput omnium ſecundum omnē eorum ſtatum in qua etiam diſſeritur num gratia Chriſti verè, & propriè ſit gratia capitis, & an differat ſpecie gratia capitis, à gratia perſonali, pag. 329. c. 2. S. Tho. 3. p. q. 8. ar. 5.
Vtrum Chriſtus in membra ſui corporis vitam, & gratiam influat, & latiſſimè diſſeritur, de modo quo conſtituuntur inſtrumenta in actu ad operandũ: & præcipuè Chriſti humanitas ad effectus miraculoſos, pag. 331. col. 1. S. Th. 3. p. q. 13.
Vtrum Chriſti paſſio, ac eius reſurrectio noſtram ſalutem operentur per modum inſtrumenti phyſici, pag. 361. col. 1. S. Thom. 3. p. q. 48. & 52. 85. & 2. 2. q. 178. ar. 1. ad primum.
Vtrum in Chriſto ſit vis operatiua miraculorum per modum formæ permanentis, an potius per modum formæ tranſeuntis, pag. 364. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 13. ar. 2.
Vtrum Chriſtus vt homo cauſet in nobis gratiã per modum cauſæ principalis, pag. 366. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 64. ar. 1. & 1. 2. q. 112. ar. 1. Vbi docet ſolum Deum eſſe principalem cauſam gratiæ.
Vtrum Chriſtus ſit verè, & propriè Angelorum caput, pag. 371. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 8. ar. 4.
Vtrum Angeli habuerint gratiam, & gloriam eſſentialem ex Chriſti meritis, pag. 374. col. 2. S. Tho. 3. p. ſupra.

Quæſtio ſeptima principalis.

VTrum habitualis Chriſti gratia ex vi prædeſtinationis ei competat, pag. 381. col. 1. D Thom. 3. par. q. 24.

Dubitationes annexæ.

QVid Chriſti vox explicitè deſignet catholicis, & diſſeritur de termino vnionis hypoſtaticæ [illegible]
Quid ſit terminus formalis hypoſtaticę vnionis, pag. 384. col. 2.
An terminus vnionis hypoſtaticæ creatum ſit, vel increatum, pag. 385. col. 2.
An Chriſtus ſit verè, & propriè perſona compoſita, pag. 386. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 4.
Diſputatur de veritate quarundam propoſitionum Chriſtus ſit, Chriſtus eſt creatura, pag. 396. col. 2. S. Th. 3. par. q. 16. per totam.
Vtrum Chriſti humanitas per propriam exiſtentiam exiſtat, pag. 398. col. 2. S. Thom. 3. par. quęſt. 17. art. 2.
Vtrum Chriſtus ſit prædeſtinatus, & quodnam ſit eius prædeſtinationis obiectum. Et diſputatur etiã ſi Chriſti humanitas debeat dici prædeſtinata, pag. 413. col. 2. S. Th. 3. p. q. 24. ar. 1.
Vtrum gloria animæ fuerit formalis terminus prædeſtinationis Chriſti, pag. 419. col. 2. S. Thomas vbi ſupra.
Vtrum naturalis filiatio ſit formalis terminus prædeſtinationis Chriſti, pag. 411. col. 2. S. Thom. 3. par. ibidem.
Vtrum prædeſtinatio Chriſti fuerit noſtræ prędeſtinationis meritoria cauſa, pag. 432. col. 1. S. Tho. 3. p. q. 24. ar. 4.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE
quæ in hoc opere explicantur.

Geneſ.

1 Dixit Deus fiat lux,pag. 8.col.1.
In principio creauit Deus cœlum, & terram.pag. 6.col.2.
2 Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,pag.13.col.2.
2 In quacunque die comederis ex eo, morte morieris,pag.162.col.1.
4 Reſpexit Dominus ad Abel,&c.pag.113.col.2.
15 Ero merces tua magna nimis,pag.53.col.1.
22 Per metipſum iuraui dicit Dominus, quia feciſti hanc rem,&c.pag.219.col.2.

Exod.

3 Ego ſum qui ſum,pag.8. col.2.
4 Mitte obſecro quem miſſurus es,pag.212.col.1.

1.Reg.

16 Ad immolandum Domino veni,pag.311.col.1.

Heſter.

8 Iudæis autẽ noua lux oriri viſa eſt, pag.234.col.1.
14 Non tradas Domine Sceptrum tuum iis qui non ſunt,pag.8.col.1.

Iob.

4 Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem,pag.304.col.2.
Quanto magis qui habitãt domos luteas,&c.ibid.
6 Vtinam appenderentur peccata mea,quibus iram merui,&c.pag.164.col.1.
26 Columnæ cœli pauent,& contremiſcunt ad nutũ eius,pag.34.col.1.
31 Si oſculatus ſum manum meam,quæ eſt iniquitas maxima,pag.66.col.1.
38 Vbi eras cum me laudarẽt ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, pag.374.col.1.
Quis eſt Pater pluuiæ,aut quis genuit ſtillas roris. pag.53.col.1.

Ex hb. Pſal.

1 Sed in lege Dñi voluntas eius,&c.pag.61.col.1.
2 Dominus dixit ad me Filius meus es tu,ego hodie genui te,pag.239.col.2.
11 Propter miſeriam inopum,& gemitum pauperũ nunc exurgam dicit Dominus.pag.212.col.1.
Poſtula à me,& dabo tibi gẽtes,&c.pag.239.col.2
15 Propter hoc lætatum eſt cor meum ; & exultauit lingua mea,pag.237.col.2.
16 Funes ceciderunt mihi in præclaris,pag.53.col.1
17 Saluũ me fecit quoniã voluit me, pag.325.col.1.
18 Cœli enarrant gloriam Dei,pag.290.col.1.
31 Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata,pag.269.col.2.
33 Quis eſt homo,qui vult vitam diligit dies videre bonos,pag. 60.col.2.
Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum,pag.333.col.2.
35 In lumine tuo videbimus lumen,pag.12.col.1.
39 Vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui, pag.179. col.2.
44 Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus Deus tuus,&c. pag.23.col.2.
48 Ipſe dixit,& facta ſunt,ipſe mandauit, & creata ſunt,pag.8.col.1.
Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi,iuſtitia, &c.pag.298 col.1.
49 Pulchritudo agri mecum eſt,pag.414.col.1.
50 Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. pag.5.col.2.
68 Quæ non rapui tunc exoluebam,pag.119 col.2.
72 Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. pag.53.col.1.
83 Gratiam & gloriam dabit Dominus.pag.5.col.2
Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael, &c. ibidem.
101 Ipſi peribunt tu autem permanes,& omnia,&c. pag.8. col.1.
103 Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.pag.378.col.2.
138 Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, pag.372.col.2.
144 Iuſtus dñs in omnibus vijs ſuis, pag.278.col.1.

Prouerb.

6 Mandatum lucerna eſt,& lex lux, pag.344. col.2.
8 Dominus creauit me,pag.277.col.2.
Nondum erant abiſſi,& ego iam concepta eram, pag.335.col.2.
Eram ludens coram illo omni tempore,& delitiæ meæ,&c.pag.277.col.2.
18 Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus,pag.86.col.2.
19 Sapientia ædificauit ſibi domum,pag.317.col.2.

Eccleſ.

1 Quanto maior es humilia te in omnib. pag. 128. col.2.
15 Reliquit illum in manu cõſilij ſui,pag.325.col.2.
24 Ab initio & ante ſęcula creata ſum,pa.278 col.1.

Cant.

5 Ego dormio,& cor meum vigilat,pag.184.col.1.

Sapien.

3 Omnia in numero,pondere,& menſura diſpoſuiſti,pag.90.col.2.
9 Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, pag.321.col.2.
13 A magnitudine ſpeciei,& creaturæ, poterit creator earum viſibiliter cognoſci,pag.6.col.1.
Attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter,pag.267.col.1.

Iſai.

1 Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me,pag.321.col.2.
4 Erit germen Dñi in magnificẽtia,pag.318.col.1.
6 Vidi dñm ſedentem ſuper ſolium,pag.289. col.2.
7 Butyrum & mel comedet,pag.178.col.1.
8 Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus, pag.437.col.2.
11 Requieſcet ſuper eum ſpiritus Dñi,pag.23.col.2.
Radix Ieſſe qui ſtat in ſignum populorum,ipſum gentes deprecabuntur,pag.331.col.2.
20 Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam. pag.142.col.2.
9 Populus gentium qui ambulabat in tenebris,pag. 234.col.1.
30 Alligabit Dñs vulnus populi ſui,&c.pa.305.col.2

INDEX.

9 Parum eſt mihi, vt ſis ſeruus meus ad ſuſcitandas Tribus Iacob.&c.pag.365.col.2.
43 Poſtquam glorioſus & honorabilis factus es in oculis meis, ego dilexi te,&c.pag.41.col.2.
42 Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, dedi ſpiritum meum ſuper illum, pag.24.col.1.
53 Oblatus eſt, quia ipſe voluit, pag.179.col.1.
Pro eo quod laborauit anima eius videbit, & ſaturabitur, pag.181. col.2.
Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longeuum, pag. 236.col.2.& 233.col.2.
Et voluntas Domini in manu eius dirigetur, pag. 265.col.1.
55 Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, & emite vobis, pag. 160.col.2.
Sicut exaltati ſunt cęli à terra,&c. pag.170. col.1.
59 Iniquitatés veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, pag.7.col. 2.
61 Spiritus Domini ſuper me,&c.pag.23.col.2.
62 Propter Syon non tacebo,&c.pag.80.col.1.
63 Torcular calcaui ſolus,&c.pag.264. col. 2.
66 Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit Dominus, pag.335.col.2.
Dominus Deus auxiliator meus, ideo nõ ſum confuſus, pag.255.col.1.

Hierem.

2 Duo mala fecit populus meus, & me dereliquerunt,&c.pag.118.col.1.
4 Quare vt colonus futurus eſt in terra,&c.pag.181 col.1.
31 Nouum creauit dominus ſuper terram fœmina circundabit virum, pag. 182.col.2.
Dabo leges meas in cordibus eorum, & in viſceribus eorum ſcribam eas, pag.8.col.1.

Dan.

7 Aſpiciebam ego in viſione noctis, & ecce cũ nubibus cęli quaſi filius hominis veniebat, & vſq; ad antiquum dierum peruenit,&c. pag.243.col.2.
9 Vngatur ſanctus ſanctorum, pag.23.col.2.

Zachar.

3 Super lapidẽ vnũ ſeptẽ oculi ſunt, pag.27.col.1.
Auferam iniquitatem in die vna, pag.299.col.1.
9 Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, pa.80.col.1

Ezechiel.

7 Plena eſt terra iudicio ſanguinum, & Ciuitas plena eſt iniquitate, pag.82.col.2.
43 Gloria Iſrael ingrediebatur per viam orientalẽ, pag.71.col.1.

Oſeas.

2 Deſponſabo te mihi in fide, pag.110.col. 1.

Malach.

1 Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui, pag.435.col.2.

Mich.

7 Ne læteris Inimica mea ſuper me, quia cecidi,&c. pag.234.col.1.

Matthæ.

1 Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, pag. 80. col. 1.
3 Hic eſt filius meus dilectus,&c.pag.12.col.2.
5 Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſeorum, pag.142.col.2.
6 Quærite primũ Regnũ Dei, & iuſtitiã eius, ibidẽ.
11 Et pater veſter qui eſt in cœlis dimittet vobis peccata veſtra, pag.124.col.1.
17 Ergo liberi ſunt filij, pag.179.col.2.
Hoc genus demoniorum,&c.pag.363.col.2.
18 Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt, pag.378.col.2.
19 Vt ſciatis quod filius hominis in terra habet poteſtatem dimittendi peccata, pag. 348.col.2.
20 Sedere autem ad dexteram, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, pag.124.col.1.
Amice non facio tibi iniuriam, pag.87.col.2.
Vltimo, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, pag.208.col.2.

Marci.

14 Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet in terra poteſtatẽ dimittendi peccata, pag,125. col.2.

Luc.

1 Quod naſcetur ex te ſanctum, pag.26.col.1.
Dabit ei dominus Deus ſedem Dauid patris eius, &c.pag.243.col.2.
Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, pag. 59.col.2.
Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, pag.72.col.2.
2 Benedictus Dominus Deus Iſrael, pag. 306.col.1.
Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, &c.pag.335.col.1.
Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitauit nos oriens ex alto, pag.302. col. 1.
5 Si vis potes me mundare, & extendens manum, &c.pag.349. col.1.
6 Virtus ex illo exibat, & ſanabat omnes, ibid.
Ecce euangelizo vobis gaudiũ magnũ, p.26.col.1.
7 Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, pag.237.col.1
8 Puella tibi dico ſurge, ibid.
12 Baptiſmo habeo baptizari quomodo coarctor donec perficitur, pag.143.col.1.
15 Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, pag.372.col.2.
19 Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat, pag.291.col.2.
20 Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me,&c.p.21.col.2.
21 His fieri incipientibus leuate capita veſtra, &c. pag.337.col.1.
22 Hic eſt ſanguis meus noui teſtamẽti, p.131.col.2.
24 Nonne ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, pag.237.col.2.

Ioannis.

1 Verbum caro factum eſt,&c.pag.1.col.1.
Plenum gratiæ, & veritatis, pag.240.col.1.
De plenitudine eius omnes accepimus, p.2. col. 1.
Gratia & veritas p Ieſũ Chriſtũ facta eſt, p.1.col.2
Quod vidimus oculis noſtris, quod auribus audiuimus, pag.125.col.1.
Ego elegi vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, pag.268.col.1.
2 Hoc fecit principium ſignorum Ieſus, pag.4.col.1
3 Sic Deus dilexit mundum, pag.3.col.1.
Nõ ad mẽſurã dat Deus de ſpiritu ſuo, p.23.col.1.
Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, pag.53.col.2.
Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo, p.26.col.2.

Digitized by Google

4 Cibus meus eſt,vt faciam volũtatem eius, qui miſit me,pag.61.col.1.
6 Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita,pag.98.col.1.
Nemo venit ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum,pag.263.col.2.
8 Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum,vidit,& gauiſus eſt,pag.285.col.1.
Ego gloriam meam non quæro,pag.128.col,2.
10 Quem Pater ſanctificauit,&c.pag.23.col.1.
Veni vt vitam habeant,& vt abundantius habeãt, pag.284.col.2.
12 Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos cõprehendant, pag.299.col.1.
13 Omnia dedit ei Pater in manu ſua,p.438.col.a.
Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim, pag.379.col.1.
Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrẽ, & ſicut mandatum dedit mihi, ſic facio, pag.27.col.1.
14 Qui credit in me,opera,quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora,&c.pag.332.col.2.
Vt ſciat mundus,quia diligo Patrem,pag.4.col.1
Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit,pag.193 col.1.
15 Si non veniſſem,& locutus eis fuiſſem, p.4.col.1.
Ego ſum via,veritas,& vita,pag.396.col.2.
Ego ſum vitis vera,pag.332.col.1.
Ego Patris mei præcepta ſeruaui, pag.178.col.2.
16 Pater clarifica filium tuum,pag.290.col.2.
17 Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant te verum Deũ, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum, pag.235.col.1.
Clarifica me Pater claritate q habui,p.208.col.2.
Pater ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, pag.332.col.2.
Pro eis rogo,qui credituri ſunt, vt omnes vnum ſint,&c.pag.434.col.1.
Dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti,pag.437.col.1.
Et pro eis rogo,& ſanctifico meipſum,p.80.col.1.
18 Regnũ meũ non eſt de hoc mundo, p.329.col.1.
19 Qui me tradidit tibi,maius peccatum habet,pag. 93. col.
20 Data eſt mihi omnis poteſtas,&c. pag.348. col.2.
Accipite Spiritum ſanctum,&c.ibid.

Ex Act.

4 Certiſſimè ergo ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum,quem crucifixiſtis,pag.416.col.2.
Non eſt datum nobis aliud nomen ſub cælo, &c. pag.263.col.2.
Vnxit eum Pater Spiritu ſancto,pag.23.col.2.
8 Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum,pag.125.col.2.
9 Saule Saule quid me perſequeris? pag.41.col.2.
17 Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum, pag.333. col.2.

Ex Epiſt. ad Romanos.

Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem,qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, &c.pag.414.col.2.
3 Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redẽptionem,quæ eſt in Chriſto Ieſu,&c.pag.155.col.2.
Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? pag.219.col.1.
Vt ſit ipſe iuſtus,& iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti,pag.80.col.2.
4 Inuiſibilia Dei,per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur,pag.6.col.1.
Vbi non eſt lex,neque præuaricatio,pag. .col.
Ideo ex fide,vt vera eſſet promiſſio, p.219. col.2.
Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram,p.236.col.1.
5 Sicut per inobedientiam vnius hominis, &c. pag. 379.col.2.
Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis,pag.298.col.2.
Non ſicut delictum ita & donum, pag.307.col.2.
Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia,pag.142.col.2.
6 Gratia Dei vita æterna,pag.5.col.2.
Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, pag.329.col.2.
8 Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,pag.140.col.2.
Si filij, & hæredes,pag.53.col.1.
Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei ſpectat,pag.312.col.2.
Qui ſpiritu Dei agũtur, ij ſunt filij Dei.p.61.col.1
Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.pag. 343.col.2.
Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui,pag.10.col.1.
Proprio filio ſuo non pepercit,pag.189.col.2.
Quæ ſunt Dei,quis nouit niſi ſpiritus Dei?&c.pag. 291.col.2.
Scientia inflat,pag.323.col.1.
Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore,pag.55.col.2.
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?&c. p.255. col.1.
9 Iacob dilexi,Eſau autem odio habui,p.155.col.1.
11 Quis cognouit ſenſum domini, pag.291.col.2.
Si ex operibus gratia iam non gratia,p.231.col.1
14 In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt & mortuorum,& viuorum dominetur, pag. .col.

Ex 1. Corinth.

1 Qui factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio,&c.pag.344.col.2.
Ipſis autem vocatis Iudæis, atq; Græcis Chriſtum Dei virtutem,& Dei ſapientiam, pa.416.col.1.
2 Sapientiam quam prædeſtinauit in gloriam noſtram,ibidem.
3 Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, &c. pag.324.col.2.
Omnia veſtra ſunt,ſiue Paulus, ſiue Cephas, pag. 282.col.2.
4 Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, pag. 369.col.2.
6 Empti eſtis pretio magno,pag.119.col.1.
Neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti? pag.333.col.2.
10 Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat, pag. 307.col.2.
12 Vos eſtis corpus Chriſti,& membra de membro, pag.340.col.2.
13 Si charitatem non habuero,nihil ſum,pa.8.col.2.
Charitas nunquam excidit, pag.186.col.1.
15 Gratia Dei ſum id quod ſum,pag.7.col.2.

Digitized by Google

Ex 2. ad Corint.

4 Qui dixit de tenebris lumē ſplēdeſcere, p. 71. col. 1
5 Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, pag. 225. col. 1.
Si vnus mortuus eſt pro omnibus, ergo omnes mortui ſunt, pag. 377. col. 2.
Epiſtola vos eſtis ſcripta, pag. 8. col. 1.
13 Chriſtus qui mortuus eſt ex infirmitate carnis, ex virtute Dei reſurrexit, pag. 4. col. 2.
An experimentum quæritis, eius qui in me loquitur Chriſtus, pag. 336 col. 2.

Ad Gala.

1 Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, &c. pag. 61. col. 1.
2 Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, pag. 309. col. 1.
Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, pag. 52. col. 2.
Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus, pag. 269. col. 1.
Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, pag. 119. col. 1.
4 Vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum, &c. pag. 315. col. 2.
In ſpiritu adoptionis Dei clamamus Abba pater. pag 52. col. 1.
5 Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, pag. 8. col. 2.

Ad Ephe.

1. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorū per Ieſum Chriſtum in ipſum, &c. pag. 190. col. 2.
Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, pag. 112. col. 1.
Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, &c. pag. 333. col. 2.
Gratificauit nos in dilecto filio ſuo. pag. 348. col. 2.
Propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis tēporum inſtaurare omnia, &c. pag. 277. col. 1.
2 Omnia operatur Deus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, pag. 189. col. 2.
Eramus natura filij iræ, pag 79. col. 2.
Per quē habemus acceſsū ad patrē, pag. 124. col. 1.
Cum eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Chriſto, pag. 269. col. 2.
Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, pag. 272. col. 1.
3 Huius rei cauſa flecto genua mea, &c. p. 52. col. 1.
Diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, pag. 381. col. 2.
4 Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo, pag. 268. col. 1.
Hoc igitur teſtificor vt iam non ambuletis ſicut gentes, &c. pag. 8. col. 2.
Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, pag. 265. col. 2.
5 Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, p. 122. c. 2.
Nemo carnē ſuam odio habuit, pag. 332. col. 2.
Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, pag. 331. col. 2.
Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto, & in Eccleſia, pag. 278. col. 1.
6 Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem. & ſanguinem, &c. pag. 325. col. 1.

Ad Philippen.

2 Reformabit corpus humilitatis noſtræ, &c. pag. 301. col. 2.
Humiliauit ſemetipſum, &c. pag. 121. col. 1.
Exinaniuit ſemetipſum, pag. 238. col. 2.
2 Factus obediens vſque ad mortem, pag. 41. col. 1.
Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſſe æqualem Deo, &c. pag. 128. col. 2.
Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, pag. 267. col. 1.
4 Omnia poſſum in eo, qui me confortat, p. 7. col. 2.

Ad Coloſſ.

1 Complacuit per eum recōciliare oīa, p. 125. col. 2.
Qui eſt imago Dei inuiſibilis, & primogenitus omnis creaturæ, pag. 47. col. 2.
Adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pag. 160. col. 2.
2 In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, pag. 4. col. 2.
Delens quod aduerſus nos erat chyrographum decreti, pag. 119 col. 2.

Ad Theſſal.

4 Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra, pag. 233. col. 2.

Ad Tim. 1.

1 Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, pa. 292. col. 1.
Vnus Deus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſe, &c. pag. 119. col. 1.

Ad Tim. 2.

1 Vocauit nos Deus vocatione ſua ſancta ſecundum propoſitum & gratiam, &c. pag. 437. col. 1.
4 De reliqno repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, pag. 119. col. 2.

Ad Titum.

2 Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, p. 203. col. 1
3 Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri, pag. 14. col. 1.
Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, pag. 231. col. 1.

Ad Hebreos.

1 Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, pag. 247. col. 2.
Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius, &c. pag. 50. col. 1.
Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio, pag. 53. col. 2.
Quē cōſtituit hæredē vniuerſorū, ibidem.
Per quem fecit & ſecula, pag. 6. col. 2.
2 Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, &c. pag. 238. col. 1.
Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes, pag. 377. col. 2.
Qui multos filios in gloriam adduxerat, pag. 270. col. 2.
3 Conſiderate Apoſtolū, & Pontificē, pa. 416. col. 2.
4 Qui cum in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad Deum, pag. 152. col. 1.
5 Exauditus eſt pro ſua reuerentia, pag. 237. col. 2.
Cum eſſet Dei filius didicit ex his quæ paſſus eſt, pag. 32. col. 1.
7 Talis decebat, vt eſſet Pontifex ſanctus, &c. pag. 237. col. 2.

Digitized by Google

10 Ingrediens in mundum dixit hoſtiam, &c. pag. 110. col. 1.
Vnica oblatione conſummauit Chriſtus in æternum ſanctificatos, pag. 123. col. 1.
Qua voluntate ſanctificati ſumus, &c. ibidem.
10 Habentes itaque fratres fiduciam in introitu SS. in ſanguine Chriſti, pag. 155. col. 2.
11 Fides eſt argumentũ nõ apparentiũ, pag. 27. col. 2
12 Cõtẽplantes ne quis deſit gratiæ Dei, pag. 7. col. 2.
13 Optimum eſt gratia ſtabilire cor, pag. 8. col. 1.

Ex Canonicis.

1. Ioan. cap. 4. Qui natus eſt ex Deo non peccat, quia ſemen Dei manet in eo, pag. 12. col. 1.
cap. 20. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquẽs exẽplũ, vt ſequamini veſtigia eius, p. 360. col. 2.
Io. 1. can. cap. 2. Aduocatum habemus apud Patrem. pag. 124. col. 1.
Cap. 13. Videte fratres qualem charitatem dedit nobis pater, pag. 9. col. 1.
Nunc filij Dei ſumus, ſed non apparuit quid erimus, pag. 10. col. 2.
Vnctio docebit vos de omnibus, pag. 23. col. 2.
1. Pet. c. 1. Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, pag. 144. col. 1.
2. c. 1. Per quem maxima, & prætioſa nobis donauit, pag. 5. col. 2.
Speculatores facti illius magnitudinis, &c. pag. 238. col. 1.
Iacob c. 1. Voluntariè genuit nos, pag. 10. col. 1.
Qui in vno offendit factus eſt omnium reus, pag. 127. col. 2.

Apocal.

1 Dilexit nos, & lauit nos in ſanguine ſuo, pag. 122. col. 2.
5 Dignus eſt agnus qui occiſus eſt accipere gloriam, &c. pag. 236. col. 2.
7 Lauerunt, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, pag. 269. col. 2.
13 Agnus occiſus ab origine mundi, pag. 221. col. 2.
19 Rex Regum, & dominus dominantium, pag. 245 col. 1.
21 Menſura hominis, quæ eſt Angeli, pag. 324. col. 2.

INDEX NOTABILIVM RERVM, QVAE IN HOC OPERE continentur, & explicantur. Primus numerus indicat pag. ſecundus col.

ABraham non meruit de condigno, vt Chriſtus ex eius ſemine naſceretur, pag. 219. col. 2.
Abraæ primum facta fuit Chriſti in humana carne venturi reuelatio, nulla facta mentione paſſionis, & mortis eius, pag. 318. col. 2.
Abſolutè cõcedere debemus, quod Chriſtus propter humani generis redemptionem venit in mundum, p. 39. c. 2.
Acceptatio ad gloriã dupliciter cõſideratur, p. 101. c. 1
Accidens perficitur per maiorem inhæſionem, & radicationem in ſubiecto, p. 91. c. 2.
Accidentia reſpectiua ſolo etiam numero differẽtia in eodem ſubiecto eſſe poſſunt, p 186. c. 1.
Actus fidei, & actus ſcientiæ eiuſdem obiecti directè opponuntur, p. 27. c. 2.
Actio naturalis ad vnum determinatur, & ad ſummum quod poteſt efficere tendit, p. 74. col. 1.
Actiones immanentes vnitiuæ potius ſunt, quam factiuæ, p. 384. c. 1.
Hæc propoſitio omnis actio agit, & efficit non eſt vniuerſaliter vera, p. 384. c. 1.
Adæ collatam fuiſſe gratiã in ſtatu innocẽtiæ ex meritis Chriſti probabiliter poteſt dici, p. 327. c. 2.
Adæ collata fuit gratia duplici titulo, p. 336. c. 2.
Adæ quãuis in ſtatu innocentiæ fuerit reuelata Chriſti incarnatio, nõ vero oſtenſus fuit illi modus, quo Chriſtus gratiam erat conſummaturus, p. 317. c. 2.
Adam cognouit myſterium coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, p. 278. c. 2.
Ad rationem capitis neceſſarius eſt moralis & meritorius influxus, p. 339. c. 1.
Ad eſſentiam moralium acquiſitarum virtutum nõ pertinet actu moderari, & componere paſſiones, pertinet tamen eſſe ſua natura ipſarum paſſionũ moderatrices, p. 31. c. 2.
Ad primatium rerum ordinem attinuit, vt permitteret Deus, quod peccatum naturæ ſuperioris, ſcilicet Angeli, afferret occaſionem peccandi naturæ rationali, pag. 300. col. 1.
Adoptiua Dei filiatio ſoli rationali creaturæ competere poteſt, p. 53. c. 1.
Adoptionis conditiones neceſſariæ, p. 51. c. 1.
Adoptio filiorum Dei propria eſt, & non metaphorica, p. 51. c. 2.
Adoptio nullatenus poteſt Chriſto competere ratione ſuppoſiti, p. 58. c. 2.
Admittere peccatum originis fuiſſe cauſam reprobationis non eſt inconueniens, p. 325. c. 2.
Ad Dei gratiam, & ad Chriſti merita ſpectat quod ſit locus purgatorij, & quod ſatisfactio ibi facta acceptetur, p. 336. c. 1.
Alexandri Alenſis ſententia de Chriſti merito expẽſa, & explicata, p. 178. col. 2.
Alienati à Deo dicuntur non eſſe, p. 8. c. 1.
Anima Chriſti à corpore egreſſa extra merendi ſtatum ab eo inſtanti remanſit, p. 184. c. 1.
Angelis cõtulit Deus dona ſupernaturalia iuxta proportionem naturalis perfectionis, p. 304. c. 2.
Angeli creati fuere in gratia, p. 26. c. 2.
In Angelis duplex dilectio, p. 185. c. 2.
Angelus quomodo euidenter cognouerit Chriſtum exiſtere, & ſubſiſtere, p. 412. c. 2.
Angelus nullo extrinſeco ſuggerente in ſuperbiſſimum aſcendit affectum, p. 322. c. 2.
Angeli caſus ſingularis fuit, caſus vero hominis toti humanæ naturæ communis, p. 324. c. 2.
Angelis ſpecialem tribuit Deus gratiam præſeruationis ſine Chriſto, ibid.
Angeli ex ſpeciali Dei gratia, & miſericordia in ſuis domicilijs permanſerunt, ibid.
Angeli in primo ſuæ iuſtificationis inſtanti myſteriũ incarnationis cognouerunt per fidem. p. 316. c. 2.
Applicatio meritorum Chriſti non fuit effectus prædeſti-

Digitized by Google

deſtinationis Chriſti, etſi ab ea, vt à requiſita conditione dependentiam habuerit, p.439.c.2.
Athanaſij locus difficilis explicatur, p.240.c.1.
BEatiſſima Virgo meruit quidẽ de cõgruo matrẽ eſſe Chriſti, non vero de condigno, p.222.c.1.
Beatiſſima Virgo nõ diceretur propriè Dei & Chriſti genitrix ſi Chriſti humanitas prius natura extitit, & per exiſtentiam propriam, quam eſſet verbo vnita, p.405.c.2.
Beneficium ſuſceptum eſt propria materia gratiarũ, p.290.c.2.
In Beatis duplex dilectio, p.185.c.1.
Bonitas incarnationis Chriſti, & eius conuenientia non pendebat ex occaſione peccati, p.319.c.2.
Bonum gentis præferendum eſt cuicunque priuato bono quantumcunque excellentiori, p.320.c.1.
CAluini blaſphemus error circa meritum, quo Chriſtus immortalitatem ſui corporis meruit, p.236.c.1. Errauit etiam Calui. dicens in ſcriptu. ſacr. non haberi expreſſum Chriſtum pro ſui corporis gloria, & pro ſui nominis exaltatione oraſſe Patrem, ibid.
Cauſa inducens liberum operantem ad aliquid faciendum duplex eſt, p.283.c.1.
Caro in illis verbis, Verbũ caro factũ eſt, accipitur ꝓ carne paſſibili, & mortali ſemoto peccato, p.310.c.2
Caro in ſcripturis ſacris regulariter deſignat carnẽ, non abſolutè, ſed ſubiectam paſſionibus per originis peccatum introductis, p.310.c.2.
Charitas omnibus bonis operibus tribuit rationem meritoriam, p.177.c.1.
Charitas viæ, & patriæ eadem ſpecie, p.186.c.1.
Charitas viæ, & patriæ diuerſos ſpecie actus producunt, ibidem.
Charitatis actus in Chriſto procedens ab infuſa ſciẽtia, qua ratione liber, ac proinde meritorius dici poſſit, p.187.c.1.
Chriſtus quid & ex modo ſignificationis, & ex parte rei ſignificatæ deſignet, p.381. & ſeq.
Chriſtus an mereri potuerit, & meruerit de facto, p.377.c.1. & ſeq.
Chriſtum meruiſſe diuinitatem ſuam hæreſia Fotini, p.202.c.1.
Chriſti humanitati fomes peccati repugnat. p.19.c.1
Chriſtus nõ potuit peccare, & quare, p.24.c.2. & ſeq.
Chriſti intellectus humanus non poteſt habere iudicium erroneum practicum, p.17.c.2. & ſeq.
Chriſtum non potuiſſe habere iudicium erroneum purè ſpeculatiuum etiam de potentia Dei abſoluta, vt probabilius aſſeritur, ibid.
Chriſto quia viatori multa poterant præſentari, vt nociua, & mala, quæ reſpectu beatorum non poſſunt induere rationem mali, p.22.c.1.
Chriſto vt redemptori maximè repugnat peccatũ, p.22.c.2.
Chriſti anima habituali gratia ſanctificata fuit, atq; ad ſupernaturalem ordinem eleuata, p.23.c.1.
Chriſti humanitas non prius tempore in rerum natura extitit, quam fuerit verbo vnita, p.22. c.2.
Chriſti anima accepit in primo inſtanti ſuæ incarnationis gratiam habitualiter iuſtificantẽ, p.26. c.1.
Chriſtus ab inſtanti ſuæ incarnationis fuit beatus eſſentiali beatitudine, & oppoſitum eſt temerariũ, & fortaſſis erroneum, ibid. col.2.
Chriſti gratia non eius meritis correſpõdet, ſed eius perſonali dignitati, p.72.c.1.
Chriſtum poſt natiuitatem habuiſſe gratiam, & gloriam, eſt veritas fidei manifeſta, p.26.c.2.
Chriſto cum gratia fuerunt indita omnia ſupernaturalia dona, quę non includunt imperfectionem, p.27.c.1.
Chriſti ſtatui beatifico, & eius dignitati, fides, & ſpes repugnant, ibid. col.2.
Chriſti anima ab inſtanti ſuæ incarnationis faciali Dei viſione potitur, ibid.
Chriſto domino in ſtatu beatifico, quo fuit poſſibilis materia liberalitatis, & magnificẽtiæ, p.18.c.2.
Chriſtus non habuit fidem in præparatione animi, p.29.c.1.
Chriſtus non habuit formaliter meritum fidei, habuit tamen illud eminenter, ibid.
Chriſtus eſt Deus per participationẽ, neganda propoſitio, p.47.c.2.
Chriſtus vt homo ipſam Dei naturam refert, ibid.
Chriſtus etiam ſecundum humanam naturam nullatenus debet filius adoptiuus appellari, p.59.c.1.
Chriſtus vt homo per gratiam vnionis naturalis eſt Dei filius, p.53.c.2,
Senſus iſtius ſpecificatiuæ, Chriſtus inquantum homo, explicatur, p.54.c.1.
Chriſtus in quo ſenſu ſeruus Dei dicatur. p.60.c.2.
Quod Chriſtus vt homo dicatur non filius Dei, quomodo intelligi debet, p.63.col.1.
Chriſti humanitati ex vi hypoſtaticæ vnionis debita fuerunt gratia & gloria, & quomodo, ibid. col.2.
Chriſto competit cœleſtium bonorum hæreditas, prout eſt naturalis Dei filius, p.64.col.1.
Chriſtus proprium eſt, & per ſe habitualis gratiæ ſubiectum, p.77.c.1.
Chriſti humanitatis duplex ſanctificatio, p.89.c.2.
Chriſto debetur, quod in ordine gratiæ ſit ſummũ, p.88.c.1.
Chriſtus vt homo habuit plenum arbitrium in inſtanti ſuæ incarnationis, & potuit vti arbitrij libertate, p.183.c.1.
In Chriſti compoſitione formaliter intrat humanitas, p.388.c.1.
Chriſtus an per actũ obediẽtiæ meruerit, p.177.c.2.
Chriſtus an meruit per actum charitatis, ibid.
An à Chriſto per abſolutam Dei potentiam meritũ auferri potuerit, p.178.c.2.
Chriſtus an habuit perfectiſſimam libertatem, & quomodo, p.177.col.1.
Chriſtus an capax fuerit præcepti. ibid. col.2.
Chriſto, quare impoſitũ fuerit præceptũ, p.180. c.1.
Chriſtus meruit in inſtanti ſuæ incarnationis, pag. 182.col.2.
Chriſtus vir quare vocatus à Hieremia, & Zachar. p.183.c.1.
Chriſti meritũ ab inſtanti eius cõceptionis ad ipſius mortẽ excluſiuè nũquã interruptũ fuit, p.183.c.2
Chriſtum etiam poſt mortem meruiſſe hæreſis fuit quorundam, p.184.c.1.
Chriſtus in quem ſenſum dicatur non meruiſſe per actum charitatis, p.185.c.1.
Chriſtum viatorem fuiſſe ſecũdum partem inferiorem, quem ſenſum habeat, p.187.c.1.
Chriſti meritum ex obedientia quam habuit in anima

mæ

Digitized by Google

mæ præparatione, non in præcepti obſeruantia, impugnatur, p. 190. col. 1.
Chriſtus vt infinitè meruit non eſt Patre minor, pag. 200. c. 1 & 2.
Chriſtus quid meruerit, p. 201. c. 1.
Chriſtus verè, & propriè eſt perſona compoſita ex duabus naturis humana, & diuina, p. 394. c. 1.
Nullum habet in fide periculum negare, Chriſtum eſſe propriè perſonam compoſitam, p. 390. c. 1.
Minus propriè dicitur à quibuſdam Patribus, Chriſtum eſſe miſturam hominis & Dei, ſeu hominē miſtum Deo, p. 391. c. 2.
Chriſti caro, & eius humanitas ſanctificatrix, & viuificatrix eſt animarum noſtrarum, p. 98. c. 2.
Chriſtus meruit prædeſtinatis efficacem dilectionē, qua nos Deus in æternam vitam dilexit, p. 346. c. 2
Chriſtus vt eſt perſona humana non ſolā verbi perſonalitatem, ſed ipſum diuinum verbum, vt in diuina ſubſiſtēs natura intrinſecè claudit, p. 392. c. 1.
Non poteſt cum proprietate dici Chriſtū reſultaſſe ex hypoſtatica vnione, p. 390. c. 1.
Hæc propoſitio, Chriſtus eſt prædeſtinatus, vera eſt, & propria, p. 415. col. 2.
Chriſtum reſurrectionem ſui corporis glorioſā meruiſſe, certa fide tenendum eſt, p. 236. c. 2.
Chriſtus non meruit remotionem impedimēti, quo gloria animæ detinetetur, ne ſe ad corpus refunderet, p. 241. c. 1. & ſeq.
Chriſtus per humanitatis potētias nō poterat abſq; auxilio ſupernaturali vel habituali, vel actuali, in aliquam prodire ſupernaturalem actionem, pag. 115. c. 1. & ſeq.
Chriſtus non dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia in diuinæ mentis decreto anteceſſerit omnē creaturarum diſpoſitionem, p. 277. c. 2.
Chriſti coniunctio, & Eccleſiæ ſpiritualis, referenda eſt ad Chriſtū, vt hominē ſimul & Deū, p. 278. c. 1.
Chriſtus in ſua ſignificatione non ſolam diuinitatē, ſed etiam humanitatem complectitur, p. 382. c. 2.
Chriſtus, vt indutus forma ſerui, & cōſideratus ſub ſtatu humilitatis, habuit rationem medij redemptionis noſtræ, p. 282. c. 1.
Chriſtus, quatenus Deus exaltauit illum dans illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, finis fuit noſtræ redemptionis, ibid.
Chriſtus in ſtatu ſibi connaturali conſtitutus, finis eſt noſtræ iuſtificationis, & ſalutis, p. 282. c. 1.
Chriſto proprius ſtatus, eſt ille gloriæ, & exaltationis, ibidem.
Chriſtus reuelatus fuit Adæ, vt conſummator gratiæ ipſi primo parenti collatæ, p. 289. c. 1.
Chriſtus potius venit propter remedium peccati originalis, quam aliorum, etſi collectiuè ſumantur, p. 308. c. 2.
Chriſtus non ſolum voluit nos ab originali culpa redimere, ſed etiam ab vniuerſis & mortalibus, & venialibus, ibid.
Cuiuſuis hominis iuſti volūtas efficaciter à Deo prædeterminatur ad meritoriè operandū, p. 267. c. 1.
Chriſti paſſio tam prodeſt vnicuique noſtrum, atqi ſi pro quolibet noſtrum in particulari mortuus eſſet, p. 309. col. 1.
Chriſtus eſſet capax meriti ſicut Adam fuit, ſi veniret in mundum non extante peccato, p. 309 c. 2.
Chriſtus prius ratione prædeſtinatus fuit, quā præ-
deſtinarentur cæteri homines, p. 313. col. 1.
Chriſti prædeſtinatio in genere cauſæ finalis præceſſit æternam rerū omniū præordinationē, p. 314. c. 1.
Chriſti prædeſtinatio & Sanctorū, per ſe pendent in genere cauſæ materialis ab vniuerſi conſtitutione, p. 314. c. 2.
Chriſtus prædeſtinatus fuit, vt finis totius ordinis naturalis, & cuiuſcūq; ſtatus rōnalis naturæ, p. 117. c. 1
Chriſtus per ſe primo nullum influxum habuit, neq; habere potuit in ſtatum innocentiæ, niſi dependenter à ſtatu originalis culpæ, p. 117. c. 2.
Chriſtus fuit prædeſtinatus, vt finis etiam ſtatus innocentiæ, ibid.
Chriſtus nullum habuit meritum, quod non ſpectauerit ad ordinem redemptionis, p. 327. c. 2.
Chriſtus in quo ſenſu debet appellari caput rerum omnium naturalium, p. 329. c. 1.
Chriſtus qua ratione vocetur Eccleſiæ fundamentū, & qua ratione vocetur lapis angularis, & ſponſus, ac vir, p. 332. c. 1. & 2.
Chriſtus caput eſt Eccleſiæ ſecundum corpus, & ſecūdum animam, p. 333. c. 2.
Chriſti humanitas tota ad rationem capitis in Chriſto conſtituendam concurrit, p. 334. c. 2.
Chriſtus non eſſet Dei, & hominum mediator, niſi idem ipſe, & Deus eſſet, & homo, p. 334. c. 1.
Chriſtus meruit ſibi ſupremam capitis dignitatem, & quomodo, p. 334. c. 2.
Chriſtus meruit, quod Deus eius humanitate, vt inſtrumento vteretur ad influendū in ſua membra phyſico influxu ſupernaturalem vitam, & motum, p. 364. c. 2.
Chriſtus, vt præuiſus à Deo in æternitatis præſcientia propter hominum ſalutem homo futurus in tempore: caput fuit antiquorum fidelium, ibid.
Quomodo intelligatur, quod Chriſto reſurgente, omnes reſurreximus, p. 315. c. 1.
Chriſtus caput eſt fidelium iuſtorum in loco purgatorij exiſtentium, ibid.
Chriſti pretioſo ſanguini, & eius paſſioni, & meritis debemus quidquid nobis contingere pōt ſpiritualis vtilitatis vſq; ad ſtatum gloriæ incluſiuè, p. 336. c. 2.
Chriſtus in quantum homo quomodo dicatur Eccleſiæ caput, p. 334. c. 1.
Chriſtum fuiſſe caput primorum parentum in ſtatu innocentiæ probabile eſt. p. 336. c. 2.
Chriſtus in ſtatu glorioſo futuræ beatitudinis perfectiſſimè erit caput omnium beatorum, p. 337. c. 1.
Chriſtus reſpectu Angelorū, quibus non meruit gratiā iuſtificantē, neq; gloriā in rigore, non eſt pater, eſt tamen caput ſimpliciter, p. 379. c. 1.
Chriſti gratia quō debeat intelligi, quod phyſica efficientia concurrat ad iuſtificationem, p. 350. c. 2.
Propoſitio hæc Chriſtus inquantum Deus homo eſt caput Eccleſiæ, formalior eſt iſta, Chriſtus in quantum homo eſt Eccleſiæ caput, p. 340. c. 2.
Congruentiæ plurimæ ponuntur, ob quas filius potius, quam Pater, aut Spiritus ſanctus naturam humanam aſſumpſerit, p. 305. c. 1.
Concors Patrum ſententia in explicatione alicuius teſtimonij ſcripturæ certos nos in fide facit, illū ſēſum fuiſſe à Spiritu ſancto intentū, p. 330. c. 2.
Hæc vox Chriſtus in formali ſignificato importat compoſitionem, ſecundum quam eſt perſona compoſita, p. 392. c. 2.

Verò

Verè & propriè dicitur eſſe in Chriſto cõpoſitionem ex diuino ſuppoſito,& ex humanitate,ibid.
Ob quam cauſam Patres olim meminerint compoſitionis Chriſti ex diuino ſuppoſito,& ex humanitate,ſed eius,quæ eſt ex duab.naturis,p.393.c.1.
Inter humanitatem Chriſti, & Verbi perſonalitatem non eſt propria compoſitio,ibid.c.2.
Iſta vox, Compoſitum, abſtrahit in ſuo ſignificato formali,à compoſito perfecto & imperfecto,pag.394.c.2.
Compoſitio vera,& propria quid requirat: Et an ſit neceſſum, quod vnum componens ſit actus, & alterum ſit potentia,p.395.c.2.
In compoſitione,quę eſt ſecundum rationem numeri vnum componens poteſt eſſe idem cum compoſito,& de toto prædicari,p.396.c.2.
Complacere non licet in malo propter bonum ſubſequutum effectum,p.324.c.1.
Conſequentia ab inferiori ad ſuperius non valet ſemper in locutionibus metaphoricis,p.340.c.2.
Coniunctio caloris ad eſſentialem animalis vitam formalis eſt.p.99.c.1.
Coniunctio habitualis gratiæ ad Verbum in Chriſto,non eſt formalis,ſed ſuppoſitalis, ibid.
Corpus Chriſti exanimè potuit abſq; aliquo actuali motu,& abſq; aliqua ſuperaddita qualitate efficere ſupernaturalem effectum, vt inſtrumentum diuinæ virtutis,p.359.c.2.
DAmnati homines in inferno,neq; actu,neque potentia ſunt membra Chriſti,p.337.c.2.
Damnatis non proſunt inferni tormenta vt liberentur à debitis pœnarum temporalium,p.336.c.1.
Deus non poteſt efficere iudicium erroneum etiam ſpeculatiuum, non ſolum in intellectu humano Chriſti,verum neque in quouis intellectu creato.p.18.c.2.
Deus non poteſt ſe ſolo & immediatè efficere habitum erroneum ſpeculatiuum, ibid.
Hæc propoſitio Deus eſt factus Chriſtus,vera eſt, & catholica,p.397.c.2.
Quid de hac ꝑpoſitione, Deus homo factus eſt,ibid.
Deus propriè non eſt prædeſtinatus, vt eſſet homo.p.415.c.1.
In Deo duo potiſſimum reperiuntur,quibus ſummo interuallo diſtat ab omnibus creabilibus,& creatis ſubſtantijs,p.6.c.1.
Decretum prædeſtinationis Chriſti non potuit conſtare,niſi præſuppoſita præſcientia ordinis naturæ,& gratiæ,in aliquo priori ſigno,p.280.c.1.
Decretum prædeſtinationis Chriſti, non ita habuit primum locum in intellectu Dei, quod fuerit totaliter abſolutum,nullum habẽs reſpectum ad ordinem naturæ,& gratiæ, p.288.c.2.
Dei bonitas in hoc potiſſimum apparet, quod ad multos diffundatur,p.289.c.2.
Deus prædeſtinauit Chriſtũ propter gloriã ſuã, quæ cõſiſtit in manifeſtatione ſuæ bonitatis,p.290.c.1.
Deus prædeſtinauit Chriſtum ad viuificandum, & glorificandum hominem,ibid.c.2.
Deus noluit aliter aſſequi ipsã gloriã ſuã,quã intẽdebat,niſi mediatè humani generis redẽptione,ibid.
Deus à prædeſtinatis,non exigit laudem alterius gloriæ,quam gloriæ gratiæ eius, qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo,ibid.
Deus prædeſtinauit Chriſtum in remedium peccati, quo ceſſante non veniret, p.291.c.2.
Decretum in quo non diſponuntur media ad finem intentum neceſſaria, non eſt perfectę prouidẽtię, p.295.c.1.
Deus poteſt habere infallibilem cognitionem futuri peccati, poſita efficaci voluntate permittendi peccatum,p.298.c.1.
Deus cur Angelos non apprehenderit, ſed ſemen Abrahæ,vt Paulus dicit,aſſignatur ratio,p.300.
Deus in ſecundo ſigno rationis elegit homines, vt Chriſto incorporarentur,tamquam capiti membra,ibid.
Deus ſummum bonum cum ſit, omnia ad illum debent referri,& ordinari,p.302.c.1.
Deus nũquã ſibi humanã aſſociaret naturã perſonaliter,niſi vt eam repararet,& extolleret, ibid.c.2.
Deus dilexit Chriſtũ,eiusq; exaltationẽ, & gloriam præ cæteris oĩbus rebus Chriſto inferiorib. ibid.
Deus nihil vnquam de incarnatione aut gloria Chriſti cogitauit,quin ſimul de noſtra ſalute, & gloria mentionem faceret,p.303.c.1.
Deus prius ordine rationis efficaci conſilio decreuit humanam redimere naturam. Eamq; ad ſupernaturalem finem euehere, quam aliquot homines in particulari prædeſtinaret,p.304.c.1.
Decretum incarnationis prius fuit prioritate cauſæ finalis,quæ eſt prioritas ſimpliciter, quam totius vniuerſi conſtitutio,p.313.c.1.
Deus poſuit Chriſtum tamquam validiſſimum fundamentum, in quo homines radicati, & fundati ſtare poſſunt,p.323.c.2.
Deus cur non condidit Angelos tam ſtabilis naturæ, vt ſine cadendi periculo coram ipſo adſtarent, explicatur.p.324.c.2.
Deus factus eſt homo ex amore quem habuit erga Adam nõ vt ſingularis erat perſona, ſed quatenus in eo erat humana natura,p.326.c.1.
Deus niſi influeret in creaturas perfectiones earum naturales, nullatenus poſſet dici caput vniuerſi, p.329.c.1.
Deus in puritate ſuæ naturæ conſideratus,non eſt Eccleſiæ caput homogeneum,p.334.c.1.
Deus vtitur ſimul actu intellectus Chriſti,& eius ſingulari phantaſmate, ſeu actione phantaſiæ, quaſi vnico inſtrumento ad noſtram iuſtificationem efficiendam,p.357.c.2.
Differentia inter caput naturale,& morale ponitur, p.341.c.1.
Dictio,Propter,in illo loco *Propter nos homines,&c.* finem importat non quidem præcipuum, ſed proximum,& intermedium,p.292.c.1.
Diuina bonitas & maieſtas, in quolibet ordine potuit demonſtrari,abſque dependentia ab hypoſtatica vnione ſaltem ſubſtantialiter,p.307.c.1.
Diuinam ſapientiam fuit decens. quod filius, qui eſt ſubſtantialis imago Patris reformaret illam Dei imaginem,& ſimilitudinem,in qua homo à principio fuerat conditus,p.313.c.2.
Diſpoſitio ad aliquã formã duplex eſſe põt,p.110.c.2
Dilectio diuinæ volũtatis, qua humanã naturã velut reparãdã & glorificandã dilexit,fuit ꝑſuppoſita ad primũ ꝑdeſtinationis Chriſti decretũ, p.282.c.1.
Diſtingui poſſunt plures rationes prædeſtinationis Chriſti,ex parte rei prædeſtinatæ,p.290.c.1.
Dicere quod incarnatio Chriſti potius dimanauit ex

amore

Digitized by Google

amore Chriſti,& glorię eius,quã ex amore humani generis,aut totius vniuerſi, neq; ſcripturis ſacris derogat,neque rationi,p.302.c.2.

Dilectioné ſuam erga nos maximé oſtendit Deus in hoc qđ noſtrã naturã prætulit angelicæ,p.303.c.1.

Dona Spiritus ſancti in Chriſto reperiũtur, p.33.c.2

Duplices reperiuntur ſpecies cauſæ in Chriſti gratia,p.340.c.1.

EA quæ nobis futura ſunt in Deo ſunt facta, eius coæternitati coexiſtunt,p.318.c.2.

Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſecundum corpus, & animam,p.343.c.2.

Eccleſia in quo ſenſu appelletur à Paul, Chriſtus, p.341.c.1.

Eccleſiæ coniunctio cũ Chriſto incipit à fide,& charitate conſummatur,p.333.c.1.

Efficax voluntas permittendi originalem culpam in humana natura,ac proinde aſſumẽdi eãdem naturam per hypoſtaticam vnionem, & quod perſona aſſumens eſſet Dei filius totum implicabatur primo decreto diuinæ mentis, p.298.c.1.

Efficacia auxiliorum in Angelis non debet penſari ex libera eorum voluntate,p.314.c.2.

Electio prædeſtinatorum duplex,p.483.c.1.

Comparatiua prædeſtinatorum Electio ex meritis Chriſti fuit ſumpta formaliter, non vero materialiter,ibid.c.2.

Electio eorum,quæ ſecundario pertinent ad ordiné naturalem præceſſit prædeſtinationem electorũ, in genere materialis cauſæ,p.300.c.2.

Electorum prædeſtinatio inchoationem accepit in illa voluntate,qua Deus abſoluté voluit naturam humanam reparare,p.306.c.1.

Electos cur vocet Paul⁹ creatos in Chriſto, p.341 c.2

Entis rationem non habet, quod nequit cadere ſub ordine diuinæ prouidentiæ, p.86.c.1.

Epiphanius in quo ſenſu Chriſti humanitatem vocauit entitatem exiſtentem,p.413.c.1.

Eraſmi ſententia circa intelligentiam illorum verborum. Ioan.1. Plenum gratiæ,& veritatis, impugnatur,p.1.& ſeq.

Prior ſpeculatiuus ſiue habitualis,ſiue actualis, non eſt malum pœnæ proprié loquendo,p.18.c.2.

Error eſt manifeſtus in fide, aſſerere, quod non extante orig. peccato Chriſtus veniret,ſicut de facto venit,in carne mort.& paſſibili, p.309.c.2.

Excellens charitatis Chriſti cõmendatio, p.200.c.1.

Excellentia habitualis gratiæ,& eius dignitas explicatur.p.5.c.1.

Excellentius bonum,fuit ipſa incarnationis Chriſti ſubſtantia,quam gloria animæ eius,p.319.c.1.

Excellentius nomen,quod Chriſtus præ Angelis hæreditauit,eſt nomen naturalis filij Dei, illi nõ extraneum,neq; aduentitium,p.318.c.2.

Excellentiora bona præparauit Deus naturæ humanæ,quam Angelicæ,p.305.c.1.

Ex vi primi decreti,in quo nulla remedij originalis expreſſa fuiſſet facta mentio, Deus infallibiliter veniret in mundum,p.294.c.1.

Explicatur qua ratione SS. Patres tã ſine diſtinctioné dixerunt Chriſtum non venturum, niſi homo egeret remedio,p.310.col.2.

Exiſtentia non eſt prima ſubſtantialis actualitas entis,vt ens eſt,p.403.c.1.

Exiſtentia non eſt terminabilis in ratione exiſtentię per aliam exiſtentiam, ſeu per aliã formã, p.401.

Immediatum exiſtentiæ ſuſceptiuum non natura ſubſtantialis eſt,ſed ſuppoſitum,p.407 c.2.

Exiſtentia in quo ſenſu ſit vltimus naturę ſubſtantialis terminus,p 408.c.2.

Exiſtentia neceſſaria conditio eſt per modum termini, vt ens quodcũq; entitatiuam habeat actualitatem, p.410.c.1.

Vt res concipiatur per modum actualis entitatis,nõ eſt neceſſe, quod in exiſtentia concipiatur, vt in actu,ſed vt in potentia, ibid.

FIdei obiectum formale ſimpliciter eſt impoſſibile Chriſto in ſtatu beatifico,p.28.c.2.

Fides poſtulat obſcuritatem,p.27.c.2.

Fides cũ ſcientia eſſe non poteſt, & multo minus cũ clara viſione ſecundum ordinatiam potentiam,& de potentia abſoluta poteſt eſſe cum illis ſecundũ habitum,non vero ſecundum actum,ibid.

Finis prout antecedit in intẽtione potius inducit rõnem patris reſpectu mediorũ quã filij, p.276.c.2.

Finis obiectũ eſſe poteſt duorũ diuerſorũ actuũ, & qũo idem conſiderari poſſit in Deo,p.187.c.1.

Finis in executione conſideratus, poteſt ſortiri rationem effectus reſpectu mediorum in genere cauſæ efficientis, p.276.c.2.

Filiatio naturã reſpicit,& qũo intelligatur,p.64.c.1

Finis aliter comparatur ad media,& aliter ad ſubiectum illius finis,p.281.c.1.

Hæc propoſitio filius Dei eſt compoſitus,potius eſt neganda,quam concedenda.p.395.c.1.

Eſſe Filium Dei naturalem non fuit terminus prędeſtinationis Chriſti, niſi cum hoc addito ex gratia vnionis,p.423.c.1.

Finis per ſe pendet à ſubiecti præſcientia, & ab aliquo eius amore,p.281.c.1.

Finis ſimpliciter ſecundum aliquem modum poteſt induere rationem medij,p.299.c.2.

Finis ille communiſſimus quem Deus in primo illo ſuo decreto intẽdit, quamuis vniuerſaliſſimus ſit, eſt tamen proprijſſimus Deo,p.307.c.1.

Fieri non poteſt ẽt per Dei abſolutã potentiã, vt aliqua pura creatura ſit proprię,& in rigore caput in ratione gratiæ hominum,& Angelorũ,p.339.c.1

Figura Chriſti optima fuit illa manus Iacob emiſſa, & egreſſa ex vtero tenens plantã fratris,p.335.c.1

Fomes peccati quid ſit, & quomodo Chriſti humanitati repugnet,etiam ligatus,p.19.c.1.& 2.

Fomes peccati in B. Virgine ligatus fuit, non tamen extinctus antequam conciperet,p.20.c.1.

Forma aliqua non ſe poteſt extendere ad producendos infinitos effectus, ſi in ſemetipſa infinita non fuerit,p.95.c.2.

ad GEnerationis rationem non eſt neceſſaria productio exiſtentiæ rei genitæ,p.411.c.1.

Gloria animę Chriſti non fuit terminus prædeſtinationis eius, p.420.c.1.

Gloria animæ qũo deriuetur ad corpus, p.241.c.1.

Gloria animæ Chriſti,quæ in diuinæ eſſetiæ viſione cõſiſtit,nõ eſt vltimus finis,& præcipuũ bonũ,qđ Deus in Chriſti incarnatione amauit,p.318.c.2.

Gloria animæ Chriſti,& gratia,& cætera chariſmata locũ habuerunt in Chriſto diſpoſitionis concomitantis hypoſtaticam vnionem,p.110.c.2.

Gloria animæ Chriſti magis fuit volita, & intenta, quam naturæ ordo, & gratiæ, non tamen prius voli-

Digitized by Google

volita,& intenta,pag. 323.c.1.
Gratia quid ſignificet, p.1.c.1.
Gratia prout Chriſto accommodatur tripliciter ſumi poteſt, p.3.c.1.
Gratia gratis data vix poteſt vocari gratia, niſi cum illo addito data,ibid.
Gratia quomodo Chriſto fuerit ad merendum neceſſaria, p.115.c.2.
Gratia vnionis quid ſignificet,p. 3.c.1.& ſeq.
Gratiæ habitualis excellentia,& dignitas explicatur, p.6.c.1.& ſeq.
Gratia,quæ ſimplex qualitas eſt in anima,ſecundum virtutem multiplex eſt,& multiformis,p.5.c.2.
Gratia eſt ſupernaturale diuinæ naturæ participiũ, p.9.c.1.
Gratia per ſe primo formale participium eſt perfectionũ,quæ ad Dei vnitatem pertinent,ſecũdario vero participatio eſt diuinæ Trinitatis,p.9.c.1.
Gratia ſola tribuit participationem diuinæ naturæ, reliqua autem dona ſunt tm̃ participia quarundã ſingularum eius perfectionum,p.10.c.1.
Gratia non ſolum eſt radicalis participatio diuinæ naturæ, ſed & formalis,p.10.c.2.
Gratiam eſſe formalem participationem diuinæ naturæ,quomodo intelligatur,p.11.c.2.
Gratia ſua quodditatiua ratione conſtituit hominẽ filium Dei,p.12.c.1.
Gratia habitualis ſemen Dei vocatur,ibidem.
Gratia licet accidentalis forma ſit, quondam tamen habet modum ſubſtantialis formæ,p.58.c.1.
Gratia quomodo debeat cõſiderari in formali Chriſti ſanctificatione,p.58.c.1.& 2.
Gratia in iuſtificatione hominis dupliciter poteſt conſiderari,ibid.
Gratia habitualis debita fuit Chriſto connaturalitatis debito,p.72.c.1.
Gratia habitualis non eſt propria Chriſti paſſio,pag. 72.col.2.
Gratia habitualis non emanauit in Chriſto per ſimplicẽ reſultantiã ex vnione hypoſtatica, p.75.c.1.
Gratiæ habitualis productio Spiritui ſancto tribuitur,p.76.c.2.
Gratia in Chriſto habet omnes effectus poſſibiles, p. 77.c.2.
Gratia habitualis collata fuit Chriſti humanitati p ſpecialẽ actionẽ Trinitatis,& quomodo,p.76.c.2.
Gratia Chriſti infinita eſt ſimpliciter in eſſe gratiæ infinitate tamen moralis dignitatis,p.99.c.2.
Gratia Chriſti quantum eſt ex ſe potuit eſſe cauſa quarumcumque gratiæ,& Angelorum, & primi parentis,p.77.c.2.
Gratia ex ſua natura conſtituit habentem filiũ Dei, p.78.c.1.
Gratia habitualis Chriſti ſm intenſionem augeri poteſt per abſolutam Dei potentiam,p.84.c. 2.
Gratia Chriſti eſt ſm intenſionẽ ſũma fuit, quæ pôt eſſe ſecundum ordinariam Dei potentiã.p.87.c.2.
Gratia Chriſti habitualis excedit totã collectionem gratiæ, quæ in Sanctis, & Angelis, & hominibus reperitur,p. 89.c.1.
Gratia B.Virg. habet plenitudinẽ ex parte ſubiecti, non vero ex parte ipſius gratiæ,ibid.c.2.
Gratia licet ſit creatura,eſt tamen ordinis diuini, & ſupernaturalis,p.91.c.2.
Gratia Chriſti habitualis neq; in ratione qualitatis eſt ſimpliciter infinita, ibidem.
Gratia Chriſti infinita eſt in eo ſenſu, in quo lux Solis poteſt dici infinita,p.96.c.2.
Gratia Chriſti in eſſe morali,ſpecie differt à gratia noſtra,p.107.c.1.
Gratia Chriſti ex coniunctione ad Verbum nõ participât infinitatem phyſicam,vel eſſentialem, vel modalem,quæ illam in eſſe gratiæ conſtituat ſimpliciter infinitam,p.96.c.2.
Gratia non eſt per ſe primo forma operatiua,ſed gratificatiua, & dignificatiua ſubiecti operantis, p. 105.c.1.
Soli gratiæ ex natura ſua competit conſtituere vnionem rationalis creaturæ cum Deo, etiam in eſſe entitatiuo,ibid.
Gratia Chriſti ſimpliciter loquendo nõ eſt in aliqua ſpecie gratię,in qua nõ ſit gratia noſtra,p.107.c.1
Gratia in humanitate à verbo relicta retineret eãdẽ ſpeciem phyſicam,non tamen moralẽ, p.108.c.2.
Gratia puri hominis nequit pertingere ad perfectionem gratiæ Chriſti,ſi de morali gratiæ perfectione fiat ſermo,p.109.c.1.
Gratia poteſt creſcere in homine quantumcunque iuſto, ibid.
Gratia vnionis eſt prima radix omniũ perfectionũ, quæ conueniunt Chriſto vt homini,p.273.c.2.
Gratia habitualis Chriſti tãtam vim ex gratia vnionis participat, vt gratiæ capitis nomen mereatur accipere, ibid.
Gratia Chriſti habitualis verè conſtituit Chriſtum vt hominem caput Eccleſiæ,per modum proximi, & immediati formalis principij,ibid.
Gratia & gloria in humanitate Chriſti non præſupponuntur ad perſonalem vnionem, ſed potius ſequuntur,p.287.c.2.
Gratia, & sãctitas B. Virg. præuiſa fuit in genere cauſæ materialis ad Chriſti pdeſtinationẽ, p.301.c.1.
Gratia in creaturis ſuſcepta ſuſcipitur ad modũ earum,videlicet defectibiliter,p.325.c.1.
Gratia perſonalis Chriſti eadem eſt ſecundum eſſentiam cum gratia capitis, differt tamen ab ipſa ratione,p.339.c.2.
Gratia Chriſti habitualis gratia capitis vocatur,quatenus eſt principium formale proximum effectiuum,Quo,gratificandi, & ſanctificandi ipſa Chriſti membra,p.340. c.1.
Gratia quatenus in eſſe,& in fieri à ſubiecto pendet effici poteſt à Deo mediante inſtrumento phyſicè concurrente,p.360.c.2.
HOminis ſalus,& glorificatio in Chriſti iã exaltati gloriam tanquã in finẽ redeunt,p.282.c.2
Homines in ordine gratiæ Angelorum miniſterio debuerunt gubernari,etiam ſi in ſtatu innocentię permanſiſſent,p.300.c.1.
Homine non peccante,ſi Deus veniret in carne,probabilius eſt, quod veniret in carne eo modo poſſibili,quo homines eam habuiſſent in primo ſtatu innocentiæ,p.309.c.2.
Homini iuſto bene operanti ſecundum charitatem, & gratiam, debetur vltimus gratiæ finis, qui eſt gloria,p.339.c.1.
Homo ſtatim quod in ſuperbiam fuit elatus,in gulæ incidit peccatum,p.323.c.1.
Homines in ſtatu innocentiæ non habuerunt auxilia ita efficacia, atque habent homines per Chri-

ſtum

Google

ſtum redempti, p. 323. c. 1.
Homo pro humanitate apud Auguſt. p. 203. c. 1.
Humanitas Chriſti non prius extitit, quam diuino verbo fuerit vnita, p. 405. c. 1. & 2.
Humanitas Chriſti non propria, ſed verbi exiſtentia exiſtit, p. 404. c. 2.
Humanitas ſi in Chriſto propriam retineret exiſtentiam, non poſſet concedi eam exiſtere per exiſtentiam verbi, p. 408. c. 2.
Humanitas Chriſti non prædeſtinata eſt ad gloriam, vel ad filiationem Dei naturalem, p. 420. c. 1.
Humanitas Chriſti per ſe, & immediate non eſt prędeſtinata ad vnionem cum Verbo, p. 418. c. 2.
Humanitas quō aſſūptioni pręſupponatur, p. 411. c. 1.
in Humanitate à Verbo relicta reſultaret exiſtentia creata, p. 409. c. 1.
IOannis Baptiſtę generatio, non fuit ſecundum ordinem naturæ diſpoſita, ſed ſecundū ea quæ pertinebāt ad ordinē hypoſtaticæ vnionis, p. 296. c. 1.
Incarnationis beneficium, non habuit ortum per ſe primo, ex amore quo Deus humanum genus proſequutus eſt, ſed ex amore ſuæ bonitatis, p. 305. c. 2.
Intentio, à fine incipit, & ad media terminatur: exequutio vero inchoat à medijs, & in ipſa finis aſſequutione ſiſtit, p. 306. c. 2.
Incarnationis beneficiū non fuit homini collatū, niſi pſuppoſita, & pviſa neceſſitate remedij, p. 319. c. 1.
Incarnationi Chriſti non derogat, quod non aliter fuerit præordinata, quā occaſione ſumpta ex humani generis tam grandi neceſſitate, ibid.
Incarnatio Chriſti non debet dici bonum occaſionatum, licet ex occaſione peccati, & eius remedij hoc beneficium nobis fuerit donatum, ibid.
Incarnatio Chriſti, multo præſtantiorem gratiam attulit nobis, quam fuit illa quam accepit primus homo, ut toti naturæ communicaret, p. 323. c. 2.
Innocentiæ ſtatu perſeuerante, multo plures homines periijſſent, quam nunc pereunt, p. 321. c. 1.
Inclinatio ſpiritualis ſi libera relinquatur, multo maior, & vehementior eſt, quam inclinatio, & appetitio corporalis & ſenſitiua, p. 322. c. 1.
Iuſtitia originalis non reddidit primū hominē perfectiorem, quam eſſet primus Angelus, ibid. c. 2.
Iuſtitia originalis, primi hominis animā ita cōpoſuit, quod poſſet ſi vellet omnia vitare peccata, ibid.
Iuſtitia originalis omnes animæ vires inferiores cōprimebat, vt à rationis dictamine minime exorbitarent, p. 323. c. 1.
In ſtatu innocētiæ nō deeſſent extrinſeca incitamēta ad perpetrandum peccatū illud, quod eſſe poterat in illo ſtatu, puta, inobedientiæ, & ſuperbiæ, ibid.
Iuſtitia originalis erga inferiora compeſcenda magnum homini præſtitit vigorem, id aūt nō potuit efficere erga ſuperiora, p. 325. c. 1.
Incarnatio prima radix fuit meritorum Chriſti, p. 203. c. 2.
Incarnationē ſuam an Chriſtus meruerit, p. 202. c. 2.
Incarnatio Chriſti cauſa fuit prædeſtinationis noſtræ, & nullatenus eius effectus, p. 439. c. 2.
Incarnatio Chriſti, etſi fuit medium ad noſtram ſalutem ordinatū, non tñ fuit medium ad finē prędeſtinationis noſtrę formaliter ordinatū, p. 439. c. 2.
Infinitum dupliciter ſumitur, p. 93. c. 2.
Infinita extēſio formalis in aliqua forma pſupponit infinitā perfectionē, & intentionē in illa, p. 95. c. 2.
Infinitas moralis dignitatis, quę eſt in gratia Chriſti, conſequenter ſe habuit ad gratiam vnionis, neceſſitate tamen conſequutione ſequuta, p. 106. c. 2.
Iuſtitia rigoroſa non repugnat gratiæ, p. 78. c. 2.
Iuſtitia in ſacra pagina tribuitur perfectio eſſendi; & peccatoribus denegatur, p. 8. c. 2.
LAborioſa Chriſti vita, paſſio, & mors, &c. referuntur in Chriſti exaltationem, vt in finem intrinſecum, p. 327. c. 1.
Latus Chriſti lancea ipſo viuo perforatū fuiſſe, hæreſis fuit quorundam, quæ impugnatur, p. 184. c. 1.
Lex gratiæ quare dicatur humanis cordibus inſculpta, p. 8. c. 1.
Lex quō coerctiuam vim habere debeat, p. 188. c. 2.
Licitum eſt lætari de permiſſione, qua Deus permiſit peccatum originis, p. 324. c. 1.
Lumen gloriæ collatum animæ Chriſti eiuſdem eſt ſpeciei cum lumine gloriæ, quod confertur alijs beatis, p. 106. c. 2.
MAlum commune maiori cura repellendum eſt, quam quodcunque priuatum malum, etiam ſi intenſiuè maius ſit, & grauius, p. 308. c. 2.
Matrimoniū in ſtatu innocentiæ inter primos parētes celebratū, ex Chriſti meritis, accepit eſſe ſignū ſpiritualis matrimonij Xpi cū Eccleſia, p. 328. c. 2.
Magna Dei gloria illa eſt, quam Deus per myſteriū redemptionis noſtræ eius virtute factæ ſibi comparauit, p. 290. c. 2.
Martyrium meritum quo fine terminetur, p. 184. c. 1.
Malum quod peccatum originis attulit mundo non fuiſſet à Deo permiſſum, niſi propter bonum maximum, quod eſt incarnatio Chriſti, p. 296. c. 2.
Meriti conditiones, quæ, p. 182. c. 1.
Meritorum Chriſti infinitas quomodo conſideranda, p. 197. c. 2.
Merito Chriſti quod premiū deberetur, p. 200. c. 1.
Meriti Chriſti, & ſatisfactionis eadem fere ratio, & proportio, ibid.
Pia ſententia eſt, quæ ad meritum in homine iuſto nullam relationem in ſupernaturalem finem cenſet eſſe neceſſariam, p. 15. c. 1.
Merita quæ habuit Adam in ſtatu innocentiæ, viuificanda erant per Chriſti gratiam, p. 317. c. 2.
Meritum hominis exiſtentis in gratia, non fundatur in extrinſeca Dei ordinatione, p. 339. c. 1.
Membrum, & pars dependentiam important à capite, & à cæteris membris, & partibus eiuſdē corporis, p. 340. c. 2.
Modus quo tota Chriſti humanitas noſtram gratiā phyſicè operatur nunc in cœlo exiſtens, ſoli Deo, ipſique Chriſto poteſt eſſe perſpectus, p. 357. c. 2.
Motus cœli quatenus procedit ab intelligentia extrinſecus mouente cęleſtem orbem, poteſt vitam cauſare in inferioribus, p. 357. c. 1.
Motus in ratione entis imperfectior eſt re, quæ mouetur, ibid.
Motio in paſſo ſuſcepta vim habet inſtrumentariam ad efficiendum ſupernaturalem effectum, non autem vt ſuſcipitur in paſſo, ſed vt ab agente procedit, p. 358. c. 1.
Mortis Chriſti locus, & tempus ex Patris præcepto, non ex Chriſti voluntate diſpoſita, p. 190. c. 2.
In mundum quando Chriſtus ingreſſus, p. 182. c. 2.
Motus appetitus ſēſitiui in Chriſto fuerunt deliberati, & pviſi in particulari, & diſtinctè, & immediatè p. 20. c. 2.

Natu-

NAtura humana peccato infecta non potuit à Verbo diuino aſſumi,p.84.c.2.
Natura Angelica in rerum vniuerſitate ſupremum tenet apicem,p.304.c.2.
Natura rationalis totum vniuerſum quaſi breui quodam Epilogo complectitur,ibid.
Naturam humanã ſtatuit Deus decorare clariſſimis gratiæ donis in vno totius naturæ capite,ibid.
Natura Angelica & humana ſi ſuis tantum innitantur viribus,magnaq; Dei non iuuentur ope, impares ſunt ad ſuſtinendum excellens bonorum cœleſtium pondus,p.301.c.2.
Noua prohibentur dici, ſed non nouiter, p.306.c.2.
Nulla cauſa ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis põt exire in actum ſecundum,quin prius naturæ ordine conſtituta fuerit in actu primo,p.352.c.2.
OLeum,quid ex Patrum ſententia in ſcriptura ſignificet,p.26.c.1.
Operatio humana dupliciter intelligi poteſt deliberata à ratione,p.20.c.2.
Operatio neceſſaria meriti eſt incapax,p.177.c.2.
Operatio bona purè naturalis nequit eſſe æternæ vitæ meritoria de condigno,etiamſi Deus vitã æternam ſic bene operanti promitteret,p.154.c.2.
Opera Chriſti prodigioſa; & miraculoſa deſignauit Euang. Ioan. illis verbis, Vidimus gloriam eius, p.4.c.1.& ſeq.
Omnis operatio Dei ad extra,ex libertate procedit, p.97.c.2.
Operationes Chriſti procedẽtes ex gratia habituali, infinitum valorem moralem ex ipſa gratia participabant,p.99.c.2.
Operationes Chriſti non participant infinitum valorem immediatè à ſuppoſito, ſed à gratia dignificata dignitate infinita ex coniunctione ad diuinum ſuppoſitum,p.105.c.2.
PAtres antiqui nõ meruerunt de condigno incarnationem Chriſti, prout fuit cauſa meritoria apertionis ianuæ cœleſtis,p.214.c.1.
Patres antiquæ legis non meruerunt accelerationẽ incarnationis Chriſti,p.213.c.2.
Patres antiquæ legis non meruerunt de condigno incarnationem Chriſti,meruerunt tamen de congruo etiam eius ſubſtantiam,p.215.c.1.
Partes compoſiti ſubſtantialis,non exiſtunt partialibus exiſtentijs,p.401.c.2.
Partes ſubſtantiales non prius exiſtunt, quam ſint in toto compoſito,p.411.c.1.
Potentia paſſiua obedientialis quid ſit,p.352.c.2.
Peccato non extante, omnes rationes,& congruẽtiæ poſtulare videntur, quod Deus aſſumeret potius Angelicam,quam humanam naturam,p.293.c.2.
Peccatum Originis quatuor mala intulit, quibus reſpondent quatuor beneficia in redemptione per Chriſtum facta,p.123.c.2.
per Peccatum per ſe primo offenditur Deus,vt trib. perſonis communis,p.124.c.2.
Peccatum duplici modo potuit præſciri ante prædeſtinationem Chriſti,p.324.c.1.
Peccatores metaphorice filij Dei vocantur,& quare, p.53.c.1.
Peccatum Originis quare in plurali, iniquitates vocatur,p.5.c.2.
Peccatum mortale duo infert mala,alterum effectu, & alterum affectu,prius contra peccantem,poſterius contra Deum,p.118.c.1.
Peccatum prout ipſi peccanti malum infert, non eſt per ſe, & immediatè materia ſatisfactionis, ſed quatenus Dei eſt offenſiuum,& iniurioſum, ibid.
in Peccato auerſio reperit;& cõuerſio,p.118.c.1.&2.
Peccato Originis non extante, Chriſtus non veniret in remedium peccatorum alicuius hominis, vel aliquorum,p.309.c.1.
Peccatum Originale licet ex ſe eſſet ſufficiens cauſa reprobationis Deus illud non aſſumpſit vt cauſam,p.326.c.1.
Peccati remedium in genere cauſæ finalis præceſſit Chriſti prædeſtinationem, p.299.c.2.
Peccati remediũ nõ potuit pręſupponi in ordine intẽtionis vt p̃exiſtẽs,ſed vt futurũ infallibiliter,ibid.
Petri Abailardi error circa redemptionem humani generis per Chriſtum factam,p.118.c.2.
Pelagij error circa idem, ibid.
Prædeſtinationis Chriſti qua pręAdeſtinatus eſt filius Dei humanitas non fuit obiectum, Quod, fuit tamen obiectum, Quo,p.418.c.2.
Prædeſtinatio tria neceſſario exigit,p.381.c.2.
Prædeſtinationem duplicem eſſe, alteram ſimpliciter,& alteram ſecundum quid, p.382.c.1.
Prædeſtinationem obiecto, & termino conſtare, p. 381.c.1.
Prædeſtinationis Chriſti obiectũ fuit Chriſtus, quatenus ſubſiſtit in humana natura,p.415.c.2.
Prædeſtinationis Chriſti obiectum nõ fuit Chriſtus cõceptus in abſtractione à vero Chriſto,& à Chriſto à Neſtorianis conficto,p.424.
Prædeſtinationis Chriſti obiectum,non fuit hic homo deſignata Chriſti humanitate in abſtractione à ſuppoſito creato,& increato,p.425.c.1.
Prædeſtinationis Chriſti obiectum ad terminũ præſuppoſitum non fuit Verbum, & humanitas, vt verbo vnienda, p.428.c.2.
Prædeſtinationis Chriſti proximum obiectum fuit Verbum,vt ſuppoſitum humanum,ibid.
Ad rationem formalem termini Prædeſtinationis Chriſti,pertinet ratio gratuiti doni,p.423.c.1.
Obiectum Prædeſtinationis ipſius Chriſti non fuit Chriſtus conceptus vt poſſibilis,p.426.c.1.
Prædeſtinationis Chriſti nomine intelligitur in pręſentia decretum intellectus diuini de incarnatione Verbi futura, p.274.c.1.
Prædeſtinatio electorum celebrata fuit in ſecundo ſigno rationis, p.300.c.2.
Prædeſtinatio B. Virg. fuit celebrata in illo primo rationis ſigno,in quo Chriſtus fuit prædeſtinatus,p.301.c.1.
Prædeſtinatorum electio in illa æterna præordinatione præſtat ex parte obiecti dignitate, & excellentia conſtitutioni, & ordinationi aliarum rerum,p.314.c.1.
Prædeſtinati ſunt finis omnium eorum, quæ ſub ipſis continentur,ibid.c.2.
Prædeſtinationem Chriſti præceſsit præſciẽtia peccati originalis,ſed non ob id neceſſum eſt dicere, quod præceſſerit etiam præſcientia aliorum peccatorum,p.308.c.2.
Præceptum impoſitum Chriſto mortis ſubeũdæ an fuerit poſitiuum,vel naturale,p.180.c.1.
Præceptum quomodo impoſitum fuit Chriſto,cum impeccabilis eſſet.p.188.c.2.

Præceptum impoſitum Chriſto de acceptanda morte ab humana Chriſti voluntate originē habuiſſe impugnatur, p. 189. c. 1. & 2.
Præceptum moriendi impoſitum Chriſto tantum quoad ſubſtantiam, & non quoad circunſtantias impugnantur, p. 190. c. 1. & 2.
Præcepta iuris naturalis qualiter in alijs beatis conſideranda, p. 196. c. 1.
Præcepti impoſitio ſignum eſt minoris promptitudinis in inferioris voluntate, p. 180. c. 1.
num Promiſſio Dei facta Chriſto neceſſaria fuerit ad ipſius meritum, p. 178. c. 2.
Præcipuus finis incarnationis Chriſti non debuit Adæ manifeſtari, ne præſcius fieret ſui futuri caſus, p. 317. c. 2.
Præmiū infinitū mortis Chriſti qđ fuerit, p. 199. c. 2.
Præſcientia ordinis naturalis incluſa fuit in Chriſti prædeſt. p. 182. c. 1.
Præſciētia peccati ordine rōnis præceſſit prædeſtin. Chriſti in genere cauſæ materialis, p. 299 c. 2.
Præſcientia omniū ſingularium, quæ neceſſario fuerunt præſuppoſita ad Chriſti incarnationem, in primo rationis ſigno habita fuit, p. 301. c. 1.
Propoſitio hæc, peccatum præuiſum eſt à Deo ante incarnationem Chriſti vera eſt, p. 299. c. 2.
Propoſitio hæc Chriſtus eſt prædeſtinatus ante præſcientiam peccati non eſt concedenda, ibid.
Probabiliter pōt dici, quod gratia fuit collata Adæ per Chriſtum in ſtatu innocentiæ, ibid.
Proprium officium capitis eſt in omnia viuentis corporis membra motum, & ſenſum aſſiduo influxu operari, p. 331. c. 2.
Primum cuiuſcumq; hominis peccatum in ſtatu innocentiæ eſſet mortale, & quare, p. 315. c. 1.
Primus homo originali iuſtitia ornatus, potuit à ſemetipſo nullo extrinſeco ſuggerente in ſuperbum affectum prorumpere, p. 322. c. 2.
Prius diligi, & magis diligi non eſt idem, p. 316. c. 1.
Permiſit Deus Angelis, & hominibus tam grandem ruinam, vt oſtenderet quid poſſit natura, & quid gratia, p. 307. c. 2.
Permiſſio ipſa originalis culpæ per ſe fuit ordinata in Chriſti incarnationem, & in eximiam Chriſti manifeſtationem, & eius gratiæ, p. 308. c. 1.
Plenum quomodo accipiatur, p. 82. c. 2.
Plenitudo gratię Chriſti ſumma cenſeri debet, & appellari ſm propriam naturam gratiæ, p. 90. c. 2.
Potentiæ naturales, & propriæ paſſiones, quare aliquando diſpoſitiones appellentur, p. 110. c. 2.
RAtio capitis in Chriſto conſurgit ex vtraq; Chriſti gratia, & vnionis, & habitualis, p. 274. c. 1.
Redēptio generis humani ſimpliciter eſt mediū ad Chriſtum incarnatū, & ad eius gloriam, p. 281. c. 2
Redēptionis opus ex ſacrificio, quo Chriſtus ſeipſū obtulit hoſtiam Deo initium accepit, p. 123. c. 1.
Redemptionis Chriſti effectus, p. 181. c. 2.
Reſurrectio Chriſti an loco infiniti præmij dati Chriſto habenda ſit, p. 298. c. 2.
Relatio ad ſui fundamenti productionem comproducitur, p. 100. c. 2.
Reperitur ſecūdum peritiſſimos Theologos in Deo formaliter voluntas antecedens, qua voluit Deus omnes ſaluos fieri, p. 304. c. 1.
Reprobatio formaliter nō eſt punitio, ſed opus prouidentiæ, p. 326. c. 1.
Reprobatio præſuppoſuit peccati originalis præſciētiam, inde tamen non ſequitur dari reprobationis cauſam, ibid.
Regulariter loquendo Deus non aſſumit creaturam quieſcentem, & non operantem, vt inſtrumentum ſuæ diuinæ virtutis, p. 157. c. 1.
Reuelatio facta cuidam S. Carpo, in qua Chriſtus ei dixit, quod erat paratus mori iterum pro hominibus ſi oporteret, quō debeat intelligi, p. 309. c. 1.
Rerum naturalium creatio ad manifeſtandam Dei bonitatem, & gloriam non per ſe pendet à Chriſti prædeſtinatione, aut Sanctorum, p. 314. c. 2.
Ruinæ infallibilitatem generis humani vocauit S. Auguſtinus miſeriam, p. 325. c. 2.
Res ita ſe habet ad eſſe, ſicut ad operari, p. 356. c. 1.
SAlutem noſtram quatuor modis Chriſtus eſt operatus, p. 123. c. 2.
Sacramenta quomodo dicantur exijſſe è Chriſti vulnere, p. 184. c. 2.
Sanctitas iuſtificans homines non ſolum in gratia, ſed etiam in charitate conſiſtit, p. 27. c. 1.
Satisfacere, & mereri quibus differant, p. 157. c. 2.
Satisfactionem Chriſti ex iuſtitia fuiſſe abſq; improprietate eſt concedendum, p. 118. c. 2.
Satisfactionem Chriſti ad iuſtitiam commutatiuā, aut diſtributiuam ſpectaſſe, nullatenus ad fidem attinet, p. 119. c. 2.
Satisfactio Chriſti formaliter continebat iuſtitiæ rationem, p. 120. c. 1.
Satisfactio Chriſti non fuit actus à virtute commutatiuæ iuſtitiæ elicitus, p. 222. c. 2.
Satisfactio Chriſti non fuit actus ab vna tantum virtute elicitus, ibid. c. 1.
Satisfactoriæ Chriſti operationes à charitate, & religione in compenſationem pro hominum peccatis dirigebantur, p. 124. c. 1.
Satisfactio Chriſti immediatè facta eſt Deo, & non alicui perſonæ diuinę, neq; aliter fieri potuit, ibid.
Sanctitas B. Virg. aliter anteceſsit in præſciētia Dei Chriſti incarnationē, & aliter res aliæ, p. 301. c. 1.
Sanctitas B. Virg. potuit eſſe prior ordine intētionis in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ, ibid.
Sacramenta ſecundum fidem applicant nobis virtutem paſsionis Chriſti, p. 308. c. 2.
Sacræ literæ diuerſis appellationibus fecundiſsimā virtutem Chriſti nobis inſinuant, p. 331. c. 2.
Sancti in cœlo quare non ſolum Deo gratias agunt, ſed etiam agno, p. 336. c. 2.
Secluſa præuiſione miſeriæ humanæ naturæ, non poteſt intelligi affectus diuinæ miſericordiæ erga ipſam naturam, p. 298. c. 2.
Scientia viſionis, & approbationis cognouit Deus ab æterno infallibiliter omnia futura cōtingentia, ēt ea quæ à liberi arbitrij volūtate pēdent, p. 274. c. 2
Spiritus ſancti dona Chriſto tribuuntur, p. 27. c. 2.
Spei obiectum proprium eſt Deus videndus, & fruēdus ſub ratione poſsibilis, & ardui, p. 29. c. 2.
Sublato noſtri iſtius ſtatus firmiſsimo fundamento ſēper, aut fere ſēper iacerēt, qui caderēt, p. 325. c. 1
Suppoſito, quod ſtatus innocentiæ nullo modo pertinuit ad Chriſtum, Chriſtus non poſſet dici illius caput, quia nullum habuit in totum illum ſtatum influxum, p. 336. c. 2.
Suppoſito quod Deus voluit tribus modis ſe cōmunicare, ratio poſtulat, quod duos modos referret

in

in perfectiſſimum modum communicationis, ſcilicet vnionis hypoſtaticæ,p.702.c.1.
Etſi repugnet ſuppoſito cōponere cū natura ſibi intrinſeca,nō vero cū natura extrinſeca,p.396.c.1.2
Status naturæ lapſæ, ſed reparatæ per Chriſtū,erga finem ſupernaturalem multo firmior eſt, quam ille in quo primus homo poſitus fuit,p.323.c.2.
TOti Trinitati communia, ſi ad authoritatē pertinent, ſolent ſacræ literæ patris perſonæ per accommodationem tribuere,p.125.c.1.
Tota ratio facti in ſupernaturalibus effectibus, eſt libera potentia facientis,p.291.c.2.
Tota peccatorum actualium collectio maiorem malitiæ grauitatem importat, quam ſola originalis culpa,p.308.c.2.
Totum ſubſtantiale non pendet per ſe ab exiſtentia partium,p.409.c.2.
Terminus creationis, & terminus generationis humanitatis Chriſti,quomodo ſe habeant ad terminum aſſumptionis,p.411.c.2.
Terminus prædeſtinationis Chriſti in abſtracto nō includit formaliter humanitatem,includit autem illam ſi in concreto ſumatur,p.423.c.1.
Terminus, Qui, prædeſtinationis Chriſti eſt ipſe Chriſtus,terminus vero Quo,eſt diuini verbi ſubſiſtentia humanitati gratuitè cōmunicata,ibid.c.2
Terminus,Qui,& obiectum,Quod,prædeſtinationis Chriſti coincidunt,non vero terminus, Quo, & obiectum,Quo,p.424.c.1.
Terminus prædeſtinationis Chriſti non eſt veritas huius enunciationis, Chriſtus eſt filius Dei naturalis, ibid.
Temeritas conſiſtit in hoc, quod quis in re admodū graui ſine fundamento,aut auctoritate loquatur: à communi omnium, aut ferè omnium recedens, p.373.c.1.
Tres ordines diuinæ communicationis quandā inter ſe habent commixtionem,p.296.c.1.
Triplex ſcientia reperitur in intellectu diuino,noſtro modo intelligendi,p.274.c.2.
Tres ſunt ordines rerum, intra quos potuit Deus ſuā bonitatem creaturis communicare,p.375.c.1.
Tria explicuit S. Ioan. in illis verbis, Verbum caro factum eſt, &c. quæ in Chriſto Domino habent conſequutionis ordinem,p.3.c.2.
Triplicem ſupernaturalem plenitudinem adepta fuit Chriſti humanitas per hypoſtaticam vnionē ad verbum,p.89.c.2.
VErbum diuinum ſi potentiam abſolutam contemplemur, potuit humanitatem propriam retinentem exiſtentiam ſibi perſonaliter vnire, p.407.c.2.
Verbū non potuit humanitatē peccato infectā aſſumere,etiam de potentia Dei abſoluta, p.22.c.2.
Verbum de potentia Dei abſoluta potuit humanitatem ſibi copulare hypoſtatica vnione in puris naturalibus,p.14.c.1.
Verbum non habet rationem formæ in hypoſtatica vnione,p.75.c.2.
Verba & voces ſolent appellari vniuerſa,quæ condidit Deus in ſpatio ſex dierum,p.8.c.1.
Virtutes morales infuſæ paſſiones immoderatas in appetitu permittunt,p.20.c.1.
Virtutes infuſæ non ſufficiunt per ſemetipſas extinguere fomitem peccati, ibid.
Virtutes,& dona ſupernaturalia ex natura rei concomitantur gratiam,p.27.c.1.
Virtus pœnitentiæ releganda eſt à Chriſto,p.31.c.2.
Virtutes morales non proceſſerunt ex gratia Chriſti habituali per ſimplicem reſultantiam,ibid.
Virtutes morales infuſæ effluunt ab ipſa habituali gratia,& quomodo,p.32.c.1.& ſeq.
Virtutes morales,& Theologicæ circa quid verſentur,& quid propriè reſpiciant, p.185.c.1.
Virtutum infuſarum intenſionis gradus finiti ſunt, & ſignabiles,p.191.c.2.
Vnio duarum naturarū diuinæ, & humanæ in vna, eademque perſona,prędeſtinata fuit ab æterno, p.381.c.1.
Vnionis hypoſtaticæ ſubſtantialitas Concil.& Patrū teſtimonijs probatur,p.383.c.1.
Vnio humanitatis Chriſti non in natura,ſed in diuina perſona facta eſt,p.412.c.2.
Vnionis hypoſtaticæ terminus totalis fuit Chriſtus, p.382.c.2.
Vnionis hypoſtaticæ formalis terminus,increatum quid eſt,totalis vero terminus ſecundum rem creatum includit,& increatum,p.385.c.2.
Reprobatur opinio eorum qui vnionem diuini Verbi cum humanitate vocant ſubſtantialem ſimul, & accidentalem,p.383.c.2.
Vſum rationis in primo inſtanti habuit Chriſtus. ſicut Angeli,& Adam,p.183.c.1.
Vſus rationis per ſe loquendo non pendet ex tempore, ibidem.

FINIS.

Errata ſic corrige.

pag.	col.	lin.	Errata	correcta	pag.	col.	lin.	Errata	correcta
2	2	20	excellens	excellentes	130	2	31	duabus	duobus
9	1	50	grati	gratiæ	134	1	7	referri	refertur
25	2	12	eorum	earum	144	1	20	princeps	principes
27	2	8	ſpei	ſpe	175	2	31	operationē	apertionem
33	1	61	immunera	innumera	162	1	11	communem	commune
48	1	12	Chriſti	Chriſtus	164	1	2	Reega	Vega
60	2	40	Hildefonſus	Hidelphonſus	189	2	7	incurter	incurreret
72	2	15	rationis	ratione	316	2	33	increata	incarnata
74	2	39	infinitam	infinita	339	1	27	acceptionē	acceptationem
80	2	52	vnitur	vnitæ	393	2	34	argumentus	argumentis
85	1	32	animam	animæ	401	2	49	perfectior	perfectius
93	2	16	negatiua	affirmatiua	430	1	9	varia	variæ
109	1	18	cuius	quorum					

RELECTIO DE HABITVALI CHRISTI SALVATORIS NOSTRI SANCTIFICANTE GRATIA.

Per Reu. P. M. Fr. Ioannem Vincentium Aſturicenſem Ordinis Prædicatorum publicum in Salmanticenſi Schola Sacræ Theologiæ profeſſorem.

Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Ioan. cap. 1.

Præludia neceſſaria ad huius tractatus intelligentiam.

TRactaturus in præſentia (felici vtinam progreſſu) de habituali Chriſti Domini gratia, ſententiam propoſitam deſumptam ex 1. c. Io. inſtituto noſtro maxime accomodatam exiſtimaui. Tum propter eximiam eius profunditatem, & excellentiã, quæ S. Aug. trac. 2. in Ioa. & lib. de quinque hæreſi. c. 3. tanta viſa fuit, vt diceret non ſemel, quod cum apud ethnicorum philoſophorum libros, quamplurima de diuino verbo ſcripta legiſſet, legerat enim, inquit ipſe, & quod vnigenitus filius Dei ſit, & quod per ipſum vniuerſa ſunt cõdita: tamẽ quod verbum factum ſit caro, quodq. nobiſcum habitauerit humanis laboribus, & ęrumnis, atque ipſi humanæ morti obnoxium, in Euangeliſta Ioanne primum legerit. Tum propter apertam habitualis Chriſti gratiæ, ipſiuſq. & amplitudinis, & plenitudinis ſignificationem, quam & ipſis verbis, & vera earum intelligentia complectitur. Exiſtimo enim minime conſentiendum eſſe Eraſmo, cui Dominus Cardinalis Caiet. hunc locum S. Ioannis verſans conſenſit aſſerenti verba illa, Plenum gratiæ, & veritatis, non ad Chriſtum Dominum, ſed ad Ioannem Baptiſtam eſſe referenda: cenſetque prędictus author, ita legendum fore. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis & vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, & hic terminetur tota clauſula, nouaque deinde in hunc módum incipiat ſententia, *Plenus gratiæ & veritatis* Ioannes teſtimonium perhibet. Duplici ex cauſa in hanc intelligentiam Eraſmus ducitur. Prima quia in exemplaribus gręcis non legitur, Plenum, in neutro genere poſitum, ſed, Plenus, quę eſt dictio generis maſculini, quæ proinde non poteſt componi cum verbis præcedentibus, puta, Verbum caro factum eſt, &c. Sed accomodari debet ad ſequentia verba, nimirum, Ioannes teſtimonium perhibet, atque adeo non de incarnato verbo, ſed de Ioan. Baptiſt. aſſeritur ipſa gratiæ, & veritatis plenitudo.

Secunda, quoniam illa dictio, Plenum, græce nominatiui caſus eſt, & nõ accuſatiui, in quo noſtrę editionis vulgatæ interpres hanc vocem poſuit, namque illa verba, Plenum gratiæ & veritatis, in editione noſtra vulgata pręcedentibus illis verbis reſpondent, Vidimus gloriam eius, &c. Neceſſe igitur eſt, vt veriſſimis exemplaribus græcis debitum, vt par eſt, deferamus honorem, quod illa dictio, Plenum, ad S. Ioannem, & non ad Chriſtum referatur; ita vt fiat ſenſus, quod Ioannes plenus gratiæ, & veritatis teſtimonium perhibet. Verum hæ duæ, quibus Eraſmus ducitur coniecturę, multo leuioris ſunt momenti, quam quod propter eas recedendum ſit ab intelligẽtia communi horum verborum vniuerſis Eccleſiæ Patribus iam olim probata. Nam, vt conſtabit ex quamplurimis infra referendis Patrum teſtimonijs, perpetua ſemper fuit horum verborũ apud patres intelligentia, quod gratiæ, & veritatis plenitudo nõ ad Ioannem, ſed ad Chriſtum eſt referenda: Præterea non poteſt non eſſe ingens temeritas, ne manifeſtum dicam errorem, à noſtra latina vulgata editione in re præſertim tam graui diſcedere, & eius interpretem inſcitiæ incuſare. Cum ſac. Synodus Trid. ſeſſ. 4. tantam vulgatæ editioni authoritatem tribuerit, vt ipſam in lectionibus, concionibus, diſputationibus, &c. pro authentica habendam eſſe decreuerit. Accedit ad hæc, quod ſi ea, quę in textu Euangelico immediate ſequuntur, præcedentibus annectamus: hęc communis patrum intelligentia continuo apparebit veritati conſentanea. Ponderanda enim ſunt duo illa, quæ mox in textu Euangelico legimus. Primum. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Secundum. *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Ex quibus cõſtat, quod Ioan. Euang. vt eam gratię, & veritatis plenitudinẽ, quam de incarnato verbo prædicauerat, teſtatiorem faceret, & irrefragabili comprobaret authoritate; ſta-

A tim

tim poſt verba illa, Plenum gratiæ, & veritatis, induxit Ioa. Baptiſtæ teſtimonium, quod iudęis Xp̄i hoſtibus non poterat non eſſe grauiſſimum, quod verbum incarnatum vniuerſale gratię, & veritatis principiū, illis duabus ſententijs paulo ante adnotatis, coram omni iudæorum plebe libera fuit confeſſione reſtatus. Ob idque Euangeliſta illa verba, *De plenitudine eius*, &c. in ipſo Ioannis teſtimonio expreſſit: vt Baptiſtæ teſtimonij conſonantia, cum ea incarnati verbi commendatione, qua ipſum gratiæ, & veritatis plenum eſſe dixerat, manifeſtius appareret.

Sed iam argumentis Eraſmi occurramus. Et primum quidem debiliſſimum eſt, nullaque nos difficultate premit. Fatemur enim libenter dictionem illam, Plenum, gręce non neutri, ſed maſculini generis eſſe, componitur enim græco exemplari cum illa dictione Logos, quæ etiam eſt generis maſculini: at noſtrę editionis vulgatæ interpres, vbi grece habetur Logos, vertit, & ſatis rationabiliter, verbū, quod cum ſit generis neutri, neceſſum fuit, vt dictio, Plenum, ei correſpondens in neutro quoque genere locaretur. Ad ſecundum argumentum, quod pluſculū præſefert difficultatis, libenter etiam admitto, quod aſſumit Eraſmus, nimirum, dictionem illam, Plenū, græce non accuſatiui caſus eſſe, ſed in recto locari: nego tamen id quod ipſe ſubiunxit, ſcilicet, in latina editione vulgata accuſatiui caſus eſſe: nam eſt reuera nominatiuus, neque reſpondet illis verbis, vidimus gloriam eius, &c. vt Eraſmus, & Caiet. putauerunt, ſed verbis prioribus, videlicet, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, plenum gratię, & veritatis, & vidimus gloriam eius gloriam quaſi Vnigeniti à Patre. Itaque inter verba antecedentia; Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & ſequentia alia, ſcilicet, Plenum gratiæ, & veritatis, interpres latinus per modum cuiuſdam parenteſis interpoſuit verba illa, Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi, Vnigeniti à Patre. Cui vero ſenſui atteſtatur, quod in quibuſdam Biblijs hæc verba, vidimus gloriam eius, &c. duabus virgulis comprehenduntur concluſa. Domino Caiet. parenteſis iſta plus nimio viſa eſt protenſa, & prolongata. Sed leuiſſimus certe ſcrupulus ipſum à latina vulgata lectione dimouit, cum apud latiniſſimos etiam authores, quam ſępius videre liceat, nō minus longam, quin & longiorem ſubiunctæ ſententiæ interclusionem. Poſſet etiam is, cui iſte interpretationis modus non placuerit, dicere iuxta mentem Cyrilli Alexand. lib. 1. in Ioann. cap. 17. quod, vt habeatur ſenſus apertus illorum verborum, Plenum gratiæ, &c. ſubintelligatur. Verbum erat, ita vt ſit ſenſus. Verbum erat plenum gratiæ, & veritatis. Imo poſſunt hęc verba ita ſumi, vt reddant cauſam pręcedentium, puta, vidimus gloriam eius, gloriā quaſi vnigeniti à patre. Et ſubiungatur continuo, erat enim plenum gratiæ: quaſi diceret, non mirum quod tantam eius viderimus gloriam, cum eſſet plenum gratię, & veritatis. Quibuſdam placet illam dictionem, Plenum in accuſatiuo caſu conſtitutam accipere. Et quod componatur cum vnigenito, ſitque ſenſus. Hunc à patre vnigenitum vidimus plenum gratiæ, &c. Inſinuauit Chryſ. hanc intelligentiam hom. 15. in Ioan. Alij denique non legunt Plenum in recto, aut in accuſatiuo, ſed, Pleni in genitiuo caſu, & componunt cum illa dictione vnigeniti. Ita videntur legiſſe Theophilactus, verſans hunc locum Io. & Athanaſ. in oratione ad Maximū Philoſophū. Hæc omnia nō improbabiliter dicuntur, quia retinēt pręcipuum, quod intendit vulgata latina editio, nimirū, quod gratiæ, & veritatis plenitudo ad verbum incarnatum, & non ad Ioannem Baptiſtam referatur. Sed prima expoſitio mihi magis probatur, & apparet magis grata textui. Sed quicquid de hac re fuerit, illud nobis ſit ſtatutum, & certum, Plenitudinem gratiæ, & veritatis, cuius Euangeliſta Ioannes meminit in ſupraſcripta ſententia, in maximam incarnati verbi laudem, & commendationem ab ipſo fuiſſe Euangeliſta poſitam. Qua ſuppoſita prædicti teſtimonij vera ac literali intelligentia, more ſcholaſtico ſequentes conabor explicare controuerſias, quę ad extollendam Chriſti Saluatoris noſtri gratiam mihi magis viſæ ſunt accomodatæ.

Tractandarum quæſtionum propoſitio.

PRima, Num in rationali Chriſti anima habitualis, ac ſanctificans reperiatur gratia.

Secunda, An gratia habitualis neceſſariam habeat in Chriſto habitudinem ad hypoſtaticam vnionem per modum diſpoſitionis, vel antecedentis, vel concomitantis ipſam.

Tertia, An Chriſti gratia tanta polleat plenitudine, vt cenſeri debeat infinita.

Quarta, Num Chriſtus per propriam diſpoſitionem, & cooperationem adeptus fuerit habitualem gratiam.

Quinta, Vtrum habitualis gratia fuerit Chriſto ſimpliciter neceſſaria ad exequendum Redemptoris officia, ad merendum & ſibi, & nobis, ad ſatisfaciendū Deo pro vniuerſis humani generis peccatis.

Sexta, Num Chriſti gratia ſit gratia capitis Angelorum, & hominum.

Septima, tandem & vltima, Num ex vi prædeſtinationis hæc gratia competat Chriſto, ita vt reuera fuerit ad ipſam prædeſtinatus.

PRIMA QVÆSTIO.

Num in rationali Chriſti anima habitualis ac ſanctificans reperiatur gratia.

SECTIO PRIMA.

Explicantur termini quæſtionis.

AD primam igitur controuerſiam diſputandam accedo. Sed quoniam vt I. Cōſultus in l. 1. ff. de origine iuris eleganter dixit, difficile eſt aliquid terminare, antequam termini quæſtionis intelligantur: priuſquam, argumentis hinc inde iactatis primam hanc controuerſiam diſcutiam operepretium duxi explicare, quid deſignet illa dictio, Gratia, qui eſt terminus de quo præcipue tota hæc verſatur diſceptatio. Neque vero prolixam huius vocis explicationē deducam, ſed ea contentus ero, quæ præſenti inſtituto videbitur neceſſaria. Memini enim me apud Cic. lib. 1. de oratore legiſſe, quod ſolet verbi controuerſia vexare eos, qui cupidiores ſunt contentionis, quā veritatis. Igitur hæc vox gratia, prout Xp̄o

acco-

Digitized by Google

accommodatur, in triplici poteſt vſurpari acceptione, & pro gratia vnionis, & pro gratia habituali, quam communiter Theologi gratiam ſanctificantē appellant, & pro gratia deniq; gratis data; Et quidē in præſentia de gratia gratis data nullatenus habēdus eſt ſermo, nāq; gratia hæc, cum non ſufficiat bonum facere habentem, neque in ſpirituale ipſius habentis commodum, ſed in communem Eccleſiæ vtilitatem per ſe cōferatur, vt S. Th. 1. 2. q. 111. ar. 1. adnotauit, vix poteſt gratia appellari, niſi cum illo addito gratis data, quæ conditionem quandam à perfectione gratiæ diminuentem importat. Nos .n. de illa Chriſti gratia, quæ & perfecta eſt in eſſe gratiæ, & gratiæ nomen abſque vlla appoſita limitatione ſuo iure meretur, dumtaxat in præſentia differimus. De gratia itidem vnionis vix fiet vllus à nobis ſermo in præſenti tractatu. Eſt enim gratia hæc adeo excellens, tam difficilis, ac reconditæ intelligentiæ, vt vix iuſto vno volumine poſſit eius pertractatio comprehendi. Id autem meum eſſe iudicaui, breuiter exponere, quid gratia vnionis in Chriſto deſignet: video enim apud graues, Authores, in quorum numero præcipuus eſt noſter S Tho. non in vna, & eadem ſemper acceptione deſumi. Quandoque enim aſſeritur donum eſſe increatum, & modis omnibus infinitum. In hac acceptione capitur à Doctore Angel. 3. p. q. 7. ar. 13. ad 3. Quandoque vero donum creatum, ac proinde non ſimpliciter, ideſt modis omnibus infinitum à Theologis vocatur: quam acceptionem facile colligemus ex eodem S. Tho. 3. p. q. 12. ad 3. dicente vnionis gratiam à tota Trinitate effectam eſſe, & cauſatam. Vt hanc componamus diuerſitatem: aduertendum eſt, tria reperiri in hypoſtatica vnione verbi ad humanitatem. Primum & quidē præcipuum ipſum Dei verbum, quod cum caro fuit factum, rationem induit excellentiſſimi, ac infiniti doni humanæ naturæ communicati. Neque enim potuit non induere ſumme gratuitam excellētiſſimi doni rationem, cum ex præcipuo paterni pectoris amore ipſi fuerit humanitati datum; ſic enim (inquit Sanctus Ioan. c. 3.) *Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Secundum, ipſa natura humana, cui tantum fuit hoc donum exhibitum, tantoque fuit beneficio donata, vt merito S. Auguſt. libro de prędeſt. Sanct. cap. 15. diceret. Prædeſtinata eſt iſta naturę humanæ tanta, & tam excelſa, & ſumma ſubuectio, vt quo attolleretur altius non haberet.

Tertium denique ipſa actualis cōiunctio, ſeu vnio verbi ad humanitatem. Gratia igitur vnionis quandoque ſumitur pro ipſo perſonali eſſe diuini verbi, ſecundum quod habet rationem termini incarnationis, & vnionis hypoſtaticæ, & iure quidem gratia appellatur, quia hac ratione ſummum donum, ſupremumque diuini amoris beneficium fuit humanitati collatum. Et cum in hoc ſenſu, qui ſatis ſolet eſſe in vſu Theologorum poſitus, gratia vnionis capitur, veriſſime dicunt Theologi, Vnionis gratiam ſummam eſſe, & modis omnibus infinitam, ac proinde increatam, & improductam, ſed humanæ tamen naturæ communicatam. Quandoque vero gratiam vnionis appellant Theologi actualem ipſam cōiunctionem, & vnionem diuini verbi cum humanitate; in quo ſenſu gratia vnionis quid creatum eſt, & cauſatum à tota Trinitate, vt S. Tho. præcitatus dixit. Atque adeo non eſt modis omnibus infinitum bonum, & ſi ex parte formalis termini, puta, diuini verbi, magnam quandam infinitatem accipiat, ac planè tantam, vt intra rationem vnionis, & coniunctionis naturæ ſubſtantialis cum ſuppoſito, maior neque eſſe, neque intelligi valeat, vt ex S. Tho. 1. p. q. 25. ar. 5. ad 4. facile colliget peritus Theologus. Excellentiſſimam hanc vnionis gratiam, ſiue in vna, ſiue in altera acceptione deſumptam explicuit nobis D. Ioann. in illis noſtri Prothematis verbis. *Verbum caro factum eſt*, &c. His enim verbis mire deſcribitur, & quod diuinum verbum ineffabiliter fuit humanæ naturæ communicatum, ita vt totam ipſam ſecundum etiam inferiorem, & infimam carnis portionem aſſumeret, & hypoſtatica vnione dignificaret: & quod ipſa actualis coniunctio verbi, & humanitatis (cuius permanentiam, & indiſſociabilem durationem denotant illa verba, *Et habitauit in nobis*) diuina fuit virtute effecta: hoc enim explicatur verbo illo, *Factum eſt*. Hęc de gratia vnionis dixiſſe ſufficiat. Alia acceptione prætermiſſa, quæ quibuſdam placuit Theologis, Gratiam Chriſti habitualem vnionis gratiam idcirco appellantibus, quatenus medium quoddam eſt congruentis diſpoſitionis inter humanitatem, & verbū in ipſa hypoſtatica vnione. Sed hęc acceptio reprobabitur à nobis infra in articulo primo ſecundę controuerſiæ. Deinceps de gratia habituali ſanctificante, & gratum faciente, cui ſecundum locum in ſuperius facta diſtinctione dedimus, dicendum eſt.

Et quidem cum in toto hoc noſtro tractatu de huiuſmodi habituali gratia per comparationem ad Chriſtum ſit differendum; haud quaquam inofficioſum eſſe iudicaui, & doctrinæ ordini minus conſentaneum, nonnulla breui orationis ſtylo hoc in loco pręfari, quę & ad dignitatem habitualis gratię cognoſcendam, & cōmendandam non parum Theologis conferre poterunt, Si prius tamen animaduertero, in illa ſententia, quam ex S. Ioan. pro fundamēto totius noſtræ diſputationis pręmiſi, expreſſam fieri huius quoque gratię mentionem, in illis præſertim verbis, *Plenum gratiæ & veritatis*. Nam quod hęc verba de habituali Chriſti gratia ſint accipienda, fatentur grauiſſimi Patres cum eruditiſſimis alijs ſacræ ſcripturæ interpretibus, quorum teſtimonia in progreſſu primæ controuerſiæ reperiet diligens lector. Neque huic intelligentię diſſentiunt, qui dicūt, verbum caro factum dici hoc loco plenum gratiæ, & veritatis, ab effectu, & redundantia in nos: qui eius gratiam, & veritatem, nempe, doctrinam & ſapientiam participamus. Nam hæc in nos redundantia præſupponit in ipſo formalem & intrinſecam gratiæ & veritatis plenitudinem. Et (niſi me mea fallit opinio) crediderim ego, S. Ioan. Euangeliſtam illa ſententia à nobis propoſita tria explicuiſſe, quæ in Chriſto domino ſuum habent conſequutionis ordinem. Nam primis quidem verbis, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, ipſam vnionis gratiam, vt paulo ante dicebamus, expreſſit. In verbis autem quæ, vt retro aduertimus, immediate ſequuntur, & ſi primo aſpectu mediatam & remotam ſortiātur in textu vulgato diſpoſitionem, videlicet, plenū gratię, & veritatis, explicuit Euangeliſta habitualis gratiæ, excellentiſque diuinæ ſcientię plenitudinem, in ipſa Chriſti anima reſidentem: quæ ſane gratię, &

veritatis plenitudo connaturalem habet, iuxta modum in ſecunda controuerſia explicandum, ad gratiam vnionis conſequutionem,& concomitantiam. Sequentibus denique verbis,nimirum, *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre*. Prodigioſa Chriſti,& inſignis virtutis,ac potentiæ opera,admirabilemque eius ſapientiam externa prædicatione teſtatam Euangeliſta deſignauit. Huiuſmodi namq; miraculoſa facta, quibus præclariſſimam ſuæ prædicationis doctrinam diuinitus Xp̄s confirmauit, ob id gloriā vnigeniti à patre, S. Euangeliſta vocauit, quia illum in hominum conſpectu illuſtrem, & glorioſū effecerunt, & dignum cui vt ſummæ veritati omnis adhiberetur fides: & quem, vt verum Chriſtum, verum Meſſiam, verum Dei filium,ac verum denique Patris verbum carnem factum ſuſciperent, & venerarentur omnes. Et idcirco Chriſtus Ioan. 15. merito Iudæos inexcuſabiles eſſe dicebat,quia ipſum vt verū Meſſiam eis in lege promiſſum non ſuſceperint. *Si non veniſſem, inquit, & loquutus eis non fuiſſem, & opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. De huiuſmodi gloria loquebatur S. Ioan. cum in cap. 3. dicebat, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Chana Galileæ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius*. Hanc gloriam poſtulabat à patre, Chriſtus ipſe exemplum orandi tribuens nobis cum Ioan. cap. 16. dicebat. *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*, quaſi diceret, Pater inſigni miraculorum gloria, grauiſſimæ doctrinæ authoritate, vnigeniti filij tui incarnati maieſtatem hominibus notam, & manifeſtam facito: vt ipſe filius tuus, poſtquam tanta fuerit vnigeniti tui gloria donatus, te ipſum ſua morte,& paſſione clarificet, pro tuo amore, pro tua obedientia, pro maximique tui nominis authoritate, & gloria turpiſſimam Crucis mortem ſpontanea volūtate complectens. Iuxta illud Ioan. cap. 14. *Vt ſciat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio, ſurgite eamus hinc*. Ad mortem, videlicet, ſubeundam. Et quidem ex ipſa gratię,& veritatis plenitudine, quaſi ex proxima radice, & cauſa hanc tantam miraculorum, & doctrinæ maieſtatem, & gloriam ortum habuiſſe non irrationabiliter arbitramur. Quamuis omnia tandem ad vnionis gratiam, vt ad primam radicem ſint reuocanda. Et ob id dicit Ioan. *Gloria quaſi vnigeniti à patre*. Nam ex eo quod Chriſti humanitas à diuino verbo ad vnitatem perſonalem aſſumpta ſumme fuit Deo grata, etiam habituali gratia: proportionatiſſimum haberi debuit diuinæ virtutis inſtrumentum, quo Deus quaſi dextero ſuo vtens brachio, præclariſſima patraret miracula, præcipuaque diuinæ potentię ederet opera: iuxta illud quod Beata Virgo plena Spiritu ſancto præcinuit, *Fecit potētiam in brachio ſuo*, &c. Qua vero ratione Chriſtus, vt homo, plenus fuit veritatis, excellenti diuinæ eſſentiæ faciali viſione præfulgens, dignus habebatur, cui vt ſupernaturalium myſteriorum oculato teſti ſumma adhiberetur fides, irrefragabiliſque ipſius in ſupernaturali doctrina haberetur authoritas. Non eſt noſtra hæc intelligēnia omni authoritate deſtituta; Namque Ioan. Chryſ. hom. 11. in Ioan. illa verba Euangeliſtæ, *Vidimus gloriam quaſi vnigeniti à patre*. De ipſa doctrinæ, & miraculorum gloria interpretatur. Nam cum Chriſtus, & doceret, & operaretur, quaſi vim, & poteſtatem habens: & doctrina, & mirabilium operum patratio ipſam vnigeniti à patre dilectiſſimi dignitatem,& gloriā mira cum oſtenſione demonſtrabant. Placuit & S. Baſi. hæc interpretatio in hom. de fide, cui neque Cyrillus, neque Theophila. loc. cita. refragantur. Scio plane S. Chryſ. eodem loco poſt Origenem in hom. de natiuitate Chriſti ſuper illa Ioan. verba, *In principio erat verbum*, hanc vnigeniti à patre gloriam ad excellentiſſima myſteria, quæ circa Chriſti humanitatem diuina virtute contigerunt retuliſſe nimirum, ad transfigurationem in Monte Tabor coram tribus diſcipulis factam. Quam S. Petrus 2. can. c. 1. honoris & glorię appellatione deſignauit: Ad glorioſam eius reſurrectionem: Ad ingreſſum ad diſcipulos ianuis clauſis: ac denique ad mirabilem ipſius in cœlum aſcenſionem. Verum hæc poſterior intelligentia priori minimè aduerſatur, quin potius habenda eſt, vt eius ampliatio,& extenſio. Hęc namque mirabilia, quæ in ipſa Chriſti Domini humanitate facta fuerunt, connumeranda ſunt inter maxima & prodigioſa Chriſti opera, in quibus diuina poteſtas & virtus, quæ in ipſo Chriſto corporaliter habitabat, mire ſplenduit & emicuit. De myſterio enim reſurrectionis dominicæ dicebat Paulus 2. Corint. 13. quod Chriſtus, qui mortuus eſt ex infirmitate carnis, ex virtute Dei reſurrexit, & ex virtute quidem non aliena, & extrinſeca, ſed intranea, & propria. Habitabat enim,& habitat in Chriſto, eodem Paulo teſtante, Coloſ. 2. *Omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, ideſt, vere realiter & præſentialiter, & nō vmbratice, & figuraliter, vt in arca fœderis olim habitare ſolebat. S. Auguſt. tract. 2. ſuper Ioann. Gloriam hanc referre videtur ad gloriam, quæ in diuinę eſſentiæ viſione conſiſtit. Vt interpretatur idē Augu. epiſtol. 57. Probabilis intelligentia, ſed præſtat (ni fallor) illa quam dudum ex alijs Patribus deduximus. Namque gloria illa beatifica neſcio qua ratione viſa fuerit in Chriſto corporeis obtutibus. Niſi dixeris, quod opera mirabilia, & clariſſima Chriſti doctrina teſtimonio fuerunt Apoſtolis videntibus, & cernentibus, quod Chriſti humanitas, cuius miniſterio in his mirabilibus vtebatur verbum, non poterat non eſſe Deo gratiſſima gratia perfecta, & cōſumata per gloriam. Et hac ratione Euangeliſta dixit, Vidimus gloriam eius, ideſt gratiā eius conſummatam. Cyril. loc. cit. poſt Orig. hom. 2. in Ioan. quibus non refragare videtur S. Auguſtin. lib. 13. de Trinit. cap. 19. Gloriam hanc in eo ſitam eſſe intellexit, quod ſuſceptæ carnis infirmitas, nulla ex parte antiquam verbi maieſtatem minuit, aut immutauit. Et hæc intelligentia non eſt cur reprobetur, imo neque diuerſa reputari debet ab intelligentia noſtra. Nam idem eſt prorſus miracula, & doctrinam Chriſti manifeſtaſſe nobis verbi dignitatem: & quod oſtenderent ipſum Dei verbum, iuſtitiæ ſolem pulcherrima nube carnis obtectum in ſcripturis ſacris merito vocatum, antiqua adhuc maieſtate,& claritate pollere. Quare ad eundem fere ſenſum diuerſa hæc interpretamenta reducuntur.

Sed iam ad naturam, & dignitatem habitualis gratiæ paucis verbis inſinuandam, noſtra deinceps conuertatur oratio. Principio quidem grandem habi-

Digitized by Google

bitualis gratiæ excellentiam, ex ſumma & maxima ſui Authoris eminentia, & maieſtate non inepte venabimur. Conſentaneum enim rationi eſt credere, perfectionem effectus proportionatam eſſe cauſæ dignitati. Quis autem ſit huius diuinæ formæ Author, Regius Vates nobis explicuit Pſalm. 83. verbis illis. Gratiam & gloriam dabit Dominus. At continuo nobis obijciet theologus parum conferre ad dignitatem gratiæ extollendam, quod ipſum Deum ſui habeat Authorem, cum hoc commune ſit vniuerſis creaturis quamlibet imperfectis, & infimæ naturæ, vniuerſæ namque clamant aſſidue, ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Cæterum cui naturalis rerum ordo penitus non fuerit ignotus, facile ſe poterit ab hac difficultate expedire: probe enim ſciet naturalium cauſarum effectus in duplici genere poſitos eſſe. Quidam namque ita à ſuis procedunt effectricibus cauſis, vt ab earum virtute, & excellentia plurimum deficiant, atque adeo ipſarum virtutem, & dignitatem diminuta, imperfectaque ratione exprimunt. Quidam vero non vtcumque à ſuis prodeunt cauſis, ſed & magnam cum ipſis, ipſarumque excellentia ſimilitudinem habent, & proportionem: quæ proinde vel adæquate, vel magna ſaltem ex parte earumdem cauſarum vim, & dignitatem conſiderantibus referunt. In ſolari Aſtro manifeſtum huius rei reperimus exemplum; vniuerſalis enim hæc, & pulcherrima cauſa in varios, ac multiplices ſe prodit effectus, inter omnes tamen ſola lux eſt, in qua præclara ſolaris virtus adæquate exprimitur, & quæ excellentiam, & maieſtatem huius tam eminentis cauſæ adæquata ſimilitudine, & connaturali proportione exprimit. Lapides enim, plantæ, imperfecta animantia, & quamplures alij effectus à ſole prodeuntes, vix vllam cum ipſo proportionem habent, vnde neque ipſam ſolis vniuerſalem, & fœcundiſſimam virtutem pro dignitate referunt. Hac ergo analogia ſeruata in effectibus, qui ab eximia Dei virtute dimanant, ſimilem poterit doctus quiſque diſtinctionem commentari: ita quod præter res illas omnes, quæ à Deo optimo maximo vti ab vniuerſaliſſimo totius naturæ authore prodierunt, in quibus diuina ipſa poteſtas, ipſaque diuinæ poteſtatis excellentia inſufficienter exprimuntur, eo quod ab ipſius Dei natura, & dignitate, non modo infinito, ſed fere improportionabili interuallo hi effectus diſtant, quia ſunt & generis, & ordinis inferioris ipſo Deo: præter hos, inquam, inferioris ordinis effectus, alius excellentioris, & naturæ, & dignitatis effectus ab ipſa optimi Dei excellenti virtute deriuatur. Qui, & ſi eximiam tanti ſui auctoris dignitatem, & potentiam adæquata expreſſione referre minime valeat (diuina namque poteſtas cum ſit modis omnibus infinita adæquationem non admittit) eiuſdem tamen ſit ordinis, eiuſdemque diuini generis cum ipſa maximi Dei natura: exprimatque proinde, & ſi non totaliter, aliqualiter, tamen, id quod in ea excellentius eſt, & diuinius, & in quo præcipue ipſa Dei eſſentia vniuerſas rerum naturas, & perfectiones, quam excellenter exuperat, vtpote quod ſupernaturale quoddam ſit, ac diuinum ipſius diuinæ naturæ participium. Mirabilem hunc diuinæ virtutis effectum nos gratiam appellamus. Cuius dignitatem, & excellentiam S. Petr. in 2. can. cap. 1. his verbis magnifice declarauit. *Per quem*, inquit, idest per Chriſtum, *maxima, & prætioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Hanc vnicam ſupernaturalem formam puta, gratiam, quæ vnica ſimplex qualitas eſt in anima, ipſam exornans, & eleuans S. Petrus plurali voce maxima, & prætioſa munera nobis promiſſa expoſuit non obſcure inſinuans, hanc ſupernaturalem qualitatem, ita formaliter vnicam eſſe, quod virtute multiplex eſt, & multiformis. Ex ipſa enim diuinæ virtutes, fides, ſpes, charitas, ſupernaturaliaque Spiritus ſancti dona, quaſi naturali deriuatione promanant: vti à ſubſtantiali eſſentia profluunt proprietates eius, & operatiuæ potentiæ, vt ab eſſentia rationali oriuntur intellectus, & voluntas. Ea loquendi phraſi vtitur S. Petrus in explicanda virtute, & dignitate gratiæ, qua olim fuerat vſus Dauid cum in pſal. 50. de originali peccato incidiſſet ei ſermo. *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quo loco hoc ſingulariſſimum originis peccatum, iniquitates, & peccata in plurali numero idcirco vocatur: quia peccatum illud naturali generatione deriuatum, ita vnicum eſt, & ſimplex, quod eſt veluti primum omnium peccatorum, & iniquitatum fœcundiſſimum, etſi putidiſſimum ſeminarium.

Præterea, diuinam hanc habitualem gratiam vocat promiſſa S. Petrus, non ſolum, quia non ex meritis noſtris infallibilis doni rationem ſortitur, ſed ex liberali, & magnifica Dei promiſſione ortum habet; verum etiam quia in ipſa gratia tanquam in prima radice præhabentur vniuerſa dona nobis diuinitus à Deo promiſſa, ipſa etiam æterna vita quam in vltimum, & maximum bonorum meritorum præmium, glorioſumque bonorum laborum fructum, Deus ipſe nobis fuit pollicitus, vnde Paul. Rom. 6. inquit. *Gratia Dei vita æterna.*

Ex his omnibus conficitur, habitualis gratiæ excellẽtiam, & dignitatem ex ipſa Dei authoris gratiæ inenarrabili eminentia rationabili conſequutione deduci. Eo quod inter omnes effectus a Deo productos hoc ſibi proprium vendicat Gratia, nimirum, quod procedat à Deo intendente exprimere in hoc ſupernaturali effectu, id quod in ipſa eius eſſentia auguſtius eſt, & excellentius, & in quo à nulla ſubſtantia creata, à nullaque proinde entitate naturalis ordinis & finiti imitari valet. In quo plane conſiſtit Deũ optimum maximum in productione habitualis gratiæ rationem induere ſupernaturalis authoris, & cauſæ. Deum enim ſupernaturalem eſſe authorem, ſupernaturaleq. effectiuum principium, nõ conſiſtit in eo, quod operetur, vt vnus, vel quod agat vt trinus, vt ex nouioribus Theologis, falſo quidam putauerunt, quod facillima ratione demonſtro.

Deus vt trinus nihil operatur ad extra, eo quod perſonarum Trinitas proprietatibus relatiuis conſtat, relatio vero nullius eſt actionis, nulliuſque effectus actiuum principium. Quod autem Deus, prout vnus eſt, operetur, non eſt peculiare reſpectu gratiæ, aut cuiuſuis gratuiti doni, nam omnes naturæ ordinis effectus cauſat, & operatur Deus, prout eſt vnus, ergo Deum operari, vt ſupernaturalem authorem, & cauſam minime in eo conſiſtit, quod vel vt vnus, vel vt trinus operetur, ſed in eo, quod exprimat in effectu producto id quod in ipſo excellentius eſt, &

diuinus: & in quo nulla creatura ad naturæ ordinem pertinens eum valet ſua natura imitari. Et quidem in omnibus ſupernaturalibus effectibus, etiam in his, qui non tam ſecundum ſubſtantiam, quam ſecũdum eum modum, quo cauſantur, ſunt cenſendi ſupernaturales, vt vita ad quam rediit, qui fuerat mortuus, & viſus cæco reſtitutus, hæc doctrina verum habet: ſed præcipue in hoc vno excellentiſſimo omnium effectu verificatur, quod noſtrum eſt in præſentia explicare. Qua in re varijs Theologorum placitis, & iudicio meo, veritati parum conſentientibus prætermiſſis, quid ipſe in hac parte ſentiam, breui, & dilucida oratione exponam. Cenſeo igitur duo potiſſimum reperiri in Deo, quibus ab vniuerſis creatis & creabilibus ſubſtantijs ſummo Deus interuallo diſtat. Alterum quod eſt ipſum, Eſſe imparticipatum, & independens, totam eſſendi plenitudinem ſimpliciſſima quadam complexione continens (in hoc quod dicimus, quod Deus eſt ipſum Eſſe duas alias rationes vniuerſaliſſimas, ſcilicet, Viuere, & intelligere comprehendimus, eſt enim Deus ipſum Eſſe viuens intellectuali vita à ſemetipſo, & independenter ab omni alio ipſam intellectualis vitæ rationem obtinens.) Alterum quod ita eſt ipſum eſſe vnum ſimplex, & penitus indiuiſum, & indiuiſibile, quod ineffabili quodã modo tribus perſonis à ſe ipſis realiter diſtinctis eſt communicatum. Nonnulli Theologi hoc ſecundum exiſtimarunt, auguſtius eſſe, & eminentius in Deo, & in quo magis ſplẽdet diuinæ naturæ excellentia, & dignitas. In quam opinationem induxit eos excellens myſterij Trinitas, & vnitatis diuinæ altitudo, & profunditas, quæ tanta eſt, vt nullus creatus intellectus quantacumque polleat viuacitate, & vi, poterat vnquam ſuis viribus, ſoloque naturæ ſuffultus lumine, vel leuem quandam ſuſpitionem, ne dicam opinionem, de hoc tanto myſterio concipere. Quod quidem de prima alia Dei perfectione dici non debet. Quoniam licet quidditatiua notitia dignoſci nequeat naturali virtute ipſum eſſe Dei, at ex effectibus naturalibus euidenter poteſt intellectus humanus cognoſcere, quod Deus eſt ipſum eſſe, ipſum viuere, ipſum intelligere, iuxta id, quod dicit Paul. Roman. 4. [inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus, & diuinitas] Et Sap. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit. Creator earum viſibiliter cognoſci.* Verum hac Theologorum opinione, & eorum ratione non obſtantibus, aliter ipſe procedendum eſſe exiſtimauerim. Nimirum, quod magna quidem eſt, & valde excellens Dei eminentia, quod vna indiuiſa, ac ſimpliciſſima eius diuina natura tribus ſit diuinis perſonis communicata. Verum neque præcipua eſt in Deo perfectio, neque noſtro more concipiendi in re ipſa fundato, prima eſt, & radicalis Dei excellentia: ſed priorem aliam rationis ordine præſupponit, illam, videlicet, paulo ante expoſitam, quod Deus ſit ipſum eſſe, totaliſque eſſendi plenitudo, ac ſimiliter ipſum intellectuale viuere. Iſta diuinæ naturæ perfectio, & ſi nec cauſa, nec origo, nec ſi proprie loquimur, fundamentum ſit illius perfectionis, quæ ad perſonarum Trinitatem in eadem indiuiſibili natura ſubſiſtentium pertinet, eſt tamen eius ratio: iuxta eum modum quo diuinæ naturæ immutabilitas ſolet à peritioribus Theologis æternitatis Dei ratio vocari. Nam qua ratione infinita Dei eſſentia ipſum eſt intellectuale viuere, natiuum eſt ei ad intra communicari, omni & ſummo modo naturæ intellectuali poſſibili. Quæ ſane intellectualis communicatio cum nonniſi per actiones intellectus, & voluntatis eſſe queat, diuina eſſentia in tribus dumtaxat perſonis poteſt eſſe ſubſiſtens. In Patre, vt in perſona, quæ primum eſt totius diuinæ communicationis principium, in qua reperitur generatiua potentia, quæ eſt ipſe diuinus intellectus, vt in tali perſona conſtitutus, & tali relationi, nimirum, paternitati aſſociatus, vt placuit S. Thom. 1. p. q. 27. ar. 2. vel vt Scotus in diſt. 27. & quodlib. 1. contendit, eſt ipſa memoria fæcunda Patris, de qua re alias. Et prima hæc ſanctæ Triadis perſona cum ad perſonas alias relationem habeat originis, nõ poteſt non realiter ab illis ſecerni. Perſonam hanc Principij nomine ſanctus Euangeliſta Ioannes nobis expreſſit ibi. In principio erat verbum. In principio, id eſt in Patre, Et Pſal. 109. eamdem ipſe Pater ſibi appellationem accomodauit illis verbis. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Eſtque illud in hac parte ſummopere animaduertendum, quod in his ſacræ paginæ locis, ratio principij non ad exteros diuinæ virtutis effectus attenditur, ſed intra ipſammet Dei naturam penſatur. In his namque ſcripturæ teſtimonijs nullus ad creaturas habetur reſpectus, ſed perſona patris ad filij perſonam confertur. In libro autem Geneſeos. in primis totius libri verbis, ſcilicet, *In principio creauit Deus cælum, & terram*, vox illa Principio; quæ iuxta grauiſſimorum Patrum intelligentiam Dei filio accomodatur. Reſpectum deſignat ad creaturas, quarum filius ſpeciali quadam accommodatione principium in ſacra Scriptura vocatur: eo quod Ioanne Euangeliſta teſtante, omnia per ipſum facta ſunt. Et Paulo ad Hebręos dicente cap. 1. *Per ipſum Pater fecit ſæcula*: Et idcirco filius de ipſo teſtimonium perhibens cap. 8. *Ego principium, qui & loquor vobis*. Fateor, quod quia Chriſtus vnum eſt cum Patre Spiritus ſancti principium, non ſolum comparatione ad creaturas, ſed intra ipſam infinitã Dei naturam proprie poteſt appellari Principium. Sed iam vlterius progredior, & aſſero, quod per actionem intellectus paterni diuina eſſentia verbo realiter communicatur: quod ſane Verbum, cum ſit ſplendor patris, & figura ſubſtantiæ eius, Paulo loco dudum citato aſſerente, vere, & proprie Dei filius nũcupatur: Denique per actionem diuinæ voluntatis perſona Spiritus ſancti à Patre, & filio, vt ab vnico principio procedit. Neque alia poteſt vlterior intellectualis naturæ intelligi communicatio; eo quod quęlibet perſona ſuarum totam, & totaliter, & infinitam talis perſonæ rationem complectitur, filius totam, & ſummam filij, ac diuini verbi rationem, Spiritus ſanctus rationem ſimiliter totalem, & infinitam perſonalis amoris diuini. Vnde cum non ſint potentiæ aliæ intellectuales præter intellectum, & voluntatem neceſſariam eſt in his perſonis recenſitis ſiſtat intellectualis naturæ diuinæ communicatio. Verum quod prædicta hæc diuinæ eſſentiæ communicatio citra vllam ipſius ſimpliciſſimæ naturæ diuiſionem, multiplicationem, aut compoſitionem conſtet, inde prouenit ſecundum rationis ordinem, quod Dei natura eſt ipſum Eſſe, totam

eſſendi

eſſendi plenitudinem complectens: quæ proinde in ſui communicatione nouo Eſſe minime eget, ſed vno ſimpliciſſimo, infinitoque diuino Eſſe tres ipſę diuinæ perſonæ ſubſiſtunt. Ecce quemadmodum, ipſum ſanctiſſimæ Trinitatis perſonarum in vna ſimplici, indiuiſibilique natura ſubſiſtentium altiſſimum myſterium, ad ipſum diuinum eſſe, diuinum viuere, diuinumque intelligere tanquam ad excellentiorem perfectionem, rationiſq. ordine priorem reducitur.

Ad illud vero, quod in contrariũ obijciebatur, facile reſpondetur, quod vt ipſum diuinum Eſſe, pro excellentiore, & diuiniore Dei perfectione habeatur, nihil impedit, quod ex creatis effectibus cognoſcatur aliqualiter, nimirum, quoad, An eſt, vt Peripateticis, & magis in ſchola notis verbis vtamur. Nam ſatisfuerit, ipſum minime ex his effectibus, quantũlibet excellentibus quidditatiua, & perfecta cognitione dignoſci poſſe. Neque vero quicquam refert ad oſtendendam perfectionem myſterij Trinitatis, quod illud ex effectibus naturalibus etiã imperfecta cognitione, & quoad, An eſt, haud quaquam inueſtigare poſſimus: nam hæc tanta huius myſteri occultatio non ex ſola eius dignitate, & altitudine prouenit, ſed ex eo ſimul quod proprietates, quibus ſanctiſſimæ Triadis perſonæ conſtituuntur, cum ſint relatiuæ, non ſunt creaturarum effectiua principia: Atque adeo diuinarum perſonarum Trinitas nullatenus relucet in effectibus naturalibus, ſed de hoc alias. Nunc autem ad ipſam habitualis gratiæ dignitatem explicandam noſter progrediatur ſermo: talemque primo rationem propono.

Gratia per ſe primo eſt formalis quædam expreſſio, & participatio diuinæ naturæ, ſecũdum id, quod excellentius, & diuinius in ipſa natura Dei, eſt enim eius participatio, quatenus eſt ipſum Eſſe imparticipatum, & independens, omnem præhabens eſſendi plenitudinem; Ergo ex propria ſui ratione eſt forma perfectiſſima, eleuans animam ad ipſum diuinæ naturæ conſortium: eſtque proinde perfectiſſima forma in ordine ſupernaturalium rerum. Conſequentia adeo eſt manifeſta, vt probatione nõ indigeat: etenim perfectio cuiuſuis creatæ entitatis penſanda eſt penes maiorem ſimilitudinem, & approximationem ad diuinam naturam, quæ eſt ſupremum, & perfectiſſimum ens, & ipſum eſſe. Quod autem eſt maximum in aliquo genere, aut ordine, menſura eſt omnium aliorum, quæ in eodem genere, aut in eodem ordine collocantur; atque adeo ſi gratia expaeſſio eſt, & formale participium eius perfectionis, quod in Dei natura auguſtior eſt, & eminentior, non poteſt non eſſe perfectiſſima, forma, & ſupra totum naturæ ordinem eleuata, & in ipſo ſupernaturali ordine principem tenens locum. Antecedens vero partim conſtat ex his, quæ paulo ante dicebamus. Sed præterea vlterius probatur; & primo ex eo, quod S. Thom. 1a.q. 112. art. 2. ad ſecuudum dicit, id quod ſubſtantialiter eſt in in Deo, fieri accidentaliter in anima per gratiã participantem diuinam bonitatem. At nihil magis eſt ſubſtantialiter in Deo, quam ipſum Eſſe intellectuali vita viuens. Hanc ergo diuiniſſimam perfectionem anima iuſti hominis per gratiam participat. Secundo illud met antecedens probatur. Proprietates, & perfectiones, quas literæ ſacræ, & grauiſſimi Eccleſiæ Patres gratiæ paſſim accomodant, adeo ſunt excellentes, & diuinioris ordinis, vt nullatenus poſſent competere gratiæ, niſi ipſa formalis eſſet quædã naturæ diuinæ participatio, qua ratione Deus eſt ipſum eſſe imparticipatum, & independens. Appellãt enim illam indefectibilem, immortalem, ęternã, &c. affirmantque nos per gratiam immortali, indefectibili, inuariabilique vita donari, & in vero ſtabili, indefectibilique eſſe conſtitui. At hic tam excellens perfectionum cumulus haudquaquam habituali gratiæ competeret, niſi ſupernaturale eſſet participium diuinitatis, prout eſt ipſum eſſe imparticipatum, & ipſum immutabile, & æternum intellectuale viuere. Quemadmodum neque perfectiones iſtę in ſummo gradu conſtitutæ Deo eſſent eſſentiales, & quidditatiuæ, niſi Deus eſſentialiter eſſet ipſum imparticipatum, independens, immutabile, & indeficiens eſſe, ipſumque viuere intellectuale. Sed ad ſacræ paginæ, ſanctorumque Patrum teſtimonia recurramus, ex quibus prædictæ diuinæ gratiæ proprietates, tamque excellens, & mirabiles eius dotes in promptum erit colligere. Paul. ad Rom. cap. 6. *Gratia*, inquit, *Dei vita æterna*, id eſt, prima æternæ, indefectibiliſque vitæ radix, Gratia eſt. Cui conſentit ſatis illud, quod Chriſtus cũ Samaritana muliere loquens, dixit, de ſpiritu diuinæ gratiæ, quem accepturi erãt credentes in illũ aquæ nomenclatura deſignans. Ioann. capit. 4. nimirum, quod in eo, *qui biberit ex iſta aqua, fiet fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Qui plane Chriſti ſermo, & ſi Metaphoricus, ipſam rei veritatem mire adumbrauit, imo & explicuit aperte. Gratia namque vere ſalit in æternam vitam, quatenus ipſam, quam viuificat, & illuſtrat animam, ad altiſſimum, vnde ipſa deſcendit principium, incredibili virtute, & efficacia euehit: coniugitq. animam eandem eum immortali ipſa, & inexterminabili vita Dei. Ex qua gratia vti riuulus à ſuo fonte miro quodam deſcenſu defluit. Sed quanquam gratia ad ęternam ipſam, & immutabilem Dei vitam comparata riuulus quidam ſit à viuo fonte deriuatus, abſolute fons à Chriſto, ob id dicitur: quod ex ipſa innumera alia Spiritus ſancti dona effluunt, & promanant, & quidem indeficienti emanatione, & effluxu, niſi per humanæ voluntatis iniquitatem ſteterit, quæ inter nos, & ipſum Deum fontem viuum miſeram diuiſionem faciat: iuxta id, quod Iſai. dicebat cap. 59. *Iniquitates veſtræ diuiſerũt inter vos, & Deum veſtrum*. Qua diuiſione facta, neceſſium erit, vt riuulus hic diuinus, quem Chriſtus appellauit fontem, in anima exiccetur. Et ob id Paulus admonitos de hac re nos eſſe cupiẽs, dicebat ad Heb. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*. Quaſi diceret. Gratia ſua natura nullius eſſe poteſt defectus principium, nullumue deliquium, nullamque mutationem patitur, quin indefectibilem, æternamque animæ vitam præſtat. Gratia namque omnia poteſt, & omne bonum ei tribuendum eſt acceptum. *Omnia poſſum*, inquit Paulo ad Philip. 4. *In eo, qui me confortat*, & Chriſtus dixit Paulo ipſo referente. *Sufficit, tibi gratia mea*. Quaſi omnis ſufficientia in gratia comprehendatur. Et ob id Auguſtin. de Eccleſiaſt. dogmatibus cap. 43. dicit, quod gratiæ debentur omnia, &c. in quo ſenſu exponit illud Paul. 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum*, id eſt, quicquid ſum, &c. Quare nulli vnquam gratia deerit, ſed tota gratiæ defectio, ſi quando contingat, in humani arbitrij

fle-

Digitized by Google

flexibilitatem, cui pro vitæ præſentis ſtatu gratia accommodatur, referenda erit. Quod eruditiſſime, vt omnia S. Thom. in 2.2. quæſt. 24. art. 11. in corp. & ad 2. adnotauit. Cui veritati S. Synod. Trident. ſeſſ. 6 cap. 13. atteſtatur decernens, quod Deus ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi prius ab ipſis deſeratur. Igitur gratia ſi ex proprijs ſuæ naturæ meritis expendatur, radix eſt æternæ, atque immortalis vitæ, non modo animæ, verum & corporis. Ipſa enim rationalis animæ ſupernaturalis vita in reſurrectionis ſtatu ad ipſum humanū corpus quaſi naturali effluxu deriuabitur, vt in Epiſt. 56. ad Dioſcorum adnotauit Pater Augu. Vnde non irrationabiliter ipſe lib. 22. contra Fauſtum dixit, quod ſecundum gratiam genus mortale non erimus.

Summam gratiæ firmitatem, & ſtabilitatem colligo ex illo Hieram. cap. 31. *Dabo leges meas in cordibus eorum, & in viſceribus eorum ſcribam eas.* Quo in loco Propheta de lege euangelica loquebatur: quæ ſpiritu gratiæ, & veritatis in humano corde diffuſo principaliter conſiſtit. Quæ ſane Euangelica diuinę gratiæ lex ob id, Aug. adnotāte ſup pſ. 44. fidelium cordibus inſita, & inſcripta dicitur, ſcripturæq. voce à Propheta deſignatur, quia ſcriptura hoc potiſſimum differt à verbo, quod verbum cito tranſit, Volat enim irreuocabile verbum: ſcriptura vero exarata permanet, & fixa.

Ob quam cauſam in ſcriptura ſacra res intimo cordi inſculpta, & inſita ſcripturæ appellatione ſignificatur. Iuxta quam loquutionis phraſim Paul. 2. Corinth. 3. ſcribens dicebat, *Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta*, &c. Et opere pretium erit hoc loco animaduertere, quod vniuerſa, quæ Deus authoris naturæ officio fungens, in ſex dierum ſpacio, vt Gen. cap. 1. refertur, condidit, verba ſolent, & voces appellari, Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*, Geneſ. primo. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Ea, nimirum, de cauſa quia vniuerſa ordinis naturalis opificia mutationi, & inſtabilitati ſunt prorſus obnoxia, eo quod naturam Dei, qua ratione eſt ipſum eſſe imparticipatum, & indeficiens, non ita participant, quod formaliter ſint connaturales ipſius impreſſiones, ſed peculiares diuinæ mentis imitantur Idæas. At legem gratiæ, & ipſum gratiæ, & charitatis ſpiritum, ſcripturam vocat ſacer ipſe textus, humanis cordibus intima adhæſione inſculptam: eo quod gratia formalis eſt diuinæ naturæ, quatenus eſt ipſum eſſe, participatio, & expreſſio; ac proinde ſtabilem, indeficientem, æternamque vitam animæ præſtat. Iuxta id, quod Paul. ad Hebr. 13. inquit, *Optimum eſt gratia ſtabilire cor.* Vnde veriſſimū eſt, quod Auguſtin. in Ioann. tract. 17. dicit, maiorem permanentiam tribui à gratia, quam habeat cœlum, cum ſit tamen incorruptibile. Sed neque plane mirum cum gratia eius ſit diuini generis, & ordinis, de quo Regius Vates Pſal. 101. dixit, *ipſi puta, cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Hunc attinet, quod Scriptura ſacra, eos quos à Dei gratia alienatos eſſe conſtat, cuiuſmodi ſunt idolorum cultores, dicit non eſſe, & eos omnes quaſi pro nihilo reputat. Iuxta quam phraſim accipienda eſt illa Reginæ Heſter oratio cap. 14. *Ne tradas domine ſceptrum tuum ijs, qui non ſunt*, ideſt, idolatris, & gentilibus S. Baſil. lib. 2. contra Eunom. circa medium dicit, quod gentes, & peccatores dicuntur non eſſe, quia non participant Dei vitam, quæ per gratiam confertur. Huic veritati ſuffragatur quamplurimum id, quod S. Paul. ad Epheſ. c. 4. inquit. *Hoc igitur teſtificor, vt iam non ambuletis, ſicut gentes ambulant alienati à vita Dei*, ideſt, alienati à Dei gratia, per quam anima viuit, *iuſtus enim ex fide viuit.* Ex fide tamen, gratia, & charitate formata, quæ ſola viua fides appellatur. Et cum authore Ariſtotele 2. lib. de anima. viuere in viuentibus ſit eſſe, qui hac viua fide caruerit, iure optimo dicitur non eſſe, & nihil eſſe, & ita Paul. inquit, *Si charitatem non habuero nihil ſum.* Et cum in Deo optimo maximo idem ſit eſſe, & viuere, qui alienatus à vita Dei fuerit, alienatus quoque ab eſſe Dei cenſendus erit. Quo fit, vt per gratiam qua iuſtus viuit, ipſamque participat Dei vitam, vere quoque dicatur ipſum diuinum eſſe participare. Et hinc eſt, optima ratione ſcripturam ſacram iuſtis hominibus Dei gratia prædiis eſſendi perfectionem abſolute, & abſque vllo additamento quandoque tribuere, cum illud tamen infidelibus, & peccatoribus deneget. Iuxta quam intelligentiā S. Baſil. lib. 2. contra Eunom. illa verba Paul. ad Epheſ. cap. 1. *ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu*, ſic legit, *Sanctis qui ſunt, & fidelibus in Chriſto Ieſu, &c.* Itaque non addit illam determinationem Epheſi, ſed ſanctis viris abſolute tribuit eſſendi perfectionem, quam eis confert Dei gratia. Et ait Baſil. ita ante ipſum antiquos expoſitores legiſſe, & ita haberi in vetuſtioribus codicibus. Ex mente etiam S. Hieron. cui hæc Baſilij intelligentia non placuit: alium habemus locum, qui noſtro intento plurimum confert. Nam vbi nos ad Galat. legimus cap. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*, ſic legit Hieron. *Qui ſunt, carnem ſuam crucifixerunt*, &c. Itaque pro eodem reputat eſſe Chriſti, & eſſe iuſtos, & in Dei gratia, & eſſe ſimpliciter. Et hæc eſt ratio ob quam S. Paul. 1. ad Cor. cap. 15. de ſeipſo dicebat. *Gratia Dei ſum, id quod ſum, &c.* quaſi diceret: totum eſſe quod habeo, ex Dei gratia eſt, & per gratiam formaliter conſtituitur. Ponderanda eſt illa geminatio verbi, *Sum*, magnam enim habet emphaſim. Videturque Paul. proprium ipſius Dei nomen ſibimetipſi accomodare. Nam quod olim Deus Moyſi dixerat Exo. 3. *Ego ſum, qui ſum*, nimirū per naturā, id S. Pau. ſibi tribuit per gratiam. *Gratia*, inquiens *ſum, id quod ſum.* Et certe in hoc potiſſimū ſumma Dei liberalitas, & magnificētia erga nos ſplendet, quod id quod ipſi Deo magis proprium eſt, & natiuū, nobis communicauit per gratiam. Hinc fit non inepte Rupertū Abbatem li. 5. de gloria Trinitatis dixiſſe, illud maximum Dei nomen Iehouah, quod nomen reipſa, vt alias probauimus, non differt ab illo nomine: Qui eſt, de quo Exo. dicitur. *Qui eſt, miſit me ad vos*, deſūptum fuiſſe à præcipuo diuinæ virtutis effectu, Nempe, Gratia, quæ tribuit nobis ſimpliciter eſſe, & qua ſecluſa, anima neque viuit, neque eſt. Ex his ſequitur, verum eſſe id, quod in præſenti diſcurſu probare cōtendimus gratiam, videlicet, ſupernaturale quoddam eſſe naturæ diuinæ participium, ſecundum excellentiores illas perfectiones, quæ ad ipſam Dei naturam, & propius, & proprius attinent. Vnde merito

S. Ioan.

Digitized by Google

S. Ioan. 1. can. cap. 3. ſtatuit nos per gratiam vere Dei filios conſtitui. *Videte, inquit, fratres, qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Quaſi diceret, non ſolum nomine, ſed re ipſa per veram, & intrinſecam, nobiſque inhærentem diuinæ naturæ participationem filij Dei conſtituimur. Ratione præterea ab effectu deſumpta, quam Dialectici à poſteriori vocant, oſtenditur gratiam formale participium eſſe naturæ diuinę, qua ratione Dei natura eſt ipſum eſſe imparticipatum, immutabile, & æternum. Præcipua in toto ſupernaturali ordine operatio, & in quam gratia veluti in finem vltimum, ac maximam ſui perfectionem deſtinatur, ipſa eſt facialis, & intuitiua Dei viſio, quæ inuatiabilis eſt, indefectibilis ac tota ſimul, quæ proinde participata æternitate menſuratur. At huiuſmodi operatio nequit eſſe connaturalis illi formæ, quæ non ſit ipſum imparticipatum, & indeficiens eſſe, vel eius formale participium: operatio namque proportionata eſſe debet illi formæ, quæ ipſius operationis eſt primum, & radicale principium. Hoc eodem argumento non inefficaciter oſtenditur, quo pacto gratia formalis etiam ſit participatio diuinæ naturæ, prout tribus perſonis eſt communicabilis, imo, & actu communicata. Viſio namque Dei habituali gratiæ, vt diximus, proportionata eſſe debet, vtpote quę ipſius eſt conſumatio, & vltimum complementum, diuinam attingens naturam, non ſolum prout eſt vna in ſemetipſa; ſed etiam prout taliter eſt vna, quod abſque ſui indiuiſione, tribus eſt diuinis perſonis communicata, intuetur enim beatus Deum ſicut eſt vnus, & trinus. Quo circa neceſſum eſt, vt virtus, & efficacia gratiæ ad ipſam Dei Trinitatem extendatur, ſitque proinde aliqua ratione formalis diuinæ Trinitatis participatio, & expreſſio. Sed illud eſt hoc loco aduertendum, quod de habituali gratia, prout ſupernaturalis eſt diuinæ naturæ participatio, loqui debemus proportionabiliter ad eum modum, quo paulo ſuperius de ipſa Dei natura loquebamur. Ita quod gratia per ſe primo formale participium eſt earum perfectionum, quæ ad ipſam Dei vnitatem pertinent: quæ perfectiones, vt retro inſinuauimus, ad tres illas communiſſimas, nimirum eſſe, viuere, & intelligere reducuntur. Secundario vero, aut quaſi ſecundario, eſſentialiter tamen participatio ſit diuinæ Trinitatis, ſeu diuinæ naturæ, prout eſt tribus perſonis communicata. Quod & ex illo Io. 14. ſatis aperte colligitur, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et illud Gen. c. 1. *Faciamus hominē ad ſimilitudinē noſtrā.* Multi graues authores de ſimilitudine grati interpretāturę ſecundum quam toti Trinitati ſumus ſimiles, & ob id dixit in plurali faciamus &c. Sed obijcit nobis quiſpiam illud ſuperius citatum ex S. Pet. 2. cap. 1. teſtimonium. *Per quem maxima nobis precioſa promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ naturæ conſortes.* Ex quo teſtimonio id non obſcure videtur colligi, quod nō per ſolam habitualem gratiam, quæ vera qualitas eſt eſſentiæ animæ inhęrens, authore S. Thom. 1. 2. q. 110. ar. 2. ſed & per reliqua omnia ordinis ſupernaturalis dona, quæ vel ad intellectum, vel ad voluntatem pertinent, cuiuſmodi ſunt fides, ſpes, charitas, lumen propheticum, lumen glorię &c. conſortes efficimur naturæ diuinæ: nam hæc omnia ſupernaturalis ordinis dona complectitur Apoſt. Petrus ſub illis vocibus. *Maxima & præcioſa promiſſa*: atque adeo non eſt proprium gratiæ tribuere nobis diuinę naturæ participium. Huic obiectioni, Reſpondent quidam doctiſſimi ex iunioribus Theologis, ita plane eſſe, quod non ſola gratia conſtituit in nobis participium, & conſortium naturæ diuinæ, ſed commune eſſe cum gratia cæteris ſupernaturalibus donis, qualia ſunt paulo ante illa à nobis commemorata, tribuere animæ huiuſmodi diuinę naturę conſortium; quoniam vniuerſa hæc ſupernaturalia dona ſunt ſupernaturalis, & diuini ordinis; ex ipſa ſupernaturali Dei vita, & natura deriuata: Itaque propheta, cuius intellectus lumine prophetico eleuatur, vere dicitur euectus ad diuinæ naturæ participium, & conſortium: eo quod formaliter in ſe habet propheticum lumen, quod participatum eſt ab ipſo diuini intellectus lumine. Et ſimiliter quicumque vere fidelis, etſi propter mortalem culpam alienatus exiſtat à Dei gratia, vere dicitur particeps, & conſors diuinæ naturæ ratione luminis fidei, quod eſt donum participatum & expreſſum à diuino lumine. Ex quo inferunt primo, quod differentia ſpecifica gratiæ, nō eſt facere nos formaliter conſortes diuinæ naturæ, nam hæc ratio generica eſt, & communis omnibus ſupernaturalis ordinis habitubus, & donis, ſed propria, & ſpecifica differentia gratiæ conſiſtit in hoc, quod faciat formaliter in nobis conſortium amicabile cum Deo. Quod ſane conſortium non ſolum denotat ſimilitudinem ad Deum, etiam in his quę ſunt Deo, & diuinæ naturæ maxime propria, nam hanc ſimilitudinem præſtant etiam reliqua ſupernaturalia dona; ſed denotat præterea communicationem amicabilem, & familiarem ſupernaturalium bonorum inter Deum authorem gratiæ, & hominem Deo gratum. Inferunt ſecundo, quod gratia non eſt formalis participatio naturæ diuinæ, quia participatio hæc formalis fit per reliqua ſupernaturalia dona, quibus proxime diſponitur anima ad operationes ſupernaturalis ordinis, quibus anima formaliter aſſimilatur Deo. Et inſinuāt authores huius doctrinæ, quod ſi rigoroſe loquamur, hæc aſſimilatio non fit formaliter per aliquem habitum, ſed ſupernaturalibus ipſis operationibus; eſt autem gratia radicalis participatio naturæ diuinæ, quatenus in ipſa tanquā in radice præhabentur reliqua ſupernaturalia dona, & habitualia, & actualia.

Hæc tamē doctrina cum vtroque eius conſectario mihi non placet, & primo quod is qui eſt extra Dei gratiam, & amicitiam conſtitutus, ſit ſimpliciter ad diuinæ naturæ participium, & conſortium admiſſus per lumen fidei, aut lumen propheticum &c. mihi non ſatisfit vero ſimile; cum S. Paul. dudum citatus pro nihilo reputet illum, qui extra Dei charitatem exiſtit. Nam qui ſimpliciter eſt admiſſus ad conſortium naturę diuinæ aliquid eſt, imo & magnum quid eſt, cum ſit ſimpliciter eleuatus ad conſortium ſummæ bonitatis, & ſummæ perfectionis; Natura enim diuina ſumma bonitas eſt, & ſumma perfectio. Dein de ratione à priori id ipſum confuto. Tunc anima, & non alias, eleuatur ſimpliciter ad conſortium naturæ diuinæ, cum ei intrinſece communicatur formalis participatio omnium perfectionum, quibus eſſētialiter conſtat ipſa Dei natura: nam quod anima ſit ſimpliciter conſors diuinæ naturæ, non eſt habere

par-

Digitized by Google

participatam in ſe vnam, aut alteram ipſius diuinæ naturæ perfectionem, ſed habere totam ipſam Dei naturam formali expreſſione communicatam. Etenim qui vnam, aut alteram tantum diuinæ naturæ perfectionem participat, ex parte tantum, & quaſi partialiter in conſortium ipſius diuinitatis admittitur: atque adeo non ſimpliciter, ſed ſecundum quid particeps eius eſt, & conſors, ſed hanc totalem naturæ participationem ſola gratia tribuit, nam reliqua ordinis ſupernaturalis dona non ſunt participia totius diuinitatis, ſed quarundam ſingularium eius perfectionum V. c. lumen fidei, aut propheticum, imo & lumen gloriæ participatio eſt, & expreſſio nõ totius diuinitatis, ſed luminis diuini intellectus. Similiter charitas non eſt expreſſio, & participatio totius Dei, ſed ſolius infiniti amoris volũtatis diuinæ: ergo ſola gratia ſit totalis cõmunicatio naturæ diuinæ, & qua formaliter participamus ipſã Dei naturã, ſecundum id, quod in ea excellentius eſt, & diuinius, & in quo potiſſimum conſiſtit ipſa Dei eſſentia, & quidditas. Per gratiam efficimur formaliter Dei filij, neque vllum aliud donum ſupernaturale ſufficit ad conſtituendam in nobis diuinam filiationem: At quod homo efficiatur Dei filius, conſiſtit formaliter, & eſſentialiter in hoc, quod diuinam naturam in ratione talis naturæ intrinſece participat, & non ſatisfuerit participatio cuiuſpiam ſingularis perfectionis eiuſdem naturæ diuinæ. Filiatio enim hæc adoptiua Dei dicitur per ſimilitudinem, & proportionem ad filiationem naturalem, iuxta illud Paul. Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius*: atque adeo ſicut filiatio naturalis poſtulat perfectiſſimam, & infinitam communicationem totius naturæ diuinæ per ſubſtantialem generationem habitam, ita adoptiua filiatio diuina neceſſario exigit participatam communicationem totius naturæ diuinæ, ſupernaturali quadam accidentaria tamen, & imperfecta generatione factam: de qua loquebatur Iacobus cap. 1. cum diceret, *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*. Ergo ſola gratia eſt qua ſimpliciter admittimur in diuinæ naturæ conſortiũ. Et inde ſumitur manifeſta impugnatio prædictæ ſententiæ, qua parte docet, quod per lumen fidei, aut lumen propheticum abſque charitate, & gratia, ſimpliciter fit homo particeps, & conſors diuinæ naturæ. Nam qui ita docet, conſequenter tenetur admittere, quod abſque gratia, & charitate, per lumen fidei, aut prophetiæ efficitur homo verus Dei filius adoptiuus. Qui enim naturã Dei ſimpliciter participat, Dei filius eſt adoptiuus, & per participationem. Ergo, &c.

Primum conſectarium, quod Auctores impugnatę ſententię ex ipſa inferunt, ex his quę modo dicebamus manifeſtæ falſitatis conuincitur. Cõſtat enim ex dictis eſſentialem, & vltimam differentiam gratię in eo ſitam eſſe, quod præſtat nobis formaliter intrinſecum diuinæ naturæ participium, & conſortium. Vnde impertinenter additur ad explicandum ſpecificam gratiæ differentiam, Quod efficit amicabile conſortium inter nos & Deum. Non negauerim quod diuinæ naturæ conſortium, quod nobis tribuit gratia ſit amicabile, id eſt, vinculum ſupernaturalis amicitiæ inter hominem & Deum, intra animam conſtituens. Verum hoc amicabile conſortium non in alio conſiſtit, quam in eo, quod per gratiam efficitur homo particeps naturæ diuinæ, ſecundum propriam ipſius naturæ rationem. Quæ participatio vere, & proprie dicitur amicabile conſortium: quia eſt ipſa ſupernaturalium bonorum communicatio, & conſtituit animam in tali ſtatu in quo dum perſeuerauerit, odio à Deo minime poteſt haberi, imo neceſſario neceſſitate ſuppoſitionis debet diligi, vt alias à nobis aduerſus quoſdam recentiores Theologos efficaciſſimis rationibus comprobatur.

Secundum conſectarium, quod ex prædicta ſentẽtia inſerebatur, nimirum, quod gratia non eſt formalis, ſed radicalis tantum participatio diuinæ naturæ, falſum etiam reputo, naturæ, & dignitati gratiæ ſatis aduerſum. Fateor quidem gratiam non eſſe formaliter fidem, ſpem, charitatem, aut quoduis aliud ſupernaturale donum, quo anima proxime diſponitur ad ſupernaturales operationes, ſed radicaliter tantũ gratia hæc dona præhabet, ad eum modum quo ſubſtantialis eſſentia radix eſt ſuarum omnium naturalium proprietatum, & potentiarum: ſed eſt nihilominus gratia formalis expreſſio, & participatio diuinæ naturæ, vt illam appellat S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 2. ad ſecundum. Quoniam eſt formalis participatio Dei, quatenus eſt ipſum eſſe, & ipſum intellectuale viuere. Itaque ſicut eſſentia hominis, vt naturæ ordine ſuis potentijs intellectu, ſcilicet, & voluntate præintellecta, & prout eſt earundem radix, formaliter eſt rationalis, quamquam ita conſiderata neque actu ratiocinetur, neque ſit in proxima diſpoſitione, & potentia ad ratiocinandum conſtituta: ita gratia, prout radicaliter præhabet cætera ſupernaturalia dona, & actualia eorum officia, formaliter eſt cenſenda ſupernaturalis, & excellens diuinæ naturæ participatio. Sed obijcit nobis ſcolaſticæ Theologiæ peritus. Diuina eſſentia, ſeu natura non in aliqua habituali, aut quaſi habituali forma, quæ ſit vel proximum, vel radicale diuinarum operationum principium, eſſentialiter conſiſtit, ſed in actuali operatione naturę intellectiuæ propria. Non enim in ipſa Dei natura potentialitatis quidpiam, ſed ſumma eſt conſtituenda actualitas: & idcirco Dei natura nõ intellectiua eſt, ſed intelligens: imo eſt ipſum intelligere, ſicut, & ipſum viuere, & ipſum eſſe. Ergo ſupernaturalis forma, quæ radicaliter tantum, & quaſi per modum habitualis principij ſupernaturalis ordinis actiones intellectuali naturæ proprias præhabet, nequit appellari formalis diuinæ naturæ participatio, & expreſſio, ſed radicalis duntaxat: atque adeo ſolis intellectualibus diuini ordinis actionibus competit, quod ſint formales diuinæ naturę participationes, & quod per eas efficiamur formaliter diuinæ naturę conſortes. Confirmatur ex illo Ioan. 1. can. c. 13. *Nunc filij Dei ſumus, ſed non apparuit quid erimus, cum autem apparuerit, ſcimus quia ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* In quibus verbis ponderandum eſt, quod ſimilitudinem formalem ad Deũ, in actione videndi Deum facialiter, & intuitiue poſitam eſſe S. Ioan. dicit, & non in ea forma qua in hoc ſtatu filij Dei conſtituimur. Ergo, &c. Reſpondetur argumento facto. Et primum dico, quod ſine dubio eſſentia Dei ob ſummam ſui eminentiam, & auguſtiſſimam dignitatem nequit in alia forma creata ſiue ſubſtantiali, ſiue accidentali quantumlibet ſupernaturalis

ſit,

ſit, & diuini ordinis, ſecundum eum modum exprimi, & participari, quo ſubſiſtit in ſemetipſa. Etenim eſſentia Dei, ita eſt actualis, quod habet ſimul eſſe per modum formæ permanentis, & in qua intellectus valet plures diſtinguere perfectiones, quarum vna ſit alterius ratio. Imo & vnam omnium ſupremam actualitatem, & perfectionem cognoſcere, nimirum, ipſum Eſſe, quæ non radicaliter, ſed per formalem incluſionem, & quaſi eleuationem, reliquas Dei perfectiones, & actualitates complectatur. Hic autem modus in nulla creata forma explicabilis eſt: qnia nul la intelligi valet creata, & participata forma, cui ſit formaliter, & eſſentialiter intrinſeca actualis operatio, ſicut neque actualis exiſtentia alicui creaturæ eſſe poteſt eſſentialis. Similiter nulli operationi competit formalis incluſio omnium perfectionum diuinarum ſecundum participationem formalem ipſarū: neque, quod habeat eſſe per modum formæ quaſi habitualiter informantis ipſam iuſti animam. V.c. facialis Dei viſio non habet rationem huiuſmodi formæ, & ita eſt formaliter Dei viſio, quod non eſt formaliter actus amoris diuini, aut quæuis alia ſupernaturalis perfectio, & proportionabiliter dicendum eſt de actuali diuinę charitatis amore. Quo circa nulla eſſe poteſt creata entitas ſiue actualis, ſiue habitualis, quæ ipſam Dei eſſentiam participet, & exprimat iuxta modum, quem habet in ſemetipſa. Secundo dico, quod in habitu gratiæ, & ſi non reperiatur formaliter participata illa actualitas, quæ eſſentialiter competit naturæ diuinæ, ſimpliciter tamen appellari debet formalis eius participatio. Quia per modum formæ eſt quædam totalis eius expreſſio, & participatio, radicaliter pręhabens omnes Dei perfectiones, ſecundum participationem, quæ & in reliquis infuſis habitibus, & in vniuerſis ſupernaturalibus actionibus explicantur: ad eum modum quo creata ſubſtantialis eſſentia radix eſt ſuarum omnium potentiarum, & operationum. Et ob id gratia non immerito diuina natura ſecundum formalem participationem vocatur, iuxta modum quo poſſibile eſt ipſam Dei naturam in aliqua creata forma & entitate communicari. Præſertim cum nulla alia ſupernaturalis entitas ſiue actualis, ſiue habitualis poſſit produci in anima, quæ per modum ſimplicis formæ ipſi animæ tribuat participium omnium diuinarum perfectionum: ac proinde nulla alia entitas ſupernaturalis dici queat ſimpliciter participatio, & expreſſio naturæ diuinę, ſed talis vel talis perfectionis, ex innumeris, quæ in ipſa Dei eſſentia formaliter reperiūtur. Ad formam igitur argumenti dato antecedenti neganda eſt eius conſequentia. Et ratio, ob quam conſequentia, quę tam apparet euidens, eſt neganda, ex dictis colligitur. Et in ſumma hęc eſt, quod infinita Dei, & actualiſſima eſſentia ſicut non poteſt per aliquam ſubſtantialem formam animę communicari, vt alias probauimus, cum ſit ipſa ſumme ſubſtantialis: ita neque eſt producibilis aliqua accidentalis ſupernaturalis ordinis forma, quæ ipſam participet ſecundum illum actualitatis modum, quo ipſa in ſe habet eſſe: ſed neceſſum eſt, vt natura diuina participetur ad eum modum, quo perfectiones creaturarū continentur in ſuis ſpecificis, & eſſentialibus formis, cum potentialitatis admixtione. Et hoc nulli debet eſſe mirum. Nam cum iuxta vulgatū philoſophorū proloquium, omne quod recipitur ad modum recipientis recipi debeat, neceſſum fuit vt infinita, & ſumme actualis Dei natura participarentur in forma & qualitate creata, iuxta modum creaturæ proportionatum, qui potentialitatis admixtionem poſtulat. Alia præterea ratione oſtendi poteſt, quod nulla actio ſupernaturalis ſit ſimpliciter formalis diuinæ naturæ participatio: quia, videlicet, expreſſio, & formalis naturæ diuinæ participatio debet eſſe à ſolo Deo effecta, & impreſſa animę. Actio vero quæcunq. ſupernaturalis elicitiue ab anima fit. Ergo, &c.

Ad Confirmationem reſpondeo, manifeſtum eſſe ex illo Ioan. teſtimonio, quod dum ſumus in hoc vitę ſtatu participamus formaliter, & ſimpliciter Dei naturam (quod per aliam formam, quam per gratiam eſſe nequit) cum S. Ioan. fateatur, quod nunc, idest, in hoc ſtatu ſumus filij Dei. Similitudo vero illa ad Deum, quam nouiter accipiemus in futurę vitæ ſtatu per beatam, & facialem Dei viſionem, erit quidem conſummatio, & adimplementum valde proportionatum participationi formali naturæ diuinæ, quam nobis gratia confert: ſed non neceſſariū, vt abſolute dicamur formaliter Deo ſimiles. Apparebit autem tunc, quod ſumus Deo ſimiles, ad eum modum quo eſſentia rationalis naturæ apparet in actuali ratiocinio, & diſcurſu humani intellectus, & ſicut natura arboris apparet in eius fructu. Et iuxta hunc ſenſum poſſet commode explicari teſtimonium ex S. Petro deſumptum, quo videtur tribuere vniuerſis ſupernaturalibus donis, quod nos efficiant diuinæ naturæ conſortes. Poteſt enim dici, quod ſola gratia quaſi ſubſtantialiter præſtat naturæ diuinæ conſortium, reliqua autem ſupernaturalia dona id præbent, vel inchoatiuè, & diſpoſitiuè, vt de fide, & ſpe dicere tenemur, vel cōſummatiuè, & completiuè, vt dicendum eſt de charitate, de Spiritu ſancti donis, & de lumine gloriæ: & multo magis hoc adſtruere debemus de proprijs ſupernaturalium horum habituum operationibus. Aliam explicationem adhibuimus paulo ſuperius prædicto S. Petr. teſtimonio, iuxta quam de ſolo gratiæ habitu eſt intelligendum. Quę explicatio, & ſi certa non ſit, probabili ratione non caret.

Sed vt tractationem iſtam, quam alio in loco locupletiori fortaſſis doctrina exornabimus, breuiter abſoluamus, obſeruandum eſt. Quod cum ſtatuimus gratiam formalem eſſe participationem naturæ diuinæ, prout eſt ipſum eſſe, ac totalis eſſendi plenitudo, minime aſſeuerare intendimus, quod gratia eſt ipſum eſſe imparticipatum, aut tota ipſa entitatis plenitudo, hęc enim perfectio tanta ſoli diuinæ naturæ, nullique creatæ formę poteſt competere: ſed tantum aſſerimus gratiam quandam eſſe diuini ordinis qualitatem, quę immediatam habet proportionem cum ipſa Dei natura, tamquam cum proprio ſuæ emanationis principio, in ipſaque proinde ſupernaturali, & fere indicibili modo ipſa dignitatis perfectio ſecundum omnem illam rationem exprimitur, ſecundum quam diuinitas participabilis eſt in creatura intellectuali. Quæ cum in eodem gradu entitatis reponatur, in quo eſt ipſa intellectualis Dei eſſentia, apta nata eſt participare ſūmā diuinæ naturę perfectionē, eo modo quo ſubſtantialis naturę perfectio participari poteſt, & exprimi in accidentaria qualitate,

Digitized by Google

tare,q̃ ſit veluti adęquata eius porprietas, ſicut in luce corporea accidentaria expreſſione participatur tota vis,& efficacia quæ ſubſtantialiter reſidet in eſſentiali forma ſolis. Hoc lucis exemplum,& ſi non ſit inepte adductum, multo tamen eſſet noſtro intento accomodatius, ſi animo fingeremus, duplicem eſſe lucem, alteram ſubſtantialem, quæ eſſet ipſamet eſſentialis ſolis forma, & alteram accidentariam qualitatem ab ipſa ſubſtantiali ſolis luce in diaphano corpore productam. Nam tunc vere diceretur,quod tota latitudo lucis ipſi duntaxat ſoli connaturalis eſſet, in ſummo quidem gradu conſtituta ſubſtantialis eſſet eius forma, in gradu vero quocunque præter ſummum,accidentaria eſſet qualitas ex ſola impreſſione ipſius ſolis,cuius perfectionem, & virtutem referret, in diaphano corpore producta. Nam iuxta hunc modum Theologatur Caiet. 1. p. q. 12. & 5. de lumine gloriæ,quod in ſummo gradu eſt eſſentiale Deo, immo eſt ipſa Dei eſſentia: In gradu vero quocumque extra ſummum, eſt immediata quædam proprietas ipſius diuini eſſentialis luminis. Quod non obſcure inſinuant illa verba Regij Vatis, Pſalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, ideſt, in lumine à te participato,quod ob id tuum eſt,quia ſola impreſſione infiniti tui luminis haberi poteſt,videbimus ipſum ſubſtantiale,& infinitum lumen. Et iuxta hunc eundem modum proportionabiliter nos Theologari debemus de gratia, videlicet, quod diuinum eſſe infinitum, & imparticipatum ſubſtantialis eſt, & quidditatiua Dei perfectio: Gratia vero qualitas eſt eiuſdem ordinis cum ipſo diuino eſſe, ſoli Deo connaturalis, in qua immediata quadam expreſſione ipſum ſubſtantiale infinitum eſſe accidentaliter participatur, & exprimitur.

Ex dictis omnibus ſequitur gratiam non ex acceptatione Dei extrinſeca,ſed ex ratione ſui propria, & quidditatiua conſtituere hominem Dei filium, obiectum congruum, & proportionatum amicabili dilectioni Dei; formaliterque iuſtificare animam tanquam formalem inhærentem iuſtitiam, omnemq. mortalis peccati inordinationem ab anima excludere,ita vt contradictionem inuoluat, mortale peccatum ſimul cum gratia in anima perſiſtere. Hoc corrollarium multa inuoluit,quæ alias erunt diffuſe pertractanda,& efficaciſſimis comprobanda rationibus. Nunc autem eorum veritatem ex ſuperius dictis breui, ſed efficaci deductione in hunc modum colligimus. Gratia eſſentialiter,& ſua natura,abſque vlla extrinſeca Dei acceptatione, ſeu imputatione formalis eſt diuinæ naturæ participatio, & expreſſio: at qui participat naturam Dei per impreſſionem ab ipſo Deo factam,vere filius Dei eſt per participationē. & adoptionem, dignuſque eſt proinde, vt in paternũ Dei amorem admittatur. Atque adeo gratia omnem peccati mortalis deformitatem ab anima pellit, quę hominem Diaboli filium, & à diuino amore alienũ, & exiorrem efficit. Et ob id Ioan. 1. can. cap. 4. dixit, quod, *qui manet in Deo non peccat, quia ſemen Dei manet in illo*. Quo loco habitualem gratiam ſemen Dei vocat, quatenus ſua virtute ſeminaria quadam, & radicali ratione complectitur totum id, quod ad ſupernaturalem ſpiritualis vitæ ordinem ſpectat. Neque huic veritati S. Aug. refragatur, nam lib. 2. de ſermone Domini in mōte cap. 26. eleganter docet, quod non minus gratiæ repugnat deficere, & peccare, quã ſiccitati humectare,& calori frigefacere. Et hæc dixiſſe ſufficiant de natura,& dignitate habitualis gratiæ in communi conſideratæ. Et deinceps in ſpeciali de Chriſti gratia tractabimus.

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur quatuor argumenta in contrarium principalia.

IN prima igitur controuerſia, ex retro ad diſputandum propoſitis, examinare conabimur. Num in Chriſti anima habitualis reperiatur gratia, & qua certitudine illud ſit aſſeuerandum. Et principio quidem in ſententiæ negatiuæ patrocinium, ſequentia induco argumenta.

Propoſitio primi argumenti principalis.

PRimum argumentum. Si in Chriſti anima ponitur habitualis gratia, maxime vt ipſa ſit Deo gratiſſima,& chariſſima,ſed hoc habet in ſummo gradu, ex vi ſolius gratiæ vnionis. Ergo impertinēs eſt Chriſto habitualis gratia. Probatur min. Chriſtus charus eſt, & gratiſſimus Patri, eo quod eſt naturalis eius filius, quod oſtendunt clare illa Patris verba, quæ habetur Matth. c. 3. *Hic eſt filius meus dilectus*: Ergo nō ex habituali, ſed ex vnionis gratia, competit Chriſto eſſe chariſſimum Patri, eique gratiſſimum.

Confirmatur primo. Chriſtus per gratiam vnionis habet ſaltem eminenter totam illam gratitudinem, & ſanctitatem, quam illi poſſet habitualis gratia tribuere. Ergo ſuperuacanee, & otioſè ponimus in Chriſto habitualem gratiam. Probo antecedens. Chriſtus per gratiam vnionis eſt ſimpliciter infinite gratus Deo, & infinite ſanctus. At extra infinitum, Ariſto. 3. Phyſ. docente, nihil eſt accipere, ideſt, intra ipſum infinitum continetur totum illius generis, in quo eſt ſimpliciter infinitum. Ergo omnis gratitudo, & ſanctitas, quę per habitualem gratiam poteſt conferri, intra gratitudinem & ſanctitatem, quam Chriſtus habet ex gratia vnionis eminentiſſime præhabetur, alias enim hæ gratitudo,& ſanctitas non eſſent ſimpliciter infinitę in ſuis rationibus, puta, gratitudinis,& ſanctitatis.

Cōfirmatur ſecundo. Ita natura comparatum eſt, vt ſubiectum,quod præhabet aliquam perfectionem eminenter,non ſit capax eiuſdem perfectionis ineſſe formali habitæ V. C. ſol qui eminenter eſt calidus incapax eſt formalis caloris, & homo cuius eſſentialis forma,videlicet, rationalis anima eminenter continet gradum ſenſitiuum, non eſt capax alterius animæ, quæ formaliter ei præſtet ſenſitiuum gradum. Sed gratia vnionis eminentiſſime continet,& gratiã habitualem,& omnem formalem eius effectũ. Ergo Chriſtus, qui gratus eſt Deo ex vi gratiæ vnionis, nō eſt habitualis gratiæ capax,vel ſaltem ſine magno miraculo non potuit illam ſuſcipere. At miracula non ſunt admittenda abſq. rationabili,imo & vrgentiſſima cauſa, quæ hic aſſignari minime poterit, cum vt oſtendimus totus effectus habitualis gratiæ ſumma cum eminentia, & perfectione tribuatur animæ Chriſti per vnionis gratiam. Ergo &c.

Pro-

Digitized by Google

Propoſitio Secundi argumenti.

SECVNDVM argumentum. Effectus formalis primarius gratiæ nequit eſſe in Chriſti anima: Ergo neq; ipſa habitualis gratia. Conſequutionis vis cunctis eſt ſapientibus manifeſta: Eſt namq; impoſſibile, vt forma aliqua ſit in eo ſubiecto, cui formalē ſuum primarium effectum non tribuit. Et ſubiectum, quod eſt incapax huiuſmodi formalis effectus alicuius formæ eſt etiam incapax ipſiuſmet formæ V. C. ſubiectum, quod non poteſt eſſe album, nequit albedinē in ſe ſuſcipere. Antecedens vero probatur. Formalis effectus gratiæ primarius eſt eſſe diuinum participatum, vt ex ſuperius dictis relinquitur manifeſtum, ſed Chriſti animæ repugnat diuinum eſſe participatum, cum habeat ſibi vnitam totam ipſius diuinitatis plenitudinem. Iuxta illud Paul. Coloſ. 2. *In quo*, nimirum, Chriſto *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, & illud 2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Ergo, &c.

Confirmatur primo. Cui competit aliquod eſſe, quod eſt tale per eſſentiam, repugnat ſimul habere illudmet eſſe per participationem. Nam habere aliquid totaliter, & perfectè, & ſimul partialiter, & imperfectè, manifeſta eſt repugnantia: Sed anima Chriſti habet eſſe verbi, quod eſt eſſe diuinum per eſſentiam: Nequit ergo ſimul habere gratiam, quæ eſt formalis quædam participatio diuini eſſe.

Confirmatur ſecundo. Sequitur ex ſententia contraria, quod Chriſtus verè dicatur Deus per participationem, ſicut quilibet iuſtus per gratiam dicitur, & eſt Deus participatiuè, iuxta id, quod aſſerit Chriſtus Ioan. cap. 10. *Si eos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, &c.* Conſequens autem eſt abſurdiſſimum. Nam Chriſtus, qui ſecundum fidem Deus eſt per eſſentiam, quo pacto ſimul eſſe poteſt, & dici Deus per participationem? Ergo, &c.

Propoſitio Tertij argumenti.

TERTIVM argumentum. Gratia participata quædam eſt Dei ſimilitudo, & ad hoc confertur homini, vt ipſum conſtituat Deo ſimilem participata ſimilitudine, ſed Chriſtus ſeipſo & ex vi hipoſtaticæ vnionis eſt perfectiſſimè Patri ſimilis, Paul. ad Hebr. c. 1. teſtante. *Qui cum ſit*, inquit, *ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, &c.* vbi loquebatur ſine dubio, vt ex ipſo contextu liquet, de filio Dei in humana natura ſubſiſtente, ſicut illum ſignificat hæc vox Chriſtus. Ergo nulla eſt in Chriſto ponenda habitualis gratia.

Propoſitio Quarti argumenti.

QVARTVM argumentum. Si in Chriſto eſt habitualis gratia, ſequitur ipſum verè eſſe Dei filium adoptiuum, conſequens nulla ratione eſt admittendum, etiā ſi ſpecificatiuè dicamus, quod Chriſtus in quantum homo, eſt adoptiuus Dei filius: vt probat S. Thom. 3. p. q. 23. [illegible] vlt. & videtur eſſe definitum in quodam Concil. [illegible]ncfordienſi. Ergo in Chriſto minime reperitur habitualis Gratia. Sequela probatur, filiatio adoptiua eſt effectus formalis gratiæ, vel primarius, vt multis placet, vel, vt alijs videtur, ſecundarius: Sed effectus formalis primarius inſeparabilis eſt omnino à ſua forma in ſubiecto ſuſcepta: Secundarius vero effectus formalis etiam eſt inſeparabilis a forma, niſi per magnum miraculum abſoluta Dei potentia patratum. At in Chriſti gratia non eſt ponendum miraculum, quod præter ipſius gratiæ ordinem contingat, abſque magno fundamento. Ergo qui dixerit in Chriſto reperiri gratiā habitualem, conſequenter fateri tenetur, quod reperitur in ipſo hic effectus formalis gratiæ, puta, filiatio adoptiua.

Confirmatur. Infuſio gratiæ ſua propria ratione eſt quædam participata ſpiritualis, & quaſi adoptiua generatio, iuxta illud Iacobi cap. 1. *Voluntariè genuit nos, &c.* Vbi voluntaria generatio vocatur ipſa infuſio gratiæ, ſpeciali Dei amore in nobis facta, ſed generatio adoptiua filium adoptiuum tanquam propriū terminum reſpicit, & ad ipſum deſtinatur. Ergo ſi in Chriſto fuit gratia habitualis infuſa, cenſendus eſt filius Dei adoptiuus, ſaltem cum illa ſpecificatione, In quantum homo.

Pro parte oppoſita.

OPpoſitam tamen ſententiam, & Theologi ſcholaſtici in 3. d. 13. & Patres ſanctiſſimi varijs in locis poſtea referendis conſtanter aſſeuerant.

SECTIO III.

Reſolutio Quæſtionis per 6. concluſiones principales.

IN huius controuerſiæ reſolutionem parum ſibi ipſis diſſentiunt Theologorum placita. Nam in ſententiam affirmantem omnes, & manibus, & pedibus eunt, in modo tamen quo illam docent nonnihil eſt diuerſitatis. Quidam enim, quorum opinionē retulit Palud. in 3. d. 13. q. 2. cenſent, habitualem gratiam non eſſe Chriſto neceſſariam, ſed quod ſufficiebat illi vnionis gratia. Et certè ſi qui ſunt Theologi, qui habitualem gratiam Chriſti animæ denegauerint, ſunt huius ſententiæ authores, qui tamen fuerint ignoramus, nam eorum ſententiam innominatis authoribus retulit Paludanus. Nonnulli autem è quorū numero fuit Alex. Alenſ. 3. q. 7. membr. 2. art. 1. Exiſtimant hanc gratiam fuiſſe ſimpliciter neceſſariam Chriſto, & videtur ſentire Alenſ. quod per abſolutā Dei potentiam non potuit verbum aſſumere naturam humanam non exornatam habituali gratia. Dicit enim non eſſe poſſibile, quod per donum naturæ eleuetur, & diſponatur humanitas ad diuinam vnionem, & ideo neceſſaria fuit gratia, &c. in eandē ſententiam propendit Henric. quodlib. 13. q. 5. & quodl. 6. q. 6. Inter nouiores Theologos non conſtat, qua certitudine tenenda ſit hæc veritas. Videlicet, Chriſtum habere gratiam eius animam eleuantem, & perficientem. Vnde hæc omnia breuiter erunt à nobis exponenda in huius primæ controuerſiæ reſolutione. Si prius tamen ſupponamus, in præſentia non definiri, An hæc habitualis Chriſti gratia ſit verus habitus, aut vera qualitas realiter à charitate, & à cæteris infuſis habitibus differens. Quam diſtinctio-

nem Scotus in 2.d.27.& cum illo multi eius diſcipuli negauerunt. Sed eam tamen S. Tho. in 1.2.q. 110. art.3. multo probabilius adſtruxit, affirmans gratiã comparatione ad virtutes infuſas eum locum habere in ſupernaturali, & cœleſti animæ vita, quem in eſſe naturali habet eſſentia comparatione potentiarum naturalium. Ita quod ex ipſa gratia tanquam ex formali radice oriuntur in anima, charitas, & reliquæ virtutes infuſæ, quæ ſunt proxima principia operationum ſupernaturalium, quæ ſpirituali vitæ proportionantur. ſicut ex naturali eſſentia ipſius rationalis animæ oriuntur naturales potentiæ, Intellectus, & voluntas, quæ ſunt proxima principia operationum naturalium rationalis naturæ. Ex quo infert S. Thom. ar.4. ſequenti. Gratiam non eſſe in aliqua potentia animæ, vt in proximo ſuſceptiuo, ſed immediatè pertinere ad ipſam rationalis animæ eſſentiam. Ex quo vlterius colligit, gratiam non eſſe operatricem virtutem, aut habitum, & quod formaliter dat non operari, ſed eſſe ſupernarurale, efficitque nos diuinæ naturæ conſortes, Hęc S. Thom. ſententia, quam grauiſſimi Theologi amplectũtur, non eſt inter fidei veritates, ſed inter probabilia tantum Theologorum placita recenſenda. Verum eſt ſine dubio valde probabilis, & longe probabilior oppoſita, quod ſuo loco probabitur, Et nunc claritatis cauſa eſt ſupponendum, & conſentaneè ad ipſam totus noſter loquendi modus in huius controuerſiæ reſolutione verſabitur, qui facilè tamen poterit accommodari ad Scoti ſententiam. Nam ſiue Scoti, ſiue S. Thom. opinationem ſequamur, fateri tenebimur, in anima Chriſti reperiri habitualem gratiam. His ita præhabitis.

Prima concluſio principalis. §.1.

PEr abſolutam Dei potentiam fieri potuit, vt in Chriſti humanitate nulla eſſet habitualis gratia, quæ vnionis gratiam, vel pręcederet, vel ſequeretur, ſed potuit verbum, & in fieri, & in facto eſſe humanitatem in puris naturalibus hypoſtatica vnione ſibi copulare. Hæc concluſio ab vniuerſis fere Theologis eſt recepta, & crediderim, ꝙ Alex. Alenſ. non de potentia Dei abſoluta, ſed de ordinaria tantum ſermonem fecerit in verbis dudum ex ipſo relatis. Non enim dicit, non eſſe poſſibile, quod verbum ſibi vniret humanitatem in puris naturalibus conſtitutam, ſed quod non eſt poſſibile creaturæ rationali vt per donum conditionis naturæ, ideſt, ordinis naturalis, eleuetur, & diſponatur ad talem vnionem. Et hoc ſecundum eſt veriſſimum, etiam ſi de potentia Dei abſoluta intelligatur. Nam poteſt quidem Deus ſua infinita potentia vnire ſibi naturam omni ſupernaturali ornamento deſtitutam. Nulla autem potentia factibile eſt, quod ipſa perfectio naturalis diſponat, & eleuet ipſam naturam ad hypoſtaticam vnionem, quia cum ſit ordinis longe inferioris, & improportionati tam excellenti vnioni, non poteſt induere rationem diſpoſitionis conſtituentis proportionem inter humanitatem, & diuinum verbum, vt terminum Hypoſtaticæ vnionis. Eadem poteſt explicatione gaudere. quod Henricus Gandauenſis dicebat Gratiam, videlicet, conſummatam per gloriã, neceſſariam eſſe per diſpoſitionem ad vnionem hypoſtaticam.

Sed iam breuiter probatur, ſeu potius explicatur concluſio. Nulla eſt intrinſeca dependentia hypoſtaticæ vnionis à gratia habituali. Ergo nulla eſt ratio efficax, ob quam humanitas gratiæ expers non potuerit aſſumi à verbo. Probatur antecedens. In ſequẽti controuerſia oſtendemus, quod gratia non habuit rationem præcedentis diſpoſitionis in vnione hypoſtatica, ſed Vnio verbi ad humanitatem non aliter potuit pendere à gratia, niſi vt à diſpoſitione eleuante naturam. Ergo verum eſt antecedens, atque adeo concluſio.

Confirmatur. Eſto gratia fuerit, vt quibuſdam placet, diſpoſitio naturæ ordine ex parte humanitatis vnionem antecedẽs, nulla tamen ratione efficaci demonſtratur, quod implicet contradictionem humanitatem aſſumi à verbo nõ diſpoſitam per gratiam, quia ipſa in ſemetipſa habet, & naturalem capacitatem, & obedientialem potentiam ad hanc hipoſtaticam vnionem, &c. Ergo fateri tenemur potuiſſe verbum humanitatem in puris naturalibus aſſumere, &c.

Secunda concluſio. §.2.

NAtura humana peccato ſiue mortali, ſiue veniali infecta non potuit aſſumi à diuino verbo. Hanc concluſionem ſi de abſoluta Dei potentia procedat, vt procedit reuera, non admittent Scotus in 3.diſt.12.q.1.& Durand. ead. diſt. q.2. Gabriel, & Adam ibidem, Marſil. in 3.q.9.art.3. & alij nonnulli, qui putant verbum non ſolum naturam peccato infectam potuiſſe aſſumere ſecundum abſolutam Dei potentiam, verum etiam in natura aſſumpta mortaliter delinquere, & ſi de facto nullum admiſerit peccatum, ſpecialiſſima Dei prouidentia interueniente. Cæterum S. Thom. qui 3. par. q.15. art.1. & 2. negat vlla potentia fieri poſſe, quod Chriſtus, vt homo venialiter, aut mortaliter peccet, & qui peccati fomitem ab ipſa Chriſti humanitate omnino extirpauit ibidem, libentiſſimè noſtram hanc aſſertionem admitteret. Quam communiter omnes eius diſcipuli, vt certam, & indubitatam concedunt. Quã, & nonnulli ex Patribus non obſcurè inſinuarunt. Et quoniam ad eius veritatem ſtatuendam, plurimum refert ſententiam aliam, quæ docet Chriſtum in humana natura nulla vnquam potuiſſe ratione peccare, ſolidis fundamentis ſtabilire, Idcirco ab huius ſententiæ corroboratione noſtræ ſecundæ concluſionis probationem inchoabimus.

DVBITATIO PRIMA.

Appendix an Chriſtus potuerit peccare.

IGitur quod Chriſtus peccare non potuerit, etiam ſi ab eius humanitate omne ſupernaturale donũ creatum ſiue actuale, ſiue habitnale cogitatione ſeparemus, docent multi ſcholaſtici cum magiſtro in 3.diſt.12. S. Bonauentura, Gregorius Arimi. Alexã, Alenſ. loco cit. & q.11. & 12. memb.2. Hugo de S. Victore. lib.2. de ſacr[illegible].1.par. cap.7. Henricus loc. cit. Capreolus, & a[illegible]plures, illi præſertim qui Sãct. Thom. placitis libenter conſentiunt, Et quidem Capreolus hanc ſententiam adeo veram eſſe putauit,

vt

Digitized by Google

vt eius oppoſitam erroneam eſſe indubitanter aſſeruerit, quæ tamen cenſura nimium fortaſſis eſt rigida, quoniam de facto, & de potentia ordinaria, & non de abſoluta Dei potentia loquuntur ſacræ ſcripturæ teſtimonia, & ſacrorum Cõciliorum decreta, in quibus omne peccatum à Chriſti humanitate repellitur, de quibus nonnulla aſſeremus inferius circa ſolutionem ad primum in prima concluſione cuiuſdam dubij, quòd ibidem diſputabitur: Videnda eſt enim illa concluſio cum ſuis probationibus ad pleniorem huius rei intelligentiam. Sed quamuis ſententia Scoti, Durandi, & aliorum Theologorum, qui ſecundum Dei potentiam abſolutam non formidant in Chriſti humanitate quodlibet peccatum etiam actuale, & mortale admittere, non debeat erronea cenſeri, non tamen videtur bene ſonans quin pias offendit aures, nec vero admodum grata eſt modo loquendi Conciliorum & Sanctorum Patrum, qui Chriſti animam deificatam eſſe dicunt, & impeccabilem. Ita enim definit ſexta generalis Synodus actione 17. vbi refert, & probat Gregorij Nazianzeni doctrinam in oratione 36. num. 56. quatenus docet humanam Chriſti voluntatem ita fuiſſe per vnionem ad verbum deificatam, vt non poſſit diuinæ repugnare. Eandem ſententiam inſinuat S. hæc ſynodus actio. 8. vbi refert Athanaſ. contra Apollinarem, & habetur lib. de incarnat. poſt medium, dicentem, quod *voluntas Chriſti per vnionem ad verbum facta eſt impeccabilis*, & ſermone 2. contra Arianos dicit *eſſe immutabilem ad malum*. Legatur Anathematiſmus 10. Concil. Epheſ. p. & ibi Cyrill. Verba Concilij poſtea referam, Baſil. epiſt. 65. dicit Chriſtum abieciſſe omnes prauas affectiones tanquam Diuinæ Maieſtati indignas, Hilarius 6. de Trinit. dicit Chriſtum fuiſſe incapacem peccati, lib. 10. de Trinit. poſt multa tandem dicit, quod tã repugnat Chriſto peccare, quam nõ eſſe Chriſtum. Cyprianus ſerm. de Ieiunio & tentatione dicit Chriſtum caruiſſe omni ſenſu, & conſenſu peccati, Origenes lib. 2. Periarcon. c. 6. explicat impeccabilitatem animæ Chriſti ex coniunctione ad verbum exemplo ſumpto ex ferro ignito, quod ſecundum ſe capax eſt frigoris. At dum intra fornacem perſeuerat, incapax frigoris dici poteſt. Tertullianus lib. de carne Chriſti ita dicit, *Si noſtram verbum induit carnem peccatrix fuit caro Chriſti*. Et reſpondet ipſe, *noſtram ſuam faciens, non peccatricem*, ideſt impeccatricem, effecit, *Aug. lib. de correct. & gratia c.* 11. ſic ait, [Nec enim metuẽdum erat, ne iſto ineffabili modo in vnitatem perſonæ à verbo Deo natura humana ſuſcepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ſuſceptio ipſa talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret.] Ecce quemadmodum Auguſt. impoſſibilitatẽ peccandi in anima Chriſti ad ſolam vnionem hypoſtaticam reducit. Et illa verba, Nec enim metuendũ erat, &c. oſtendunt Auguſt. loqui ſecundum omnem potentiam. Similia verba habet Auguſt. lib. de prædeſtin. ſanct. c. 15 & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagia. cap. 18. dicit de Chriſto, quod non ob aliud factus eſt inter Deum & homines mediator, niſi quia ſolus ex hominibus non potuit eſſe peccator. Legendi ſunt pro eadem veritate S. Ambroſ. lib. de myſterio incarnationis c. 7. Hieron. 2. dialog. contra Pelagianos, Irenæus lib. 3. c. 5. Damaſcen. lib. 2. de fide. c. 12. & lib. 3. c. 19. & 20. & S. Anſelm. lib. 2. cur Deus homo. c. 10. inquit ibi, quod Chriſtus impeccabilis ſemper fuit, quia Deus homo. In aſſignanda autem huius veritatis ratione plúſculum eſt difficultatis.

Quatuor autem poſſunt, & non parum efficaces aſſignari rationes, propter quas Chriſto, etiam vt homini, omne peccatum repugnat. Prima. Actiones ſunt ſuppoſitorum, Ergo actio peccati, ſi admitteretur in natura humana Chriſti, neceſſario eſſet verbo diuino tribuenda tanquam ſuppoſito operanti, & elicienti ipſam operationem: atq; adeo concedendũ eſſet diuinum verbum peccare. Quæ eſt magna abſurditas. Hæc ratio non placet Michaeli Palacios in 3. d. 10. licet in concluſione in nobis ſit. Quoniam exiſtimat cũ Durand. ibi q. 2. poſſe reſponderi, quod actio naturæ non pertinet ad ſuppoſitum, niſi fortan denominatione quadam extrinſeca, quatenus ſuſtentat ipſam naturam operantem. Cæterum hæc ratio eſt S. Thom. in 3. d. cit. & probatur à Theologis grauiſſimis in eadem d. Imò inſinuatur in 6. ſynodo generali actione 8. & 11. vbi definitur quod ex vnione ad verbum non ſolum natura humana Chriſti manſit deificata, ſed & eius voluntas, ita vt operationes humanæ Chriſti ſint Dei viriles, ideſt, quod omnis operatio voluntatis Chriſti non ſolum eſt humana, ſed verè eſt operatio diuini ſuppoſiti. Hoc ipſum docet Damaſcen. lib. 3. de fide. c. 19. & 20. Præterea hæc ratio inde habet vim, quod ſuppoſitum non eſt cauſa extrinſeca operationum, quas ipſa natura exercet, ſed eſt comprincipium illarum ſimul cum natura. Ita quod ex natura, & ſuppoſito conſtat vnum integrum principium operationis, in quo natura ſe habet, vt Quo, ideſt, ratio operandi, ſuppoſitum vero vt Quod, & idcirco in humanis operationibus Chriſti diuinum ſuppoſitum eſt vere principiũ efficiens ipſas operationes. Et operationes elicitæ non ſolum habent intrinſecum ordinem ad naturam humanam, ſed etiam ad ipſum ſuppoſitum diuinum, prout eſt ſuppoſitum humanæ naturæ. Certe qui diceret Chriſti humanitatem aliquid vel operari, vel pati, & quod verbum non ageret, aut pateretur idipſum, periculosè loqueretur; quia exponeret ſe periculo errandi, cum his qui duo ſuppoſita realiter diſtincta in Chriſto conſtituerunt, cuius erroris Neſtorius in Concil. Epheſ. primo damnatus, author fuit, & inuentor. Vnde non ſatis benè dixit Marſil. in 3. quæſt. 9. humanitatem Chriſti poſſe peccare, & quod ipſa peccante non peccaret verbum. Sed contra hanc rationem arguitur primo. Verbum diuinum, prout eſt ſuppoſitum naturæ humanæ non operatur proportionabiliter ad virtutem naturæ diuinæ, ſed iuxta proportionem naturæ humanæ, & potentiarum eius: igitur defectus, qui contingeret operationibus eius, non eſſet referendus ad defectum naturæ diuinæ, ſed ad defectum potentiarum naturæ humanæ, cui ſe accommodat diuinum verbum, quatenus operatur vt ſuppoſitum humanum. Atque adeo ex eo, quod Chriſtus vt homo peccaret, nulla imperfectio reſultaret in ſuppoſito diuino.

Secundo. Si Angelus, ſiue id poſſibile, ſiue impoſſibile fuerit, aſſumeret naturam humanam, & peccaret vt ſuppoſitum eius, operatio elicita per voluntatem humanam non tribueretur Angelo vt Ange-

lo,ſed tantum vt ſuppoſito humano, neque inde ſequeretur, quod peccaret Angelus. Ergo quamuis peccaret verbum, vt ſuppoſitum naturæ humanæ, nõ inde concedendum eſſet, quod peccaret verbum, niſi cum reduplicatione, prout eſt homo.

Ad primum reſpondetur, quod ſi loquamur phyſicè verum eſt antecedens, falſum autem ſi moralis fiat ſermo. Dico enim, quod ex eo, quod ſuppoſitum diuinum eſt infinite gratum, natura illi perſonaliter vnita non poteſt eſſe ingrata, & inuiſa Deo. Imo eſt grata infinita quadam gratitudine, quatenus eſt Deo tam accepta, vt communicetur illi ipſum eſſe perſonale diuinum: & ſimpliciter loquendo, vt circa ſolutionem primi argumenti dicemus, multo magis eſt Deo grata ex hac ratione vnionis hypoſtaticæ, quam ſit grata per gratiam habitualem. Ex quo ſequitur, quod ſicut cum habituali gratia mortale peccatum ſtare nequit, imo neque veniale, ſi gratia fuerit conſummata in gloria, quod verum habet, tũ de actuali, tum de habituali peccato: ita, eo ipſo, quod natura vnitur verbo perſonaliter, repugnat ei omnis praua diſpoſitio, per quam ipſa natura ſit ingrata Deo, & inuiſa, ſiue hæc diſpoſitio actualis ſit, ſiue habitualis. Atq; adeo in genere moris natura humana Chriſti potius proportionetur ſuppoſito diuino in ſuis operationibus, quam verbum proportionetur ipſi naturæ.

Ad ſecundum. Primo poſſet negari antecedens, & conſequenter eſſet dicendum, quod ſi Angelus ille eſſet beatus, non poſſet peccare in humana natura aſſumpta, eo quod beatitudo reddit illum impeccabilem.

Secundò, negatur conſequentia, ratio diſcriminis inter Angelum etiam beatum, & verbum hæc eſt. Quod verbum eſt infinitè, & omnibus modis gratũ Deo, & ita nulla eius operatio, per quamcunq; exerceatur naturam, poteſt eſſe ingrata Deo, quin potius eſt grata perſonaliter. Cæterum Angelus beatus non eſt omnibus modis gratus Deo, ita vt eius gratitudo ad aſſumptam ab eo humanitatem refunderetur; & idcirco poſſet admittere peccatum in humana natura, & diceretur peccare non ſimpliciter, quia ſimpliciter eſt gratus, ſed ſecundum quid, id eſt, vt ſuppoſitum naturæ humanæ: Itaque inter Angelum, & verbum diuinum, quod attinet ad præſens hoc verſatur diſcrimen, quod verbum propter rationem aſſignatam, neque poteſt peccare abſolutè, & ſecundum ſe, neque etiam vt ſuppoſitum naturæ humanæ.

Angelus vero beatus licet abſolutè non peccaret, tamen vt ſuppoſitum naturæ humanæ, peccatum poſſet admittere. Aliud etiam verſatur diſcrimen. Pro cuius explicatione ſtatuenda eſt ſecunda ratio principalis, propter quam docent quidam doctiſſimi, manifeſtam eſſe implicationem, quod Chriſtus peccet in natura aſſumpta, & eſt huiuſmodi. Verbum diuinum non potuit elicere proprias operationes naturæ humanæ, niſi interueniente actu voluntatis diuinæ, per quem determinaret voluntatem, & cæteras potentias naturæ humanæ ad operandum: At impoſſibile eſt, quod diuina verbi voluntas determinet humanam voluntatem ad aliquod peccatum, nam aliàs diuina voluntas peccaret, ergo. Mair. probatur dupliciter.

Primo, quia in verbo diuino voluntas eſt idem realiter, & formaliter cum eius perſonalitate: ergo non potuit verbum concurrere ad operationem humanæ naturæ per ſuam perſonalitatem, quin ſimul concurreret per voluntatem diuinam.

Secunda ratio, Verbum diuinum non poteſt neceſſitari ad operandum ex aliqua diſpoſitione naturæ humanæ, & potentiarum eius, quoniam talis neceſſitas induceret imperfectionem ipſi verbo diuino: ergo oportet fateri, quod verbum diuinum à propria voluntate determinatur ad operandum operationes humanas. Suaque diuina voluntate determinat, & voluntatem, & potentias ipſius humanitatis. Ex his colligitur diſcrimen inter ſuppoſitum Angelicum, & diuinum, quod vt ſuppoſitum Angelicum operaretur cum natura humana, non erat neceſſum, quod ſimul operaretur per propriam voluntatem Angelicam, ſed poſſet determinari, & neceſſitari ad operandum ex diſpoſitione naturæ humanæ, cui ex hypotheſi eſſet vnitum; & ex conſequenti quamuis Angelus peccaret, vt ſuppoſitum naturæ humanæ non eſſet ſimpliciter concedendum Angelum peccare: Cæterum iuxta ea, quæ diximus ſi verbum peccaret, vt humanitatis ſuppoſitum peccaret ſimpliciter, vt verbum, quia concurreret ad peccatum naturæ humanæ per propriam ipſius diuini verbi voluntatem, per ſuam, nimirum, perſonalitatem, quæ eſt idem cum voluntate diuina. Quod ſi dicas, Si diuinum verbum operatur per propriam voluntatem. Sequitur, quod illa operatio non ſit ſpecialiter verbo tribuenda, ſed toti Trinitati. Conſequens autem eſt falſum, quia operationes humanitatis Chriſti non eliciuntur à tota Trinitate, ſed à ſola perſona verbi. Sequela probatur, quia voluntas verbi eſt voluntas totius Trinitatis.

Huic obiectioni negatur ſequela, & ad probationem dicitur, quod illa voluntas, licet ſit communis toti Trinitati, non tamen concurrit ad eliciendum operationes humanitatis, vt communis eſt, ſed duntaxat, vt eſt voluntas verbi, quod eſt ſuppoſitum humanitatis. Sicut Pater & Filius ſpirant Spiritum ſanctum per diuinam voluntatem, quæ reuera eſt communis tribus perſonis, ſed tamen nõ ſpirant per hãc voluntatem, vt eſt communis tribus perſonis, ſed prout eſt communis Patri, & filio Item eſt exemplũ in eſſentia diuina, quę cum ſit communis tribus perſonis, eſt tamen formale principium generandi, non prout communis eſt, ſed prout eſt in Patre.

Eſt alia tertia ratio præcipua, quia verbum dirigit operationes humanitatis, & ad ipſum pertinet diſponere de his omnibus, quæ ſpectant ad humanitatem, & idcirco defectus humanitatis ſi quis contingeret, refunderetur in ipſum verbum, quatenus permitteret defectum, quem impedire tenetur. Hæc ratio colligitur ex Sancto Leone Epiſtola 11. ubi dicit, *Corporei ſenſus vigebant in Chriſto abſque lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine deitatis, & mentis: nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniurys.* Et ex Damaſcen. 3. de fide cap. 15. Et eſt intelligenda hæc ratio ſecundum ea, quæ dicebamus circa rationem præcedentem, Videlicet, quod prouidentia diuina, per quam verbum diſponebat, & diſponit ea, quæ ſunt humanitatis, non eſt conſide-

tanda,

Digitized by Google

randa vt prouidentia communis toti Trinitati, in quo fuit deceptus. Dur. vbi ſupra, quia ſic conſiderata abſque ſuo defectu, & culpa poſſet aliquos defectus permittere in natura humana, quemadmodum in toto vniuerſo abſque ſui imperfectione plures defectus, & imperfectiones permittit. ſed eſt conſideranda in quantum eſt prouidentia verbi, prout eſt humanum ſuppoſitum, cui ſpecialis incumbit ſuæ humanitatis cura.

Ad hanc rationem reduci facilè poteſt illa quam inſinuant Cyprian. & Ambroſ. loco cita. nimirum, quòd potentia ſuperior oportet inferiorem regat, & in ſuis dirigat actionibus. Sicut ratio dirigit in homine voluntatem, & voluntas à ratione directa ſenſitiuum mouet appetitum, quod plane neceſſum eſt, ne fiat in vno, & eodem ſuppoſito intolerabilis confuſio, & perturbatio, ſicut turbaretur magna cōfuſione domus, in qua non eſſet vnus qui præeſſet cæteris. Et in qua voluntas vxoris non pareret mariti voluntati, & filiorum voluntas non eſſet patris voluntati ſubiecta. Oportuit igitur, vt humana Chriſti voluntas in omnibus ſubijceretur voluntati verbi diuini, & ab ipſa gubernaretur, & voluntati verbi intereſt humanam dirigere, & gubernare: non quod aliquo teneatur præcepto cuius non eſt capax, ſed quia indecorum eſſet ei, & indecens non facere, ſicut ei repugnat mentiri. Epiphanius in Anchotato, inquit, quod verbum frenabat inferiorem naturam, ab omni inutili carnali turba, & ob id humanitas Chriſti fuit impeccabilis, legantur quæ ſequuntur.

Quarta ratio ſolet aſſignari à Theologis, quod humanitas in ſuis operationibus habet ſe, vt inſtrumentum verbi, atque adeo eius peccatum, ſi quod eſſet, referretur in verbum, vt in cauſam principalē. Hæc ratio videtur colligi ex Damaſc. vbi ſupra dicente, humanitatem eſſe inſtrumentum verbi cōiunctum. Præterea quidam Theologi, quorum meminit Dur. loco citato. Dicunt, quod quando ſuppoſitum eſt intrinſecum naturæ, & ab ipſa natura conſtituitur, tunc natura non habet rationem inſtrumenti reſpectu ſuppoſiti in ſuis operationibus, ſed eſt forma principalis, & principium formale, quo operandi. Cæterum quando ſuppoſitum eſt extrinſecum naturæ, ſicuti verbum reſpectu naturæ humanæ, tunc dicunt iſti, ſuppoſitum eſt cauſa principalis operationis, natura vero eſt eius inſtrumentum. Vnde colligunt ad propoſitum, naturam humanam Chriſti in omnibus eius operationibus inſtrumentum eſſe verbi. Verum in hac parte doctius loquitur Duran. dicens Chriſti humanitatem eſſe quidem verbi inſtrumentum in illis operationibus, quæ excedunt naturalem ipſius humanitatis virtutem, & facultatem, cuiuſmodi ſunt operationes miraculoſæ; & reſpectu harum operationum eſt intelligenda Damaſceni doctrina. At in his operationibus, quæ ſunt proportionatæ virtuti, & facultati naturali humanitatis, ipſa Chriſti humanitas non eſt cenſenda inſtrumentum verbi, ſed forma principalis per quam operatur diuinum verbum, vt humanum ſuppoſitum. Quoniā verbum ita ſe humanitati accommodat, & ita per ipſam operatur, atque ſi eſſet intrinſecum eius ſuppoſitum. Verum eſt, quod quadam lata huius vocis inſtrumentum acceptione, humanitas poteſt appellari verbi inſtrumentum, quatenus operationes ipſius humanitatis participant quandam dignitatem moralem, & quendam infinitatis modum excedentem totam naturalem facultatem humanæ naturæ, vt dicemus inferius Sed hæc acceptio & ratio inſtrumenti impropria eſt, & abuſiua: & in hoc ſenſu amplo, & improprio intelligendi ſunt Theologi grauiſſimi, qui hanc rationem quartam aſſignarunt.

Ex his quatuor rationibus ſufficienter colligitur, manifeſtam eſſe implicationem, quod humana Chriſti natura potuerit admittere aliquod peccatum, etiam ſi à verbo eſſet aſſumpta in puris naturalibus abſque gratia, lumine gloriæ, & alijs ornamentis ſupernaturalibus, ratione quorum alij beati peculiari quodam titulo redduntur impeccabiles. Ex his etiam rationibus colligo, per abſolutam Dei potentiam fieri non poſſe, vt intellectus Chriſti humanus habeat aliquod iudicium erroneum practicum, etiā inculpatum ex probabili, & inuincibili ignorantia ortum. Patet hoc corrolarium. Huiuſmodi iudicium ſua natura ad culpam, & peccatum induceret: dedecet ergo diuini verbi bonitatem, & ſpecialiſſimam prouidentiam, quam de ſua humanitate gerit, quod in eius humano intellectu falſum iſtud permittat iudicium.

DVBITATIO II. APPENDIX

An aliquod erroneum iudicium potuerit eſſe in Chriſto.

De iudicio autem falſo, & erroneo purè ſpeculatiuo, id eſt nullatenus pertinente ad mores, maior eſt dubitatio, an potuerit eſſe in humano Chriſti intellectu ex potentia ſaltem Dei abſoluta (quia de facto, & ſecundum ordinariam potentiam nullus Theologorum inficiabitur, quominus ſpeculatiuus error excludēdus ſit à Chriſti intellectu) Ratio autem dubitādi pro parte affirmatiua ea eſt, quia error, & falſitas ſpeculatiui iudicij non ad malum culpæ, ſed ad malum pœnæ tantum pertinet: præſertim ſi ſermo fiat de ſpeculatiuo iudicio, cuius falſitas propter qualitatem materiæ, & obiecti, nullam poteſt occaſionem offerre intellectui practico errandi in materia morali, quale eſſet iudicium falſum circa diſpoſitionem orbium cœleſtium, aut ſtellarum numerum. At malum pœnæ reperiri potuit in Chriſti humanitate, vt de facto mors, paſſio, & aliæ calamitates fuerunt repertæ. Ergo, &c.

Reſpondetur breuiter multo probabilius aſſeritur huiuſmodi erroneum iudicium repugnare intellectui Chriſti, quam aſſeratur contraria ſententia, quam tamen non reputo periculoſam in fide. Noſtram ſententiam ſequuntur multi viri docti, inter quos eſt Mag. Medina in 3. p. q. 15. ar. 2. quam ipſe probat ſufficienter, & ex ſolutione propoſiti argumēti efficacius probabitur. Vnde ad argumētum in oppoſitum. Reſpondetur, quod error ſpeculatiui iudicij, ſi reperiretur in intellectu Chriſti, neceſſario permiſſus eſſet ſpeciali permiſſione, imo volitus, & approbatus à verbo, vt conſtat ex rationibus ſupra factis, præcipuè ex 2. & 3. At cum verbum ſit prima, & ſumma veritas repugnat illi, quod approbet, & cauſet errorem in natura humana, quoniam de ratione

primæ veritatis eſt, quod neq; ipſa decipiatur in ſe, neq; alium decipiat, quod alijs verbis ſolet dici, primam veritatem neq; fallere, neq; falli poſſe. Cæterum mors, & reliqua mala pœnæ licet repugnēt verbo, & eius naturæ diuinæ in ſemetipſa, eo quod eſt ſumma actualitas, & ipſa eſſentialis vita, at non repugnat verbo, quod ſpeciali permiſſione permittat hæc mala in natura humana, quæ ex ſe ipſa eſt mortalis, & defectibilis, & quod approbet, & cauſet illa: quoniam huiuſmodi mala cauſata in natura defectibili nullam inducunt imperfectionem in ipſo verbo diuino, quia vt dicit S. Th. 3. p. q. 1. ar. 1. ad 2. malum culpæ idcirco repugnat Deo, quia committitur per receſſum ab arte diuinæ ſapientiæ, & ab ordine diuinæ bonitatis; malum autem pœnæ non recedit ab ordine ſapientiæ, & bonitatis diuinæ, quin potius ordinatur ad Dei gloriam, vt de cæcitate cuiuſdam à natiuitate cæci dixit Chriſtus Io. 9. Probabilis eſt iſta ſolutio. Verum adhuc calumniam patitur. Nam cum verbum, licet ſit ſumma ipſa eſſentialis vita, ſpecialiſſima tamen prouidentia, qualis pertinebat ad ſuppoſitum erga naturam ſibi vnitam, permiſerit mortem in humanitate aſſumpta; quare non poterit, licet prima ſit & ſumma veritas, per ſimilem prouidentiam permittere in eiuſdem humanitatis intellectu ſpeculatiuum errorem, cum error huiuſmodi non ſit malum culpæ, ſed pœnæ, ſicut mors? Vnde aliter reſpondeo, & aſſero ſpeculatiuum errorem, idcirco omnino debere à Chriſti humanitate relegari, & minime permitti poſſe illa ſpeciali Dei prouidentia, & cura, quam diuinum verbum de ſua humanitate gerit: quia & ſi non ſit malum culpæ, eſt tamen malum ſimpliciter; contrariatur enim perfectioni naturæ intellectualis, qua ratione intellectualis eſt. Natura autem intellectualis, quia in ſummo gradu entitatis conſtituitur, ſua virtute, & eminentia continet omnem gradum entis. Et hinc fit, quod anima rationalis ſimpliciſſima forma cum ſit, multiplex eſſe eſſentiale, imo & omnem gradum entitatis tribuit corpori cui vnitur. Tribuit enim eſſe corporeum, eſſe vegetatiuum, eſſe ſenſitiuum, ipſum denique eſſe rationale. Et natura intellectualis Angelica ſua eminenti virtute complectitur, totum quod eſt in inferioribus creaturis, vt explicat S. Thom. 1. par. quæſt. 57. art. 8. Diuina itidem natura, quæ ſummè intellectualis eſt, eminentiſſimè præhabet omnium rerum etiam poſſibilium perfectiones, quod Sanct. Thom. 1. par. quæſt. 4. art. 2. luculenter docuit. Quocirca eo ipſo, quod ſpeculatiuus error intellectuali naturæ, vt eſt intellectualis, repugnat, virtualiter etiam repugnat toti enti, & quantum eſt ex ſe tendit ad deſtructionem totius entis; atque adeo non eſt malum ſecundum quid, id eſt, malum tali naturæ; ſed eſt malum ſimpliciter, puta malum totius entitatis ſua natura deſtructiuum. Vnde ſicut malum culpæ, ideo eſt malum ſimpliciter, quia ſua natura contrarium eſt bonitati in ratione bonitatis, quæ eſt magna perfectio intellectualis naturæ, atque adeo repugnat ipſi diuinæ bonitati, & ab eius ordine totaliter recedit: ita & error ſpeculatiuus, malum eſt ſimpliciter, quatenus per ſe contrariatur toti naturæ intellectuali, vt intellectualis eſt: ac proinde contrariatur naturæ diuinæ, vt eſt ſummè intellectualis. Quare eadem ratio eſt habenda, quod attinet ad præſens, de iudicio ſpeculatiuo erroneo, quæ de malo culpæ habetur.

Aliter etiam explicari poterit ratio, propter quam huiuſmodi intellectualis error malum eſt ſimpliciter, ac proinde eius permiſſio non poteſt cadere ſub ſpeciali prouidentia, qua verbum ſuæ humanitati prouidet. Quoniam ſpeculatiuus error opponitur directè ei perfectioni, propter quam homo dicitur cōditus ad imaginem Dei, eo enim potiſſimè homo ad imaginem Dei factus dicitur, quia eſt naturæ intellectualis, participans eſſentialiter illum eundem entitatis gradum, cuius totalis plenitudo eſt ipſamet Dei eſſentia, Id autem quod directè opponitur imagini Dei, opponitur etiam virtualiter ipſimet Deo, & eius naturæ: & ex conſequenti ſimpliciter, & omnibus modis eſt malum, & quod proinde non eſt per ſe ordinabile in ipſum Deum tanquam in finem. In morte autem, & in alijs defectibus naturalibus non militat iſta ratio, non enim ſunt mala ſimpliciter, ſed ſecundum quid, id eſt, tali naturæ, ſcilicet, humanæ, & non toti entitati contrariantur. Non enim ſūt defectus toti entitati vel formaliter, vel virtualiter oppoſiti, ſed ſpecialibus entitatis rationibus, ſeu gradibus opponuntur: atque adeo poſſunt ordinari in ipſum Deum, prout eſt ipſum eſſe, & ipſum bonum tamquam in finem.

Ex dictis ſequitur primo, quod nō ſolum in intellectu humanitatis Chriſti non poteſt Deus efficere aliquod iudicium erroneum, verum neq; in quouis intellectu creato tale iudiciū poteſt cauſare, ſed dūtaxat permittere, ad eum modum quo permittit malum culpæ. Et ſicut non poteſt permittere malū culpæ in voluntate humana Chriſti, ita neque errorem ſpeculatiuum in humano ipſius intellectu.

Sequitur ſecundo, non poſſe Deum ſe ſolo & immediatè efficere habitum erroneum ſpeculatiuum, ſicut neque poteſt ſe ſolo efficere habitum vitioſum moralem, ſed interueniat neceſſe eſt actio intellectus creati, vt in ipſum creatum intellectum, tamquam in cauſam deficientem, reducatur totum, quod imperfectionis fuerit, & defectus in tali habitu. Patet hoc, quia eadem malitia, quæ formaliter eſt in actuali iudicio erroneo, eſt intrinſeca habitui, eſtque in illo tanquam in praua, & defectuoſa radice talis iudicij, atque adeo non minus implicat Deum eſſe cauſam huiuſmodi habitus, quam quod ſit cauſa erronei iudicij.

Tertio ſequitur, quod error ſpeculatiuus, ſiue habitualis, ſiue actualis non eſt propriè loquendo malum pœnæ. Patet, quia non poteſt infligi à Deo in vindictam alicuius peccati, niſi tantum permiſſiuè, ad eum modum, quo Deus vnum peccatum in punitionem alterius permittit. Ergo ſicut mortale peccatum nequit propriè appellari malum pœnæ niſi permiſſiuè, ita neque error ſpeculatiuus propriam pęnæ rationem ſortitur. Sed eſt aduertendum, quod tota hæc doctrina procedit de errore poſitiuo, & non de ignorantia puræ negationis, nam huiuſmodi ignorantia poteſt pertinere ad naturalem conditionem intellectualis creaturæ, quæ non omnia valet ſcire, & hic defectus in hominibus ſortiri poteſt ſimpliciter rationem pœnæ, ſaltem originalis; ſicut in paruulis cum peccato originali decedentibus caren-

Digitized by Google

tia diuinæ viſionis verè,& proprie eſt pœna origina- li culpæ reſpondens.

DVBITATIO III. APPENDIX.

An in Chriſto fuerit fomes peccati.

EXplicauimus hactenus quo pacto Chriſti humanitati repugnat actuale peccatum. Deinceps nonnulla dicenda erunt de fomite peccati, vt his duobus extremis explicatis, deueniamus ad medium ſtatum naturæ actuali peccato infectæ. Nam actuale peccatum, & fomes peccati comparatione ad peccatum in habituali diſpoſitione conſtitutum, rationem duorum extremorum videntur induere.

Quod vero in Chriſto neque ſit, neque aliquando fuerit fomes peccati, certum eſt fidei dogma, Conſtat ex quinta Synodo generali cano. 12. vbi damnatur, qui dixerit Chriſtum fuiſſe tentatum concupiſcentijs, & illecebris carnis, quam ſententiam docuerunt grauiſſimi Patres. S. Leo epiſtola 11. citata, cuius verba paulo antea retulimus. S. Auguſtin. libr. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 11. vbi loquens de concupiſcentia, & fomite peccati ita inquit, *Quam ſpiritui reſiſtentem, ſcilicet, concupiſcentiam non habere in carne mortali, ille tantummodo homo potuit, qui non per ipſam ad homines venit*. Idem ferè dicit lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 26. & lib. 14. de ciuitate cap. 9. lib. 4. Hypognoſt. circa finem ait contrariam ſententiam fuiſſe errorem Pelagianorum. Idem docent Ambroſ. & Damaſc. dudum citati, & Hieronym. in epiſto. ad Theſiphon. S. Thom. in 3. par. quæſt. 15. ar. 2. & Theologi omnes cum Magiſtro in 3. d. 15. & 3. par. quæſt. 42. ar. 1. ad tertium, dixit S. Thom. Chriſtum non fuiſſe tentatum ex carnis concupiſcentia, quia huiuſmodi tentatio fieri non poteſt abſque aliquo peccato. Quod ipſe confirmat ex authoritate D. Auguſtin. Vbi aduerte, quod licet in puris hominibus tentatio, quæ prouenit ex concupiſcentia non ſemper fiat cum peccato, (quamuis regulariter ſemper aliquod interueniat, quia vt plurimum huiuſmodi tentatio poteſt à ratione impediri, præueniri, & moderari, & ita ſunt intelligendi S. Thom. & S. Auguſtin. cum docent huiuſmodi tentationem non fieri abſque culpa, vt in plurimum ſcilicet,) Cæterum in Chriſto ſenſualis tentatio, nullatenus eſſe poterat abſque peccato, quoniam ſemper præueniri poſſet, imo de facto præueniretur à ratione, & à verbo, atque adeo eſſet voluntaria, & culpabilis. Iſta, quæ de peccati fomite diximus procedunt de facto, & ſecundum ordinariam Dei potentiam. Si tamen ad potentiam Dei abſolutam extendantur, non tanta pollent certitudine, vt inter fidei dogmata debeant computari. Sunt tamen adeo certa, vt contraria ſententia non deberet computari inter probabiles Theologorum opiniones.

Et quidem tanta cum certitudine ſentiendum eſt Chriſti humanitati repugnare fomitem peccati, quanta credimus, nulla potentia fieri poſſe, quod Chriſtus vt homo, actuale peccatum committat. Etenim vt colligitur ex S. Thom. 3. par. q. 27. ar. 3. fomes peccati importat duplicem reſpectum ad malum culpæ, ſcilicet, reſpectum effectus ad peccatum, vt ad cauſam, & reſpectum cauſæ ad peccatum vti ad effectum. Eſt enim effectus peccati originalis, & inducit ad peccatum actuale: quatenus excitat in appetitu motus à ratione exorbitantes. Quocirca ſicuti peccatum excluditur omnino à Chriſti Domini humanitate, Ita & fomes peccati omnino eſt ab ipſa relegandus. Quibuſdam Theologis probabile viſum fuit, quod ſi verbum aſſumeret humanitatem in puris naturalibus, reperiretur in Chriſto fomes peccati, non ſimpliciter, quia non eſſet effectus culpæ originalis, ſed ſecundum ſpecialem rationem, prout eſt conditio naturæ humanæ, quæ ex ſeipſa nata eſt pati concupiſcentiæ motus à ratione exorbitantes. Sed hæc ſententia meritò diſplicet alijs grauioribus Theologis, quoniam fomes peccati etiam ſub hac poſteriori ratione conſideratus tendit ex ſe ad culpā actualē, & ideo omnino repugnat Chriſto domino.

Eſtque aduertendum in huius rei comprobatione, quod ſecundum ſubſtantiam non differunt fomes peccati, quod ex originali culpa originem traxit, ab illa inordinata inclinatione quam experiretur homo ille, qui in puris naturalibus crearetur.

Fomes enim peccati non eſt morbida qualitas ex originali peccato appetitui ſenſitiuo ſuperinducta. Vt falsò putauerunt Henricus quodlib. 1. par. quæſt. 21. & quodlib. 5. quæſt. 26. & Gregor. & Gabriel. ille in 2. d. 3. & hic in 3. d. 3. Etenim fomes nihil eſt aliud, quam appetitus ſenſitiuus in bonum ſenſibile inclinatus abſque plenaria ad rationem ſubiectione. Quocirca extingui fomitem non in alio conſiſtit, quam in hoc quod appetitus ſenſitiui inclinatio ad ſenſibile bonum plenè ſubijciatur rationi, ita vt nullatenus ipſam præueniat, vel ei repugnet: quam ſubiectionem faciebat originalis iuſtitia in primis parentibus ante peccatum. Et hanc pleniſſimam ſubiectionem nos tribuendam eſſe dicimus appetitui ſenſitiuo Chriſti propter coniunctionem ad verbum. An vero in Chriſto ponenda ſit originalis iuſtitia non libet in præſentia diſcutere. Ego plane crediderim, quod qui affirmatiuè reſponderit, nihil affirmauerit improbabile.

Nam cur iuſtitiæ originalis habitum, quo protoparens noſter primus Adam fuit in ſtatu innocentiæ præditus, cœleſti ſecundo Adamo, nimirum Chriſto denegabimus? Quod probabile crediderim ſiue originalis iuſtitiæ habitus diſtinctus realiter ab habitu gratiæ fuerit in primo Adamo, ſiue vnus & idem cum illo. Nam hæc diſtinctio. quæ in Theologorum etiam Thomiſtarum opinione poſita eſt, nihil ad præſens retulerit inſtitutum. Et probabilior adhuc iſta ſententia apparebit, ſi probabilis cenſeatur quorundam Theologorum ſententia, quæ originalem Adæ iuſtitiam non ſpecialem quempiam habitum, ſed omnium virtutum collectionem in excellenti gradu conſiſtentium eſſe decernit. Fuerunt namque & ſunt in Chriſti humanitate virtutes omnes in excellentiſſimo, & heroico, vt aiunt gradu, conſtitutæ. Verum de hac re alias.

Sed contra hoc arguitur. S. Thom. 3. p. q. 15. ar. 2. ex eo probat ſublatum eſſe fomitem à Chriſti humanitate, quia in illa reperiuntur virtutes morales in gradu perfectiſſimo. Ergo in illo caſu cum nulla virtus ſupernaturalis infuſa reperiretur in Chriſti huma-

humanitate, non eſſet ſublatus fomes.

Huic argumento poſſet quis non improbabiliter reſpondere, quod in illo caſu fomes non eſſet ablatus, & extinctus in Chriſti humanitate: eſſet tamen ligatus, quemadmodum de Beata Virgine dicit S. Thom. 3. p. quæſt. 27. art. 3. quod antequam conciperet Dei filium, non erat in illa extinctus peccati fomes, erat tamen quaſi ab extrinſeco ligatus per prouidentiam diuinam, quæ non permittebat appetitum ſenſitiuum excitari in aliquem inordinatum motum.

Sed probabilius Reſpondetur, quod in illo caſu ſimpliciter eſſet ablatus fomes peccati à Chriſti humanitate per gratiam vnionis, quæ non eſt extrinſeca humanitati, ratione cuius humanitas non poſſet exire in aliquem actum, qui non eſſet præuentus à verbo, & ratione, atque adeo nullus poſſet eſſe inordinatus.

Ad argumentũ vero factum. Reſpondetur, quod virtutes infuſæ animæ Chriſti non ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad extinguendum peccati fomitem, quoniam ſola vnionis gratia ſufficiebat: pertinent tamen ad congruitatem, & decentiam, vt natura humana ſit intrinſecè diſpoſita per gratiam habitualem, & virtutes proportionabiliter ad gratiam vnionis. Et aduertendum eſt, quod vt inſinuat Caiet. in commen. 3. p. q. 15. ar. 1. & 2. Virtutes infuſæ quantumcunque creſcant in intenſione, non ſufficiunt per ſemetipſas extinguere fomitem peccati. Sed hoc efficiunt in Chriſto, prout ſunt in tali ſubiecto, in quo eſt gratia vnionis, imo ipſa vnionis gratia ſe ſola ſufficiebat ad totalem fomitis extinctionem. Et hinc eſt, quod quāuis in viris ſanctiſſimis virtutes infuſæ habuerint magnam perfectionem & intenſionem in graduq; heroico fuerint conſtitutæ, vt in Apoſtolis, & Ioanne Baptiſta, non fuerunt tamen ſufficientes extinguere fomitem in illis, vt dicit S. Auguſt. lib. 1. retract. c. 19. & lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 11. Vnde hoc quod eſt habere fomitem ſublatum ſoli Chriſto eſt tribuendum. Secundum autem communem Eccleſiæ ſenſum hoc priuilegium nos debemus extendere ad B. Virginem non quidem propter magnam virtutum infuſarum intenſionem, ſed propter ſpecialẽ vim gratiæ, quæ vigebat in Virgine Beata ex maxima approximatione ad verbum.

DVBITATIO IV. APPENDIX.

Vtrum in Chriſto omnis operatio voluntatis, & appetitus ſenſitiui fuerit deliberata.

QVoniam autem hæc tota fere doctrina illi ſolidiſſimo innititur fundamento, nimirum, quod omnis humanitatis Chriſti operatio ſiue à voluntate, ſiue à ſenſitiuo appetitu immediatè elicita, præuenta ſemper fuit à rectiſſimo rationis iudicio, & per rationem deliberato; atq; adeò non potuit non ſemper eſſe rectæ rationi conformis. Idcircò de hac re nonnulla in præſenti, (& non quidem extra cauſam, ſed opportunè) dicemus, vt doctrina tradita debitum accipiat complementum.

Notandum igitur eſt operationem humanam ſiue Chriſti, ſiue alterius hominis, dupliciter poſſe deliberatam à ratione intelligi. Primo extrinſecè, & quaſi per accidens quantum ad exercitium, & applicationem ad ipſum opus, non vero quantum ad ſpecificationem actus. Et hoc modo viſio, & quicunque motus ſenſuum exteriorum poteſt eſſe operatio deliberata, quatenus huiuſmodi potentiæ per voluntatem deliberatam applicantur ad ſuas operationes, & imperio voluntatis ſubduntur. Secundo operatio aliqua poteſt eſſe deliberata per ſe, & eſſentialiter, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem ipſius operis: & hoc modo ipſe actus elicitus à voluntate poteſt dici operatio deliberata, quia ex propria ſui ratione habet quod poſſit à voluntate deliberata procedere.

Quo ſuppoſito in vtroque ſenſu poteſt diſputari. Vtrum omnis operatio voluntatis Chriſti, & eius appetitus ſenſitiui ſit operatio deliberata. Sed in primo ſenſu hæc quæſtio nullam difficultatem habet, quia omnes tenemur fateri vniuerſas operationes voluntatis, & appetitus Chriſti, imo & omnium potentiarum etiam naturalium V. G. vegetatiuæ, fuiſſe deliberatas non ſolum per voluntatem, & rationem diuinam; ſed etiam per rationem, & voluntatem humanam, quæ ex deliberatione permittebat, vnamquamque potentiam operari ſibi propria, & conformiter ad propriam naturam. Probatur hoc. Quia alias ſequeretur, quod in Chriſto potuerit reperiri aliqua operatio exorbitans à ratione, & lege Dei. Conſequens eſt dictu abſurdiſſimum, Chriſtus enim vt ipſe Ioã. c. 8. dicebat, nihil vnquam operatus fuit, quod non fuiſſet paternæ voluntati placitum. Et quidem quod in Chriſto non fuerit voluntatum contrarietas, ita quod humana diuinæ repugnaret, veritas eſt fidei in 6. Synodo definita actio. 4. 11. & 17. & in Concil. Lateranen. ſub Martino I. Legantur Greg. 14. mor. c. 16. Hier. Marci. 9. Aug. ſuper Ioan. loco cit. & q. 77. noui & veter. teſtam. Sequela vero probatur. Quoniam ſi operationes appetitus ſenſitiui Chriſti non fuiſſent à ratione præuentæ, aliquando appetitus poſſet offerri in obiectum ſenſibile immoderatè, & non ſecundum debitum rationis ordinem. Ergo, &c. Sed notandum eſt, quod motus appetitus ſenſitiui in Chriſto non ſolum fuerunt deliberati, & præuiſi antecedenter, quatenus hoc ipſo, quod verbum voluit aſſumere naturam ſenſitiuã præuidit in confuſo, & in communi operationes futuras appetitus ſenſitiui. In qua re, fateor me non intelligere quid velit dicere Mag. Med. 3. par. quæſt. 15. art. 3. Conſtituens diſcrimen inter actus appetitus ſenſitiui Chriſti, & actus voluntatis eius, vt eſt natura, quantum ad hoc, quod eſt eſſe præuiſos, & deliberatos. Sed neceſſario fateri oportet, quod omnes fuerunt deliberati, & præuiſi in particulari, & diſtinctè, & immediatè. Quod vel ex eo facilè poteſt oſtendi, quia anima Chriſti per viſionem beatam, & per ſcientiam infuſam in particulari, & diſtinctè cognouit omnes operationes cuiuſcumque creaturæ præcipuè rationalis, quæ futuræ ſunt in tota æternitate. Ergo à fortiori cognouit omnes operationes ſuæ humanitatis, atque adeo diſtinctè, & in particulari de omnibus illis deliberauit. Confirm. Quoniam ſi tantum fuerunt deliberatæ in communi, & quaſi in confuſo, vix poterit aſſignari ratio, ob quam appetitus ſenſitiuus non exierit in aliquem motum inordinatum. Ergo, &c.

Ex

Ex hoc ſequitur primò, quod quamuis operationes voluntatis, vt natura quædam eſt, & operationes appetitus ſenſitiui, & aliarum potentiarum naturalium Chriſti, ſimpliciter eſſent naturales, eo quod procedebant à proximis principijs naturalibus: extrinſeca tamen ordinatione deliberatæ fuerunt, & rationales.

Sequitur ſecundò. Quod humana Chriſti voluntas vt natura eſt, & ſimiliter appetitus eius ſenſitiuus per has operationes licet non ſemper conformarentur voluntati diuinæ in volito materiali, ſemper tamen hæ operationes fuerunt ei conformes, & conſentaneæ in volito formali. Quoniam propter deliberationem rationis à qua præueniæ diſponebantur, numquam exorbitabant à ratione, & à lege Dei: quamuis ipſa Dei voluntate annuente voluntas Chriſti humana, ac eius ſimiliter ſenſibilis appetitus in huiuſmodi actus à materiali diuinæ voluntatis obiecto diſcordes prodirent. Vereque dicebantur in volito formali diuinæ voluntati, & legi conformes, quia verè procedebant regulati per diuinam voluntatem, & legem.

De operationibus autem ſecundi generis grauior eſt difficultas. Nam quidam concedunt, quod voluntas Chriſti vt rationalis & libera potuit habere operationes abſolutas, per quas non ſe conformaret voluntati diuinæ in volito materiali. Itaque, dicunt, quod Chriſti voluntas vt rationalis potuit actu abſoluto velle non mori, cuius oppoſitum voluit diuina voluntas. Cæterum hæc ſententia etſi à Scoto, & Gabriele in 3. 14. probabilis iudicetur, omnino tamen videtur improbabilis. Contra quam docent communiter Theologi in cit. d. & duabus ſequentibus, & S. Thom. 3. par. quæſt. 21. art. 4. Et certè ſententia illa eſſet merito à ſcholis explodenda, quod probatur. Primo, quia talis abſoluta, & deliberata voluntas nõ poſſet non eſſe peccatum, cum eſſet diuinæ voluntati abſolute repugnans; & ei non ſubiecta, nam cum eſſet abſoluta, & ex deliberatione promanans, nulli ſuperiori voluntati cederet. At fides catholica omne peccatum à Chriſti voluntate eliminat, vt ex dictis conſtat. Ergo, &c.

Secundò probatur. Talis voluntas fuit Chriſto impoſſibilis, Ergo, &c. probo antecedens. Chriſtus videbat quid Deus abſoluta, & efficaci voluntate fieri decreuiſſet, & conſequenter ſciebat, quod in ſenſu compoſito non poterat oppoſitum contingere. At non poteſt voluntas abſoluta, & deliberata volitione ferri in obiectum, quod intellectus iudicat hic & nunc, & omnibus circunſtantijs conſideratis eſſe impoſſibile. Ergo, &c.

Tertiò probatur, Quia tunc eſſet in Chriſto voluntatum contrarietas, quod eſt ab Eccleſia damnatum, vt vidimus paulo ante. Ergo, &c.

Difficultas ergo in vtramque partem probabilis, in eo conſiſtit, Vtrum Chriſti voluntas, non vt natura, ſed vt rationalis potuerit habere aliquam volitionem cõditionatam, & imperfectam, quam dicimus velleitatem repugnantem voluntati Dei in volito materiali. Et quidam nouiores Theologi reputant probabiliorem ſententiam negatiuam, quam ſequẽtibus rationibus probant.

Primo huiuſmodi velleitates ſunt otioſæ, & impertinentes, & procedunt ex imperfectione operantis, Ergo non ſunt ponendæ in Chriſto, à cuius humanitate omnis eſt imperfectio releganda.

Secundo. Voluntas vt rationalis, & libera, illa dicitur, quæ operatur conſultis rationibus, & circunſtantijs ipſius operis, ſed Chriſtus quoties applicauit intellectum ad conſiderandas rationes, & circunſtantias operis, conſiderauit omnes rationes, & circunſtantias tam ſuperiores, quam inferiores: fuit autem impoſſibile, quod conſideratis omnibus rationibus, & circunſtant js, voluntas humana Chriſti non ſe conformaret voluntati diuinæ in volito materiali. Ergo non fuit poſſibile, quod haberet aliquã velleitatem repugnantem diuinæ voluntati in volito materiali.

Tertio. Quia huiuſmodi velleitates repugnantes diuinæ voluntati in volito materiali, non poſſunt reperiri in Beatis propter magnam perfectionem voluntatis eorum, ſed voluntas humana Chriſti multo fuit perfectior voluntate cuiuſcunque Beati, Ergo relegandæ ſunt à Chriſti voluntate huiuſmodi imperfectæ volitiones.

Oppoſitam ſententiam docent Scotus in 3. d. 15. & Palatios ibi, & Medina 3. par. quæſt. 18. ar. 6. & apparet ſententia longe probabilior, Probatur. Chriſtus habuit velleitatem non moriendi, vt conſtat ex ſcriptura, & tamen iuxta ſententiam Sanctorum hæc velleitas oriebatur ex conſideratione rationis, quatenus iudicabat indignum eſſe, vt Innocens pro peccatoribus moreretur, Deus pro creatura, & quod mors eius eſſet à multis contemnenda, & multis futura in ſcandalum, præſertim populo Iudeorum, Ergo voluntas Chriſti, vt rationalis habuit actum conditionatum, per quem non ſe conformauit voluntati diuinæ in volito materiali, Hæc omnia adeo ſunt vulgaria, & cunctis peruia, vt minime expedire iudicauerim in ſcripturarũ, & Patrum teſtimonijs recenſendis immorari.

Quare ad primum argumentum contrariæ opinionis negatur antecedens, nam huiuſmodi volitiones conferebant multum ad oſtendendam veritatem naturæ humanæ in Chriſto, & etiam ad oſtendendum charitatis affectum erga totum humanum genus, volebat enim quantum ex ſe erat, vt omnes conſequerentur fructum ſuæ paſſionis, & æternam vitam. Huc enim tendebat illa tam laborioſa Chriſti ad Patrem deprecatio. Matth. 20. & Luc. 20. *Pater ſi poſsibile eſt tranſeat à me calix iſte*, idest tranſeat ad vniuerſos homines, ita vt omnes fructum paſſionis meæ copioſe percipiant, &c.

Ad Secundum Reſpondetur, quod licet anima Chriſti per cognitionem beatam actu ſemper conſideret vniuerſas rationes, & circunſtantias in cuiuſcunque operationis, at per ſcientiam infuſam aliquando poterat conſiderare aliquas particulares rationes, quas vocamus inferiores, non conſideratis alijs ſuperioribus, & tunc poterat habere actum voluntatis conditionatum proportionatum inferioribus rationibus, quaſi corrigendum per rationes ſuperiores, neque in hoc reperiebatur aliquis defectus prudentiæ, ſed erat modus operandi proportionatus humanæ naturæ.

Ad

Digitized by Google

Ad tertiam. Non deſunt viri docti, qui putent in beatis reperiri huiuſmodi actus conditionatos, ſed veritas eſt in oppoſitum. Quoniam beatitudo conſummata, & perfecta transformat voluntatem beati in diuinam voluntatem, ita vt nullum motum patiatur, qui non procedat ex inclinatione gratiæ, & conſummatæ charitatis. Igitur ad argumentum negatur conſequentia, ratio diſcriminis eſt, quoniam Chriſtus ſimul erat Beatus, & viator, & caro Chriſti Domini erat paſſibilis, & mortalis, & ideo multa poterant Chriſto præſentari vt nociua, & mala propter carnis paſsibilitatem, quæ reſpectu Beatorum nullam poſſunt induere rationem mali, quia non ſunt ſubiecti paſsionibus, & transmutationibus paſsibilis carnis. Multaque ipſi potuerunt vt viatori occurrere, & ea quidem ſecundum rationes ſaltem inferiores conſideratione digna, quæ ad beatificum ſtatum ſe habent impertinenter.

DVBITATIO V. APPENDIX.

An verbum poſſet aſſumere naturam peccato infectam.

HIs ita præſuppoſitis ad ſecundam noſtram conclusionem reuertamur; cuius efficacem probationem ex dictis colligere non erit difficile. Et primum quidem, quod diuinum verbum de facto non aſſumpſerit humanitatem illo peccato infectam, veritas eſt ad fidem Catholicam pertinens, ita, vt oppoſitum ſit manifeſtiſſimus error in fide, & aperta hæreſis. Quod probatur primo ex illo Luc. 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, &c.* Illa dictio, ſanctum, neutraliter accepta denotat omnimodam ſanctitatem, non ſolum in ſuppoſito, ſed etiam in natura, in qua Chriſtus fuit conceptus, & natus, nam de ſanctitate naſcituri Chriſti ex Spiritu ſancto in vtero Virginis concipiendi ſermonem ibi inſtituerat Angelus. Teſtimonia, quæ afferemus circa ſequentes concluſiones ad probandum ſanctitatem, & gratiam habitualem Chriſti aperriſsime confirmabunt iſtam veritatem, & ea etiam quæ ſunt afferenda in ſolutione ad vltimum argumentum huius quæſtionis. Probatur ſecundo ex verbis, quæ paulo ante retulimus ex Epiſtola Agatonis in ſexta ſynodo generali recepta, & approbata, quibus definitur Chriſti humanitatem ex coniunctione ad diuinum verbum fuiſſe deificatam. At cum hac deificatione non compati poterat aliqua habitualis culpa in anima Chriſti exiſtens. Id ipſum probatur, ex eo, quod in Conc. Ephe. primo anathematiſmo 10. definitur Chriſtum non indiguiſſe ſacrificio pro ſe oblato, quia nullum habuit peccatum. Quod & Paul. ad Hebr. cap. 7. non obſcuris verbis dixerat. *Talis*, inquit, *decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus, qui non habet neceſsitatem quotidie, quemadmodum, & ſacerdotes prius pro ſuis delictis offerre.* Certè ſi Chriſti humanitati aliquod vel mortale, vel veniale ineſſet peccatum, nulla ratione dici poſſet ipſum non indiguiſſe ſacrificio pro ſe oblato, nam ad expiationem illius peccati, & munditiam animæ comparandam neceſſaria illi fuiſſet ſacrificij virtus.

Tertio probatur. Secundum fidem fateri tenemur Chriſti humanitatem non prius tempore in rerum natura extitiſſe, quam fuerit perſonaliter vnita verbo, Alias enim non verè, & propriè Beatiſsima Virgo diceretur Chriſtum verum Deum, & hominē genuiſſe, ſed illum hominem purum, ſeu humanitatem illam vnioni hypoſtaticæ præexiſtentem, cuius contrarium prædicant ſacræ literæ, grauiſſima Concilia Ephæſinum 2. Calcedonenſe, Cōſtantinop. 5. &c. definiunt, docent Sancti Patres, & Theologi, vniuerſaque credit Eccleſia. Certa etiam fide tenemur credere, eam non contraxiſſe peccatum originis ex vi generationis. ergo nullo modo intelligi poteſt peccatum in humanitate Chriſti, quod non fuerit perpetratum ab ipſo Chriſto. Sed quod Chriſtus aliquod peccatum admiſerit in natura aſſumpta, eſt manifeſta hæreſis, vt probauimus. Ergo contra fidē eſt, dicere Chriſtum aſſumpſiſſe naturam aliquo peccato infectam.

Quarto denique, & vltimo probatur, quod Chriſtus humanitatem aſſumeret aliquo peccato infectam, e regione opponitur officio Redemptoris, & ſanctificatoris, quod fuit Chriſto à Patre iniunctum, oportebat enim vt is qui alios venerat ſaluare, & mūdare, eſſet omni ex parte ſanctus, & mundus, & non ipſe quoque mundatione, & ſanctificatione egeret, ab immundo enim quis mūdabitur? ergo cum nihil contrarium officio Redemptoris, & ſanctificatoris ſit admittendum in Chriſto, & hoc quidem ſecundū Catholicam fidem, neceſſum eſt omnem peccati labem à Chriſti humanitate excludamus. Illa omnia Patrum teſtimonia, quæ adduximus ad excludendū peccatum actuale a Chriſti humanitate, & illa quæ afferemus poſtea ad probandum eius ſanctitatem, & gratiam, atque ipſius gratiæ plenitudinem omnino ſunt ponderanda in huius Catholicæ veritatis confirmationem: neque enim libet ea ſæpius repetere, & abſque vlla neceſsitate inculcare.

Deinceps probandum eſt, quod etiam ex potentia Dei abſoluta non potuerit fieri, quod verbum humanitatem peccato infectam aſſumeret. Quod ſic probo. Ad diuinum verbum, prout eſt humanæ naturæ ſuppoſitum, attinet magnam curam, ſpecialemque prouidentiam adhibere, vt ab ipſa natura omnem moralem defectum excludat, vt ex ante dictis ſatis conſtat, itaque deficeret diuinum verbum in his, quę ad ipſum pertinent in ratione humani ſuppoſiti, niſi naturam quam ſuppoſitaliter terminat, mundaret ab omni morali deformitate, quæ illam redderet deformem, & turpem, & ineptam ad ſupernaturales actiones efficiendas, & ea officia, & munia pręſtanda, quæ competerent naturæ deificatæ per hypoſtaticam vnionem ad diuinum verbum, & quæ ineffabili redemptoris miniſterio congruunt: ergo impoſſibile eſt, quod verbum diuinum humanitatem peccato infectam ad vnitatem perſonalem aſſumeret.

Ex hoc ſequitur, quod ſi Deus modo vellet aſſumere in hypoſtaticam vnionem naturam rationalem hominis peccatoris, auferendo ab ea perſonalitatem propriam, eo ipſo, quod illam ſibi vniret, mundaret ipſam à peccato, quod antea contraxerat. Non quod talis munditiës reſultaret per ſimplicem emanationem ex vnione hypoſtatica, hoc enim non exiſtimo neceſſarium (de qua re dicam quæſt. ſequenti)

ſed

ſed per nouam actionem, liberam quidem, & voluntariam ſimpliciter ipſi Deo, neceſſariam tamen ex ſuppoſitione, ſuppoſita ſcilicet vnione hypoſtatica, quæ eſſet omnino libera actio Dei. Imò crediderim, quod prius natura quam eã aſſumeret in genere ſaltem cauſæ diſpoſitiuæ in ordine morali deberet prçcedere mundities ipſius naturæ ad hypoſtaticam aſſumptionem. Dixi in genere cauſæ diſpoſitinæ quoniam in genere effectiuæ cauſæ prior rationis ordine deberet intelligi ipſa verbi cum humanitate hypoſtatica vnio. Nam aliàs ſi abſolutè præcederet naturæ humanæ mundities, non ſpecialiter tribueretur verbo, niſi ſecundum quandam accommodationem, ſed toti Trinitati eſſet communis, quia non procederet à verbo, vt à ſuppoſito naturæ humanæ, cum omnino antecederet hypoſtaticam vnionem.

Quo loco id arbitror obſeruandum, quod licet infuſio gratiæ, & charitatis actiua in Chriſti anima actio fuerit toti Trinitati communis, vt in 2. art. ſequentis quçſt. dicam, mundare tamen humanitatem in caſu de quo in præſenti loquimur, non ſolum ſecundum accommodationem quandam verbo tribueretur, ſed ſpeciali ratione vt humanitatis ſuppoſito, ipſi competeret. Nam eius intereſſet naturam ſibi hypoſtaticè coniunctam ab omni morali culpa mundare. Ita quod per intellectum humanum, & humanam voluntatem teneretur de hac morali munditie curare.

Tertia concluſio principalis. §.3.

CErta fide tenendum eſt Chriſti animam habituali gratia ſanctificatam fuiſſe, & ad ſupernaturalem ordinem eleuatam. Probatur primo ex multis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs Ioan. 1. *plenum gratiæ, & veritatis.* Quem locum de Chriſto eſſe intelligendum ſuperius explicui, Hæretici huius temporis dicunt Chriſtum fuiſſe plenum gratia, non habituali, & iuſtificante, ſed gratiæ nomine, ſpecialem fauorẽ intelligunt, quo pater plurimum fauebat Chriſto. Verum hæc interpretatio tota eſt ſpiritu hæretico plena, & communi patrum intelligentiæ contraria, qui vnanimiter hanc gratiæ plenitudinem ad dona, & Spiritus ſancti chariſmata referunt, quæ Chriſti anima non ad menſuram accepit. Quia *Pater*, vt inquit Ioan. cap. 3. *non ad menſuram dedit ſpiritum filio ſuo.* Ioan. 10. Chriſtus de ſe ipſo dicit, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, &c.* & vt ibidem interpretatur S. Thom. poſt Hilar. 7. lib. de Trinit. circa medium, & eſt interpretatio, à grauiſsimis Patribus Athanaſio lib. de incarnatio. Chriſti in princ. & Chryſoſt. hom. 60. & ab alijs ſacrorum Bibliorum interpretibus communiter probata, hæc ſanctificatio accipienda eſt de ſanctificatione facta per iuſtificantem gratiam. Scio S. Auguſtin. tract. 48. in Ioan. quem ſuper hunc locum ſequutus fuit Vener. Beda ad Chriſti diuinitatem hanc ſanctificationem reduxiſſe, ipſamque æternam verbi generationem ſanctificationem vocaſſe: Vt ſanctus eſſet, inquit Beda, gignendo edidit, Sanctificauit, intelligendum eſt quemadmodum & genuit. Cui interpretationi ob id nouiores quidem annuunt interpretes, quia ſanctificatio de qua Chriſtus hic loquitur, miſsionem diuini verbi in mundum anteceſsit, quæ miſsio in eius incarnatione fuit celebrata, atque adeo ſanctificatio verbi non poteſt non eſſe æterna eius generatio, Sed prior nihilominus intelligentia communior eſt, & textui gratior apparet, quia de incarnato verbo ibi fit ſermo. Ad motiuum vero, quod probabilem reddit intelligentiam aliam quam ex Auguſt. retulimus, dicitur. Chriſtum Dominum ibi non loqui de miſsione verbi in mundum, quæ fuit ipſa verbi incarnatio, ſed de miſsione qua poſt incarnationẽ ipſe Chriſtus miſſus eſt à Patre in mundum ad prædicandum hominibus Euangelium, & ad cçtera Redemptoris munera exequendum. Huic intelligentiç plurimum conſentit, id quod ex Eſai. 61. Chriſtus Luc. 4. ſibi accommodauit, *Spiritus*, inquiens, *Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, & ad annunciandum pauperibus miſit me.* Quo loco ſpiritualis humanitatis Chriſti vnctio, quæ fuit in incarnatione facta, præceſsiſſe dicitur miſsionem ipſius Chriſti ad annunciandum pauperibus Euangelium gratiæ. Sanctificatio autem, & vnctio idem omnino pollent.

Sed iam vlterius in probatione concluſionis progrediamur. Luc. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, Quem locum verſans Bern. hom. 4. ſuper Miſſus eſt, & Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus ſancti. cap. 10. interpretantur de ſanctitate, quæ fit per gratiam iuſtificantem. Et quidem merito, Nã ſanctitas perſonalis ad vnionis gratiam ſpectans ſequentibus verbis, ſcilicet, *vocabitur filius Dei*, ſatis explicatur. Hanc veritatem probant vniuerſa illa teſtimonia ſcripturæ ſacræ, quibus aſſeritur Chriſtum vnctum Spiritus ſancti vnctione, de qua loquitur Regius Vates pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, deus tuus oleo lętitiæ præconſortibus tuis*, vbi ad literam fit ſermo de Chriſto, nã ita Palu. ad Hebr. 1. de Chriſto loquens, hæc verba retulit. Hoc autem lętitiæ, & exultationis oleum communiter Sancti Patres interpretantur de Spiritus ſancti chariſmatibus, quorum præcipuũ eſt iuſtificans gratia. Vnde in ſacra ſcriptura huiuſmodi Spiritus ſancti chariſmata vnctionis nomine vocantur, vt conſtat ex illo Ioan. 1. cap. 3. *vnctio docebit vos de omnibus.* De eadem Chriſti ſpirituali vnctione intelliguntur à Sanctis Patribus, & ab alijs interpretibus ſcripturæ ſacræ alia ſacræ paginæ teſtimonia, quæ de Chriſti vnctione ſermonem faciunt Iſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, &c.* quæ verba Luc. 4. Chriſtus retulit, & ſibi ipſi accommodauit, vt dudum dicebam, Act. 4. dicitur de Chriſto, quòd vnxit eum Pater Spiritu ſancto, & virtute. De Chriſto verificantur etiam illa verba Dan. 9. *Et vngatur Sanctus ſanctorum.* Eadem veritas apertè comprobatur ex illis ſacræ paginæ teſtimonijs, in quibus Spiritus ſancti dona Chriſto tribuuntur, vt eſt illud Iſai. c. 11. *requieſcet ſuper eum* (ſcilicet florem de radice Ieſſe aſcendentem, qui eſt ipſe Chriſtus) *Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, &c.* Ponderandum eſt illud verbum, *requieſcet*, denotat enim habitualem permanentiam gratiæ, & donorum Spiritus ſancti ipſam concomitantium in anima Chriſti. Zach. 3. vbi ſub nomine lapidis fit ſermo de Chriſto, qui eſt lapis electus, & angularis, & ſi ab ædificantibus reprobatus, dicitur, quod ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt, id eſt, ſeptem Spiritus ſancti dona, vt communiter interpretãtur Patres.

Digitized by Google

tres. Legatur ſpeciatim Hieronym. ſuper eundem locum, & S. Gregor. lib 29. mor. cap. 30. Iſai. cap. 42. *Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, dedi Spiritum meum ſuper illum*, in quo teſtimonio illud verbum, ſeruus, denotat de Chriſto vt homine, ſermonem fieri, Et illa verba, ſuper illum, denotant, quod non de gratia vnionis qua factum eſt verbum caro, ſed de gratia iuſtificante verbo incarnato ſuperuenienti ſit ſermo. Nam vt daretur Spiritus ſuper illum, neceſſum erat, vt ipſe ſeruus Dei, ſcilicet, Chriſtus, præextitiſſet ſaltem ordine naturæ ipſi Infuſioni gratiæ. Quæ ponderatio etiam eſt accommodanda teſtimonio ex cap. 61. Iſai. cit.

Secundo probatur eadem concluſio grauiſſimis Patrum teſtimonijs, Origen. in quadam homil. de natiuitate Domini ſuper Euangeliũ, *In principio erat verbum*, verſans illa verba, *plenum gratiæ, & veritatis* adhibet diuerſas explicationes, & in prima dicit, quod veritatis plenitudo referri poteſt ad diuinitatem Chriſti, plenitudo vero gratiæ ad Spiritus ſancti donationem humanæ naturæ communicatam. Deinde aliam explicationem adhibens, inquit, gratiæ, & veritatis plenitudinem de plenitudine deificationis, & ſanctificationis eſſe intelligendam, & ſubiungit continuo, *Deificationis dico, quia homo, & Deus in vnitatem vnius ſubſtantiæ (id eſt ſubſiſtentiæ) adunati ſunt: ſanctificationis vero, quia non ſolum de Spiritu ſancto conceptus, verum etiam plenitudine donationum eius repletus eſt.* Ecce quemadmodum Origen. & vnionis gratiam, & habitualis gratiæ plenitudinem agnouit in Chriſto, illam deificationis gratiam vocauit, hanc vero gratiam ſanctificationis eſſe dixit. Sanctus Cyrillus Alexandrin. in primo tomo actorum Concilij Epheſini de Chriſti ſanctitate, & Sacerdotio loquens dicit, quod Chriſtus Spiritum ſanctum accepit vt homo, non tam ſibi illum impetrans, quam toti generi humano per ſe ipſum, & in ſe ipſo primum. Et in eodem tomo primo quædam Ioannis verba exponens, inquit. [En clare, & euidenter vtrumque aſſertum habes, nempe Dominum Ieſum Chriſtum per carnis quidem œconomiam, perinde ac vnum ex nobis Spiritu ſancto potiri.] Expendenda ſunt illa verba, *ac vnum ex nobis*, apertè enim oſtendunt, quod Chriſtus accepit gratiam, & cætera Spiritus ſancti dona, quæ conferuntur à Spiritu ſancto reliquis hominibus iuſtis. Similia verba habet idem Cyrillus in quinto tomo actorum eiuſdem Concilij, vbi explicans anathematiſmum ſeptimum, inquit, *Nominatus autem, & Chriſti quoque nomine eſt, propterea, nimirum, quod ſecundum humanam naturam perinde, ac vnus ex nobis inunctus eſt, iuxta illud, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus, &c.* Videndus eſt itidem libro primo de fide ad reginas. Sanctus Athanaſius ſermone ſecundo contra Arianos circa finem dicit, quod *Verbum homo factum ſeipſum ſanctificauit ea vnctione, & ſanctificatione, cuius etiam eſt dominus, & qua nobiſcum communicauit*, & poſt pauca ſubdit, *Ipſe eſt, qui dat & accipit Spiritum ſanctum, dat vt verbum, accipit vt homo.* Illa verba, cuius etiam eſt dominus, nequeunt exponi de ſanctificatione, quæ ad vnionis gratiam ſpectat, nam hæc ſanctitas re ipſa eſt ipſummet diuinum verbum, vnde neceſſe eſt de habituali gratia humanitatis, de qua ſine dubio, & hæc omnia verba, & alia quæ habentur ibidem intelliguntur. Et tam eſt manifeſtum S. Athanaſ. de gratia Spiritus ſancti iuſtificante, & eleuante animam loqui in hoc loco, vt viſus ſit dicere, quod cum Ioannes in baptiſmo vidit Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum deſcendentem, ſuſcepit ipſe Chriſtus hanc Spiritus ſancti gratiam. Sed nihil aliud intendit grauiſsimus hic Pater, quam quod viſibilis ille Spiritus ſancti ſuper Chriſtum deſcenſus apertam nobis de interna ipſius Spiritus ſancti gratia in Chriſti anima latente ſignificationem fecerit. Nam quod Chriſti anima ab ipſo incarnationis inſtanti plena fuerit gratiæ, in qua nunquam vllum ſuſcepit augmentum, fatetur ipſe Athanaſius ſermone quarto ſequenti contra Arianos. Legatur etiam pro hac noſtra concluſione tertia in libr. de incarna. Chriſti, vbi inquit, quod Chriſtus à ſeipſo Spiritum ſanctum accepit, & quod ex ſe ipſo in ſemetipſum deſcendit, nimirum ex deitate in humanitatem aſſumptam. Hic deſcenſus ex deitate Chriſti in ipſius humanitatem quid aliud denotat quam ſpiritualium chariſmatum in anima Chriſti infuſionem ab ipſius deitate factam? S. Hierony. verſans illa verba Abacuc cap. 3. *Egreſſus eſt in ſalutem populi ſui*, dicit, *ſuper omnia vnguentorum genera eſſe vnguentum illud ſpirituale, quod oleum exultationis vocatur, quo vngitur Saluator præ participibus ſuis; participes autem, inquit, eos puto, ad quos loquitur Ioannes dicens: Vos vnctionem habetis à Spiritu ſancto.* Multa alia ibi dicit Hieronymus, ex quibus conſtat illum loqui de vnctione Spiritus ſancti facta per gratiam. Sanct. Chryſoſtomus in ſermone quodam de Spiritu ſancto hæc habet verba. *Cum autem accepit Deus carnem noſtram, fecit eam humano more, quaſi vnum Apoſtolorum, & Prophetarum accipere Spiritum ſanctum*, & multa his ſimilia dicit ibidem S. Gregor. loco citato, & lib. tertio epiſtolarum epiſtola 61. & libr. tertio moral. cap. 33. & libr. 29. c. 10. & hoc loco inquit Chriſti animam habuiſſe coniunctas & permanentes vniuerſas Spiritus ſancti functiones, id eſt, operationes ſupernaturalium donorum, & virtutum. Quibus verbis apertè docuit habitualem gratiam, & ſupernaturalium virtutum permanentiam in Chriſti Saluatoris anima. Quia non aliter potuit ſimul habere omnes cœleſtium donorum, & virtutum ſupernaturalium actiones niſi in habituali principio, in ipſis, videlicet, infuſis habitibus gratiæ, & virtutum infuſarum. Legatur Sanct. Baſil. homil. de pœnitentia, & ſpeciatim videndus eſt ſuper illa verba Pſalm. 44. *vnxit te Deus, &c.* Bernard. homil. 16. in Cant. dicit, quod *oleum exultationis, quo Chriſtus in ſacris literis aſſeritur vnctus, ipſa ſunt ſeptem Spiritus ſancti dona*, S. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 26. dicit, quod Chriſtus ſecundum quod Deus dedit ſpiritualem ſanctificationem hominibus, quam ipſe ſecundum quod homo accepit, & manifeſtum erit legenti, S. Auguſtin. non de gratia vnionis, ſed de gratia habituali ſanctificante animam ibidem loqui. Nam inter alia dicit, quod ſi Ioan. Baptiſta, qui ſeruus erat, ab vtero matris Spiritum ſanctum accepit, qua probabilitate id negandum erit Chriſto naturali filio: & qua ratione

dici

Digitized by Google

dici poterit Chriſtum, tunc primo Spiritum ſanctum accepiſſe, cum Ioannes in Iordane vidit Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſuper ipſum deſcendentem. Certe non poteſt hæc Auguſtini argumentatio de gratia vnionis procedere, de hac enim gratia nulli poterat eſſe dubium quominus eam Chriſtus in vtero ſuæ matris accepiſſet. Loquebatur ergo Auguſtin. de illa Spiritus ſancti donatione, quæ fit per iuſtificantem gratiam, & quæ communis fuit Chriſto, & Ioan. legendus eſt ipſe Auguſt. in epiſtola 57. Legatur etiam S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 8. & ſuper caput 1. epiſtolæ ad Hebr. *In illa verba vnxit te Deus, Deus tuus præ participibus tuis*, vbi apertè docet, oleum quo Chriſtus fuit vnctus fuiſſe illudmet quo alij ſancti, & iuſti homines inunguntur, quamuis in Chriſto excellentiori modo fuerit iſtud oleum diffuſum. S. Anſelmus ſuper eundem locum ita dicit, *Deus iam homo factus vngi dicitur, id enim ſignificant illa verba vnxit te Deus &c. Deus enim*, ait Anſelmus, *qui vnctus eſt, homo factus erat, vnctus eſt oleo*, ideſt, *Spiritus ſancti dono*. Et paulo poſt, *vnctus eſt oleo exultationis*, ideſt, *Spiritus ſancti gratia, quæ eius conſcientiam exhilararet*. Vides, bone lector, quam apertè S. Anſelmus diſtinguat in Chriſto gratiam iuſtificantem, & ſanctificantem animam, à gratia vnionis, imo & vniuerſa hic à nobis ex Patribus citata teſtimonia hanc habent manifeſtiſſimam intelligentiam. Alia ex Patribus afferemus loca circa ſolutionem ad primum huius quæſtionis: & in quæſtione ſequenti in art. 2. Ex quibus huic veritati maius accreſcet robur. Eandem hanc veritatem conſtanter affirmat omnes ſcholaſtici Theologi cum ſuo magiſtro in 3. d. 13. S. Tho. ibidem & 3. p. q. 7. art. 1. & q. 34. Alex. Alenſ. 3. par. q. 11. & 12. Marſ. in 3. q. 10. Interpretes ſacrorum bibliorum exponentes illa verba Io. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Vnanimiter hanc veritatem adſtruunt, Eraſmo, & Caie. exceptis, qui vt ſupra aduertimus à vulgata latina editione ob leuiſſimas coniecturas recedentes, hæc verba non ad Chriſtum, ſed ad Ioannem retulerunt. Sed iam in forma ſic deduco pro concluſione argumentum, & id quidem efficaciſſimum. Illa veritas quam vniuerſi, aut fere vniuerſi Eccleſiæ Patres, & magiſtri ſemper docuerunt, & docent, vt certam, & in ſacris ſcripturis contentam, ſuſcipienda eſt à fidelibus, vt verũ Catholicæ fidei dogma, non enim errare poſſunt in ſcripturarum perſcrutatione, & intelligentia vniuerſi Eccleſiæ Patres, & magiſtri, neque in tradendis Catholicis veritatibus, alias enim cum ipſis errantibus tota erraret Eccleſia. Ergo cum ab vniuerſis, & antiquioribus Patribus, & nouioribus Eccleſiæ magiſtris aſſertum habeamus ex ſacris litteris colligi Chriſti Saluatoris noſtri animam gratia iuſtificante, ac reliquis Spiritus ſancti chariſmatibus & ſanctificatam fuiſſe, & vnctam, neceſſum eſt fateamur, hanc veritatem non inter probabiles Theologorum opiniones annumerandam eſſe, ſed Catholica confeſſione ſuſcipiendam.

Theologicæ rationes pro hac veritate confirmanda multæ eæque non contemnendæ ſuppetunt Theologis. Quarum præcipuè ſunt illæ, quibus vſus fuit S. Th. 3. p. q. 7. art. 1. quæ cum ibidem clare, & explicatiſſime proponantur, non erit neceſſum, vt in earum explicatione immoremur. Sed ſatisfuerit earũ præcipuas propter doctrinæ ordinem, & complemẽtum breuiter referre. Et quidem ex illis verbis noſtri prothematis. *Et vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre*. Duæ rationes deducuntur, prior quæ ſit in ordine aliarũ prima, hæc eſt, dignitas Chriſti quã habet eo, quod vnigenitus eſt Dei filius, poſtulabat, vt eius rationalis anima verbo perſonaliter vnita exornaretur gratia, ac præclariſſimis Spiritus ſancti virtutibus, & donis quibus decora fieret. & pulchra ac Deo valdè ſimilis, eiuſdemq. ordinis cũ diuino verbo. At non eſt credibile, quod Deus, qui tã in ordine gratiæ, quam in ordine naturæ res omnes iuxta eorũ merita, & dignitatem diſponit, ipſã Chriſti animam non ornaret, & perficeret iuxta modũ eius dignitati debitum. Ergo, &c. Poſterior rõ, & in ordine ſecũda ad hoc reducitur. Quod diuinũ verbũ perẽnis eſt totius gratiæ fons, ac natiua origo, & quia Deus, cuius naturæ ipſa gratia quoddã eſt participiũ, & quia ſubſtantialis imago, & ſimilitudo Patris. Quam perfectiſſimã, & exactã ſimilitudinẽ imitatur gratia, quæ animã cõſtituit Deo ſimilẽ formali, & intrinſecus participata ſimilitudine: & ita Paul. Rom. c. 8. inquit, *quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*, i. ex vi prædeſtinationis gratiã accipiũt prædeſtinati, per quã referunt vnigeniti filij Dei, qui eſt naturalis imago Patris ſimilitudinẽ, & cõformitatẽ imaginis Dei induunt. Ergo anima Chriſti, quæ inter creaturas oẽs proximior eſt, & coniunctior verbo, gratiam ab ipſo verbo, & cã quidẽ ſm̃ oẽm plenitudinem ſuſcipit, Tertia rõ. Conueniens eſt omnino, & maximẽ congruum, vt Chriſti anima verbo vnita operetur ſupernaturales actiones diuino humanitatis ſuppoſito conformes. Nã cũ verbũ, prout humanæ naturæ ſuppoſitum ſit vnum cũ natura humana earũ operationum effectiuum, & elicitiuum principium, inde eorum apparet, quod operationes elicitæ non ſint ei ſimiles, & proportionatæ. Gratia vero eſt primum, & radicale principium harũ operationũ, quatenus ſua virtute præhabet ſupernaturales habitus, qui ſũt proxima earũ effectiua principia. Ergo Chriſti animæ infundi debuit habitualis gratia. Neq. ſat fuerit dicere, quod adiutoria, & auxilia Dei actualia ſufficerent Chriſti animę ad ſupernaturales operationes efficiendas Quoniam licet ſufficerent ad ſubſtantiam ipſarum operationum, non tamen, vt modo ipſi animæ connaturali efficerentur. Nam in ſupernaturalibus actionibus, quæ non ex habitu ſupernaturali, ſed ex actuali auxilio prodeunt, anima potius ab extrinſeco mouetur, quam operetur à ſemetipſa mota, & acta. Et quidem ſi ad hanc ſuauitatem in reliquis hominibus erga ſupernaturales actiones ſeruadam, Deus qui omnia diſponit ſuauiter, eis ſupernaturales infundit habitus, & virtutes, quæ ratio patitur, vt à Chriſti anima ſibi chariſſima hanc ſuauem prouidẽtiam, & diſpoſitionem ſubtraxerit? Ergo, &c.

Sed quarta iam ratio accedat, Chriſtus non ſolum vt Deus, ſed ẽt vt homo Deus: caput eſt oĩum hominũ influens in eos gratiam, & reliqua Spiritus ſancti dona. Ergo valde fuit congruum, vt Chriſti humanitas gratia, & Spiritus ſancti chariſmatibus eleuaretur, & perficeretur. Confirmatur, Chriſtus venit in mundũ, vt auctor legis gratiæ, & ipſiuſmet gratiæ. Nam lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſũ Xp̃m facta eſt. Ergo conuenientiſſimũ fuit, vt ipſa Xp̃i hu-

manitas perficeretur gratia, imo & plenitudine gratiæ, vt ex eius plenitudine omnes iuſti acciperent.

Quarta concluſio principalis. §. 4.

GRatiam habitualiter iuſtificantem accepit Chriſti anima in primo incarnationis inſtanti. Hanc concluſionem libenter admittunt graues Theologi, verum de eius certitudine quanta ſit non conſtat omnibus. Nam quidam grauiſſimi in quorum numero ſunt recenſendi Cano. lib. 12. de loci c. 14. & Medina 3. p. q. 19. art. 4. dub. 4. & q. 34. art. 4. & nouiſſime Bellarminus in primo tomo ſuarum controuerſiarũ lib. 4. de Chriſti anima c. 2. & 3. in ea eſſe videntur ſententia, quod iſta doctrina ſit veritas fidei. Grauiſſima teſtimonia, & ex ſacris ſcripturis, & ex patrum monumentis producunt in eius rei confirmationem, quæ tranſcribere non licet, nam ibi facile videri poterunt. Alijs tamen Theologis quibuſdam non tam certa viſa fuit iſta ſententia. Sed quid ego ſentiam breuiter exponam. Et dico primum. Chriſtum ab inſtanti ſuæ incarnationis gratia, & gloria, quæ in viſione beata conſiſtit, fuiſſe præditum, veritas eſt adeo certa, vt oppoſitum ſit pluſquam temerarium, & fortaſſis in fide erroneum. Probo quoniam teſtimonia Scripturæ ſacræ ex quibus præcedentem colligebamus concluſionem non obſcure inſinuant hãc veritatem. Illud præſertim, quod eſt in hac tractatione præcipuum. *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis*, quod teſtimonium ita eſt expendendum, quod ſi gloria, & plenitudo gratiæ, & veritatis collata fuerunt Chriſto, quia Vnigenitus eſt Dei filius, nulla vero ſimilis afferri poteſt ratio ob quam in ipſo conceptionis inſtanti ei non darentur, ſed aliud expectaretur tempus. Neque enim aliud tempus, aut inſtans infuſioni gratiæ commodius poterit aſſignari, cum gratię infuſio non Chriſti meritis, ſed perſonali eius dignitati reſpondeat: quam dignitatem habuit totam, & totaliter in primo ſuæ incarnationis momento.

Probatur ſecundo ex illo Luc. 1. *Ideoque quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*. Ecce ſanctitas Chriſti, quam circa præcedentem concluſionem ex Bernardo, & Ruperto probaui eſſe accipiendam de ſanctitate à iuſtificante gratia proueniente, cum Chriſto ex Virgine naſcente ortum habuit, & quidem ex vi conceptionis Spiritus ſancti virtute facta. Id enim denotat illud verbum Ideoque. In eiuſdem veritatis comprobationem ponderanda ſunt illa verba Iſai. capit. 11. *Et flos de radice eius aſcendet*. Flos de radice aſcendens Chriſtus eſt de Virgine naſcens. Huic aſcenſui mox annexuit prophetia habitualis gratiæ, & ſpiritualium donorum abundantiam. *Et requieſcet*, inquit, *ſuper eum ſpiritus domini, &c.* Item Luc. 2. Angelus paſtoribus loquens. *Ecce euangelizo*, inquit, *vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, &c.* Ecce iam tunc erat Chriſtus, id eſt, vnctus Spiritus ſancti chariſmatibus, & exultationis oleo. Quod ſane oleum ex Patrum teſtimonijs oſtendimus, ipſam eſſe ſpiritualem gratiam, quam cętera ſupernaturalia dona comitantur. Item ponderandum eſt, quod dicitur Saluator natus, denotat enim, quod Saluatoris officium iam erat Chriſto commiſſũ à Patre, cum ex matris vtero per natiuitatem exiret: atque adeo fateri tenemur, quod iam erat et data gratia cum virtutibus, & donis infuſis, quę vt infra oſtẽdemus ad officium Saluatoris, & Redemptoris neceſſaria fuit ſm̃ legem à Deo ſtatutã. Innumera prætermitto ſacræ paginæ teſtimonia, quæ in duobus citatis authoribus Cano, & Medina videri poterunt. Expendantur etiam Patrum, quæ pro aſſertione pręcedenti adduximus teſtimonia, conſtabit enim legẽti mentem Patrum eam fuiſſe, quod Chriſti anima ab inſtanti incarnationis gratiam, & Spiritus ſancti accepit dona. S. Aug. 15 de Trin. c. 26. apertiſſimè id affirmat, & probat, quia ſi Ioannes in vtero matris ſanctitatẽ accepit, & gratiam, quo pacto id non erit de Chriſto aſſerendum? Et quamuis Aug. & Patres non exprimant primum inſtans conceptionis Chriſti, manifeſtũ eſt ipſos de illo primo inſtanti loquutos fuiſſe quia totã Xp̃i ſanctitatẽ, & gratiã ex hypoſtatica vnione ad verbum proueniſſe dicunt. Imo, & multis in locis expreſſere, quod in vtero matris Xp̃i anima, & gratiã, & perfectã diuinorũ cognitionẽ accepit. Legatur teſtimonia Patrũ, quę Magiſter Cano, & Bellarm. loc. cit. diligenter retulerunt, præſertim, Greg. Nazianz. in Baſil. *Proficiebat*, inquit, *ſapientia non vt incrementum aliquod acciperet, cum ab initio dominus gratia, & ſapientia abſolutus eſſet, ſed quod hominibus ignaris paulatim apparerent.* Suppetunt præterea rõnes nõ inefficaces, quæ huic atteſtãtur veritati. Prima, quoniam Angeli creati ſunt in gratia iuxta grauiſſimorũ Theologorum ſententiam, quam ex S. Aug. hauſerunt dicente, quod Deus ſimul erat in eis condens naturam, & largiens gratiam. Ergo ſi hoc rationabiliter dicitur de Angelis, imo de primis parẽtibus ſatis conſentanee ad Scripturã ſacrã dicitur, ꝙ in iuſtitia originali, & in Dei gratia fuerunt conditi, neceſſario id erit de Chriſto affirmandum. Secunda ratio. Inter ſtatum gratiæ, & ſtatum peccati nullum de facto, & ſecundum ordinariam Dei legẽ datur medium. Ergo cum Chriſti anima non fuerit in peccato producta, neceſſe eſt fateamur fuiſſe in gratia, & iuſtitia creatam. Omnia argumenta, quæ ſequenti controuerſia in 2. eius art. afferemus ad probandum gratiam connaturalem eſſe Chriſto, & eius animæ ex vi vnionis hypoſtaticæ debitam, confirmãt non leuiter hanc veritatem.

Secundo dico. Quod Chriſtus dum vixit mortali vita, gratia fuerit, & gloria præditus, ſiue in hoc, ſiue in illo inſtanti acceperit, veritas fidei eſt, cuius oppoſitũ manifeſtus eſt error, imo, & hęreſis. Iſtud ſm̃ aſſertũ, vt minimũ probãt efficaciſſime teſtimonia, quę citati auctores referunt ex ſacr. ſcripturis, & quæ nos in præcedentis dicti comprobationem, & pro tertia concluſ. citauimus: Et euidentiſſima Patrum citata teſtimonia, quorum tanta conformitas manifeſtò nobis eſt argumento apoſtolicæ traditionis, qua pollet hęc veritas, Theologi ſcholaſtici in 3. d. 13. cõſentiunt. Eſtque communis totius Eccleſiæ intelligentia. Cui non parum ſuffragatur illud, quod Chriſtus de ſeipſo dicebat. Io. c. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcẽdit de cælo, & filius hominis qui eſt in cælo.* Circa hæc verba poſtrema, duo sũt notãda. Alterũ. quod Chriſtus loquitur de ſeipſo, prout eſt homo: Nam id aperte deſignat phraſis illa nominandi ſeipſum illis verbis. *Filius hominis*. Alterũ vero, quod illa verba.

Qui

Digitized by Google

Qui eſt in cęlo cum de filio hominis aſſeratur, id eſt, de Chriſto, vt homine, nihil aliud deſignare poſſint, quam viſionem beatificam, qua Chriſti anima fruebatur, cuius ratione Chriſtus, vt homo dicitur eſſe in cęlo. Ad eum modũ quo Chriſtus ipſe in cruce pẽdens latroni dixit. Hodie mecum eris in paradiſo, nimirum, per beatam viſionem.

Quinta concluſio principalis §. 5.

SImul cum gratia inditæ fuerunt animæ Chriſti illa omnia Spiritus ſancti dona, & ſupernaturales virtutes, quæ nullam intrinſecam imperfectionem in habente poſtulant. V. c. charitas, ſapientia, ſcientia, &c. Eſt communis hæc concluſio vniuerſis Theologis locis citatis. Illam docet expreſſe S. Tho. 3. p. q. 7. art. 2. & ſequentibus, vſque ad 9. &c. Et probatur primo teſtimonijs illis ſacræ paginæ ex quibus conſtat in Chriſti anima requieuiſſe ſpiritum domini cũ donis ſuis, qualia ſunt illa ſuperius adducta ex Iſa. cap. 11. requieſcet ſuper eum Spiritus domini, & ex Zachar. c. 3. *Super vnum lapidem ſeptem oculi ſunt, &c.* Deinde probatur 2. ex Patribus, qui in citatis retro teſtimonijs non ſolum gratiam iuſtificantem tribuũt animę Chriſti, ſed omni Spiritus ſancti donatione dicunt eam fuiſſe repletã. 3. probatur, quoniã ſanctitas intrinſeca qua formaliter ſanctificatur, & iuſtificatur anima cuiuslibet iuſti, non ſola habituali gratia, ſed ẽt charitate conſtat, vt manifeſtum erit, c. 7. & can. 11. S. Synod. Trid. legenti. Ergo cum formalis iuſtitia, & ſanctitas animæ Xp̃i eiuſdẽ ſit rõnis cũ ſanctitate cuiuslibet hominis iuſti, & omniũ earum perfectiſſima neceſsũ eſt fateri, quod cum Chriſtus in ſac. ſcript. Sãctus, & iuſtus aſſeritur, virtualiter dicitur eius animam gratia, & charitate prædiã fuiſſe.

Quarto probatur. Omnes ſupernaturales virtutes, & Spiritus ſancti dona ex natura rei ipſam gratiæ eſſentiã comitãtur, effluuntq. ab ipſa ſicut intellectus, & voluntas ab animæ rationalis eſſentia, vt cũ S. Th. 12. q. 110. ar. 4. ad primũ docent grauiores Theologi. Ergo niſi miraculoſam ſuſpenſionem huius effluxus, & connaturalis emanationis fingamus, fateri tenebimur, in potentijs animæ Xp̃i ex gratia in ipſius animæ eſſentia præexiſtente omnes illæ ſupernaturales virtutes, & Spiritus ſancti dona effluxiſſe, quæ imperfectionem intrinſecam ſtatui comprehenſoris repugnantem non inuoluunt.

Quinto denique probatur. In Chriſto non eſt tantum ponenda eſſentia animæ ſupernaturali gratiæ ornamento decorata, & pulchra, Verum, & ipſius animæ potentiæ debent eſſe perfectæ intrinſeca ſupernaturali diſpoſitione, & in actu primo conſtitutæ ad operationes ſupernaturales, in quibus ipſa Chriſti anima ſe quã ſepius exercuit, vt in Euãgelio cõſtat: expendatur illud Io. 13. *Et cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio*, nam his verbis duos ſupernaturales Chriſti actus cõplexus eſt Euangeliſta. ſcilicet, charitatis, & obedientiæ. Ergo manifeſta ratio poſtulat, vt ſimul cum gratia Chriſti anima prædictas virtutes, & Spiritus ſancti dona infuſa acceperit. Adeo vrgẽt hæc argumẽta, vt ego eadem certitudine exiſtimem tenendam eſſe hanc concluſ. 5. qua retro dixi ſuſcipiendam eſſe concluſionem tertiam.

DVBITATIO I. APPENDIX.

An in Chriſto fuerint virtutes Theologicæ.

SEd nũc ſigillatim, breuiſſime tamen explicamus, quæ ſint illæ virtutes, & illa dona, quæ imperfectionem implicant intrinſecam Chriſti dignitati, & beatifico eius ſtatui repugnantem. Et principio de Theologicis virtutibus aſſero, quod ex tribus virtutibus Theologicis fide, ſpes, & charitate, ſola charitas in Chriſti anima reperitur, Nam fides, & ſpes imperfectionem intrinſecam in ſuis formalibus rationibus complectuntur, quæ & Chriſti dignitati, & eius beatifico comprehenſoris ſtatui non bene conſentit. Fides namq. cum ſit (Paul. ad Hebr. c. 11. affirmante) *argumentum non apparentium*, obſcuritatem, & ineuidentiam credibilium in ſubiecto poſtulat, quæ ineuidentia, præſertim circa miſteria ſupernaturalia, & circa Deum, quæ eſt prima, & maxima veritas, & formalis ratio fidei, non decet Chriſti animam, Spes ſimiliter imperfectionem habet intrinſecam, nimirũ, quod ſperetur id, quod adhuc non poſſidetur in re, *quod enim quis videt quid ſperat?* Roman. cap. 8. At Chriſti anima ab ipſo inſtanti incarnationis, potitur faciali Dei viſione, & ipſo Deo viſo perfecte fruitur. Deus aũt vidẽdus, & fruendus, eſt obiectum propriũ ſpei. Igitur hæ duæ virtutes non fuerunt infuſæ Chriſti animæ. Charitas aũt ſimul cum gratia ei data fuit, quia charitas eſſentialiter conſiderata nullam inuoluit imperfectionem, & ita charitas remanet in beatifico ſtatu, charitas. n. dicente Paulo nũquam excidit.

Sed de vtraque iſta virtute fide. ſ. & ſpe, aliquæ ſuperſunt difficultates, breui tamen, & compendioſa reſolutione pertractandæ, Et primo quidem de fide multa poſſent diſputari, & quibus in communi probaretur fidem cum ſcientia, cum clara Dei viſione compati poſſe. Verum hæc tam communis diſputatio in alium locum eſt reijcienda. In 1. 2. q. 67. & 2. 2. q. 1. ar. 4. ſolet a diſcipulis S. Thom. verſari. Quo loco id definiunt grauiores Thomiſtæ quod fides ex natura ſua, & ſecundum ordinariam Dei potentiam cum cognitione ſciẽtifica minime reperiri poteſt, & multo minus cum aperta diuinæ eſſentiæ viſione. At ſm̃ abſolutam potentiam non implicat cum vtraque cognitione clara fidei habitum ſimul exiſtere. Implicat autem actum fidei ſimul reperiri cum actuali eiuſdẽ obiecti euidenti notitia. Et ratio diſcriminis huius inter actum, & habitum ea eſt, quod actus per ſe primo non habitui, ſed actui opponitur. Vnde actus fidei, & actus ſcientiæ eiuſdem obiecti directe opponuntur, & oppoſitione quidem priuatiua, quæ cõtradictionis oppoſitionem virtualiter claudit; opponũtur enim, ſicut obſcurum, & clarum, euidens, & ineuidens, atque adeo non poſſunt ij duo oppoſiti actus ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Cuius cõtrarium falſo exiſtimauit Dur. in 3. d. 24. q. 1. & d. 31. q. 3. & 4. At quia habitus fidei non directe opponitur actui ſcientifico, aut euidenti Dei notitiæ, non implicat quod ſimul ſint in eodem ſubiecto, & de re eadem. Hoc ſuppoſito in ſpeciali probatur, contra doctrinam nũc traditam fidem, & habitualem, & actualem poſſe reperiri in anima Chriſti. Et primo argumentor ex illo Iſa. 11. *Et erit fides cinctorium renum eius*, .i. Xp̃i.

Digitized by Google

Secundo arguitur. Aliqua potuerunt Chriſto reuelari reuelatione obſcura, ea videlicet quæ in verbo non intuetur, non enim anima Chriſti videt in verbo omnes creaturas, & veritates poſſibiles, ergo harum rerum potuit Chriſtus habere fidem.

Tertio in Chriſto fuerunt liberalitas, & magnificentia, quamuis defuerit Chriſto iſtarum virtutum materia .ſ. diuitiæ. Ergo quamuis deſit Chriſto materia fidei .ſ. res obſcure reuelatæ, poteſt in ipſo fides permanere.

Quarto ſi in Chriſto non fuit fides, ſequitur quod non fuerit in ipſo meritum fidei. At conſequens non apparet admittendum. Ergo &c. Ad primum argumentum ex c. 11. Iſai. deſumptum reſpondeo ex mẽte Cyrilli, Hyeron. & aliorum, qui illum locum interpretantur, fidem ibi non credulitatem, ſed fidelitatem, & veracitatem, quæ eſt quædã moralis virtus inter dicta, & facta cõſonantiã conſtituens, deſignare. Huic intelligentiæ atteſtatur 70. interpretum verſio.

Ad ſm̃ reſpond. quod ſine dubio probat ſm̃ abſolutam Dei potentiam poſſe in Chriſto, & in quolibet alio beato reperiri fidem actualem earum rerum quas non intuetur in verbo. Dixi ſecundum potentiã Dei abſolutam, quia ex lege ordinaria illud non eſt admittendum. Dedecet enim ſtatum beatificum obſcura reuelatio, & ineuidens cognitio.

Sed rogabis. Vtrum facta iſta reuelatione de qua procedit argumentum eſſet conſtituendus in intellectu animæ Chriſti habitus fidei. Hæc res eſt dubia. Quibuſdã videtur pars negatiua, & rõ eſt hæc. Fides eſt virtus Theologica, ergo non poteſt ſaluari habitus fidei, niſi verſetur circa Deum. At in illo caſu non haberet fides de Deo, ſed de creaturis obſcure reuelatis à Deo: Ergo &c. Prima conſequentia patet. Quoniam de ratione virtutis Theologicæ eſt verſari circa Deũ tanquã obiectũ primariũ, & potiſſimum, ergo illo ſublato neceſſe eſt auferatur ipſa Theologica virtus. Secũdo probatur. Deficiente obiecto primario alicuius habitus, non põt habitus ipſe permanere, quãuis adſit ſecundarium obiectum, ſed Deus credendus eſt obiectũ primariũ fidei, creaturæ vero reuelatæ à Deo pertinent ad obiectũ ſecundariũ, ergo cum in caſu huius dubij deficiat primarium obiectum fidei (nam Deus cum videtur non creditur) non põt permanere fides. Mai. probatur obiectum ſecũdariũ, non pertinet ad aliquẽ habitũ, niſi quatenus cadit ſub obiecto primario; ergo deficiente primario obiecto, habitus non põt verſari circa ſecũdariũ obiectum, & ex conſequenti totaliter aufertur ipſe habitus. Conf. Si totaliter deficerent pericula mortis, quæ ſunt primariũ obiectum fortitudinis, non maneret virtus fortitudinis, quamuis adeſſent alia leuiora pericula, quæ ſunt eiuſdem virtutis ſecundarium obiectum; ergo eadem eſt ratio in fide.

Sed pro ſententia affirmatiua, quę placet alijs. Argumentor primo. In illo caſu reperiretur formalis rõ ſub qua obiecti fidei .ſ. prima veritas obſcure reuelãs, ergo maneret fidei habitus. Secũdo probatur. Actus fidei, quo Chriſtus crederet res illas reuelatas ſibi, eſſet eiuſdem ſpeciei cum actu elicito in nobis ab habitu fidei, ergo poſſet elici in Chriſto ille actus ab habitu fidei. Tertio probabilis eſt ſententia Caie. aſſerentis 22. q. 175. ar. 3. quod poſtquam Paulus vidit in raptu diuinam eſſentiã, habitus fidei, qui in illo permãſit nunquam potuit exire in actum circa Deum trinum, & vnum, qui eſt obiectum primarium fidei, ergo cum in Paulo permanſerit fides deficiente obiecto primario, poterit etiam in Chriſto, & in quolibet beato reperiri habitus fidei circa obiectum ſecundarium, deficiente primario obiecto.

In hac re dico primo, quod ſm̃ abſolutam Dei potentiam bene poteſt intelligi, quod perſeueret habitus fidei circa obiectum ſecundarium deficiente primario: Et hoc probant ſufficienter argumenta, quæ propoſui pro ſententia affirmatiua. Dico ſecundo, ſi attendimus ad ordinem rerum ipſis proportionatum, & ad legem ordinariam Dei, deficiente primario obiecto alicuius habitus etiam ſi perſeueret obiectum ſecundarium ſub ratione formali, ſub qua obiecti, non manebit habitus: & hoc probant argumenta facta pro parte negatiua. Ex quo ſequitur quod in caſu noſtri dubij niſi poneremus nouum miraculum pertinens ad abſolutam Dei potentiam, non eſſet habitus fidei in Chriſti anima. Et hactenus de ſecundo argumento.

Ad tertium argumentum principale Caie. 3. p. q. 7. ar. 2. dicit quod in Chriſto licet deficeret materia liberalitatis, & magnificentiæ, non tamen deficiebat formalis ratio harum virtutum: quia per prudentiã iudicabat quando, & quomodo, & quibus circumſtãtijs poſſint liberaliter, & magnifice diſtribui pecunię. At in fide oppoſitum contingit, non enim deficit materia fidei, manẽt namque myſteria Trinitatis, incarnationis &c. Deficit tamen ratio formalis obiecti fidei .ſ. obſcura reuelatio, & ita non eſt eadem ratio de fide, & de magnificentia. Sed hæc ſolutio Caie. apparet difficilis, & arguitur contra illam, ratio formalis ſpecifica obiecti virtutis non poteſt ſaluari niſi determinata ad propriã materiã talis virtutis. Ergo deficiẽte materia liberalitatis, & magnificẽtiæ non potuit in Chriſti ſaluari rõ formalis ſpecifica harum virtutum. Antecedens probatur. Quia hęc rõ formalis virtutis abſtracta ab omni materia communis eſt ad oẽm virtutẽ. Explicatur hoc, Nam ſi poteſt ſaluari formalis ratio ſpecifica virtutum deficiente totaliter materia, nulla rõ aſſignari poterit propter quam in Angelis non reperiantur virtutes temperantiæ, & fortitudinis, etenim Angelus bene põt prudentialiter iudicare quando, & quomodo ſit temperate viuendum aut fortiter agendum. Igitur prętermiſſa ſolutione Caie. aliter reſpondetur, quod materia liberalitatis, & magnificentiæ licet actu defuerit Chriſto Domino, voluntariè illi defuit, & non fuit illi impoſſibilis. At obiectum formale fidei, fuit ſimpliciter impoſſibile Chriſto ſm̃ ſtatum beatificum in quo erat. vnde non eſt eadem ratio de fide, & de magnificentia. Quoniam materia magnificentiæ nõ defuit ſimpliciter Chriſto. Miſſam facio ſolutionem aliam, quæ eſt ſine dubio ſufficiens nimirũ, quod in hoc ꝙ Chriſtus voluntarie abdicauit à ſe omnes diuitias, quas ſi vellet in magna copia, & affluentia potuiſſet obtinere, ſũme ſe oſtendit magnificũ, & fuit illa abdicatio præcipuus magnificentiæ actus, & diuitiæ contẽptæ ſunt vera materia huius tam magnifici actus. Vnde negandum eſt, quod defuit Chriſto magnificentię materia, licet defuerit reſpectu quorundã magnificentiæ actuum, eorum videlicet, qui conſiſtunt in ipſo diuitiarum poſſeſſarum vſu.

Ad

Digitized by Google

Ad quartum Medina reſpondet, quod Chriſtus habuit meritum fidei quatenus habebat fidẽ in præparatione animi, quod poteſt explicari ex his, quæ antea diximus de fide, quam habuit Paulus eorũ, quę vidit in diuina eſſentia poſt viſionem tranſactã. Hæc tamen ſolutio, quæ quibuſdam nouioribus eſt grata, nobis non placet, quoniam cum fides non pertineret ad Chriſtum, eo quod erat ſimpliciter beatus, non eſt dicendnm illum habuiſſe fidem in præparatione animi. Sicut nullus Theologorum docet, beatos in patriam fidem habere in præparatione animi. Quod præterea probatur, fides in præparatione animi, eſt fides ſimpliciter, & ita D. Paulus ſimpliciter dicebatur habere fidem eorum, quæ viderat in raptu, & erat vere fidelis: ergo ſi Chriſtus habuit fidem in præparatione animi, habuit ſimpliciter fidem, & fuit ſimpliciter fidelis, quod nulla ratione eſt admittendum. Exemplum autem, quod attulimus ex D. Paul. non eſt ad propoſitum, quia Paulus erat ſimpliciter, & modis omnibus viator, atque adeo fides per ſe pertinebat ad illum. Chriſtus vero, etſi ſecũdum inferiorem partem viator fuerit, ſimpliciter tamen beatus erat, & comprehenſor. Fides autem ad comprehenſorem non attinet. Igitur ad tertium reſpondetur. ex Caiet. circa ſolutionem ad ſecundum art. 3. q. 7. 3. p. quod Chriſtus non habuit formaliter meritum fidei, habuit tamen illud eminenter, eo quod obedientia per quam meruit apud patrem, regulabatur per cognitionem ſupernaturalem, in qua eminenter comprehenditur fidei cognitio ſeclusis eius imperfectionibus. iuxta hanc ſolutionem eſt explicanda S. Thom. doctrina 3. p. q. 7. art. 3. ad 2. Imo ex iſta S. Tho. ſolutione apertior fit huius noſtræ doctrinæ veritas, quæ & ſi non omnibus placeat, non ob id tamen debet haberi, vt ſpernẽda, cum ei, & ratio adducta, & prædicta S. Tho. ſolutio, quam plurimum ſuffragentur.

De virtute autem ſpei eadem ſunt omnino dicenda, quæ de fide dudum adſtruebamus. Nimirum, quod ſecundum abſolutam Dei potentiam ſtare poterit ſpes in habitu cum faciali viſione, qua Chriſti anima diuinam intuetur eſſentiam, in actu vero id eſt impoſſibile, & ex natura rei, & ſecundum ordinariam Dei potentiam, ac legem. Præterea repugnãt ipſi beatifico Chriſti ſtatui, quod per habitum ſpei Chriſti voluntas ſe exerat in actualem ſpem facialis Dei viſionis, quæ inter particularia virtutis ſpei obiecta principem locum obtinet. Quia quod poſſidetur, nulla potentia fieri poteſt, quod ſperetur, & deſideretur ſimul. Sed id merito dubitabit theologus vtrum actus, quo Chriſtus gloriam ſui corporis dum erat in vita mortali, deſiderabat, eſſet ſimpliciter actus ſpei, & gloria corporis eſſet ſimpliciter ſpei obiectum. Probaturque pars affirmatiua primo S. Thom. 3. p. q. 7. art. 4. expreſſe docet, quod in Chriſto erat ſpes reſpectu gloriæ corporis nondum habitæ, & ponderandum eſt hoc loco, quod cum S. Tho. in 1. 2. q. 67 art. 4. ad 3. Expreſſiſſime negauerit in beatis reperiri ſpem gloriæ futuræ, id tamen affirmat de Chriſto in hoc articulo. Secundo probatur. Gloria corporis erat bonum ſupernaturale futurum, & arduum reſpectu Chriſti Domini: ergo erat obiectum ſpei atque adeo actus ille erat actus ſpei. Probatur antecedens quoad illam partem arduum, in qua, eſt difficultas. Chriſtus ſecundum legem à Deo ſtatutam non poterat conſequi gloriam corporis niſi mediante paſſione, & morte iuxta illud Luc. vltimo. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*, ergo conſecutio gloriæ corporis fuit Chriſto difficilis, & ardua. Propter hæc argumenta quidam Theologi putant illum actum ſimpliciter fuiſſe actum virtutis ſpei, eiuſdem rationis cum actu ſpei, quo purus viator ſperat immortalitatem ſui corporis. Verum eſt, quod iſti authores non admittunt fuiſſe in Chriſto habitum ſpei, qui eſt virtus Theologica, propter defectũ obiecti primarij, à quo per ſe pendet ipſa theologica virtus. Cæterum Caie. 3. p. q. 7. ar. 4. exiſtimat actum illum non fuiſſe in Chriſto ſpem, ſed deſiderium dũtaxat, ſi eſt omni cum proprietate loquendum. Quẽadmodum dicimus, quod beati deſiderant gloriam corporum futuram, non autem ſperant. Hæc ſententia Caiet. communiter recipitur à Thomiſtis, & ratio eius eſt, quoniam gloria corporis in Chriſto non erat ſimpliciter bonum arduum, & difficile, quoniã ex gloria animæ naturaliter reſultat gloria corporis, vnde eſt debita in radice, & potentia intrinſeca: obiectum autem ſpei eſt bonum difficile, & arduum, futurumque quaſi per potentiam extrinſecam.

Ad argumenta in oppoſitum. Ad primum reſpondeo, quod cum gloria corporis haberet aliquid difficultatis, & arduitatis in Chriſto, quam non habet in cæteris beatis, vt conſtat ex argumento ſequenti, idcirco S. Th. deſideriũ, quo Chriſtus deſiderabat corporis gloriam appellat ſpẽ, quod tamen non admittit in cęteris beatis. Cęterũ iſta difficultas nõ fuit ſufficiens, vt ſtatim dicemus, ad conſtituendam propriã & eſſentialem ſpei rationem, ſed ampla quadam, & larga acceptione deſiderium illud Chriſti appellatur ſpes à S. Thom.

Ad ſecundum dicitur, quod illa difficultas conſequendi gloriam corporis in Chriſto Domino, non eſt difficultas, quæ neceſſaria eſt ad obiectum ſpei: étenim illa ſola difficultas ſufficit ad obiectũ formale ſpei, quæ reddit dubiam, & non penitus ſecuram conſequutionem boni ſperati. At licet Chriſto difficillimum eſſet, & arduum conſequi gloriam corporis ſui, erat tamen ſecuriſſimus de eius aſſecutione. Nam ſecundum legem ſtatutam à Deo, & ſecundum propriam diſpoſitionem, nimirum, gloriam animæ, infallibiliter futura erat corporis immortalitas. Igitur ad argumentum reſpondetur, quod conſequutio gloriæ corporis fuit quidem laborioſa Chriſto, ſed non difficilis, & ardua, vt requiritur ad ſpem.

Sed eſt argumentum. ſequitur, quod ſi quis certo cognoſcat ſe eſſe prædeſtinatum, aut confirmatum in gratia, neque habeat, neque habere poſſit actum virtutis ſpei: cõſequens non eſt admittendum: Ergo. Probatur ſequela. Nullum eſt dubium huiuſmodi homini de conſequutione vitæ æternæ, Ergo conſequutio vitæ ęternę non eſt ei difficilis, & ardua, vt poſtulat virtus ſpei. Reſpondetur, quod illi homini per ſe loquendo dubia eſt, & difficilis æternæ vitæ conſequutio, quoniam non habet intra ſe aliquod principium ex cuius virtute neceſſario, & infallibiliter ſit conſequuturus æternam vitam. Eſt autem illi certa vitæ cæleſtis adeptio per accidens ex gratia ſpeciali Dei: Vnde per ſe, & ſimpliciter æterna vita eſt illi difficilis, & ardua. At Chriſto cõſequutio immortalitatis corporis erat certa, & infallibilis per ſe. ſ. ex virtu-

te principij intrinſeci effectiui. Quia. vt diximus, ex gloria animæ per ſe redūdat corporis immortalitas.

Difficultas manet in hoc loco diſputanda. Vtrum ſi admittamus, vt probabilem ſententiam oppoſitā, quæ docet Chriſtum veram habuiſſe ſpem immortalitatis futuræ corporis ſui, concedendum ſit, quod actus ille ſpei fuerit eiuſdem ſpeciei cū illo, quo nos ſperamus futuram corporis immortalitatē. Pars affirmatiua apparet vera. Quoniam ille actus ſpei in Chriſto eandem habebat rationem formalem, quam habet actus ſpei in nobis, reſpiciebat enim motiuum ſupernaturale, innitebaturque virtuti diuinæ, Ergo, &c. In oppoſitum eſt, quod obiectum illius actus nō pertinebat ad virtutem ſpei, quia deficiebat obiectum primarium ſpei, ſcilicet, Deus non viſus, poſſibilis autem videri: ſed tota eſſentialis ratio virtutis ſpei deſumitur ex primario eius obiecto, & non ſatisfuerit ratio formalis ſub qua, niſi determinetur ad obiectum primarium: Ergo, &c. Probatur minor. Tota ratio virtutis Theologicæ conſiſtit in hoc quod verſatur circa Deum tāquam obiectum primarium: Ergo niſi ratio formalis, ſub qua determinetur ad iſtud obiectum primarium, non ſufficit conſtituere Theologicam virtutem, neque actum eiuſdem ſpeciei cum actu elicito à virtute Theologica. Propter hoc argumentum exiſtimo ſecundum hanc ſententiam eſſe probabiliorem, quę placet quibuſdam doctiſſimis; quamuis Caiet. 3. p. loc. cit. in primam videatur inclinare ſententiam, quæ citra dubium non eſt improbabilis, quidquid nonnulli ex nouitijs theologis infirmis argumentis contendant.

DVBITATIO II. APPENDIX.

An in Chriſto fuerint virtutes morales.

DE virtutibus moralibus ſuccedit deinceps diſputatio. Et quidem de ijs moralibus virtutibus quas probabilior Theologorum ſententia infuſas per ſe vocat, de quibus, 1. 2. quæſtine 63. late diſſeritur, parum eſt difficultatis, præter illam de liberalitate, & magnificentia, quam paulo ſuperius abſoluimus. Quod ſi quæ aliæ ſe poſſunt difficultates offerre, explicabūtur ſimul cum ijs, quę de virtutibus acquiſitis continuo differemus. Quas nōnulli Theologi moderni putāt ſuperuacaneas fuiſſe in Chriſto, quia non potuerunt aliquando exire in proprias operationes. Quod ſic probant.

Primo. Omnis operatio Chriſti fuit perfectiſſima, ergo procedebat ex intentione finis ſupernaturalis, & à ratione regulata ſupernaturali regula, rurſus, ergo omnis operatio moralis Chriſti procedebat à virtutibus infuſis, & non à virtutibus acquiſitis. Patet vltima conſequentia. Nā virtus moralis acquiſita nequit, ſaltē immediate, ſub ordine ſupernaturalis finis operari. Nam per ſe primo reſpicit finem naturali rationi, & ordini proportionatum; quo potiſſimum differt à morali virtute, quæ per ſe infuſa vocatur, quæ ſupernaturalem finem per ſe primo attendit.

Secundo. Si Chriſtus habuit operationes elicitas à virtutibus acquiſitis ſequitur, quod per huiuſmodi operationes fuerint augmentatæ virtutes Chriſti acquiſitæ: conſequens eſt falſum, nam tale virtutum augmentum videtur inferre imperfectionem magnam Chriſto. Ergo, &c.

Sed his non obſtantibus, probabilior eſt noſtra ſententia. Et probatur. S. Thom. 3. p. q. 12. docet, & probat in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam, vt eius intellectus perficeretur modo ſibi proportionato, & connaturali, ergo eadem ratione in voluntate Chriſti ſunt ponendæ virtutes morales acquiſitæ, quibus modo ſibi connaturali operari poſſit, aliàs enim humana Chriſti voluntas non eſſet ſimpliciter, ideſt, modis omnibus perfecta.

Ad argumenta facta reſpondetur, & ad primum reſpondeo dupliciter, Primo, quod licet Chriſtus nō poſſet aliter operari, quam ex intentione finis ſupernaturalis, potuit tamen ſub hac intentione vti virtutibus acquiſitis, ita vt operatio proxime, & immediate referretur in finem naturalem, mediate vero, & extrinſeca relatione in finem ſupernaturalem. Igitur ad argumentum diſtinguitur primum conſequens, regulatione intrinſeca nego, extrinſeca concedo. Et ita negatur ſecunda conſequentia.

Sed ſecundo reſpondeo, mihi nullum eſſe inconueniens aſſerere, quod Chriſtus potuerit quandoque vti virtutibus acquiſitis abſque actuali relatione ad finem ſupernaturalem. Nam ſatis erat, quod operationes ſic elicitæ eſſent referibiles in ſupernaturalē finem, quemadmodum timor quo Chriſtus timebat mortem fortaſſis non referebatur actu in finem charitatis, licet eſſet ſubiectus diuinę voluntati, & fini charitatis: quoniam in illo timore voluntas regulabatur per rationes inferiores: & naturæ humanæ permittebatur ſe explicare in propriam infirmitatem, aptam tamen corrigi, & moderari à ſuperiori ratione, & regula. Neque vllam hæc ſententia imperfectionem Chriſto tribuit. Sicut nulla eſt imperfectio intellectus Chriſti, vel, cuiuſuis alterius beati, quod quandoque intelligat per conuerſionem ad phantaſmata (vt plane poterunt intelligere beati reaſſumptis corporibus) eo quod liberum eſt ei ſine huiuſmodi conuerſione intelligere cum velit.

Ad ſecundum reſpondet. Med. virtutes acquiſitas in Chriſto ſuſcepiſſe augmentum per proprias operationes. Alijs doctiſſimis oppoſitum placet, quibus conſentio libenter, & aio, quod Chriſtus ab inſtanti ſuæ Conceptionis accepit iſtas virtutes in ſummo gradu ad quem poterant pertingere per totam naturæ facultatem, & ita Chriſtus nunquam habuit operationes intenſiores, & perfectiores ipſis virtutibus: atque adeo neque vnquam potuerunt augeri per ſuas operationes. Sed de hac re plura dicam inferius in hac eadem q.

Sed adhuc inſtat moralis philoſo. Virtutes morales illæ præſertim, quæ ex ſuo genere ſunt acquiſitæ, ponuntur in anima ad fręnandas paſſiones immoderatas, & reducendum eas ad mediocritatem rationi rectæ conſentaneam, in Chriſto autem neque vnquā fuere, neque eſſe potuerunt immoderatæ paſſiones. Ergo huiuſmodi virtutes imperfectionem præſupponunt in ſubiecto. Chriſto eiuſque dignitati repugnantem: atque adeo & ipſæ quoque Chriſto repugnant. Reſpondent huic argumento graues Theologi e quorum numero videtur eſſe Caiet. 3. p. q. 7. ar. 2. ad tertium, quod Chriſtus neque habet, neque habuit aliquando paſſiones immoderatas, quæ vel per latum vnguem à recta diſcordaſſent ratione, ſed ſemper fuerunt fręnatiſſime, & moderatiſſimæ, dum Chriſtus vixit mortali vita, & ſenſibilibus paſſioni-

bus,

Digitized by Google

bus obnoxia. Hanc tamen paſſionum moderantiam cauſabant formaliter ipſæ morales virtutes, atque adeo abſque vlla imperfectione fuerunt in Chriſto. Verum hæc ſolutio mihi non placet, quam ſic primo impugno.

In Chriſto Domino ex vi vnionis hypoſtaticæ, qua cumque ſuperaddita qualitate ſecluſa, extinctus fuit penitus fomes peccati, vt retro explicuimus, vel fuit ſaltem totaliter ligatus, & impeditus ne in aliquem motum inordinatum, & à ratione exorbitantem prorumperet: ergo virtutes morales ſiue infuſæ, ſiue acquiſitæ non conſtituunt in Chriſto paſſionum appetitus ſenſitiui moderantiam. Conſequentia apparet euidens, quia ſecundum naturæ ordinem ſicut præſuppoſuerunt extinctũ fomitem, ita & præſupponebant paſſiones perfectè moderatas. Namq. ſi paſſiones in appetitu ſenſitiuo Chriſti poſſent aduerſus rationem inſurgere, inepte diceretur fomes extinctus aut ligatus.

Fateor hoc argumentum multo maiores vires habere, ſi verum eſt id quod ſuperius aſſeruimus, fomitem ex vi hypoſtaticæ vnionis penitus fuiſſe extinctum, & abolitum, & non ligatum tantum, & impeditum.

Secundo eandem ſolutionem impugno. Probabilis eſt ſententia, quæ affirmat virtutes morales ex ſuo genere acquiſitas non fuiſſe inditas Chriſto in ipſo conceptionis inſtanti, ſed in breui tempore poſtea per exercitium acquiſitas, at illa ſolutione ſuppoſita conſequenter tenerentur fateri huius opinionis authores, Chriſtum in illo medio tempore, in quo non erat præditus acquiſitis virtutibus, affectum fuiſſe immoderatis animæ paſſionibus. Hoc autem aſſertum blaſphemum eſſe crediderim, & ſummæ Chriſti dignitati contrarium. Ergo &c. Neque quicquam efficiet ad huius argumenti difficultatem euadendam æere, quòd in illo medio tempore Chriſtus frenatas habuit paſſiones per morales virtutes ex ſuo genere infuſas, quas ſimul accepit cum gratia iuſtificante: Tum quia hæc ſolutio non procedit conſequenter ad illam ſolutionẽm, quam expugnare contendimus nam qui ita diſſolueret argumẽtum, tenetur fateri, quod virtutes acquiſitæ non conſtituunt paſſionum moderantiam in appetitu ſenſitiuo Chriſti, cum eam præſupponant virtutibus moralibus infuſis effectam: atque adeo hæc ſolutio non modo nõ præcedentem tuetur, quin potius deſtruit. Tum etiam, quoniam falſum eſt, quod hęc ſolutio ſupponit, nimirum, per virtutes morales infuſas, quæ gratiæ infuſionem conſequuntur, moderari, & reprimi appetitus ſenſitiui paſſiones, certiſſimo enim experimento conſtat in multis iuſtificatis hominibus, quibus ſimul cum iuſtificante gratia donantur virtutes eiuſmodi, multis & magnis ſcatere paſſionibus, & ijs quidem immoderatiſſimis, quod ſane manifeſto nobis eſt argumento non pertinere ad propriam rationem harum virtutum paſſiones animi moderare, & componere. His ergo prætermiſſis, ad propoſitam difficultatem reſpondeo. De eſſentiali ratione moralium virtutum acquiſibilium eſſe, quod ſint aptæ natæ frenare, & componere ferueſcentes animæ paſſiones, ſi ipſas in ſubiecto immoderatas reperierint. Vnde nequeunt eſſe iſtæ virtutes, niſi in illo ſubiecto, quod ſua natura aptum eſt huiuſmodi paſſionibus affici, cæterum non pertinet ad earum eſſentiam, quod actu huiuſmodi paſſiones moderentur, ſed ſatis fuerit diſponant appetitum ſenſitiuum ad electiones in proprijs materijs rationi conſentaneas. Nam ſicut appetitus ſenſitiuus in homine rationis eſt particeps, ita & rationabiles electiones circa ſenſibiles materias valet elicere. Fateor quidem Diu. Thom. 1. 2. quæſtion. 60. articulo 2. aperte dixiſſe proprium eſſe moralium acquiſibilium virtutum frenare, & componere appetitus ſenſitiui paſſiones. Verum hæc S. Thom. doctrina facile poteſt his, quæ diximus accomodari, ſi dicamus eam non de actuali paſſionum moderantia, ſed de aptitudinali tantum eſſe intelligendam. Miſſum facio, quod ipſe Doct. Sant. 1.2. q.56. ar.5. rationem virtutis in his habitibus moralibus catenus adinuenit, quatenus in ipſorum officio cõſummatur ipſa rationalis electio. Et quidem, quod actualis paſſionum moderatio non ſit in his virtutibus eſſentialis, inde conſtat, quod primis parentibus in ſtatu innocentiæ conſtitutis infuſæ fuerunt per accidens hæ morales virtutes, in quibus ſubiectis non conſtituerunt aliquod paſſionum moderamen, quia præſuppoſuerunt omnimodam earundem moderationem originalis iuſtitiæ beneficio comparatam. In ſtatu etiam futuræ reſurrectionis, in hominibus glorificatis reperientur virtutes iſtæ in heroico, & perfectiſſimo gradu conſtitutæ, in quibus tamen ſubiectis nullam licet inuenire paſſionum moderantiam, quæ officio moralium virtutum debeat ad rationabilem mediocritatem reduci.

Ex numero autem moralium virtutum, de quo conſulendi ſunt Ariſtot. 2. Eth. c. 7. & S. Thom. 1. 2. q. 65. art. 5. Virus pœnitentię ſiue infuſa, ſiue acquiſita (ſi qua fortaſſis eſt acquiſita pœnitentia, quę vera virtus dicatur) nullatenus eſt in Chriſto ponenda. Non ob id quidem, quia ratione ſtatus beatifici ei repugnet peccare, atq. adeo etiam pęnitere, hęc enim ratio eſt omnino inſufficiens ad denegandam Chriſto virtutem pœnitentię, cum in cæteris hominibus beatis, etiam in his, qui nunquam mortaliter peccauerunt. Imo neque venialiter, vt de Beata Virgine firmiter credit Eccleſia, hæc virtus cum ſtatu eorum beatifico cõpatiatur. Sed eatenus à Chriſto relegatur pœnitentiæ virtus, quatenus ei ab intrinſeco nempe, ex vi hypoſtaticę vnionis, peccare repugnat, vt in hac eadem controuerſia ſuperius fuit explicatum, cui proinde etiam ab intrinſeco repugnat pœnitere; atq. adeo ipſa pœnitentię virtus nullatenus ad Chriſtum pertinet.

Sed iam quęret quiſpiam. Num virtutes morales ſuo genere acquiſitas acceperit Chriſtus in primo ſuæ conceptionis inſtanti ſimul cum gratia infuſas, an vero proprijs exercitamentis acquiſiuerit. Cui interrogationi dico primum. Iſtę virtutes morales non proceſſerunt ex gratia Chriſti habituali per ſimplicem reſultantiam, ſicut effluxere virtutes morales per ſe infuſæ. Huius oppoſitum ſentiunt quidam ex nouioribus Thomiſtis, ſed eorum ſententię non acquieſco, cuius falſitatem, & aſſertu noſtri veritatem ſic probo.

Primo, gratia Chriſti phyſice conſiderata eiuſdem eſt ſpeciei cum gratia, quæ cæteris iuſtis confertur, vt inferius à nobis probabitur. Sed gratia in cæteris ho-

hominibus iuſtis non præhabet ſua virtute huiuſmodi morales virtutes, ita quod effluant ex ipſa per ſimplicem emanationem, quod vniuerſi Theologi neceſſum eſt fateantur; conſtat enim quod is qui multis erat implicitus peccatis, & vitijs cum per pœnitentiam reparatur, & reddit in Dei gratiam, remanet male habituatus, & ad antiqua peccata propenſus, quod certe non contigeret ſi ſimul cum gratia has virtutes ex ipſa gratia reſultátes accepiſſet. Ergo neq. ex Chriſti gratia emanauerunt virtutes iſtæ per ſimplicem reſultantiam, neq. intra eius virtutem præhabitæ fuerunt, ad modum quo propriæ paſſiones in ſubiecti eſſentia præhabentur.

Secundo probatur. Nam ſi ex eſſentia gratiæ virtutes iſtæ aptæ ſunt per ſimplicem effluentiam dimanare, ſequitur eas ſimpliciter eſſe cenſendas per ſe, & ex ſuo genere infuſas, & ex conſequenti non diſtinctas ſpecie ab his virtutibus moralibus, quas per ſe infuſas grauiores Theologi appellant; nam habitus qui per ſe infunduntur ſimul cum habitu gratiæ minime debent cenſeri per ſe acquiſiti, ſed potius per ſe infuſi, ſicuti & ipſe gratiæ habitus, quem per ſe comitantur. Namque acceſſorium, vt ratio dictat naturalis, & explicunt iuris regula, naturam ſequitur principalis: conſequens autem magna eſt falſitate plenum. Ergo &c. Ex his ſequitur, quod ſi Chriſtus has virtutes ſimul cum humana natura accepit, infuſę ei fuerunt per actionem Dei ab infuſione gratiæ diſtinctam, quæ fuerit vera, & noua actio, & non ſimplex emanatio, & reſultantia naturalis.

Dico ſecundo, non eſt improbabile, quod ſicut Chriſtus authore S. Thom. 3. par. q. 9. art. 4. proprio exercitio acquiſiuit ſcientiam diſtinctam à ſcientia beata, & à ſcientia per ſe infuſa, ita & acquiſierit has morales virtutes, eaſque ſibi ſtudioſis actibus comparauerit: quod potuit efficere breuiſſimo tempore. Nam cum nullis paſſionibus impediretur, & ſupernaturalibus iuuaretur virtutibus, ſupernaturali præſertim prudentia, promptum ei fuit in ſtudioſas actiones, & eas quidem valde intenſas, & perſectas circa harum virtutum materias prodire. Poterit iſta ſententia probari ex illo ad Hebr. cap. 5. *Cum eſſet Dei filius, didicit ex his quæ paſſus eſt obediẽtiam.* Cui cõſentit id quod præced. cap. eiuſdem epiſt. habetur. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris tentatum per omnia, &c.* Ratione itidem eandem ſententiam probo. Prudentia, quæ præcipua eſt inter morales virtutes, vtpote, earum forma, & regula non fuit indita animæ Chriſti in eius conceptionis iſtanti, ſed proprio labore, & exercitamento ipſam comparauit. Ergo id ipſum erit de reliquis aſſerendum moralibus virtutibus ſuo genere acquiſibilibus. Probatur antecedens, in quo tota eſſe videtur argumenti difficultas; Chriſti anima non accepit ſpecies infuſas, ſed eas officio intellectus agentis acquiſiuit, vt docet, & probat S. Th. loco proxime citato. At prudentiæ virtus nequit cõſtare abſque intelligibilibus ſpeciebus: non enim valet in actum prodire niſi præſuppoſita obiecti apprehenſione, quæ medijs fit ſpeciebus. Ergo &c. Confirmatur. Scientia per ſe acquiſibilis non fuit Chriſti animæ infuſa, ſed eam proprijs actibus acquiſiuit, quam ſententiam ex S. Thom. dudum referebam: eadem autem eſſe apparet ratio de virtutibus hiſce moralibus. Ergo qua probabilitate dicitur, quod ſcientia per ſe acquiſita non fuit indita Chriſto, eadem poterit id ipſum de his moralibus virtutibus affirmari.

Dico tertio. Longè probabilius apparet has morales virtutes Chriſto fuiſſe per accidens infuſas in primo ſuæ incarnationis inſtanti, ſicut fuerunt Adamo in primo ſuæ conditionis momento per accidẽs inditæ. Doctiores S. Thom diſcipuli hanc tuentur communiter ſententiam, vti doctrinæ ipſius conſentaneam. Et probatur. Chriſto dignius fuit, & perfectius has omnes virtutes per infuſionem accipere, quam proprio labore, & exercitio comparare. At Chriſto id eſt tribuendum, quod dignius eſt, & perfectius: Ergo, &c. Maior propoſitio, quæ eſt ſententię huius præcipuum fundamentum, explicabitur, & probabitur ſimul in ſolutione confirmationis vltimo loco factæ pro contraria ſententia. Secundo probatur, Difficillime potuit Chriſto in breui tempore offerri occaſio exercendi ſe in officia, & actus omniũ moralium virtutum; Ergo non poſſet non per multum temporis interuallum his virtutibus carere, quæ eſſet magna imperſectio in Chriſti anima: quam imperfectionem vt euitemus: oportebit concedere has virtutes Chriſti animæ fuiſſe per accidens infuſas. Huius argumenti vis conſtabit amplius ex ſolutione prædictę confirmationis.

Igitur ad motiua contrariæ ſententię in pręcedenti dicto propoſitæ reſpondetur: & ad teſtimonia Paulina dico, in eis ſermonem fieri non de ſcientia, ſed de experientia. Vt ibidem cap. 5. exponit Gloſſa. Eſtque communis omnium interpretatio. Itaque Chriſtus experimento cognouit quæ, qualis, quantaue ſit virtutis obedientiæ difficultas. Et quoniam Paulus non de acquiſitione virtutis nouæ, aut de noua eius intenſione loquebatur, ſed de huiuſmodi experimẽto, quod erat cõueniens, vt haberemus Pontificem, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris: idcirco non dixit, quod Chriſtus acquiſiuit, & comparauit ſibi obedientiam aut ipſam perfecit, ſed quod eam didicit.

Ad rationem ex virtute prudentiæ deſumptam. Reſpondetur primo, ſatis vero ſimiliter poſſe dici intellectui Chriſti non fuiſſe quidem infuſas omnes naturalium rerum ſpecies per ſe acquiſibiles, vt relinqueretur locus officio intellectus agentis, cuius intereſt intelligibiles ſpecies ex rebus ſenſibilibus, ex earumque phantaſmatibus deſumere. Et ob id nec fuerunt Chriſto infuſæ per accidens omnes ſcientiæ per ſe acquiſibiles. Cæterum inditæ ei fuerunt in ipſo conceptionis inſtanti ſpecies intelligibiles circa proprias virtutum moralium materias: vt prudentia quæ eſt earum omnium Regina in ſuum poſſit actum prodire.

Secundo reſpondeo, quod Chriſti anima accepit per infuſionem diuinam ipſum virtutis prudentiæ habitum, qui eſt quædam habilitas, & habitualis intellectus practici inclinatio ad recte iudicandum, & efficaciter præcipiendum voluntati, ac reliquis humani ſuppoſiti potentijs, circa vniuerſas moralium omnium virtutum materias non vero ſpeculatrices accepit infuſas ſpecies, quæ antecedenter, ac præſuppoſitiue, & non eſſentialiter concurrunt ad prudentiale iudicium; ſed huiuſmodi ſpecies miniſterio in-

tellectus

tellectus agentis ipſe Chriſtus acquiſiuit. Ex quo ſequitur, quod licet humanus Chriſti practicus intellectus præditus eſſet omni virtute morali neceſſaria ad recta iudicia in materia omnium moralium virtutum ferenda: non tamen in hæc moralia iudicia ſe potuit exercere, priuſquam ſpeculatiuus intellectus intelligibiles ſibi compararet ſpecies, quæ verſarentur circa harum virtutum obiecta. Neque in hoc quidpiam eſt imperfectionis Chriſti dignitati; eiuſue ſtatui beatifico repugnantis, cum hæc imperfectio ſit humanæ naturę connaturalis & ob id fuerit à diuino verbo in ſua humanitate permiſſa, ne alia maior in ipſa imperfectio admitteretur, nimirum, quod intellectus agens, qui nobiliſſima eſt animę potentia, præcipuo, ſibique magis connaturali officio perpetuo relinqueretur priuatus. Eſt enim proprium huius intellectiuę virtutis officiũ, ſpecies intelligibiles per phantaſmatum ſingularium, & materialium illuſtrationem intellectui poſſibili ſuppeditare.

Sed iam ad confirmationem reſpondeo. Triplex inter ſcientias, & morales virtutes verſari diſcrimen, quod in hoc loco præcipuæ eſſe debet conſiderationis. Primum eſt, quod ſcientia, & quælibet intellectiua virtus, ſi moralis non ſit, non eſt in ratione virtutis perfecta ſimpliciter, ita vt habentem bonum ſimpliciter poſſit reddere; atque adeo ex harum virtutũ defectu nullus poterit malus abſolute vocari, neque proinde magnam imperfectionem inducit ſubiecto, & ſi aliqualem inſerat, aliunde tamen recompenſabilem. Cæterum morales virtutes, & bonum ſimpliciter faciunt habentem, & earum proinde defectus nõ poteſt in ſuo genere non eſſe magna imperfectio Chriſto indecentiſſima, quæ recompenſationem non admittit ex illa perfectione, quæ conſiſtit in eo, quod anima proprijs officijs, & actibus has ſibi comparet virtutes.

Secundum diſcrimen, quo primum iſtud explicatur amplius, ſic habet. Quod ſi ſcientia per ſe acquiſita fuiſſet per accidens infuſa Chriſto, intellectus agens perpetuo exiſteret in Chriſto priuatus illo officio ſibi proprio, quod in illuſtratione phãtaſmatum ad ſpecies intelligibiles à rebus deſumendas conſiſtit. At infuſis per accidens moralibus virtutibus Xp̃i animæ, adhuc eius potentiæ omnes exercere ſe poſſent circa harum virtutum obiecta in vniuerſas illas actiones, quæ ſunt ipſis potentijs proportionatæ. Nam operatio, qua virtus moralis acquiritur, eadem eſt ſecundum ſpeciem cum illa, quæ elicitur ab ipſa virtute acquiſita, & hæc eſt perfectior illa, & potentiæ operanti connaturalior. Vnde operationes elicitæ à virtutibus animæ Chriſti infuſis eiuſdem ſũt ſpeciei, cuius eſſent operationes, quibus ipſa Chriſti anima has ſibi comparaſſet virtutes, ſi diuinitus non accepiſſet infuſas: & quidem perfectiores, & potentijs animæ connaturaliores effectæ. Quare potentiæ animæ Chriſti nullo ſibi proportionato actu priuantur, ſed potius per harum virtutum infuſionem ad huiuſmodi actus perfectius, & ſuauius efficiendos diſponuntur.

Tertium denique diſcrimen eſt, quod ſcientia multo facilius, & citius proprijs animæ actibus acquiri poteſt, quam moralis virtus. Nam vnicus aſſenſus demonſtratæ concluſionis, qui ſolus eſt ſcientificus, poteſt generare ſcientiam in intellectu, eo quod ipſum plenè conuincit. At moralis virtus nonniſi multiplicatis poteſt actibus comparari, vt 1.2.q.51.ar.3. ſolet probari efficaciter. Et potiſſima ratio ea eſt, quod appetitus, ſiue rationalis, ſiue ſenſitiui inclinatio non totaliter vnico actu terminatur, & vincitur, ſed paulatim diſponitur: ita quod priores actus ſunt velut diſpoſitiones, quibus poſitis actus poſteriores habitũ generant. In moralibus præterea virtutibus eſt ſpecialis adhuc ratio, virtutis natura inſpecta, videlicet, quod virtutes omnes morales inuicem ſunt connexæ, & nequit proinde vna ſine aliarum conſortio rationem, & ſtatum virtutis ſimpliciter ſortiri. Atque adeo prolixo eget ſtudioſo exercitio cuiuslibet virtutis comparatio, exigit enim mutua, & alterna omnium moralium virtutum officia, & munia. Quæ ratio in ſcientijs ceſſat, neque enim talis eſt inter omnes ſcientias connexio, ſed quælibet ſeorſum poteſt abſque alijs perfectè acquiri: niſi de ſubalternatis ſcientijs ſpeciatim fiat ſermo, quæ per ſe pendent ex ſubalternantibus diſciplinis. Et hæc ſufficiant de virtutibus Chriſti, & Theologicis, & moralibus dicta.

DVBITATIO III. APPENDIX.

An in Chriſto fuerint dona.

DE Spiritus ſancti donis non tot ſe offerunt examinandæ difficultates. De dono timoris dumtaxat nonnulla dicemus. Nam quia rationem quandam mali, & culpæ, & pęnę intrinſeca ſua ratione claudit, videtur dedecere Chriſti animam, quæ ſemper fuit incapax omnis culpæ, & nunc poſt glorioſã corporis reſurrectionem, & mali pęnæ eſt etiam omnino expers. Vt autem hæc difficultas locum timoris dono in anima Chriſti, circa vllam eius indecẽtiã, permittat, Notanda ſunt duo.

Primum eſt, quod inter timorem, qui eſt paſſio (de quo diſputatur 1.2.q.41.) & donum timoris (de quo 2.2.q.19.) & conuenit, & differt. Conuenit quidem in eo, quod obiectum vtriuſque timoris intrinſecè, & formaliter reſpicit malum, differt autem in eo, quod potiſſimum obiectum timoris, qui eſt paſſio, eſt formaliter malum: at præcipuum, quod reperitur in obiecto timoris, qui eſt donum Spiritus ſancti, non eſt malum, ſed bonum, vt dicit S. Thom. 3.p. q.7.ar.6.ad 1. Ex hoc ſequitur, quod cum in obiecto doni timoris duo reperiamus, ſcilicet, eminentiſſimam Dei potentiam, quæ potens eſt cauſare malum in qualibet natura, permiſſiuè quidem malum culpæ effectiue vero malum pęnæ, & ipſum malum noſtrum culpæ, vel pęnæ: ad eſſentialem, & ſpecificam rationem obiecti doni timoris non pertinet ipſum malum ſiue culpæ, ſiue pœnę, ſed ipſa potentia diuina, prout eſt ſecundum ſe inflictiua vtriuſque mali. Hoc patet ex dictis, quia potiſſimum, quod reperitur in obiecto timoris doni, non eſt malum, ſed potius bonum, diuina, ſcilicet, excellentia, & potentia, cum aliquo tamen reſpectu ad malum. Non enim timor abſolute reſpicit ipſam potentiſſimam Dei excellentiam, ſed cum reſpectu ad vtrumque illud malum pœnę, & culpæ; quatenus nimirum, potens eſt, vtrumque iſtud malum rationali creaturæ infligere,

iuxta modum nunc expoſitum. Secundo ſequitur, quod donum timoris in hominibus iuſtis viatoribus habet geminum actum, alterum primarium quo reſpicit diuinam potentiam, vt inflictiuam mali, & alterum ſecundarium, qui reſpicit ipſum malum culpę, & ſeparationis à Deo. Tertio ſequitur, quod vt reperiatur donum timoris in Chriſto, in cęteriſque Beatis, & quantum ad actum, & quantum ad habitum, ſatis fuerit, quod reſpiciat obiectum primarium, ſcilicet, excellentiam diuinam, vt inflictiuam mali: & quod poſſit exire in actum primarium, qui verſatur circa iſtud obiectum, quamuis circa ſecundarium obiectum, malum videlicet culpæ, aut pœnæ nullam poſſit habere operationem. Sed aduerte, quod iſte actus primarius doni timoris, quamuis diuinam excellentiam per ſe reſpiciat, & idcirco timor reuerentialis merito nuncupetur, non tamen eſt actus elicitus à virtute Religionis, quæ eſt virtus moralis infuſa, cuius obiectum eſt ipſa Dei authoris gratiæ excellentia. Quoniam religio reſpicit diuinam excellentiã abſolute conſideratam, actus vero iſte reuerentialis reſpicit eandem excellentiam diuinam, vt mali inflictiuam: ſicuti habitus fidei non reſpicit primam veritatem abſolute, ſed vt obſcure reuelatam, & reuelantem.

Secundo eſt notandum. Quod licet non ſit certa fides, quod in Beatis maneat habitus doni timoris, imo nec quod maneat eius actus, certa tamen fide tenendum eſt, in Chriſto reperiri donum timoris, ſaltem quoad actum. Eaque eſt diſcriminis ratio inter Chriſtum: & reliquos beatos, quod illud teſtimoniũ, pſal. 18. quo fundatur potiſſimum timoris permanẽtia in beatis [Timor Domini ſãctus pmanet in ſæculum ſæculi] legitimam habet explicationem, videlicet quod permanet in æternum in beatis, non eſſentialiter, & in ſemetipſo, ſed in ſuo termino, & effectu, in præmio, ſcilicet, vitæ æternæ, in quo omnia opera bona dicuntur in perpetuum perſiſtere. Colligitur hæc explicatio ex S. Auguſt. 14. de ciuitate, cap. 19. Cęterum ille locus Iſa. cap. 11. *Repleuit eum Spiritu timoris domini*. Ex quo colligitur in Chriſto reperiri timorem, eſt adeo manifeſtus, vt non poſſit aliter intelligi, quam de ipſo timore eſſentialiter, & formaliter ſumpto. Confirmatur hoc ex eo, quod cũ Chriſtus Dominus non meruerit gloriam animæ ſuæ per actum timoris, aut per aliam operationem meritoriam, quia collata fuit illi ſine meritis: non poteſt veroſimiliter dici, quod timor permaneat in Chriſto, non eſſentialiter, ſed in ſuo termino, & proprio effectu, com gloria eius animæ non fuerit effectus, aut terminus timoris. Cum his tamen quæ diximus, oportet abſolute fateri, ita vt oppoſitum non ſit in fide tutum, timorem ſanctum, nimirum, filialẽ formaliter, & eſſentialiter permanere in omnibus beatis, iuxta illud Iob cap. 26. *Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius:* per columnas cœli intelligunt multi ſancti, præſertim Gregor. lib. 17. moral. cap. 15. Angelos beatos. Eandem ſententiam docet S. Auguſtin. vbi ſupra, & eſt communis doctrina ſanctorum, & ſcholaſticorum in 3. d. 24. Vnde falſus fuit Durand. docens in illa diſt. donum timoris reperiri quidem in beatis quantum ad habitum, non vero quo ad actum. Imo multo certius eſt, quod reperitur quantum ad actum, quia Scriptura ſacra, & ſancti Patres, cum loquũtur de timore beatorum, parum curant de habitu, ſed de actu eſt illis ſermo, ex primeua ſaltem intentione.

Sed adhuc vrget difficultas. Nam malum, quod per ſe terminat actum timoris, debet eſſe malum imminens, quod iudicio non ſolum ſpeculatiuo, ſed etiam practico iudicetur eſſe poſſibile. Nemo enim timet, quod cęlum ruat, & ſi ſpeculatiue iudicet poſſibilem eſſe cęli ruinam. Sed Chriſtus non iudicauit vnquam iudicio practico imminere ſibi aliquod malum pręſertim culpæ; erat enim ſecurus nihil tale ſibi futurum: Ergo in nullum vnquam actum timoris ſe exercuit humana Chriſti voluntas. Reſpondetur. Quod malum moraliter poſſibile, & qui iudicio practico imminens iudicatur, non pertinet ad primarium & formale obiectum doni timoris, ſed eſt obiectum timoris ſeruilis, & eius qui eſt paſſio, vnde circa ipſũ, vt primarium obiectum fertur iſte timor. Ad donũ timoris, licet ſe habeat, vt habitus fugitiuus, & non proſequutiuus, quia tamen, vt obiectum primarium, & formale non reſpicit malum, ſed ipſam Dei excellentiam, vt ſumme potentem omni creaturæ malum quodlibet, ipſam etiam à Deo ſeparationem inferre: non oportet; quod eliciat actum circa malum imminens, & moraliter poſſibile, ſed circa malum ſimpliciter poſſibile negociatur. Itaque iudicium quo humanus intellectus Chriſti, aut cuiuſlibet beati intellectus iudicat, & practice conſiderat eminentiam diuinæ poteſtatis ſupra creatã ipſius naturam, & quod poſſet ſi vellet eam in nihilum vertere, in omnemque miſeriam conijcere: quamuis certus ſit id nunquam eſſe futurum, ſatis ſuperque fuerit ad excitandum ipſum doni timoris actum. Sed notandum, quod actus hic licet reuerentialis timor, quam ſępius ſoleat appellari, non eſt tamen ſolius reuerẽtiæ actus, nam actus huiuſmodi ad virtutem religionis ſpectat: ſed intrinſecum importat reſpectum ad malum, quod à Deo poſſet infligi: vnde eſt actus ſpiritualis cuiuſdam fugæ, qui eſſentialiter ad donum timoris attinet.

Sexta Concluſio principalis. §. 5.

NOn eſt certa fides, ſic adeo, vt oppoſitum aſſerere ſit manifeſta hæreſis, aut manifeſtus error in fide, quod gratia Chriſti, de qua in præcedenti cõcluſione, ſit habitus ſuperadditus animæ Chriſti, & ab ipſa realiter diſtinctus, eſt tamen hoc adeo certũ, vt oppoſitum ſit temerarium, ac periculoſum valde, & errori proximum. Circa hanc concluſionem notandum eſt nouiores Theologos non eadem via procedere in eius explicatione. Quidam arbitrantur manifeſtam eſſe fidei veritatem, gratiam habitualem Chriſti, eſſe vere habitum infuſum ab eius anima realiter diſtinctum. In quam ſententiam ex eo mouentur, quia exiſtimant in Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 11. definitam haberi ſententiam illam, quæ docet quemlibet hominem iuſtum iuſtificari formaliter per gratiam, & iuſtitiam intrinſecam, quę eſt habitualis qualitas infuſa animæ, & ab ea realiter differens. Alij vero quamuis arbitrentur certa fide tenendum eſſe, quod cæteri homines iuſtificantur per gratiam, quæ ſit habitus infuſus animæ: dicunt tamen hoc non ita certũ eſſe de iuſtificatione animæ

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti. Et probant. Quoniam in Concil. Tridentino locis citatis nullatenus fit ſermo de iuſtificatione animæ Chriſti, ſed de iuſtificatione impij dumtaxat. Mihi autem cum quibuſdam Theologis grauiſſimis, inter quos eſt Med. 3. p. q. 7. ar. 1. apparet dicendum, quod eadem certitudine, qua tenendum eſt, hominem purum, imò, & impium iuſtificari per gratiam, quæ ſit qualitas habitualis infuſa animæ credendum eſt Chriſti animam ſanctificatam fuiſſe per conſimilem gratiam habitualem ipſi ſuperadditam. Probatur primo, Concil. Trid. propter teſtimonia ſcripturæ ſacræ, & ſanct. Patrum, in quibus aſſeritur modus, quo iuſtificantur impij decreuit hominem iuſtificari per gratiam, & iuſtitiam illi inhærentem, & eius cordi diffuſam. Sed iuſtificatio animæ Chriſti facta per habitualem gratiam eodem modo, & eiſdem verbis, & adhuc expreſſioribus explicatur in ſacris litteris, & apud Patres, quibus exprimitur impij iuſtificatio. Ergo id, quod definit Conc. de impij iuſtificatione, neceſſario debet extendi ad ſanctificationem animæ Chriſti. Probatur minor. Iuſtificatio impij in ſcripturis ſacris exprimitur per ſanctificationem, per diffuſionem Spiritus ſancti, & per internam ſpiritualem vnctionem, ſed vt ex ſupradictis conſtat: Chriſtus in ſacris litteris appellatur ſanctificatus, vnctus ſpirituali vnctione, & gratia Spiritus ſancti diffuſa dicitur in ipſo, & præterea nominatur plenus gratia, & Spiritu ſancto, diciturque ſpiritus Domini in eo requieuiſſe: quæ appellationes præſertim vltima, apertè denotant habitualem gratiæ permanentiam in eius anima. Ergo, idem eſt de gratia Chriſti ferendum iudicium, quod ad præſens attinet inſtitutum, quod tulit S. Synod. de gratia impium iuſtificante.

Secundo probatur. Secluſa peccati expulſione eadem omnino ratio eſt de modo iuſtificationis animæ Chriſti, quæ eſt de iuſtificatione impij: ſuntque ſimpliciter eiuſdem eſſentialis ſpeciei: ſicut & gratia Chriſti, & noſtra eiuſdem ſpeciei eſſentialis eſſe, inferius probabimus. At vbi eadem eſt ratio, vt habet canonica regula, eadem eſſe debet, & iuris diſpoſitio. Quæ regula non ſolum locum habet in iure præceptiuo, ſed & in iure definitiuo veritatis fidei. Ergo, &c.

Quanta autem certitudine tenendum ſit, impium iuſtificari per gratiam, quæ ſit verè habitualis qualitas realiter diſtincta ab anima, non eſt præſentis loci explicare, ſolet tractari 1. 2. q. 62. art. 1. & q. 63. art. 3. Summatim dico primo in huius rei explicatione. Secundum fidem tenendum eſt, quod impij iuſtificatio non fit abſque reali immutatione animæ, & ſpirituali eius renouatione. Pro hac veritate legãtur Theologi ſcholaſtici cum Magiſt. in 2. d. 33 & in 4. d. 17. Inter modernos, Decanus Louanienſis, in articulo de iuſtificatione. Cardinalis Oſius in lib. pro defenſione fidei, Magiſter Vega lib. 7. ſuper ſeſſionem 6. Conc. Trid. cap. 21. vſq. ad 24. Somnius lib. demonſtrationum Chriſtianæ Relig. trac. 2. per totum, & præcipue cap. 7. Mag. Soto lib. 2. de nat. & grat. c. 17. & ſeq. Hi authores referunt pro hac veritate immunera ſacrarum litterarum, & Patrum teſtimonia, quæ ſunt omnino legenda.

Dico ſecundo. Exiſtimo certa fide tenendum eſſe hanc realem animæ immutationem, & renouationem eſſe habitualem, id eſt, permanenter ſe habentem in anima. Probatur primo Conc. Trident. locis citatis eodem modo definit de iuſtificatione adultorum & paruulorum: at certum eſt paruulos iuſtificari per ſanctitatem, & gratiam habitualiter permanentem, ergo doctrina Concil. accipienda eſt de renouatione, & immutatione habituali. Secundo probatur. Illa Concilij verba, ſcilicet, *illabi, & diffundi*, denotant apertè habitualem permanentiam, præſertim illud verbum diffundi, ſeu infundi, quoniam hoc verbum improprie accommodatur ſpiritualibus operationibus charitatis, contritionis, &c. quibus iuſtificatur impius. Nam cum operatio ſit elicita à potentia, improprie dicitur infundi, ſeu diffundi ab extrinſeco principio. Ergo &c. Tertio probatur ex illis verbis Concil. ſeſſ. 6. cap. 7. *Recipientes iuſtitiã vnuſquiſque iuxta propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Quibus verbis ſancta ſynodus condiſtinguit iuſtitiam ſuſceptam à Deo in anima, ab operationibus ſupernaturalibus, fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ &c. quibus anima diſponitur, & cooperatur Deo ad ſuam iuſtitiam, & gratiam; ergo iuſtitia quam anima recipit à Deo infuſam, diſtinctũ quid eſt à ſupernaturalibus operationibus ipſius animæ: atque adeo non poteſt eſſe, niſi quid habituale. Confirmatur, & explicatur argumentum ex illis verbis Concil. ead. ſeſſ. can. 3. *Si quis dixerit hominem poſſe ſine Spiritus ſancti adiutorio credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ecce vbi iuſtificationis gratia, quæ confertur animæ diſtinguitur ab omnibus operibus ſupernaturalibus, quæ concurrunt in ipſa iuſtificatione. Ergo præter omnes ſupernaturales actiones, quæ in ipſa iuſtificatione interueniunt, infunditur à Deo animam iuſtificante iuſtitia habitualis, quæ perſeueranter anima iuſtificata permanet, & ſanctificata. Nec ſatisfuerit dicere. Concilium in hoc can. 3. id ſolum aduerſus hæreticos intendere, quod actiones pure naturales non ſufficiunt animam ad iuſtificationis gratiam præparare. Et quod non erat animus Concilij definire diſtinctionem iuſtificantis gratiæ à ſupernaturalibus his actionibus. Hoc, inquam, non ſatisfacit. Quia Concilium reuera condiſtinguit iuſtificantem gratiam ab actionibus, quæ ad ipſam diſponunt: & hoc quidem non ſolum cum tradebat doctrinam fidei, ſed in canone quo definiebat ipſam fidei veritatem: ergo impertinenter ad occultam Concil. intentionem recurritur, cum eius intentio ex verbis can. conſtet.

Dico tertio. Non eſt veritas fidei, ita vt oppoſitum ſit manifeſtus error, quod gratia iuſtificationis ſit verus habitus, ſeu vera qualitas habitualis. Oppoſitum huius dicti cenſuerunt, ante tempore Trident. Concil. Scotus in 3. d. 23. & Gabr. ibidem, & apertius, Guido Carmelita, qui ſententiam negantem gratiã eſſe habitum infuſum, refert inter errores, & hæreſes. Veruntamen hi authores ſine cauſa rationabili ita cenſuerunt, quoniam ante Conc. Trid. ſententia, quæ negabat habitus infuſos, & virtutes infuſas, non modo non erat fidei contraria, ſed inter probabiles Theologorum opiniones connumerata fuit ab Innoc. III. in c. Maiores de bapt. Et cum hæc ſententia in Conc. Viennenſi fuiſſet delata ad iudicium

Eccleſiæ

Eccleſiæ, non fuit damnata, vt erronea, ſed habita vt minus probabilis oppoſita. Poſt definitionem vero Concilij Tridentini ſententia, quæ conſtituit habitus infuſos, maius accepit certitudinis robur, Magiſter Vega cenſet contrariam ſententiam eſſe errorem in fide, & id ipſum inſinuat, Decanus Louanienſis locis citatis. Cæterum noſtra ſententia aſſeritur à grauiſſimis Theologis Magiſtro Cano. lib. 7. de locis cap. 2. Magiſtro Med. vbi ſupra, & t. 2. q. 110. ar. 2. & Baneſ. in 2. 2. quæſt. 23. artic. 2. inſinuaturque à Magiſtro Soto loco citato. Exiſtimoque hanc ſententiam eſſe magis communem inter Theologos noſtræ ætatis.

Et probatur. Nec intentio Conc. Trid. neque eius verba nos cogunt, vt accipiamus hanc ſententiam tanquam ipſius Concilij definitionem: ergo non eſt veritas fidei. Antecedens probatur. Et primo de intentione conſtat ex eo, quod Magiſter Soto, & Magiſter Andreas de Vega qui adfuerunt Concilio, dicunt Concil. in prædictis definitionibus conſulto abſtinuiſſe à nomine habituum. Quod non alia ratione fieri potuit, niſi quia Concil. non intendebat definire ſententiam ſtatuentem habitus infuſos, ſed tantum definiebat contra hæreticos Luteranos iuſtificationem animæ non fieri abſque aliqua interna ſpirituali renouatione, & immutatione per ſolam extrinſecam imputationem iuſtitiæ Chriſti, aut per ſolum Dei fauorem. Nam ſi ſententiam ſtatuentem habitus infuſos definire intendebat Concil. male abſtinuiſſet, & id quidem conſulto, à nomine habituum, quod non eſt vllo pacto de tam graui, & celebri Concilio cenſendum. Quod vero Conc. verba non tam vrgeant pro hac veritate, vt illam reddant certam in fide. Probatur, illud verbum, Inhęrere reperimus vſurpatum à ſacro Concilio in quadam ampliſſima acceptione, ita vt non denotet veram habitualem inhærentiam, ſed qualemcunque inhæſionem, ſeu exiſtentiam rei per modum habitus inhærentem. Nam ſeſſ. 5. definit Concil. quod peccatum originis ineſt vnicuique proprium. At inhærentia originalis peccati non eſt inhærentia habitus cuiuſpiam realis, & veri, cum peccatum ſit formaliter priuatio quædam. Quo circa cum Conc. definit hominem iuſtificari per iuſtitiam ſibi inhærentem, non cogit nos illa dictio, inhærentem, vt conſtituamus gratiam, quæ ſit verus, & realis habitus. Similiter aliud verbum, quod in eadem definitione habetur ſcilicet, infundi ſeu diffundi, non cogit vt ſtatuamus veri habitus infuſionem. Quoniam ſimile verbum habemus in ſacris literis expreſſum de iuſtificatione hominis, & tamen è ſolis litteris ſacris nunquam Theologi graues collegerunt hanc veritatem certam eſſe in fide. Nam, vt ſupra dicebam, ante Concil. Triden. contraria ſententia non iudicabatur ab Eccleſia improbabilis. Simili ratione reſpondendum eſt ad argumentum, quod quidam deſumunt ex ſeſſ. 5. eiuſdem Conc. vbi cum Concil. loqueretur de paruulorum iuſtificatione, multa interpoſuit verba, quæ videntur deſignare habitualem gratiam, & iuſtitiam. Cęterum eadem omnino verba reperiuntur in ſacris litteris, in quibus fit ſermo de iuſtificatione, ſiue paruulorum, ſiue adultorum. Quare cum hæc, & ſimilia verba in ſacris ſcripturis poſita, non tantam vim habeant, vt veritatem iſtam certam faciant in fide, quin, vt dicebam, ſententia contraria ante Conc. Trident. tempora, vt probabilis habebatur opinio: qua ratione induci poterit peritus Theologus, vt aſſeueranter dicat, ex eiuſdem verbis in ſacro Concil. Trid. poſitis ſententiam hanc de habitibus infuſis fidei Catholicæ certitudinem obtinuiſſe? Cum ſacrū Concil. nuſquam definiat, quod hęc verba maiorem vim habeant, quam olim à peritiſſimis Theologis iudicabantur habere, ſed ſimpliciter his verbis vtatur ad extirpandam Lutheranam hæreſim, quæ intrinſecam, & inhærentem animæ iuſtitiam negauit. Sed rogat quiſpiam. Si non reperitur qualitas ſpiritualis in anima iuſtificata illi ſuper infuſa, quo pacto poterit verificari, id quod ſecundum fidem diximus eſſe tenendum, puta, quod in iuſtificatione neceſſario requiritur realis immutatio animę, & ſpiritualis innouatio. Reſpondetur. Quod huiuſmodi realis animæ immutatio poſſet fieri in anima immediate à Deo abſque ſuperaddita qualitate; & tunc immutatio hæc, quamlibet formaliter loquendo ſupernaturalis eſſet, realiter identificari poſſet cum anima, aut cum eius potentijs, ad eum modum quo multi Methaphyſici probabiliter concedunt ſubſtantiā, & accidens quandoque realiter identificari ſalua eorum formali diſtinctione: nam ita dicere tenentur, de relatione ſubſtantialis ſimilitudinis, quæ inter indiuidua eiuſdem ſpeciei v. g. inter Petrum, & Paulum reperitur, illi Metaphyſici doctores quibus perſuaſum eſt, relationem cum ſuo fundamento idẽtificari. Quod ſi ſubſtantia, & accidens realiter identificari poſſunt, quid mirum ſi inter potentiam animę v. g. voluntatem, quę eſt accidens, & inter ſupernaturalem immutationem, quæ ſimiliciter accidens eſt, ex diuina omnipotentia ſimilis reperiatur identitas? Nam duo accidẽtia in modo eſſendi, etiam ſi diuerſi ordinis ſint, alterum naturalis, & alterum ſupernaturalis, maiori conuenientia inter ſeſe coeunt, quam accidens, & ſubſtantia, etiam ſi vtrumque naturalis fuerit ordinis.

Eſt autem obiter aduertendum, quod huiuſmodi ſupernaturalis immutatio cum humana voluntate identificata, in adultis quidem fieret per proprium eorum actum, videlicet, per actum charitatis, & dilectionis Dei ſuper omnia. Et exiſtimo quanquam nonnulli, ex nouioribus Theologis contradicant, quod ipſe charitatis actus ex propria ſui natura, & ratione vim habet efficiendi immutationem prædictam in voluntate creata, cuius ratione voluntas etiam ſi Deus non infunderet ei charitatis habitum, habitualiter maneret conuerſa ad Deum. Non tamen eam haberet vim ad eliciendum ſimilem charitatis actum, quam nunc illi præſtat ipſe habitus charitatis infuſus, quod ſuppleret, in caſu quo excluderemus habitus infuſos ab anima, ipſe Deus intimè aſſiſtens animæ, & eius potentijs, vt ipſis opitularetur ſpeciali adiutorio, cum in actus ſupernaturales oporteret prodire. In paruulis autẽ illam immutationem ſupernaturalem per modum habitus manentem in anima defixam efficeret Deus immediatè, & ſe ſolo, ſupplens vicem ſupernaturalis habitus. Nam licet non poſſit Deus ſupplere vicem potentiæ vitalis ad efficiendum actum vitalem, poteſt tamen ſupplere vicem ipſius actus reſpectu effectus ex ipſo actu reſultantis.

Sed

Digitized by Google

Sed dices. Ex iſtis, quæ hactenus diximus, & explicuimus, quomodo intelligi valet, in humana voluntate poſſe eſſe ſupernaturalem conuerſionem ad Deum per modum habitus permanentem, quæ re ipſa eſſet conuerſio pertinens ad charitatem: Sed tamen adhuc ſupereſt explicandum, quid tunc eſſet in anima ſupernaturalis ordinis, quod reſponderet habitui gratiæ, ita quod formaliter, & intrinſecè redderet animam Deo gratam, & dilectam. Nam hoc neceſſarium eſt ad formalem intrinſecam, & inhærentem animæ iuſtitiam ſaluandum, quam ſancta Synod. Trid. ad impij iuſtificationem definiuit eſſe neceſſariam. Reſpōdetur, quod quemadmodū ſuppoſita veriſſima ſententia, quæ in animæ iuſtificatione ſupernaturales, & infuſos admittit habitus, nō eſt neceſſe conſtituamus habitum gratiæ ab habitu charitatis diſtinctum. Nam iuxta probabilem Scoti ſententiam. Vnus, & idem habitus charitatis induit formalem rationem habitus gratiæ, & per illum habitualiter anima eſt & dilectrix Dei, & à Deo dilecta, ipſique grata. Ita in caſu poſito prædictā ſupernaturalis conuerſio vi ad ſummum bonum vtriuſq; habitus & charitatis, & gratiæ ſuppleret defectum, atq; animam proinde formaliter conſtitueret Deo gratam, ipſiq; dilectam, id eſt, efficeret illam obiectum proportionatum, & congruum diuinę dilectioni, diuinæque amicitiæ.

Vltimo dico quod licet argumenta, quæ ſumuntur ex definitione Concil. Triden. non efficiant certam ſecundum fidem ſententiam ſtatuentem habitus infuſos, reddūt tamen illam adeo certam, vt oppoſita ſit falſa, improbabilis, temeraria, periculoſa, & errori proxima. Quoniam ſi ſecludamus habitus infuſos magna cum improprietate poterunt explicari verba, quibus Concil. vtitur in prædictis definitionibus: & fere accedimus ad errorem Lutheranū, qui negat iuſtitiam infuſam, & inhærentem animæ. Quem errorem euadere minimè poſſumus, niſi confugiamus ad modum iuſtificationis valde miraculoſum, & parum intelligibilem, & qui parum conſentit ſuauitati, quam diuina prouidentia in rerum tùm naturalium, tùm maximè ſupernaturalium diſpoſitione ſeruare ſolet. Diſponit enim omnia, & fortiter, & ſuauiter. Sed de his hæc nunc breuiter dixiſſe ſufficiant, nam alibi locupletiori tractatione erunt explicanda.

SECTIO IV.

Vbi principale argum. in contrarium diſcutitur per ſequentem Dubitationem.

AD ſolutionem argumentorum, quæ fuerunt à principio quæſtionis propoſita, noſtra neceſſum eſt properet diſputatio.

DVBITATIO APPENDIX.

Vtrum Chriſtus per gratiam vnionis ſit ſimpliciter ſanctus.

IN primo argumento ea ſe nobis explicanda difficultas inſinuat, quæ non leue viris doctiſſimis faceſſit negotium, Num videlicet, Chriſtus vt homo, per gratiam vnionis ſit ſimpliciter ſanctus, Deo gratus, & acceptus, itaque id quæritur. An ſi animo fingamus, verbum humanitatem aſſumpſiſſe habituali gratia, & reliquis Spiritus ſancti chariſmatibus non ornatam, Chriſtus vt homo ſanctus eſſet ſimpliciter. Deoque gratus, & acceptus. Et idipſum de facto quærimus. An illo priori ſigno rationis, & naturæ, quo humanitas aſſumpta à verbo præintelligitur ipſi ſupernaturalium habituum infuſioni, præintelligatur etiam ſancta, & Deo accepta, ita quod Chriſtus vt homo in illo ſigno rationis eſſet ſimpliciter ſanctus, & gratus Deo. Conſulto dixi, vt homo, nam quod ſit ſanctus, & ſanctiſſimus, charuſque & dilectiſſimus Patri, vt eſt Deus, veruſque Dei filius, nullam difficultatem ad diſputandum habet. Nam ipſe æternus Pater huius veritatis nos reddidit certiſſimos, cum referente Mattheo c. 3. publica voce dixit, *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* De Chriſto ergo qua ratione eſt homo præſens verſatur difficultas.

Et probatur primo negatiua ſententia. Chriſto vt homini non repugnat ab intrinſeco peccatum, ſiue mortale, ſiue veniale. ergo ex vi gratiæ vnionis, habituali gratia ſemota, non conſtituitur ſanctus ſimpliciter, & gratus Deo. Conſequentia apparet manifeſta: quoniam ſi cum gratia vnionis poteſt ex natura rei compati mortale peccatum in Chriſti humanitate, manifeſtum eſt, quod gratia vnionis non habet ex ſe conſtituere Chriſtum ſimpliciter iuſtum, & Deo gratum. Nam idcirco ſecundum probabiliorem, imo veram ſententiam, cum gratia habituali ſtare nequit mortale peccatum, (quamcumque Dei potentiam attendamus) quia gratia hæc ſua natura habet ſanctificare animam, & illam formaliter conſtituere Deo gratam, & acceptam. Antecedens vero probatur, vniuerſæ rationes, quibus ſuperiùs circa ſecundam concluſionem adnitebamur probare Chriſtum vt hominem nullatenus peccare poſſe, aut inordinatum quempiam motum admittere, non ex aliqua intrinſeca humanitatis à verbo aſſumptæ diſpoſitione, ex qua illi proueniat peccandi impoſſibilitas procedunt, ſed ad extrinſecam prouidentiam verbi, qua humanitati à ſe aſſumptæ ſpecialiter prouidet, tota eorum vis, & efficacia reducitur. Ergo veriſſimum eſt antecedens.

Confirmatur huius argumenti vis. Diuinum verbum, prout vnione hypoſtatica humanitati coniungitur non habet rationem formæ ipſam humanitatem actuantis, & informantis, neque vero rationem habet effectiui principij eandem immutantis humanitatem; ſed ſolam exequitur rationem termini ſuppoſitaliter complentis, & terminantis naturam humanam, quam aſſumpſit. Ergo ex vi ſolius vnionis hypoſtaticæ nulla in humanitate Chriſti aſſignabilis eſt realis immutatio, & diſpoſitio, cui vel habituale, vel actuale repugnat peccatum, ac proinde ex ſola extrinſeca verbi prouidentia, conſideranda eſt tota peccandi impoſſibilitas. Et vrgeo amplius huius argumenti vim oſtendendo, quod illa ſpecialis verbi prouidentia, ex qua prouenit peccati impoſſibilitas, debeat vocari extrinſeca humanitati Chriſti, ad eū modum, quo mihi extrinſeca eſt prouidentia, quam Deus habet de me, deq; actib. meis; quod ſic probo. Prouidentia, & cura qua verbum ſuę

humanitati prouidet communis eſt toti Trinitati, ex equo tribus diuinis perſonis competẽs: ergo ſicut prouidentia, qua Pater prouidet humanitati Chriſti, extrinſeca eſt ipſi humanitati, ita & prouidentia verbi, quamlibet ſit ſpecialiſſima, extrinſeca, debet eidem humanitati cenſeri.

Probo antecedens. Actus prouidentiæ, de qua loquimur non procedit immediatè ab intellectu humano, aut ab humana voluntate, ſed immediatè ab ipſo diuino intellectu, diuinaq; voluntate verbi prouenit. At omnis operatio verbi quæ immediatam habet habitudinem ad diuinum eius intellectum, ſeu ad voluntatem diuinam, æque competit Patri, & Spiritui ſancto: eo quod eadem eſt voluntas, eadem virtus, idem intellectus, in his tribus diuinis perſonis. Neque ad eiuſmodi operationem verbum concurrit vi ſuppoſitum humanæ naturæ, ſed potius vt diuinitatis ſuppoſitum: ergo, &c. In maiori præmiſſa poſita eſt tota huius argumenti difficultas, quam ſic probo. Specialis illa verbi prouidentia in qualibet humanitatis operatione ordine rationis, & naturæ antecedit actionem intellectus humani, & voluntatis humanæ Chriſti: quia iſtæ humanæ potentiæ operantur in Chriſto ſubordinatè ad ipſam prouidentiam, & iuxta eius operationem in proprias exeunt actiones. Ergo hæc verbi prouidentia cum ipſas humanitatis actiones ſaltem ordine naturæ præcedat, non poteſt eſſe actus elicitus ab his humanis potentijs, ſed immediatum habet reſpectum ad potentiam verbi diuinam, quæ toti eſt Sanctiſſimæ Trinitati communis.

Secundum argumentum. Eſſe formaliter gratum, ſanctum, & rectificatum in ordine ad ſupernaturale finem, eſt formalis effectus, & quidem primarius habitualis gratiæ. Ergo Chriſtus vt homo ex vi ſolius gratiæ vnionis, non eſt formaliter Deo gratus, & ſimpliciter ſanctus, & rectus in ordine ad ſupernaturalem finem. Conſequentia nota eſt. Quia effectus formalis primarius cuiuſpiam formæ non eſt ab ea ſeparabilis. Confirmatur. Bene ſequitur, Chriſtus vt homo non habet Dei gratiam, ergo non eſt Deo gratus. Atque adeo in illo rationis, ſeu naturæ ſigno, in quo ipſa vnionis gratia præintelligitur gratiæ habituali, Chriſtus non intelligitur gratus, & acceptus Deo.

Verum dices. Vnionis gratia eminenter præhabere gratiam habitualem, vnde illum met effectum quem præſtat habitualis gratia, poteſt Chriſti humanitas à gratia vnionis ſuſcipere: atque adeo ſola vnionis gratia ſufficiens eſt, vt Chriſtus gratus, & acceptus Deo, atque etiam ſanctus dicatur. Contra, ſequitur ex hac ſolutione, quod ſola vnionis gratia abſque lumine gloriæ, & abſque beatifica viſione conſtituat hominem ſimpliciter, & formaliter beatum. Conſequentis autem falſitatem nullus eſt, qui non videat: Ergo inſufficiens eſt ſolutio aſſignata.

Tertium argumentum. Gratia habituali à Chriſti anima ſemota, Chriſtus vt homo non eſſet ad æternam vitam acceptus: Ergo non eſſet ſimpliciter Deo gratus, & acceptus, ac proinde, neque ſimpliciter ſanctificatus. Conſequentia patet, nam illa dũtaxat eſt dilectio Dei ſimpliciter, qua quis à Deo diligitur ad æterna bona, quæ in faciali Dei viſione, in ipſiuſque Dei fruitione conſiſtunt. Nam Deum diligere aliquem ſimpliciter, non eſt aliud, quam velle illi bonum, quod eſt verum, æternum, & immutabile bonum. Sed antecedens probatur. Deus in illo caſu non vellet Chriſto, vt homini gratiam: Ergo neq; vellet ei gloriam. Patet conſequentia. Tum quia gloria eſt gratia conſummata, Tum etiam, quia Chriſti anima non eſſet ſine gratia, & charitate ſufficienter diſpoſita ad gloriam: At qui non vult alicui ſubiecto ſufficientem diſpoſitionem ad aliquam formã, neq; vult ei ipſam formam. Ergo, &c.

Quartum argumentum. Sequitur ex ſententia contraria, quod ſi ipſe Dei filius naturam leoninam aſſumeret, vt leo formaliter, & ſimpliciter diceretur gratus, & acceptus Deo, ac itidem ſanctus, ratione hypoſtaticæ vnionis. Conſequens quandam præſefert abſurditatem: Ergo, &c. Sequelam probo. Quia ſecluſa habituali gratia, ſecluſiſque cæteris ſupernaturalibus dõnis habitualibus, & actualibus eiuſdem prorſus eſt rationis vnio verbi hypoſtatica cum leonina natura, cuius eſt vnio verbi diuini cum humanitate. Neque maius & fœlicius donum acciperet humanitas, quam natura leonina. Vtraque enim acciperet infinitum verbi ſuppoſitum: Ergo, &c.

Quod ſi dixeris humanitatem ita ſuppoſitari in diuino vèrbo, ab ipſoque perſonaliter aſſumi, quod ex vi huius aſſumptionis poteſt habitualem gratiam & ſupernaturalia omnia dona ſuſcipere, quæ ex vi vnionis ſunt ei debita, & connaturalia: quod in leonina natura non contingeret, eo quod incapax eſt omnino horum cœleſtium donorum. Contra. Ergo humanitas Chriſti, neque ſancta eſt, neq; Deo grata, & accepta, niſi ratione gratiæ habitualis, ac proinde per gratiam vnionis, erit quidem grata, & ſancta radicaliter, eo quod ipſa vnionis gratia radix eſt habitualis gratiæ, non vero formaliter, & ſimpliciter erit grata, & ſancta: ac proinde, neque Chriſtus vt homo ratione ſolius hypoſtaticæ vnionis ſanctus eſt, Deoque gratus, & acceptus. Sicut homo per rationalitatem riſibilis eſt radicaliter, eo quod riſibilitas in rationalitate, vt in prima radice præhabetur, formaliter vero, & ſimpliciter non dicitur riſibilis, niſi per proximam ridendi potentiam, quam riſibilitatem vocamus.

Quintum argumentum. Chriſtus, ſecũdum quod homo non eſt Deo gratus, & dilectus, vt Dei filius naturalis, quia Chriſtus vt homo non eſt naturalis Dei filius, vt affirmat S. Tho. 3. p. q. 23. ar. 2. ad primum. Neque eſt gratus per gratiam habitualem, ſupponimus enim humanitatem omni habituali gratia carẽtem: Ergo Chriſtus nulla ratione gratus eſſet Deo, & dilectus, ſi fingamus caſum argumenti, nimirum, quod Chriſti humanitas in puris eſſet naturalibus aſſumpta, atque adeo ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis, neq; ſanctus eſt, neq; Deo gratus, & acceptus.

Hæc ſunt argumenta, quæ pro negante ſententia mihi viſa ſunt alicuius momenti, & quæ ipſam videtur probabilem efficere. Verũ pro affirmante opinione, mox proponam argumenta non leuioris ponderis, vt præcipuis vtriuſque ſententiæ argumentis libratis, vero ſimiliorem deligamus.

Primum argumentum pro affirmatiua ſententia deſumitur ex grauiſſimis Sãct. Patrum teſtimonijs, quibus

Digitized by Google

quibus aſſeritur Chriſtum Dominum ex vi hypoſtaticæ vnionis ſanctificatum fuiſſe,& ſpirituali oleo inunctum: quam ſanctitatem,& ſpiritualem vnctionem ad habitualem gratiam, & ad reliqua Spiritus ſancti dona minime referunt, ſed ad ipſam dumtaxat vnionis gratiam. In Concil. Francfordienſi ſub Adriano primo dicitur. *Alij Reges,qui typum illius prætulerunt, & regnando conſortes dicti ſunt, oleo corruptibili ſunt inuncti, hic vero filius Dei à Deo Patre oleo exultationis,hoc eſt reſurrectionis, aſcenſionis, dominationiſq; eſt delibutus.* Quia Chriſtus natura vnctus, nos per gratiam, quia in illo pleniter fuit diuinitas. Ecce quemadmodum ſpiritualem Chriſti vnctionem non ad gratiam,ſed ad naturam,ideſt, conceptionem Chriſti virtute Spiritus ſancti factã, in qua verbum factum eſt caro: non ad gratuitam Spiritus ſancti donationem, ſed ad ipſam verbi diuinitatem in Chriſto pleniter habitantem ſancta hæc Synodus reuocauit. Cui doctrinæ ſatis videtur conſentire illud,quod Angelus ad Beatam Virginẽ dixit. Luc. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei.* Quibus verbis apertè inſinuauit Angelus Chriſti ſanctitatem non ad aliquam ſpecialem Spiritus ſancti gratiam ipſius animæ infundendam, ſed ad ipſam Chriſti generationem, & naſcentiam reducendam fore. Hanc enim vim habent verba illa, quod ex te naſcetur ſanctum. Et hæc planè videtur eſſe vnctio illa de qua Dan. 9. dicitur, *Vngatur ſanctus ſanctorum.* Fiebat enim ibi ſermo de vnctione illa Chriſti Domini, in qua terminum, & finem habuerunt Prophetiæ,& promiſſiones olim factæ de Meſſia venturo in mundum.

Gregor. Nazianzen. oratione 36. num. 7. loquens de diuina ſapientia incarnata, & vnctione eius ita dicit, Creauit me Deus,inquit,principium viarum ſuarum ad opera ſua. Opera autem ipſius veritas,& iudicium,quorum cauſa diuinitate delibutus eſt. Hæc enim humanitatis vnctio eſt. Et numero 93. ita inquit. [Chriſtus vero,propter diuinitatem. Ideſt, appellatur Chriſtus, & vnctus propter diuinitatem. Ita,quod diuinitas eſt oleum,quo Chriſtus fuit vnctus.] Vnde continuo ſubiunxit Diuus iſte Gregor. [Ea enim,nimirum, diuinitas humanitatis vnctio eſt,nõ operatione,vt in alijs Chriſtum ſanctificans,ſed totius vngentis præſentia: cuius hic effectus eſt, vt id, quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur Deus fiat,] Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 29. dicit Chriſtum vocari vnctum non ſicut alios Reges, & ſanctos, ſed quia Verbum caro. Et in lib. de fide ad Theodo. in fine dicit de Ieſu,quod incarnatione fuit Chriſtus,id eſt,vnctus. Orig. hom. 2. in Luc. *Rectiſsimè plenus ſapientia & gratia perhibetur; Sapientia quidem, quia in ipſo eſt omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,gratia vero, quia eidem mediatori Dei, & hominum, magna gratia donata eſt, vt ex quo homo fieri cœpiſſet, perfectus eſſet, & Deus.* Ecce Chriſtum in eo plenum eſſe gratiæ dicit,quod ſimul eſt verus homo,& perfectus Deus. Si ergo hoc Chriſtum plenum gratiæ conſtituit,& ipſum quoque efficit ſumme gratum Deo, ac plenè ſanctificatum. Et in quadam hom. in octaua Natiu. [Vngi inquit,oleo lætitiæ nihil aliud eſt,quã Spiritu ſancto repleri, vngitur anima Chriſti cum verbo vnitur,& non Spiritus ſanctus,ſicut Prophetis eis datus eſt, ſed ipſius verbi Dei in eo ſubſtantialis inerat plenitudo.] Ecce quemadmodum ſpiritualem Chriſti vnctionem Orig. cenſet fuiſſe ipſam vnionẽ verbi,cum humanitate. A qua ſententia non recedit lib. 2. Periarchon, c. 6. Nicetas lib. 3. c. 3. ipſe inquit, ſeipſum vnxit,diuinitas enim humanitatis vnctio eſt Damaſc. lib. 3. de fide c. 3. ipſe ſe ipſum vnxit,vngens quidem,vt Deus ſua deitate corpus,vnctus autem,vt homo,nam ipſe eſt hoc,& illud ſiquidem vnctio humanitatis,deitas,

Idem fere dicit Damaſc. oratione 1. de Imag. ante medium,& lib. 4. de fide c. 6. vbi refert Nazianz. & Cyrill. Dionyſ. Alexan. in Epiſt. contra Paul. Samoſ. in principio dicit, Chriſtum non indigere externa vnctione,quia ipſe eſt per ſe vnctus. D. Greg. lib. 9. Epiſtolarum Epiſt. 61. huic quamplurimum fauet ſententiæ, cuius verba fere ad literam tranſcripſit Anſelmus Epiſtola ad Hebr. cap. 1. Ita inquiens de Chriſto non conceptus, & poſtmodum vnctus, ſed hoc ipſum de Spiritu ſancto vngi fuit. Videatur etiã pro hac ſententia Fulgent. lib. de incarnatione,& gratia, c. 20. q. 10.

Denique S. Athanaſius in oratione 2. contra Arrianos,hanc ſententiam ſua auctoritate confirmauit. Verſans enim illa verba, pſal. 44 *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* In hunc ſenſum ea exponit. Quod *quia Chriſtus cœleſtis, & nouiſsimus Adam ea ratione,qua homo Deus, non poterat non diligere iuſtitiam. & odio habere iniquitatem, ideſt, non poterat à ſanctitate, & iuſtitia deficere ſicut Primus, & terrenus Adam defecerat, Idcirco præfectus fuit cæteris iuſtis omnibus,qui ſunt ſanctitatis eius participes, vt eſſet eorum caput, atque adeo præ illis omnibus exultationis oleo, ideſt, Spiritus ſancti gratia, & donatione inunctus perhibetur.* In qua grauiſſima Athanaſij doctrina,duo ſunt expendenda, Alterum pro concluſione tertia ſuperius poſita, qua ſtatuimus Chriſtum gratia habituali fuiſſe præditum, quatenus manifeſtum eſt, Athanaſium admittere in Chriſto vnctionem Spiritus ſancti per habitualem gratiam,& reliqua ſpiritualia chariſmata factam. Quod illis verbis. Atque adeo præ illis omnibus,&c. manifeſtiſſimè dicit. Alterum vero pro iſta ſententia affirmatiua, quã probare adnitimur, quatenus Doctor hic ſanctiſſimus,fatetur prius rationis ordinẽ ſanctitatem,& rectitudinem fuiſſe Chriſto connaturalem,quam Spiritus ſancti perungeretur chariſmatibus. Quod ex prioribus citati teſtimonij verbis apertè colligi, nullus eſt,qui non videat. Legatur etiam Aug. lib. 3. contra Maxi. c. 16. in fine.

Secundo hæc eadem ſententia probatur. Chriſtus ſecundũ quod homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei naturalis, vt S. Tho. docet,& explicat 3. p. q. 24. ar. 2. Et hoc quidem nullo habito reſpectu ad habitualem gratiam,non enim ad gratiam habitualem, aut gloriam prædeſtinatus eſt Chriſtus, quod inſertus eſt à nobis probandum. At prædeſtinatio intrinſecè claudit dilectionem Dei, Imo eam præſupponit, ſecundum rationis ordinem. Nam prius intelligimus Deum dilexiſſe,Imo,& elegiſſe aliquem ad tale, vel tale bonum,quam quod ad idem bonum eum prædeſtinauerit. Quod in 1. par. quæſt. 23. ſolet explicari. Ergo Chriſtus, vt homo ſecluſa habituali gratia,ſicut eſſet prædeſtinatus, vt eſſet Dei filius natu-

ralis, ita & eſſet dilectus à Deo, & ad tantum bonũ prælectus. Neque vero irrationabiliter prælectus dicitur, cum ad ſimile bonum potuerit etiam Angelus eligi. Poterat enim eligi Angelus ad tantum bonum, nam potuit verbum naturam ſibi Angelicam hypoſtatica vnione copulare, ſicut & copulauit humanam. Verum non Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. In quo conſiſtit vera prælectio, qua Deus hominem prætulit Angelo. Vnde rationis ordine ſequuta fuit prędeſtinatio, qua Chriſtum, vt hominem, & non vt Angelum prædeſtinauit eſſe filium Dei naturalem. Si ergo Chriſtus ratione ſolius gratiæ vnionis, non habita conſideratione ad habitualem gratiam, fuit dilectus Deo, & gratus: vera eſt ſententia hæc: in cuius probatione verſamur.

Confirmatur ex illo Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. *Prædeſtinata eſt iſta humanæ naturæ tanta & tam excelſa ſubuectio, &c.* Ergo Naturæ humanæ ex vi prædeſtinationis fuit vnitum verbum, atque adeo, & ex vi dilectionis Dei.

Tertio arguitur. Vnio hypoſtatica humanitatis ad verbum maximum eſt, & ſummum beneficiũ naturæ rationali à Deo communicabile, ſed communicatio tanti boni non poteſt non eſſe maxime gratuita, & ex pręcipuo Dei amore procedens: Ergo quod diuinũ verbum humanitatem aſſumeret, intrinſecè claudit præcipuam dilectionem, qua Deus ipſam aſſumptam humanitatem fuit proſequutus: atq; adeo ex vi hypoſtaticæ vnionis grata fuit, & accepta ſimpliciter prius natura, quam ipſam intelligamus gratia habituali exornari. Non vero potuit eſſe Deo ſimpliciter grata, niſi rectificata ſimul fuerit, & ſancta: Ergo ex vi ſolius gratiæ vnionis Chriſtus, vt homo, gratus eſt, & ſanctus ſimpliciter, &c.

Confirmo ex illo Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ex quo teſtimonio deduco, quod ſimili, & maiori adhuc cum exageratione dicere poterat Euangeliſta Ioan. Sic Deus hanc Chriſti humanitatem dilexit, vt ei filium ſuum vnigenitum per hypoſtaticam vnionem daret. Ergo Chriſtus, vt homo ſummè eſt dilectus à Deo. Nam Deum aliquem diligere, vt retro dicebam, nihil eſt aliud, quam velle illi bonũ, & ſumme diligere, eſt ei velle ſummum & maximum bonum: atque adeo humanitas Chriſti, cui tantum bonum voluit Deus, nõ potuit hac ratione non eſſe præcipuo amore dilecta, ac Deo perinde maxime grata.

Quartum argumentum. Chriſti Domini humanitas ex vi hypoſtaticæ vnionis, omni etiam habituali gratia ab eius anima ſemota, non poteſt nec venialiter peccare, ita quod oppoſitum contradictionem inuoluit, vt probauimus circa concluſionem ſecundam huius quæſtionis: Ergo ex vi ſolius vnionis, antequam intelligeretur eleuata per habitualia Spiritus ſancti dona, fuit rectificata, & ſanctificata ipſa Chriſti humanitas: atque adeo & fuit Deo grata, & accepta: quia non potuit odio haberi à Deo, imo & in ſenſu compoſito, vnione ſcilicet ad verbum ſuppoſita, non potuit non ſummè diligi: vt pote quæ ad hoc tantum hypoſtaticæ vnionis bonum non potuit non acceptari.

Quintum argumentum. Humanitas ex vi ſolius vnionis hypoſtaticæ induit dignitatem magnam in ſupernaturali ordine, qua dignitate nulla poteſt maior in alia quacunque creata natura reperiri; ergo grata fuit & dilecta Deo ex vi vnionis, omni habituali gratia ſecluſa. Conſequentia apparet nota. Nã diuina voluntas rem quamlibet ſua dilectione dignã infallibiliter diligit, iuxta id, quod Deus per Eſaiam 43. Iſraelitico populo dicebat. *Ex quo honorabilis factus es, & glorioſus in oculis meis, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & gentes pro anima tua, &c.* Imo huiuſmodi honor, & dignitas oritur ex ipſo diuinæ voluntatis amore. Sed antecedens probatur, ex eo, quod S. Doct. 1. p. q. 25. ar. 6. ad quartũ, inquit, quod humanitas Chriſti ex hoc, quod eſt vnita Deo, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte nihil poteſt ipſa fieri melius.

Sexto tandem & vltimo pro eadem ſententia ſic argumẽtor. Chriſti humanitati ex vi vnionis ad verbum debetur habitualis gratia, debenturque reliqua omnia ſupernaturalis ordinis dona, quibus Chriſti anima ad finem ſupernaturalem mirè perficitur, & eleuatur: Ergo ex vi vnionis Chriſtus, vt homo, ſimpliciter & formaliter eſt ſanctificatus, & Deo gratus. Probatur conſequentia (antecedens enim in ſecunda controuerſia probabitur) vt quis ſit gratus, & ſanctus formaliter, & ſimpliciter nihil requiritur aliud, quam quod odio non habeatur, neque poſſit haberi a Deo: & quod in ſeipſo habeat propter qđ ſit dignus ad bona ſupernaturalia acceptari, ſiue de facto acceptetur, ſiue non. Quemadmodum ſi Deus hominem habituali gratia præditum non acceptaret ad gloriam, eſſet ipſe nihilominus formaliter, & ſimpliciter gratus, & iuſtus, Deoque dilectus, ideſt, dignus dilectione diuina, & acceptatione ad gloriã. Sed Chriſtus, vt homo ex vi vnionis eſt dignus pręcipuo Dei amore, quia eſt dignus gratia, quæ eſt debito connaturalitatis debita, eſtq; dignus acceptari ad gloriam. Ergo ſimpliciter eſt cenſendus gratus Deo, & acceptus, atque adeo & ſanctificatus.

Et confirmantur hæc omnia ex illo Ioan. cap. 10. *Quem pater ſanctificauit, &c.* Quæ verba commodam habent intelligentiam, de ipſa verbi incarnatione. Quæ à Chriſto hoc in loco humanitatis ſanctificatio vocatur. Ergo vera eſt hæc poſterior opinio.

In hoc dubio, quod non eſt ad modum facile ad diſſoluendum, diuerſa Theologorum inueniuntur placita; Nam omnes illi Theologi, quorum ſuperius meminimus circa ſecundam concluſionem principalis quæſtionis, qui putant Chriſto vt homini non intrinſecè repugnare peccatum, etiam mortale, conſequenter fateri tenentur, quod & quidam eorum fere explicitè dicunt, Chriſtum, vt hominem, ex vi ſolius gratiæ vnionis non eſſe ſimpliciter ſanctum, & gratum Deo, ipſiq; dilectum, & acceptum. Et quidem hæc opinio conſectaria eſt ad prædictam eorũ ſententiam, qua cenſent peccatum non habere intrinſecam repugnantiam cum humanitate Chriſti, vt à verbo aſſumpta. Nam ſi ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis Chriſti humanitas ſimpliciter eſſet ſanctificata, Deoq; grata, & accepta: ex vi etiam ſolius vnionis intrinſecam haberet ad mortale peccatum contrarietatem.

Alij vero Theologi, quorum ſententiam retulit Palud. in alio extremo dixerunt, Chriſtũ per gratiã

vnio-

Digitized by Google

vnionis tam eſſe ſanctum, iuſtum, Deo gratum, & acceptum, vt ſit otioſa, & ſuperflua in ipſo habitualis gratia cum omni ſuo ſpirituali donorum, & chariſmatum cœtu. Inter has duas extremas ſententias duas alias intermedias reperio. Quarum altera fatetur quidem habitualem gratiam, cæteroſque ſupernaturales habitus minime otioſos eſſe, & ſuperuacaneos in Chriſti anima, quin potius quamplurimum expedire, & ad eius ornatum, & ad ſupernaturales functiones ſuauiori, & connaturaliori modo exequendas. Sed nihilominus addit iſta ſententia, quod prius natura quam intelligamus Chriſti animam habitibus his ſupernaturalibus perfici, intelligimus illam ſimpliciter, & formaliter Deo gratam, ſanctam, iuſtam, & ipſi Deo acceptã, ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis. Quam ſententiam non leuiter confirmant argumenta à nobis ſecundo loco formata, & præſertim argumentum primum, quod grauiſſimis Patrum teſtimonijs innititur, neque illi refragatur ſacræ ſcripturæ authoritas, vt ex dictis in eodem primo argumento liquet. Alia denique intermedia ſententia, quæ nouioribus quibuſdam Theologis placet, affirmat duo. Alterum, quòd Chriſti humanitas ex vi hypoſtaticæ vnionis ſancta eſt, & iuſta negatiuè, ideſt, quod nullum poteſt peccatum neque actuale, neque habituale admittere, etiam per abſolutam Dei potentiam. Alterum vero, quod ex ſola gratia vnionis non habet, quod ſit ſimpliciter, & poſitiuè grata, ſanctificata, & iuſta ſuper naturali ſanctitate, & iuſtitia, ſed hoc illi tantum præſtat habitualis gratia reliquis ſupernaturalibus virtutibus, & donis cõmitata. Ducuntur huius ſententiæ authores in eius perſuaſionem quibuſdam argumentis, ex his, quæ in prima parte huius dubij propoſuimus. Quorum præcipuum argumentum apud ipſos eſt illud, quod eſſe gratum, & ſanctum formaliter, eſt formalis effectus, & quidem primarius habitualis gratiæ, quem proinde non poteſt præſtare Chriſti animæ ipſa vnionis gratia.

Primum dictum.

IN deciſione huius dubitationis. Primam ſtatuo concluſionem. Chriſti humanitas ex vi ſolius vnionis ad verbum ſancta fuit negatiuè, ideſt, peccãdi impoſſibilitatem induit. Hæc concluſio magna ex parte probata manet ex dictis ſuperius circa cõcluſionem ſecundam principalis quæſtionis. Quare nunc breuiter me ab eius probatione expediam. Et quidem ſi ſecundum abſolutam Dei potentiam accipiatur, non continet adeo ſolidam veritatem, vt certa ſit fide credenda. Neque oppoſitam eius ſententiam erroris, aut manifeſtæ temeritatis nota inurendam fore crediderim. Sed cenſeo nihilominus ſententiam iſtam, quam præſens affirmat concluſio, ſacrorum Conciliorum decretis, & Patrum teſtimonijs, imò & ſacrarum ſcripturarum elogijs tam eſſe conſentaneam, vt oppoſita ſententia non poſſit non Chriſtianas aures aliquantulum offendere, Conſulantur ſuperius dicta. Si vero de facto, & ſecundum ordinariam Dei potentiam intelligatur præſens concluſio, certũ eſt fidei Catholicæ dogma. Quod in ſacris literis habetur expreſſum 1. Pet. c. 2. *Qui peccatum non fecit, neque dolus inuentus in labijs eius*. Ioan. cap. 8. & alijs capitulis Chriſtus apertè dicit ſe in omnibus diuinam fuiſſe ſequutum Patris voluntatem: *Ego*, inquit, *quæ placita ſunt ei*, ideſt Patri, *facio ſemper*. Quod & Paulus ad Philip. 2. illis verbis, *factus obediens vſque ad mortem*, expreſſit. pſ. 44. de Chriſto, Paul. ad Hebr. 1. interpretante, dicitur. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, &c.* Ad Hebr. 7. *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, &c.* Paul. 2. Cor. c. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, ideſt, hoſtiam pro peccato fecit*, iuxta phraſim qua Oſeæ cap. 4. dicitur de ſacerdotibus, *Peccata populi mei comedent*. Ita interpretantur Auguſt. lib 14. contra Fauſtum, & lib. contra epiſt. fundamenti. Ambroſius, S. Thom. & multi expoſitores in illum Pauli locum, &c. Denique hanc veritatem illis verbis Chriſtus Ioan. 8. nobis teſtatam reliquit. *Quis ex vobis arguet me de peccato*: Ratione item probatur. Diuinum verbum in Chriſto ſupplet vicem proprij humanitatis ſuppoſiti. Sed ſuppoſitum proprium teneretur, ſi poſſet, omne peccatum ab ea repellere. Ergo licet non ex præcepto, (quia nullius eſt capax) ex honeſtate tamen idipſum pertinet ad diuinum verbum. Legenda ſunt Concil. & Patrum teſtimonia ſuperius allata circa primam concluſionẽ principalem, quæ, vt minimum hanc veritate aperta definitione comprobant.

Secunda ratio. Chriſtus ab inſtanti incarnationis fuit beatus, repugnat autem peccatũ beatifico ſtatui: Ergo ſecundum ordinariam ſaltem potentiam Chriſtus impeccabilis ſemper fuit.

Sed contra hanc veritatem opponuntur duo ſacræ ſcripturæ teſtimonia, ex quibus videtur colligi Chriſtum aliquando peccaſſe. Primum ex Pſal. 21. *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum, &c.* Quæ verba ad literam in Chriſti perſona fuiſſe propheticè aſſerta, nullus eſt, qui dubitare rationabiliter poſſit, vt ex argumento ſequenti conſtabit.

Reſpondetur iuxta regulam Ticonij ab Auguſti. lib. de doctr. Chriſt. probatam. Chriſtum ibi non loqui in perſona propria, ſed vt membra ſua repræſentans, eorum peccata ſua vocat. Conſentaneè ad illud, quod ipſe actor. 9. Paulo Eccleſiam perſequenti dixit, *Saule, Saule quid me perſequeris?* Hanc expoſitionem proſequitur eleganter Gregor. Nazianzen. oratio 36. num. 17. & ſequentibus. Vide Theodoret. prædictum Pſal. verſiculum interpretantem, & Damaſc. lib. 3. de fide.

Sed aduertat Theologus non eſſe liberè hac metaphorica loquendi phraſi vtendum. Ob quam libertatem damnatus fuit in Concil. *Baſilienſi ſeſſ.* 22. Quidam Auguſt. de Roma, qui extendens hunc loquendi modum colligebat Chriſtum quotidie peccare, quia eius membra aſſiduè peccant. Poſſent ſecundo hæc verba ita exponi. Cum hæc delicta mea non ſint, ſed falſa Iudæorum æſtimatione mihi impoſita, quare tam ſunt longè à ſalute mea? In quo ſenſu intelligitur illud, pſal. 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam*, & illud pſal. 39. (quem pſal. de Chriſto intellexit Paul. ad Hebr. 10.) *Comprehenderunt me iniquitates meæ, &c.* Ita interpretantur Auguſt. & Hylar. ibidem.

Secundum teſtimonium ex eodem, pſal. 21. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti*. Quæ

Digitized by Google

ſunt eademmet illa verba à Chriſto in agone paſſionis poſito prolata, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me, &c.* Quæ verba quandam Chriſti impatientiam, imò, & deſperationem præſeferre videntur, vt quidam noſtri temporis hæretici blaſphemantes, & inſanientes intellexerunt: quam blaſphemiam videat Theologus apud Lindan. in 2. dialog. Et apud Prateol. verbo Antichriſtiani, & verbo Præmoſtratenſes.

Sit autem prima expoſitio, quod in vtroque iſto loco. Chriſtus loquitur non in perſona propria, ſed vice membrorũ, quorũ ipſe eſt caput. Ita Aug. epiſt. 220. c. 6. Leo primus ſerm. 16. & 27. de paſsione Domini, & Damaſc. lib. 3. c. 24.

Secunda expoſitio eſt, quod Chriſtus ibi in perſona propria loquebatur, Et ipſum dereliqui, fuit non exaudiri eius orationem, quam ad Patrem in horto in agonia poſitus fudit. Ita Leo. vbi ſupra. Origen. hom. 35. in Matth. admittit quidem hanc intelligẽtiam, nimirum, quod Chriſtus in perſona propria loqueretur. cũ illa protulit verba; dicit tamen, quod Chriſtum non exaudiri à Patre, fuit ſpeciali conſolatione priuari ſecundum partem inferiorem. Ita quod Chriſtus eo modo derelictus eſt malo pœnæ ſubiacere, talibuſque, ac tantis paſſionibus affici, quo peccator derelinquitur à Deo, cum in malum culpæ ruit. Fueruntque verba illa à Chriſto pronunciata, vt grandem doloris, & paſſionis ſuæ acerbitatem oſtenderet, & vt notum fieret eum verè, & propriè pati, & non ſolum apparenter. In qua re tanto confirmata teſtimonio non defuerunt adhuc hæretici, qui naufragium paterentur. Non refragatur huic intelligentiæ Tertullian. contra Praxeam, dicitque ibi prædicta verba fuiſſe à Chriſto, vt homine, prolata, vt oſtenderetur diuinitatis impaſſibilitas. S. Cyrill. lib. 1. ad Reginas doctè animaduertit illa verba, vt quid dereliquiſti, non dubitantis eſſe, ſed dolentis & gementis. Vti Exod. 32. dicebat Moyſes. *Quare iraſceris domine?* & pſal. 42. Pſalmiſta dicit. *Quare me repuliſti, &c.*

Secundum Dictum.

CHriſtus, vt homo, ex vi hypoſtaticæ vnionis prius natura quam fuerit præditus habituali gratia, ſimpliciter fuit ſanctus, gratus, & acceptus Deo ſanctitate, & gratitudine perſonali: quæ proinde gratitudo, & ſanctitas conueniret Chriſto, etiam ſi ab eius humanitate ſecluderetur ipſa habitualis gratia. Iſta concluſio adeo certa eſt (ni fallor) vt eius oppoſitum, nec cum probabilitate, nec cum ſecuritate affirmari queat. Quam efficacisſimè ſuadent argumenta, quæ in patrocinium affirmantis ſententiæ, in ſecunda huius dubij parte paulo ſuperius formauimus, &c.

Et ipſam præterea in hunc modum confirmo. Vnio hypoſtatica eſt verè, & propriè gratia, & ita communiter à Theologis vnionis gratia nuncupatur. Quæ gratia facta fuit Chriſto non vt Deo, ſed vt homini: Ergo ex vi eius, Chriſtus, vt homo, gratus eſt, & acceptus Deo, atque adeo, & ſanctus. Ad intelligentiam vero huius concluſionis, & omnium, quæ dicemus poſt hac in præſenti dubio.

Notandum eſt primo, quod cum in hac concluſione diximus Chriſtum ex vi hypoſtaticæ vnionis gratum eſſe gratitudine perſonali, non intendimus, quod ipſa Chriſti perſona ſit Deo grata. Nam res eſt ſine controuerſia, quod perſona Chriſti, eſt infinitè ſancta, & grata Deo. Eſt enim filius Dei dilectiſſimus, in quo Pater bene ſibi complacuit. Et eſt etiã in Theologia manifeſtũ, qđ hęc infinita sãctitas, & gratitudo nõ cõpetit perſonæ Chriſti ex vi hypoſtaticæ vnionis, aut ex gratia vnionis, ſed ex æterna generatione, qua naturalis Dei filius ex patris vtero ipſi æqualis, & conſubſtantialis prodijt. Perſonæ namque Chriſti nulla potuit gratia fieri, neque diuina filiatio ex vi cuiuſpiam gratiæ ei poteſt competere. Non enim per gratiam, ſed per naturam eſt naturalis Dei filius. Quocirca loquimur de Chriſto formaliter includendo ipſam eius naturam humanam, & id affirmamus, quod ſubſtãtialis gratitudo, & ſanctitas perſonæ diuinæ, nempè, verbi, ex vi hypoſtaticæ vnionis communicata eſt Chriſti humanitati, non accidentaria aliqua participatione, ſed communicatione ſubſtantiali, qua verbi perſonalitas communicata eſt humanitati, & humanitas verè, & propriè perſonaliter terminatur, & cõpletur ipſa diuini verbi perſonalitate, in qua ſubſtantiali communicatione conſiſtit vnionis gratia. Neque vlla valet cogitatione comprehendi, quod hoc eſſe diuinum perſonale humanitati communicetur, & quod ipſa non præcipuo amore à Deo diligatur, quia velle illi tantum bonum, eſt ipſam diligere, & amare dilectione præcipua: atque adeo non poteſt Chriſti humanitas nõ eſſe valde grata, & accepta Deo. Neque poteſt non eſſe ſanctiſſima perſonali ſanctitate, quatenus ad ipſam pertinet ipſa ſanctiſſima verbi perſonalitas, eam perſonaliter complens, & terminans.

Notandum ſecundo, quod Chriſtus Dominus triplici gratitudine eſt gratus, & dilectus Deo. Prima eſt neceſſaria ſubſtantialis, & omnibus modis infinita, quæ ipſam Chriſti perſonam, vt vltimum terminum per ſe primo reſpicit, eſtq; dilectio, & gratitudo illa, qua Pater naturali dilectione diligit Chriſtũ, prout eſt naturalis, & vnigenitus eius filius. Quæ proinde non ob id gratitudo dicitur, quia ſit effectus gratiæ, & alicuius gratuiti doni, ſed dicitur gratitudo obiectiuè, in eo ſenſu, in quo id totum, quod voluntati placet, ipſi gratum dicitur, & acceptum, ſiue libera, ſiue neceſſaria dilectione & complacentia placeat. Secunda etiam eſt ſubſtantialis, & infinita, ſed terminatur ad aliquid finitum, ad humanam, videlicet, Chriſti naturam, ex qua parte non eſt neceſſaria, ſed libera ſimpliciter. Et hæc eſt gratitudo, quæ ad gratiam vnionis pertinet, qua Deus voluit humanitati infinitum & ſubſtantiale bonum, ipſum, nempè, perſonale eſſe diuini verbi. Itaq; illudmet diuinũ eſſe verbi, quod Deus naturali, & neceſſario amore ſecundum ſeipſum ab æterno dilexit, vt ipſum dilectionis obiectum; libera quoque & ſpontanea dilectione amauit per ordinem ad humanitatem, & ad temporalem communicationem, ideſt, voluit ipſum humanitati communicare, ac amauit proinde illud, vt donum humanitati communicandum. Et quoniam hæc communicatio fuit tantum perſonalis, neq; aliter eſſe potuit, quia diuinitas non poteſt per ſe primo, & immediatè humanitati communicari, prout eſt forma, & natura diuina, ſed tantum in ra-

tione perſonalitatis. Idcircò hæc gratitudo verè, & propriè perſonalis dicitur, & ſi ad naturam humanā cui facta fuit gratia termineretur. Et in eo ſenſu gratitudo dicitur, vt deſignet effectum gratiæ, ideſt, doni gratuiti, & ſummi beneficij ex gratuita dilectione collati, ſcilicet, hypoſtaticæ vnionis: quæ verè fuit grata, & gratuitum donum, immenſumque, & ineffabile beneficium Chriſti humanitati collatum.

Eſt tertia denique gratitudo accidentalis, & participata, & non ſimpliciter infinita. Et hæc eſt, quæ conuenit Chriſti humanitati per habitualem gratiam, qua diuinæ naturæ participium ei formaliter communicatur. Hæc gratitudo non perſonalis eſt, ſed potius formalis, ideſt, conſiſtit in communicatione formæ perficientis, & eleuantis humanam Chriſti naturam. Et hæc tertia gratitudo conuenit quidem cum ſecunda, in eo, quod vtraque eſt effectus liberalis, & gratuitæ dilectionis, & vtraque conſiſtit in communicatione beneficij gratuiti. Differt autem in duobus ab ipſa. Primò, quod illa eſt ſubſtantialis, nam bonum gratuitò collatum humanitati eſt ipſamet ſubſtantialis diuini verbi perſonalitas. Hæc autem eſt accidentalis, nam tota ſita eſt in communicatione diuinæ naturæ per formam accidentariam, qua ſubiectum fit diuinæ naturæ particeps. Secundo, quod illa eſt perſonalis, quia bonum humanitati per ſe primo collatum, ipſa tantum eſt verbi perſonalitas per modum perſonalitatis humanitati vnita. Iſta vero eſt formalis, ideſt, per modum formæ actuantis, & eleuantis humanitatem Chriſti, & communicantia illi non perſonalitatem verbi, aut cuiuſpiam alterius diuinæ perſonæ, ſed ipſammet diuinitatem, prout eſt forma, eſſentia, & natura tribus diuinis perſonis communis. Vnde duplici ex cauſa formalis gratitudo vocatur: & quia eſt effectus formæ, ſcilicet, habitualis gratiæ, & quia conſiſtit in participio naturæ diuinæ ſecundum rationem naturæ, & ſubſtantialis formæ. Et in hoc vtroque ſenſu appellabitur deinceps à nobis formalis gratitudo, & ſanctitas. Ex dictis, ergo, ad propoſitum colligo: quod cum triplex in Chriſto diſtingui poſſit diuina gratitudo eſſentialis, perſonalis, & formalis: noſtrá hæc ſecunda concluſio non de eſſentiali, quæ Chriſto tantum, vt Dei filio, naturalis eſt, & propria: neque de formali, quæ effectus eſt habitualis gratiæ, ſed de perſonali dumtaxat eſt accipienda. Vnde concluſio hæc de illa gratitudine eſt intelligenda, quæ ad vnionis gratiam ſpectat. In quo ſenſu illam oſtendunt veriſſimam argumenta ſecundo loco facta.

Tertium Dictum.

CHriſtus ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis non eſt ſimpliciter gratus formali gratitudine, ſed tãtum radicaliter. Probatur prior huius concluſionis pars. Gratitudo formalis eſt effectus formalis, & primarius habitualis gratiæ, vt ex ijs, quæ dudum aſſerebam, fiet legenti manifeſtum. Ergo ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis, & prout ordine naturæ gratiam habitualem antecedit, Chriſtus nequit eſſe ſimpliciter gratus, & ſanctus formali gratitudine, & ſanctitate. Priorem hanc concluſionis partem efficaciter probant quædam argumenta ex informatis pro negatiua ſententia in priori parte huius dubij. Poſterior pars concluſionis ſola eget explicatione. Et id affirmat hæc concluſionis pars, quod ſicut rationalitas eſt radicaliter riſibilitas, quia ex rationalitate oritur naturaliter: ſed quamdiu non intelligitur in homine ipſa riſibilitas, homo riſibilis ſimpliciter minimè dicitur, ſed riſibilis radicaliter, in quo ſenſu ſolet a quibuſdam vocari riſiuus: Ita Chriſtus ratione vnionis tantum radicaliter eſt ſanctus, & gratus gratitudine formali, quia habitualis gratia, cuius eſt effectus hæc gratitudo formalis, radicaliter præhabetur in vnione.

Ex his duabus poſtremis concluſionibus fere omnia argumenta in vtramque partem poſita facillimam accipient ſolutionem. Sed rogat nos, quis vtra ſit potior in Chriſto gratitudo, & ſanctitas, perſonalis, ac formalis. Huic dubitationi per quartum dictum reſpondeo.

Quartum Dictum.

SAnctitas & gratitudo perſonalis potior eſt, & perfectior ſanctitate & gratitudine formali. Hãc concluſionem intelligo non in materiali, ſed in formali ſenſu, nimirum, quod in formali ratione ſanctitatis & gratitudinis excellit perſonalis gratitudo, & ſanctitas: nam materialiter, & in ratione entitatiua facilè ab omnibus admittetur, cum perſonalis ſanctitas conſiſtat in coniunctione reali ad verbum, quod eſt ens perfectiſſimum. Negant hanc concluſionem nouiores quidẽ docti Theologi. Sed Patres ſanctiſſimi illam in præcitatis teſtimonijs expreſsè affirmarunt, quorum ſententiam amplectuntur ex recentioribus nonnulli. Et crediderim huius ſententiæ perſuaſione teneri, illos Theologos, qui cum magna probabilitate fatentur opera Chriſti moraliter honeſta, & ſtudioſa fuiſſe ſimpliciter meritoria, (& quidem ex iuſtitia exacta) quamuis non proficiſcerentur ex habituali gratia, ſed ex ſola gratia vnionis, ideſt, à Chriſti humanitate non eleuata per habitualem gratiam, ſed à diuino verbo perſonaliter terminata. Nam ſi ſola hypoſtatica vnio potens eſt tribuere perfectam rigoroſi meriti rationem erga ſupernaturalia, & cœleſtia bona, quam meriti perfectionem gratia habitualis minimè tribuit, niſi ratione ipſius hypoſtaticæ vnionis: promptum erit cuiq; inferre, quod gratitudo perſonalis, quam tribuit humanitati ipſa hypoſtatica vnio ſanctiorem, & gratioré ſimpliciter reddit Chriſti animam, quam habitualis gratia. Dixi ſimpliciter. Nã ſecundum quid omnes fatebimur gratiam habitualem potiorem, & maiorem gratitudinem, & ſanctitatem conferre animæ, & quatenus eam reddit gratam, & ſanctam formali ſanctitate, & gratitudine, replens formaliter potentiam illam obedientialem, quæ reperitur in anima ad ipſam habitualem gratiam: quam potentiam vnionis gratia non replet formaliter, ſed radicaliter dumtaxat: & quatenus proximè ad operandum diſponit potentias animæ per virtutes ipſius gratiæ eſſentiam comitantes. Tribuitque ipſis ſtudioſis animæ actionibus non ſolam moralem condignitatem ad ſupernaturalia, & cœleſtia bona, quod facit hypoſtatica vnio, vt probabitur inferius, ſed etiam condignitatem, & proportionem Phyſicam,

Digitized by Google

cam, quam ſanè conſtituit, prout formaliter eleuat animam ad diuinum ordinem, & ex illa effluunt ſupernaturales virtutes infuſæ, quę ſunt proxima principia ſupernaturalium actionum.

Sed iam probatur, quod in ratione formalis ſanctitatis, & gratitudinis, & non ſolum in eſſe entitatiuo perſonalis gratitudo, & ſanctitas formalem gratitudinem, & ſanctitatem excellat.

Primo, Sanctitas perſonalis nullum ſecum admittit peccatum, neque etiam veniale, quod ſuperius oſtendimus, at ſanctitas formalis ſecum admittit veniale peccatum. Ergo cum receſſus à peccato per ſe attineat ad ſanctitatem, perſonalis ſanctitas, in ratione ſanctitatis, potior eſt, & perfectior.

Secundo probatur. Sanctitas conſiſtit eſſentialiter, & formaliter in vnione, & cõiunctione ad Deũ, qui eſt ſanctus per eſſentiam, iuxta illud, *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, ſed vnio hypoſtatica maior eſt, & perfectior ad Deum coniunctio, quã vnio, quæ fit per iuſtificantem, & habitualem gratiam. Nã illa vnio eſt ſubſtantialis, hæc vero accidentalis, & per participationem. Ergo, &c.

Tertio probatur. Gratia vnionis eſt ſimpliciter maius bonum naturæ humanæ Chriſti, quam habitualis gratia. At niſi maiorem ſimpliciter ſanctitatem ei conferret, haudquaquam ſimpliciter eſſet cenſendum maius humanitatis bonum. Ergo, &c. Maior aſſeritur, & explicatur à S. Tho. diſcipulis 3, p. q 24. ar. 1. & 2. ex quo inferunt, quod Chriſtus vt homo, prædeſtinatus eſt, vt eſſet filius Dei naturalis per vnionis gratiam, & nõ fuit prędeſtinatus ad gratiam habitualem.

Tandem illa omnia argumenta, quibus probauimus, quod per vnionis gratiam Chriſtus, vt homo, eſt ſanctus, & gratus Deo, æque probant ſi bene expẽdantur, quod ſanctior eſt, & gratior ſimpliciter per hanc gratiam, quam per habitualem.

His tribus cõcluſionibus poſtremis, ſic à nobis expoſitis conciliantur diuerſæ Theologorum ſententiæ, & argumenta in vtramq; partẽ huius dubij propoſita promptam habent, & probabilem ſolutionẽ. Et quidẽ argumenta ſecundo loco facta noua aliqua ſolutione non egent, quia ex concluſionibus propoſitis manent ſoluta, & explicata. Illud autẽ dũtaxat animaduertendũ eſſe duxi circa argumentũ primũ, quod grauiſſimis Patrũ teſtimonijs conflatur, quod Patres illi ſanctiſſimi, qui Chriſti humanitatem per ipſam vnionis gratiam ſanctam, ac Deo gratã, & acceptam eſſe dixerunt, nuſquã negauere eandẽ Chriſti humanitatem formaliter, & ſanctificari, & gratificari per habitualem gratiã. Quin potius varijs in locis id cõfirmarunt, & eiſdem in locis, in quibus priorem ſanctificationem, & gratitudinem docuerunt, ſi ipſorum benè expendantur verba, vel explicant, vel inſinuant ſaltem, quod hanc perſonalem ſanctitatẽ, & gratitudinem comitatur in Chriſti anima formalis gratitudo, & ſanctitas, quam ei tribuunt habitualis gratia, & reliqua Spiritus ſancti chariſmata. Quod ipſe ſuperius in verbis S. Athanaſij animaduerti, & promptum erit cuique eadem animaduerſione vti in reliquis Patrum teſtimonijs.

Oportet autem ſpeciatim diſſoluamus argumenta, quæ pro ſententia negatiua priori loco formauimus.

Ad primum, Nonnulli Theologi ex nouioribus abſolutè fatentur, quod peccandi impoſſibilitas in Chriſti anima, tota, & totaliter eſt ad ipsã verbi prouidentiam reducenda, & non ad aliquam realem, & phyſicam internam animæ diſpoſitionem, cum qua peccatum intrinſecam habeat oppoſitionem, & repugnantiam. Verũ ego aliter ſentio, exiſtimo enim, quod ipſa perſonalis terminatio, qua humanitas verbi perſonalitate realiter terminatur, ex ſua natura incompoſſibilitatẽ habeat realem, & phyſicam cum quouis peccato etiam habituali, nam hoc ipſo, quod humanitas verè, & realiter effecta eſt natura verbi in ipſo ſuppoſitata, nequit habere in ſemetipſa realem aliquam diſpoſitionem, ſeu actualem, ſeu habitualem diuinæ ipſius verbi voluntati repugnantem, quin potius expedita eſſe debet, vt in omnibus ſequatur verbi ducatum, diuinæque eius voluntati pareat. Quocirca ipſa paſſiua terminatio perſonalis eſt quædam virtualis rectificatio humanitatis Chriſti, excludens totaliter ab ipſa omnem moralem deordinationẽ. Et huius ratio ea eſt, quia ex illa perſonali terminatione verbi, habet humanitas nihil operari poſſe niſi ſub actuali verbi, eiuſque diuinæ voluntatis motione, & directione. Natura enim per ſe pendet à ſuppoſito, & in eſſe, & in operari. Quo fit, vt eo ipſo, quod humanitas per hypoſtaticam vnionem ad verbum ſubijcitur eius motioni, & directioni virtualiter rectificatur. Imo dici poteſt, quod talis paſſiua ſubiectio eſt formalis humanæ naturæ rectificatio: ita quod eſt intrinſeca oppoſitio inter huiuſmodi paſſiuam terminationem quatenus ſubijcit plenè naturam humanam directioni verbi, & inter moralem deordinationem ipſius humanæ naturæ. Quia talis deordinatio ſiue actualis fuerit, ſiue habitualis eximit humanitatem à plenaria illa verbi ſuperioritate, & directione, cui humanitas ex vi hypoſtaticæ vnionis ſubijcitur. Cui hæc non placuerint dicat, Verum eſſe, quod ipſa paſſiua perſonalis terminatio à verbo in Chriſti humanitate ſuſcepta, non ſufficit ſe ſola repellere ab ipſa Chriſti humanitate omnem moralem deordinationem, præſertim habitualem (nam quod actualem totaliter impediat quaſi per modum cuiuſdam contrarietatis mihi eſt certiſſimum) repellit tamen illam realiter, & phyſicè in hoc ſenſu, quod verè, & realiter debita eſt illi connaturalitatis debito ſpecialiſſima diuini verbi aſſiſtentia, & prouidentia, quæ omnem moralem deordinationem ab humanitate remoueat. Quod plane debitum tam ſtrictum eſt, & rigoroſum, vt contradictionem inuoluat, diuinum verbum non vti ſpecialiſſima hac prouidentia & cura erga humanitatem, quam ad ſe ſuſcepit.

Prior huius primi argumenti confirmatio nihil aliud efficit, ſi quicquam probat, quam quod ipſa vnio verbi ad humanitatem non eſt ſe ſola ſufficiens, niſi interueniat ſpecialis ipſius verbi prouidentia ad excludendam omnem moralem deordinationem, præſertim habitualem, quod nos in ſecunda ſolutione admiſimus. Præterea dico, quod licet perſonalitas verbi non inducat formalem aliquam immutationem in Chriſti humanitate, cui repugnet moralis deformitas, & deordinatio per modum formalis contrarietatis, inducit tamen perſonalem terminationem paſſiuã, quæ eſt vera, & realis ipſius

huma-

Digitized by Google

humanitatis immutatio, cui repugnat omninò omnis moralis deordinatio in eadem humanitate, tanquam primæ radici totius moralis rectitudinis, & ſanctitatis formalis. Ad eum modum, quo calor, & ſi non opponatur aquę formali oppoſitione, ſed eius frigiditati, naturaliter tamen ei repugnat, opponiturq; illi vt primæ frigiditatis radici. Hæc autem repugnantia non tam ad moralem, quam ad ordinem phyſicum ſpectat. Illũ voco in præſentia moralē ordinem, qui ad extrinſecam Dei prouidentiam pertinet, & non conſurgit ex intrinſecis principijs rei.

Poſterior cōfirmatio non nihil nobis difficultatis offert, ob quam nonnulli recentiores Theologi cenſent, quod ad totam Trinitatē immediatè eſt referēda illa ſpecialiſſima Dei prouidentia de Chriſti humanitate, de vniuerſiſque eius actionibus. Quamuis tandem ad ipſum verbum ſit referēda, prout ipſius humanitatis ſuppoſitum. Nam ob id tanta eſt Deo de hac humanitate cura, quia in diuino verbo ſuppoſitatur, ad ipſiuſque proinde verbi dignitatē pertinet, ne humanitas hæc in ſuis deficiat actionibus, & quid deforme, & inhoneſtum admittat.

Hæc ſolutio, & doctrina non eſt cur improbetur. Sed mihi nihilominus aliud apparet. Cenſeo nãq; quod verbum non prouidet ſuæ humanitati per diuinam rationem, & voluntatem immediatè. Sed ipſa humana ratione vtens, ipſamque mouens, & applicans, vt ſua omni, & naturali, & ſupernaturali virtute vtatur, ad volũtatem rationalem, & appetitum in ſuis omnibus actionibus, & motibus moderandũ, & dirigendum. Et quidem ſi originalis iuſtitia vim contulit rationi in primiſ parentibus, vt aſſidua, & infallibili deliberatione omnem voluntatis, & appetitus ſenſibilis motum antecederet: Cur id non efficiet perſonalis vnio diuini verbi in ipſa Chriſti humanitate? Quod ſi aliquod opus ab humanis exercendum potentijs in Chriſto fuerit, quod omnes ipſarum potentiarum, & naturales, & ſupernaturales vires exuperet, tunc fateor tale opus, & tota ipſius diſpoſitio & directio immediatè ad diuinam virtutem, & rationem reducentur. Et humanitas cũ ſuis omnibus potentijs rationem tantum inſtrumēti ſortitetur in tali opere. Et licet ſpecialiter opus illud verbo tribuendum ſit, eo quod exercetur per humanitatē, quæ ei tantũ eſt perſonaliter coniuncta, & eius duntaxat eſt coniunctum inſtrumentũ, nihilominus tamen ſimpliciter loquendo ad totam Trinitatem immediatè opus illud, & quoad præordinationem, & quoad executionem eſſet reuocandum. Quia reuera non procederet à verbo, vt ab humanitatis ſuppoſito, ſed vt eſt ſuppoſitum diuinæ naturæ ſimul cũ Patre, & Spiritu ſancto per diuinam virtutem immediatè operans. Ad hoc genus pertinent opera miraculoſa à Chriſto per humanitatem ædita.

Ad ſecundum argumentum. Reſpondetur ex dictis circa concluſionem ſecundam, quod effectus formalis gratiæ habitualis non eſt facere habentē gratum Deo vtcumque, nam hic effectus communis eſt gratiæ habituali, & gratiæ vnionis. Sed eſt facere ipſum gratum Deo gratitudine formali, & ſecundum participationem naturæ diuinæ, vt ſuperius circa ſecundam concluſionem expoſui.

Ad confirmationem dicitur, quod non eſt ſimpliciter concedendum ſuppoſita hypoſtatica vnione humanitatis ad verbum, quod Chriſtus, vt homo, nō habeat gratiam, ſed quod non habet habitualē gratiam, & tunc conceditur ſimiliter, quod non eſt gratus formali gratitudine, ſed oportet fateri illum eſſe Deo gratum gratitudine perſonali, quæ eſt quaſi formalis effectus gratiæ vnionis.

Solutio inter arguendum inſinuata, quæ procedit de eminentiali continentia, qua ipſa vnionis gratia continet habitualem, non ſatisfacit, quia vt diximus in concluſione huius dubij, non ſatis eſt hæc continentia, vt Chriſtus formaliter denominetur gratus gratitudine pertinente ad ipſam habitualem gratiā, quæ eſt formalis gratitudo. Si quidem diuinum verbum vniretur humanitati formaliter, id eſt, per modum formæ actuantis ipſam, & conſtituentis eā formaliter diuinā, locum haberet illa ſolutio. Quia tũc humanitas eſſet grata Deo gratitudine formali diuina eminentiſſimè complectenti habitualem gratiam, & formalem gratitudinem. Nunc autem cum verbum perſonaliter tantum humanitati copuletur, non tribuit ei gratitudinem formalem, neque formaliter, neque eminenter, ſed tantum ſuppoſitalem, quæ radicaliter quidem præhabet habitualem gratiam, non vero eminentia formali, ita vt denominet humanitatem gratam, & ſanctam per modum formæ eminentioris, ſed tantum per modũ eminentiſſimi ſuppoſiti.

Ad tertium argumentum facilè poteſt accommodari ſolutio ex his, quæ ante dicebamus. Reſpondeturq; breuiſſimè, q̃d ſecluſa habituali gratia à Chriſti humanitate, Chriſtus, vt homo, neq; gratus eſſet formali gratitudine, ſed perſonali dumtaxat, neque vero acceptus eſſet ſimpliciter loquendo ad gloriam ſiue animæ, ſiue corporis, ſed tãtum radicaliter, etſi deberentur illi connaturalitatis debito, & gratia habitualis, & gloria.

Sed nihilominus abſolutè dicendus eſſet gratus, & dilectus Deo, quia ad hanc propoſitionem abſolutè verificandam, ſatis eſſet ipſa vnionis gratia, quæ ipſum perſonali ſanctitate, & gratitudine ſanctum, & gratum conſtituit, ipſique debito connaturalitatis debitam efficit habitualem gratiam, & eam quidem conſummatam.

Ad quartum argumentum communiter ſolet reſponderi per ſolutionem inter arguendum aſſignatam, quæ ſolutio ſicut communis eſt, ità & probabilis. Vnde ad replicam ibidem ſubiunctam reſpondetur, quod Chriſtus per gratiam vnionis non dicitur ſimpliciter gratus, & ſanctus ſine reſpectu aliquo ad habitualem ſanctitatem, & gratiam, non tamen per ipſam gratiam habitualem formaliter appellaretur gratus, & ſanctus, ſi eam à Chriſti humanitate ſecludamus, ſed per ſolam vnionis gratiam.

Volo dicere, quod niſi vnionis gratia in ſemetipſa tamquam in radice præhaberet habitualem gratiā, reuera non eſſet gratia vnionis, atq; adeo neq; Chriſtum, vt hominem, denominaret gratum. Sicut rationalitas non conſtitueret hominis eſſentiam, neq; reuera eſſet rationalitas, niſi virtute contineret diſciplinabilitatem, riſibilitatem, intellectum, voluntatē, & reliquas proprietates, & potētias humanæ naturæ debitas. Verum ſuppoſito, quod ipſas virtute, & radicaliter continet, etiam ſi animo fingamus Deum miraculoſè impedire naturalem omnium earum effluxum,

Digitized by Google

xum, formaliter, & ſe ipſa conſtitueret hominis eſſentiam, ipſumq; ſimpliciter denominaret hominē. ita proportionabiliter de Gratia vnionis reſpectu habitualis gratiæ dicendum eſt.

Secundò reſpondetur, quod in caſu argumenti, nimirum, ſi Deus aſſumeret Leoninam naturam, hypoſtatica vnio, non ob id formaliter, & rigoroſè loquendo, careret ratione gratię, & gratuiti doni, neq; ob id non poſſet denominare Leonem illum inquantum Leonem, ſanctum & gratum Deo, quia natura Leonina incapax eſt gratiæ habitualis, & gloriæ, ſed quia expers eſt cognitionis intellectualis, qua poſſit vnionem illam hypoſtaticam cognoſcere, & in ratione ſummi doni, & gratuiti beneficij ſibi collati accipere. Etenim natura, quæ incapax eſt ad iudicandum de gratia ſibi exhibita, & beneficio collato, incapax etiam ſimpliciter eſt, ſuſcipiendi beneficij in ratione formali beneficij, & gratuiti doni, quamuis materialiter poſſit ipſum donum, & beneficium ſuſcipere: V. G. Si Deus æri aut ferro qualitates perfectionesq; auri tribueret, & ſi ipſum ferrum, aut æs, verè & realiter perficeret, nullo tamen ipſum afficeret beneficio, aut dono, ſi proprius & formalis ſermo fiat, eo quod ferrum, aut æs, nullatenus valet perfectionem illam ſuæ naturæ ſuperadditam cognoſcere, & accipere in ratione doni, & beneficij.

Ita ergo in poſito caſu verè diceret Theologus, quod natura Leonina magnam, & ingentem acciperet perfectionem ex vnione ad verbum ſuppoſitali, nō vero diceretur accipere gratiam, aut beneficium, ſeu gratuitum donum, ob incapacitatem cognitionis prædictæ, atque adeo tunc Leo ille, qui ſimul eſſet Deus & Leo, non eſſet vt Leo ſanctus, & Deo gratus, & acceptus. Conſulto dixi, vnione ſuppoſitali, quia tunc licet verbū vniretur naturæ Leoninę in ratione ſuppoſiti, non tamen in ratione perſonæ, & quamuis eſſet ſimpliciter ſuppoſitum Leoninum, non tamen eſſet perſona Leonina, quia perſona importat ſuppoſitum rationalis naturæ. Dicunt nonnulli Theologi ex recētioribus, quod illa data hypotheſi, quam ſupponebat quartum iſtud, quod diſſoluimus argumentum, concedendum foret, quod naturæ Leoninæ ad perſonalem verbi vnitatem aſſumptæ deberetur ex vi vnionis ſumma illa naturalis perfectio, quæ apta eſſet conuenire illi naturæ: vnde leo, ille in quantum leo, perfectiſſimus eſſet omnium leonum. Probabiliter hoc dicitur, ſed forſan non neceſſario.

Ad quintum argumentum reſpondetur ex doctrina Caiet. 3. par. quæſt. 24. art. 2. Quod Chriſtus, vt homo, non eſt filius Dei, neque aduptiuus, neque naturalis, ſi abſolute, & abſque vlla explicatione hæc propoſitio, Chriſtus, vt homo, eſt filius Dei, proferatur. Eſt tamen vera iſta propoſitio, ſi addamus hanc explicationem, ſcilicet, per gratiam vnionis, & tunc eſt dicendum, quod Chriſtus, vt homo, per gratiam vnionis, eſt filius Dei naturalis, & eadem ratione eſt ſanctus, & gratus Deo perſonali gratitudine, & ſanctitate.

Solutio primi argumenti principalis quæſt.

EX his, quæ tam fuſè diximus in explicatione huius incidētis dubij, facillimè diſſolui poteſt, Primū argumentū primæ principalis controuerſiæ, ad cuius exactā ſolutionē hęc incidens dubitatio fuit à nobis exagitata, & expoſita. Igitur reſpondetur ad illud primū argumentū, & dicitur ad maiorem eius præmiſsā, quod habitualis gratia nō fuit neceſſaria in Chriſti anima, vt eam ſimpliciter, & abſolute gratam, & dilectā Deo conſtitueret, nā ad hoc ſufficiebat ipſa vnionis gratia: ſed vt eā redderet formaliter gratam, acceptā Deo, & ſanctam, formali gratitudine, & ſāctitate, iuxta modū ſuperius expoſitū. Minor eiuſdem argumenti præmiſſæ diſtinguenda eſt conſimili diſtinctione, eſt enim veriſſima, ſi de ſanctitate, & gratitudine perſonali intelligatur, falſa vero, ſi procedat de formali ſanctitate, & gratitudine.

Ad primā confirm. neg. antecedens, ad probationem dicitur, quod gratia vnionis eſt quidē infinita, ſed perſonaliter tantum, quæ proinde poteſt ſecum admittere in Chriſti humanitate habitualē gratiā, quæ formalem præſtat gratitudinem, & sāctitatem, ſine qua non eſſet vndequaque ſancta, & grata ipſa Chriſti humanitas, ſed perſonaliter dumtaxat.

Eſtq; aduertendum, quod licet ipſum eſſe verbi ſit omnibus modis infinitum, & infinitè ſanctū, & infinitè gratū Deo, & perſonali, & formali ſanctitate, & gratitudine, non tñ vnitur, & cōmunicatur humanitati, ſecundum omnimodā ſanctitatis & gratitudinis rationem, ſi ad modū quo humanitati cōmunicatur attendamus: quia non ei communicatur per modū formæ, ſed per modum tantum perſonalitatis, ſeu perſonæ, atquę adeo relinquit locum habituali gratiæ, per quam Chriſti humanitas formali ſanctitate, & gratitudine gratificetur, & ſanctificetur: eo quod verbum, ex modo quo humanitati communicatur, non adimplet obedientialem potentiam, quam habet Chriſti anima ad formalem ſanctitatem, & gratitudinem. Ac proinde omnino eſt negandum habitualem gratiam ſuperuacaneam eſſe, & otioſam in Chriſti anima, nam potius fuit valde conueniens, & ſecundum ordinariam, & Dei ſuauem diſpoſitionē neceſſariam. Conſulto paulo ante dixi, ex modo, & ſecundum modum, quo verbum humanitati vnitur, nam re ipſa in Chriſto omnis habitat plenitudo diuinitatis verbi & perſonalis, & eſſentialis, ſed non per modum eſſentialis formæ vnita. Et ob id locus relinquitur habituali gratiæ, per quam ipſa deitas animæ Chriſti communicatur per modum formæ, participatiua tamen communicatione.

Huius rei non erit fortaſſis ineptum exemplum de eſſētia diuina in ratione ſpeciei intelligibilis beatificato intellectui vnita, deſumptum. Nam licet diuina eſſentia non ſolum infinita ſit in ratione ſpeciei, ſed etiam in ratione diuini luminis, lumen enim Deus habitat inacceſſibile, id eſt, ſuo infinito, & ſubſtantiali lumine, quaſi totus circunfunditur, & illuſtratur: qui modus loquendi ſuperabundantiam, & infinitatem diuini luminis oſtendit. Quia vero non per modum luminis, ſed per modum ſpeciei intelligibilis duntaxat intellectui beatifico vnitur, locum reliquit creato lumini gloriæ in eodem intellectu, quin & ipſum exigit, & per modum neceſſariæ diſpoſitionis, vt inquit S. Thom. 1. par. quæſt. 12. art. 5. & per modum intellectiuæ virtutis, per ſe, & neceſſario requiſitæ, ſaltem ſecūdum ordinariam Dei potentiam, ad eliciendam ipſam beatificam, & facialem Dei viſionem.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundam confirm. eiuſdem primi principalis argum. rñdetur, quod virtualis, & eminẽs cõtinẽtia duplex eſſe poteſt. Altera ſecundum formam ſuperiorem, quæ ſe ipſa, eminentiori tamen quodam modo, totum id exequatur, quod præſtari poterat ab inferiori forma: ita quod impleat totam potentiam, & capacitatem ſubiecti, quam inferior forma adimpleret. Hoc eminentię genere anima rationalis eminenter cõtinet inferiores formas, corporeã, vegetatiuã, & ſenſitiuã, cõfert.n. ſe ipſa omnes gradus ſubſtantiales, quos cõferre poſſunt formæ iſtæ inferiores, & id quidem eminentiori, & altiori modo. Altera vero eminentialis continentia poteſt eſſe ſecundum rationem principij effectiui, ſeu quaſi effectiui, Iuxta quem modum rationalitas eminenter continet riſibilitatem, quia per modum ſubſtantialis, & eminentis principij, eam quaſi efficienter cauſat, & efficit, dixi quaſi efficienter, quia non per propriam actionem, ſed per naturalem effluxum riſibilitas à rationabilitate efficitur.

Hac ſuppoſita diſtinctione dico, quod cum forma illa, quæ priori modo præhabet eminenter inferiorem formam, non compatitur ipſa inferior forma, vt in homine cum rationali anima non compatitur alia ſubſtantialis forma vegetatiua, aut ſenſitiua, &c. eo quod ipſa ſuperior, & eminentior forma implet totam illam ſubiecti capacitatem, quam adimplere poſſet forma inferior. Cæterum cum forma eminentiori, quæ poſteriori modo præhabet formam inferiorem, bene compatitur ipſa inferior forma, non modo ſecundum abſolutam Dei potentiam, verum etiam ſecundum ordinem connaturalem rerum, vt riſibilitas compatitur cum forma rationali, imo naturali ordine ipſam conſequitur. Gratia igitur vnionis ſecum compatitur habitualẽ gratiam in Chriſto, imo & illam ſecum affert naturali conſequutionis ordine, quia continentia virtualis, & eminens, quæ eã continet poſterioris generis eſt. Siquidem verbum humanitati vniretur per modũ formæ ipſam deificans, & non tñ per modum hypoſtaſis, forſan dicendum eſſet, quod continentia gratiæ habitualis reſpectu eiuſdem humanitatis aſſumptæ erat prioris generis, & quod non ſecum admitteret habitualẽ gratiam ſecundum potentiam ſaltem Dei ordinariam.

Iuxta prædictam diſtinctionem explicanda eſt vtraque ſecundæ confirmationis præmiſſa.

Sed rogat quiſpiam, quid ſit dicendum de exẽplo ibidem allato. Num, videlicet, Sol, qui luce ſua eminenter continet calorem, capax ſit eiuſdem caloris formalis. Videbatur enim vera pars affirmatiua ex diſtinctione tradita, quia illa eminentialis continentia caloris in luce Solis poſterioris generis eſt. Reſpõdetur, & primũ exiſtimo, quod ſi abſolutã Dej contemplemur potentiã, poſſet Sol calore formali affici, qm̃ nullam in hac re contradictionem intueor. Quæ tamen eſſet ſine dubio, ſi eminentialis continẽtia caloris in priori genere locaretur, vt in exemplo de anima rationali dudum poſito, facilè conſtat.

Sed ſecundo dico, quod ſecundum ordinem naturæ Sol incapax eſt formalis caloris, non quia ipſum eminenter continet, ſed quia tali continet eminentiæ modo, ſcilicet, modo quodam incorruptibili, cui proinde repugnat corruptibilis forma, qualis eſt formalis calor.

SECTIO V.

Vbi ſolutio 2. principalis argumenti tractatur.

AD ſecundum negatur antecedens, quo aſſeritur Chriſti animã, prout verbo vnitam incapacem eſſe primarij effectus formalis gratię. Ad probationem dicitur, quod vnio hypoſtatica animæ rationalis ad verbum non tollit capacitatem animæ, vt habeat eſſe diuinum participatum formali participatione, quoniam non eſt deificata per vnionem hypoſtaticam formali deificatione, ſed perſonali dumtaxat. Hæc ſolutio explicanda eſt, & intelligenda ex his, quæ diximus in reſolutione dubij præcedentis, quod circa ſolutionem primi argumenti fuit exagitatum.

Primæ confirmationi reſpondeo, quod eo modo quo Chriſti humanitati competit diuinum eſſe per eſſentiam, repugnat ei omnino eſſe diuinum participatum. Vnde ſicuti ei competit diuinum eſſe per eſſentiam vnione perſonali, & hypoſtatica, ita repugnat ei eſſe perſonaliter per participationem diuinę hypoſtaſis. Quia veto per modum formalis deificationis non habet eſſe diuinum eſſentiale, idcirco participatione formali poteſt per gratiam diuinum eſſe participare.

Ad ſecundam confirmationem dicitur, quod hæc propoſitio Chriſtus, in quantum homo, eſt Deus per participationem, concedenda eſt, ſicut conceditur iſta Chriſtus, vt homo, eſt ens per participationem, & hoc conuincitur confirmatione facta. Cæterum hæc propoſitio Chriſtus eſt Deus per participationẽ, omnino eſt neganda, ſicut & illa Chriſtus eſt ens per participationem. Quoniam eſſe per participationem includit implicitè negationem eſſendi per eſſentiam, atque adeo niſi apponamus illam ſpecificationem, in quantum homo, negatur Chriſto eſſentialis diuinitas, cum dicimus Chriſtum eſſe Deũ per participationem.

SECTIO VI.

Vbi diſſoluitur 3. argumentum principale.

TErtium argumentum, eadem fere ſolutione diſſoluitur, qua diſſoluimus argumentum ſecundum. Nam reſpondendum eſt huic tertio argumento, Chriſtum vt hominem perſonaliter tantum eſſe ſimilem patri, eſſentiali, & perfecta ſimilitudine, cũ qua bene ſtat participata per gratiam ſimilitudo in Chriſti anima, quia hæc non perſonalis eſt, ſed formalis ſimilitudo. De qua ſimilitudine non deſunt viri docti qui interpretentur illud Pauli Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ.* Chriſtus, vt homo, per gratiam habitualem mira quadam expreſſione ipſam Dei naturam refert, cuius ratione imago Dei inuiſibilis à Paulo Hebre. c. 1. vocatur. Itaq; Chriſtus vt Deus naturalis eſt diuini Patris imago, eſt namque ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, atque adeo perſonaliter eſt Patri perfectè ſimilis, eiuſque conſubſtantialis imago. Vt homo autem verè eſt ipſi Deo per gratiam quoq; ſimi-

Digitized by Google

ſimilis,non conſubſtantiali tamen,& adæquata, ſed participata ſimilitudine: ſumma tamen, quæ ſecundum ordinariam Dei potentiam exprimi potuit. Et hac ratione inuiſibilis Dei imago dicitur.

SECTIO VII.

Pro ſolutione quarti argumenti.

QVartum argumentum non leuem nobis diſſerendam difficultatem ſubminiſtrat. Num, videlicet, Chriſtus ratione habitualis gratiæ adoptiuus Dei filius cenſeri debeat.

DVBITATIO APPENDIX.

Vtrum Chriſti ratione gratiæ habitualis ſit cenſendus filius Dei adoptiuus.

CVius dubij affirmantem ſententiam argumentis difficillimis adnitar comprobare. Prius tamen animaduertendum eſſe duxi quæſtionem hanc Theologicis primum rationibus examinandam fore, & deinde quanta ſit à Catholicis viris certitudine tenenda, explicandum erit. Rationibus igitur primum agamus. Et quod affirmatiua ſententia Theologicæ veritatis conſentiat ſequentibus argumentis probo.

Primum argumentum. Et quod rem iſtam non leuiter vrget eſt ipſummet quartum primæ huius principalis quæſtionis argumentum. Cuius præcipua, imo & tota difficultas in eo ſita eſt, quod adoptiua filiatio effectus eſt formalis gratiæ, ſaltem ſecundarius: At huiuſmodi effectus inſeparabilis eſt à forma, præſertim ſecundum ordinariam Dei potentiam, & ſine grandi interueniente miraculo. Ergo gratia in Chriſto hunc habet comitem effectum: atque adeo conſtituit ipſum, vt hominem, adoptiuum Dei filium.

Confirmatur. Omnia quę dicuntur de cæteris hominibus iuſtis,& gratis Deo, prædicantur etiam de Chriſto in quantum eſt homo iuſtus, & gratus, per habitualem gratiam: ſed quicumque alius homo iuſtus verè eſt filius Dei adoptiuus: Ergo,&c. Probatur maior, in qua eſſe videtur argumēti difficultas. Chriſtus per gratiam habitualem eadem, & vniuoca ratione, iuſtus eſt,& gratus Deo, qua cæteri iuſti homines, ergo vniuerſa prædicata, quæ ratione gratiæ,& iuſtitiæ conueniunt cæteris hominibus, competunt & ipſi Chriſto, vt homini.

Secundum argumentum, Chriſtus vt homo eſt filius Dei,& non eſt filius Dei naturalis, ergo adoptiuus. Minor aſſeritur ab vniuerſis Theologis cum S. Th. 3. p. q. 16. ar. 11. vbi hanc propoſitionem, Chriſtus vt homo eſt Deus, in rigore, & ſecūdum ſermonis proprietatem falſam eſſe dicit. Sed maiorē probo. Chriſtus, vt homo, nō eſt, non filius Dei, nam mirum eſſet, quod cum cæteri homines iuſti ſecundum quod homines, ſint filij Dei, Chriſtus, vt homo, verè poſſit dici non filius Dei, ergo eſt filius Dei.

Tertium argumentum. Chriſtus, vt homo, ex vi gratiæ habitualis acceptus eſt,& admiſſus ad participatam hæreditatem bonorum cœleſtium, ergo & adoptiuus eſt Dei filius. Antecedens cunctis eſt manifeſtum,& vt quibuſdam doctiſſimis placet, de hac participata hæreditate diuina intelliguntur illa Pauli verba de Chriſto prolata ad Hebr. 1. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum, &c.* Conſequentia vero probatur. Nam filiatio adoptiua non eſt aliud, quam ius alicui gratioſè collatum ad hæreditatem obeundam eorum bonorum, quæ ipſi alias non debebantur: Sed Chriſto, vt homini, non erant debita bona cœleſtia, ad quorum hæreditatem fuit acceptatus,& admiſſus, niſi ratione gratiæ habitualis, per quam ipſi fuit collatum ius ad hæc cœleſtia percipienda bona. ergo,&c.

Confirmatur. Hæreditas horum bonorum competit Chriſto, qua ratione eſt Dei filius, ſed non ei competit, prout eſt filius naturalis, quia hæreditas Chriſti, prout eſt naturalis Dei filius non participata eſt,& limitata bonorum cęleſtium poſſeſſio, ſed ſubſtantialis,& infinita: ergo competit ei, prout eſt adoptiuus Dei filius. Et vrgeo huius cōfirmationis vim. Participata cœleſtium bonorum hęreditas,& poſſeſſio, conuenit Chriſto, vt homini, Chriſtus autem, vt homo, vt paulo ante diximus, non eſt naturalis Dei filius. Ergo hæreditas hæc non conuenit Chriſto, ex vi naturalis filiationis, atque adeo ad filiationem adoptiuam eſt referenda.

Quarto arguitur. Non repugnat, quod Chriſtus ſimul ſit filius Dei naturalis,& adoptiuus, ergo nulla probabili ratione negari poteſt, quod, in quantum homo, ſit per gratiam adoptiuus Dei filius. Probatur antecedens. Non repugnat Chriſto, quod ſimul ſit Deus per eſſentiam ratione ſuppoſiti, & Deus per participationem, ratione gratiæ habitualis, quæ ineſt eius humanitati, imo gemina hæc deitatis ratio ad magnam Chriſti dignitatem,& excellentiam pertinet: Ergo idipſum de filiatione naturali, & adoptiua fateri tenemur.

Confirmatur, quod Chriſtus ratione ſuppoſiti ſit dominus,& legiſlator, & ratione humanitatis, per gratiam eleuatæ, ſeruus ſit, & obediens, vera Theologia, imo & ipſa fides docet. Nam quod Chriſtus, qua ratione Deus ſit omnium dominus, dominatiua & legiſlatiua authoritatē pollens, quis ambigat? quod vero qua ratione homo ſeruus ſit, & obediēs, ſacræ literæ non obſcurè docent, Iſai. enim c. 40. Diuinus Pater ita Chriſtum alloquitur. [Parum mihi eſt, vt ſis ſeruus meus ad ſuſcitandas feces Iacob, & tribus Iſrael conuertēdas,&c.] & Paul. ad Philip. 2. de Chriſto ait, quod *factus eſt obediens vſque ad mortem*: Ergo eadem ratione concedendum eſt, Chriſtum vt Deum naturalem eſſe Dēi filium, vt hominem vero eſſe filium adoptiuum.

Hoc quarto argumento, eiuſque confirmatione infirmatur illa S. Thom. ratio, qua 3. p. q. 23. art. 4. vtitur pro contraria ſententia, nimirum, quod non ſtat aliquod ſubiectum ſimul eſſe per ſe tale, & tale per participationem. Conſtat enim, quod ratione diuerſorum non repugnat.

Quintum argumentum. S. Thom. (cui in 3. par. q. 23. ar. 4. contraria placuit ſententia) ea potiſſimum ratione ducitur, quod filiatio ſiue naturalis, ſiue adoptiua, non naturam, ſed ſuppoſitum immediatè reſpicit, quo ſit, vt cum Chriſtus ratione ſuppoſiti, ſit naturalis Dei filius, non ei competere poſſit adoptiua filiatio. Sed hæc ratio in multis deficit.

Pri-

Digitized by Google

Primo in eo, quod præſupponit, nimirum, filiationem non immediatè pertinere ad naturam, ſed ad ſuppoſitum; quod falſum eſſe, ſic oſtendo. Filiatio eſt terminus generationis (loquor de filiatione naturali per quam eſt regulanda filiatio adoptiua) ſed generatio immediatè reſpicit naturam, & mediante natura ſuppoſitum, eſt enim natura terminus formalis, quo, generationis. Ergo idipſum eſt de filiatione cenſendum. Confirmatur S. Th. 3. p. q. 35. art. 1. vbi hanc rationem late proſequitur, idem prorſus de natiuitate dicit, quod de filiationis relatione. At certum eſt, quod naſci, & natiuitas ad naturam immediatè referuntur, ideſt, ad ſuppoſitum ratione naturæ. Et ſiue natura ſe habeat, vt ſubiectum, quo, natiuitatis, ſiue tantum, vt terminus formalis, hoc tamen, quod dicebamus, ſcilicet natiuitatem ad naturam immediatè pertinere, & ipſa mediante reſpicere ſuppoſitum, ſatis eſt, vt vni, & eidē ſuppoſito duas attribuamus natiuitates ſecūdū duas naturas. Et ob ſimilem cauſam concedit S. Th. ibidē, & fatentur omnes Theologi in 3. d. 8. quod Chriſto duæ competūt natiuitates, & diuina, quæ eſt æterna, & humana, quæ fuit temporalis. Ergo ſimiliter duæ naturæ diuinæ altera ſubſtantialis, & altera participata ſufficient, vt Chriſto duas tribuamus Dei filiationes, & naturalem, & adoptiuam. Deficit præterea illa ratio in eo, quod concludit. Nam eſto verum ſit, filiationem immediate pertinere ad ſuppoſitum, inde non concluditur, quod in Chriſto non reperiatur relatio filiationis adoptiuæ, ſed tantum infertur, quod non ſit relatio realis, ſed rationis, quia diuino Chriſti ſuppoſito non repugnat noua rationis relatio. Quemadmodum ipſe S. Thom. ead. 3. p. q. 35. ar. 5. docet Chriſtum, per filiationem, quæ eſt relatio rationis in ipſo referri ad matrem ſuam, ſanctiſſimam, videlicet, Virginem. Ergo aſſignata S. Th. ratio inſufficiens eſt.

Sextum argumentum. Aliam rationem ſolent aſſignare Theologi pro contraria ſententia, quę etiam ex doctrina S. Th. in q. 23. cit. colligitur, vʒ. quod ob id Chriſtus per gratiam non conſtituitur adoptiuus Dei filius, quia gratia, & gloria debitæ ſunt Chriſto connaturalitatis debito, adoptio autem liberalis eſſe debet, & non debita: improprijſſime enim, quis dicetur adoptari ad eorum bonorum hæreditatem, quæ ſunt ei alio titulo debita ſimpliciter. Sed quod hæc rō non ſit ſatis efficax ſic probo. Et ſi gratia ſit debita Chriſto ratione ſuppoſiti, at reſpectu humanitatis, nullo titulo eſt debita, ſed mere liberaliter, & gratis ei fuit donata; alias enim non retineret in Chriſto, verā gratiæ rōnē, cui eſſentiale eſt, vt gratis, & liberaliter donetur. Ergo non obſtante prædicta ratione Chriſtus vt homo, filius Dei eſſe poteſt adoptiuus, quia vt homini non illi debentur gratia, & gloria.

Quod ſi dixeris Chriſti humanitati ſimpliciter loquendo non deberi habitualem gratiam, ſed gratis, & liberaliter illi donari. At prout humanitas eſt hypoſtaticè vnita verbo, naturali debito ipſi debentur gratia, & gloria.

Contra hanc ſolutionem ſic arguitur. Hoc debitū ex ſuppoſitione procedens, quod poteſt vocari debitum in ſenſu compoſito, non impedit quominus gratia Chriſti humanitati collata ſit ſimpliciter gratuitum, & liberale donum, quia ſenſus compoſitus ex ſuppoſitione extrinſeca ortū habēs, nō deſtruit rōnē illam, quæ abſolutè, & ſimpliciter competit naturæ rei, ergo neq. ſufficit iſtud debitum ad tollendum à Chriſto adoptiuam Dei filiationem.

Confirmatur. Licet ſuppoſita hypoſtatica vnione verbi ad humanitatem, conſurgat cōnaturalitatis ius in Chriſti humanitate ad gratiam, & gloriam. At ipſa hypoſtatica vnio ex qua ius iſtud dimanat, fuit ſūme gratuita, & liberalis: Ergo hoc ius, & hoc debitū cōnaturalitatis non impedit adoptionem, cū nō auferat ſimpliciter rationem liberalitatis, & gratiæ.

Vltimo arguitur. Si Spiritus ſāctus naturā ſibi humanā gratiæ dono exornatam copularet perſonali, & hypoſtatica vnione propriè diceretur, vt homo filius Dei adoptiuus. Ergo, & verbū rōne gratiæ, qua rōne eſt homo, verè, & ꝓpriè dici pōt, & debet filius Dei. Videtur euidens conſequentia, quia Spiritui ſancto, vt homini non minus, data illa hypotheſi, debita eſſet habitualis gratia, atq. nunc debetur Chriſto. Ergo ſi in ſpiritu ſancto illud debitum non impediret filiationem adoptiuā, neq. eam impedit in Chriſto. Antecedens vero probatur. Spiritus ſanctus non eſt Dei filius per ſe, & naturalis: Ergo capax eſt filiationis per participationem, & adoptionem ratione aſſumptæ naturæ.

Confirmatur. Spiritus ſanctus per gratiam eſſet gratus, & dilectus Deo. Ergo cum non eſſet dilectus, vt naturalis filius, vere diceretur dilectus, & charus, vt filius Dei adoptiuus. Nam quod nullatenus eſſet Dei filius rationi non conſentit.

In oppoſitum autem eſt, quod in Conc. Francfor. ſub Adriano Primo, & eius auctoritate coacto definitur, Chriſtum nullatenus etiam ſecundum humanā naturā filiū Dei adoptiuū verè nominari, &c. Nō libet in præſentia immorari in recenſenda, & cōfutanda Neſtoriana hæreſi, quæ Chriſtum idcirco filiū Dei adoptiuum mentiebatur, quia duo ſuppoſita in Xp̄o realiter diſtincta eſſe cenſebat, diuinū alterum, & alterū humanū, & quod humanū deferebat ſecū diuinum præcipua, & maxima affectionis vnione ſibi coniunctum. Quoniam iſtam hæreſim in multis ijſq. grauiſſimis Concilijs damnatam legimus, ſed præcipuè in Epheſino primo, Circa cuius acta, & anathematiſmos legendus eſt Cyrill. Alex. Epiſcopus. Neq. poſſet exactè hæc diſputatio aduerſus Neſtoriū exagitari, niſi magna intolerabiliſq. fieret à noſtro inſtituto digreſſio. Vnde cum Catholicis Theologis præſens noſtra diſputatio tota eſt habenda.

Duo autem ſunt in quibus ſcholaſtici Theologi vnanimi ſententia coeunt, quæ ſunt omni dubio procul ſecundum fidem amplectenda. Primum eſt, quod hæc propoſitio abſolutè, & abſq. vlla ſpecificatione, aut limitatione prolata, ſcilicet, Chriſtus eſt adoptiuus Dei filius, omnino eſt neganda, vt Catholicæ veritati aduerſa; Nam ex hac propoſitione efficaci deductione colligitur, vel Chriſtum nō eſſe naturalem Dei filium, vt finxit Arius: vel quod in Chriſto duplex ſecundum rem perſona reperitur, vt commentabatur Neſtorius, quarum altera, ſcilicet, humana, filius eſt Dei adoptiuus, altera vero, nempe diuina, eſt filius Dei naturalis. Nam is, qui ſimpliciter eſt adoptiuus cuiuſpiā filius, nequit eſſe naturalis eiuſdem filius: quod ex infra dicēdis erit manifeſtum. Et quidem ſancti Patres non ſemel negarunt Chriſtum

adoptiuum Dei filium appellandum eſſe. Legantur Hieron. ad Eph. c. 1. Hylarius lib. 3. de Trin. Ambr. lib. de incarn. c. 8. & lib. 1. de fid. c. 9. Aug. trac. 82. ſuper Io. dicit Chriſtum non gratia, ſed natura eſſe Dei filium, lib. 2. de Trin. c. 10. & Enchirid. ad Laurent. c. 38. dicit Chriſtum nullo modo eſſe Spiritus ſancti filiũ, & trac. 21. in Io. inquit, quod vt Chriſtus ſignificaret, ſe non adoptione, ſed natura eſſe Dei filiũ nuſquam in toto Euangelio Deum vocauit Patrẽ noſtrum. itaq. illa dictio noſtrum, & ipſum Chriſtum, & nos ſimul comprehenderet, eo quod hic loquendi modus oſtendit Deum Patrem eſſe Chriſti communi nobiſcum ratione, puta per adoptionem, & gratiã, ſed in ſingulari, Pater meus, ſemper dixit. Quod & Adrianus I. in epiſt. ad Epiſcopos Galliciæ, & hiſpaniarum eruditè aduertit. Imo, & aliquando apertam fecit Chriſtus diſtinctionem de modo quo ipſe Deũ habet patrem, & quo nos ipſum quoque Deum Patrem agnoſcimus, & veneramur, nimirum cum Ioa. 20. dixit. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, &c. Chryſoſt. in imperfecto hom. 40. verſans illud Matt. 21. *Reuerebuntur filium meum*, expendit ad hoc propoſitum hæc verba vltima, ſcilicet, filium meum. Legantur etiam gloſa, & ſacrorum librorum expoſitores dum exponunt ſequentia ſac. ſcrip. loca, in quibus iſta veritas non leue fundamentum habet. Luc. 2. *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, Matt. 3. *Hic eſt filius meus dilectus* ad Hebr. 1. *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: Ad quem enim Angelorum dixit aliquando filius meus es tu. Ego hodie genui te, &c.* Et põderandum eſt, quod Angeli filij vocantur adoptiui in ſcriptura ſacra Iob cap. 1. & cap. 38. Vnde nomen differentius, quod Chriſtus præ illis hereditauit, non eſt eſſe filium Dei adoptiuum, ſed naturalem. Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit*. Ecce vocatur filius Dei proprius, id eſt, naturalis, & fit ibi ſermo de Chriſto homine, &c. Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui, &c.* Theologi ſcholaſtici cum ſuo magiſtro ſunt legendi in 3. d. 10. vbi vnanimiter hanc ſententiam docent. Quæ tanta Patrum, & Theologorum conſortinitas manifeſtum eſt ſignum apoſtolicæ traditionis, & catholicæ veritatis.

Tandem hæc veritas habetur definita in quodam Concilio Francfordienſi, de quo dicemus paulo inferius in hoc eodem dubio, & ab Adriano 1. epiſtol. cita. Et tam in hoc Concilio, quam in epiſtol. Adriani referuntur teſtimonia Patrum grauiſſima in huius veritatis confirmationem. In Concilio Toletano 11. in ipſa fidei confeſſione habetur de Chriſto, quod natura, & non adoptione filius Dei eſt. Fateor hęc verba ad Chriſtũ, prout Deum, ex Concilij intentione, referenda eſſe, Sed nihilominus valde noſtro deſeruiunt intento, nam ſi aliqua ratione verificari poſſet abſoluiè de Chriſto, quod eſt adoptiuus Dei filius, non ſine aliqua diſtinctione Concil. negaſſet, eum eſſe adoptione filium. Et Theologicæ rationes, quibus infra probabimus, quod Chriſtus, vt homo, non eſt adoptiuus Dei filius per locum à fortiori hanc veritatem comprobabunt, &c. Secundum verò in quo vniuerſi conueniunt Theologi, illud eſt, quod hæc propoſitio Chriſtus, in quantum homo, eſt filius Dei adoptiuus, falſa eſt, & contra fidẽ, Si dictio, in quãtum, reduplicatiue ſumatur. Nam ad eius veritatem reduplicatiuè acceptę, duo ſunt neceſſaria, quorum vtrumque, & veritati, & fidei contradicit. Alterũ quod omnes homines sũt filij Dei adoptiui, Et alterũ, quod quia Chriſtus eſt homo, eſt filius Dei adoptiuus, id eſt, quod ratio filiationis adoptiuæ in Chriſto eſt ipſa eius humanitas. Nã in has duas propoſitiones reſoluitur reduplicatio illa, inquantũ homo, vt dialecticæ doctrinæ periti conſtanter aſſeuerant. At quam ſint falſæ iſtæ duæ propoſitiones, probatione nulla egent, &c.

Tota ergo ratio dubitandi in præſenti ea eſt. An hæc propoſitio Chriſtus, in quantum homo, eſt filius Dei adoptiuus, dictione, inquantum, ſpecificatiuè sũpta, vera ſit, & concedenda. Et idem iudicium erit ſi dicatur, ſecundum quod homo, ſiue prout homo, aut quouis alio modo ſimili, &c. Senſus autem ſpecificatiuus illius propoſitionis, non is eſt, quod Chriſtus ratione humanitatis ſit Dei filius adoptiuus, nam ſenſus iſte omni dubio procul falſus eſt, & improbabilis, quippe qui ad ſenſum reduplicatiuum iam reprobatum reducitur. Sed ſenſus eſt, quod Chriſtus in humanitate habet filiationem Dei adoptiuuam per gratiam habitualem ipſi communicatam, in quo ſenſu dici ſolet, quod homo in quantum capillatus eſt criſpus, id eſt, quod in capillis criſpitudinem habet, & non in alia corporis parte. In hoc ſenſu dubitatur à Theologis de veritate huius propoſitionis.

Et quidem licet communis Theologorum ſententia in 3. d. 10. q. 2. affirmet propoſitionem iſtam falſam eſſe, & fidei veritati minus conſentaneam, non deſunt tamen graues Theologi, qui ipſam cenſeant veram eſſe, aut ſaltem probabilem Durand. in 3. d. 4. q. 1. contendit eam eſſe veriſſimam, cui non omnino refragantur Scotus in d. 10. Riccard. ibidem, art. 2. quamuis duo hi poſtremi auctores, rem iſtam ſub dubio relinquant, imo in communem tandem propendant Theologorum ſententiam opinione Durandi reiecta. Alex. Alenſ. 3. p. q. 8. membr. 7. ar. 4 abſolute fatetur Chriſtum non eſſe filium Dei adoptiuum, dicit tamen per gratiam, & per creationem eſſe filium Dei. Quidam ex nouitijs Theologis, minime tamen ineruditis, admittunt Chriſtum, vt hominem, per gratiam eſſe Dei filium, non tamen explicant, An ſit naturalis, vel adoptiuus Dei filius, quandoque. n. ad vnionis gratiam, quandoq. vero ad habitualẽ in probationibus ſuarum concluſionũ recurrunt, neque vero explicant, de qua gratia loquantur vnionis, vel habituali. Et tandem hi Theologi cõcludũt, quod Chriſtus, vt homo põt dici Dei filius, quodammodo naturalis, per gratiam vnionis, alia tamẽ ratione ab ea qua per eandem gratiam dicitur Deus. Hæc omnia tam lubrica, & confuſa apud graues Theologos aſſerta reperio, quæ proinde neceſſariam poſtulant explicationem.

Pro intelligentia ergo veritatis, & propoſitæ quæſtionis reſolutione explicare oportet, quæ ſint requiſitæ conditiones ad veram, & propriam adoptiuam filiationem humanam, ad cuius analogiam non erit difficile explicare adoptiuam filiationem diuinam, quæ in hominibus iuſtis reperitur. Igitur, vt ex l. 1. & 2. ff. de adoptionibus, & inſtit. eod. tit. colligitur, quatuor ſunt ad humanam filiationem requiſitæ conditiones. Prima, quod perſona quæ adoptatur ſit

ex-

extranea, ideſt, quod ex ſe ipſa, & ex vi propriæ natiuitatis non habeat ius ad hæreditatem, ad quam adoptatur. Secunda, quæ magna ex parte ex hac prima ſequitur, eſt, quod adoptio ſit actio ſimpliciter liberalis, & gratuita, ita quod neq. ſit debita naturali debito, neq. vero aliquo titulo oneroſo emptionis, venditionis, aut ſimilis contractus. Nam ſi huiuſmodi titulo debita eſſet adoptio, non præſtaret ius filiationis ad hæreditatem capeſſendam, ſed ius emptionis, aut venditionis &c. Tertia cõditio eſt, quod ſi adoptatus fuerit ſui compos, proprium adhibeat conſenſũ, quoniam nemo alteri ſubijcitur niſi volens, quod et quodammodo locum habet in ſubiectione reſpectu pœnæ, quæ licet nobis nolentibus immediata nolitione accidat, mediatè tñ, & remotè, ideſt, in culpa cõmiſſa, eſt implicitè volita. Sed quidquid fuerit de ſubiectione per comparationem ad pœnam in adoptione tamen, vbi nullus eſt pœnæ, ſed gratiæ locus, aſſignata conditio ſimpliciter eſt neceſſaria. Quarta conditio eſt, quod in eo qui non eſt rationis compos neceſſaria eſt voluntas Principis, aut Patris, aut alterius in cuius poteſtate eſt is, qui adoptatur. Huius conditionis ratio, eadem prorſus eſt cum ratione præcedentis conditionis: Nam ex eo, quod nullus debet inuitus alteri ſubijci, colligimus neceſſarium eſſe conſenſũ, vel proprium ipſius, qui adoptatur, vel eius ſaltem, qui adoptari curam gerit. Quintam aliam conditionem aſſignant aliqui, quæ irrationabilis non eſt, nimirum, quod perſona, quæ adoptatur, prius aliqua ratione in ſemetipſa exiſtat, quam adoptetur verum hæc ratio in prima fortaſſis clauditur, quia ſi perſona, quæ adoptatur extranea debet eſſe, neceſſũ eſt adoptioni præexiſtat.

Ex his conditionibus, quæ in humana adoptione ſunt requiſitæ, promptum erit Theologo colligere, quid ſit neceſſario requiſitum ad filiationem Dei adoptiuã: Et poſſumus quidem hic aſſignatas conditiones ad ſupernaturalem hanc adoptionem filiorum Dei transferre abſq. vlla improprietate. Nam tertia, & quarta, quæ longius diſtare videntur ab huiuſmodi ſupernaturali adoptione, eo quod nulla expectata paruulorum conſenſione Deus per baptiſmalẽ gratiã ipſos adoptat in filios, facile accomodari poſſunt, ſi dicamus, quod in adultis Deus proprium eorum expectat conſenſum, iuxta, illud quod Aug. dicebat, *qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te.* In paruulis vero cõſenſũ Eccleſiæ, cuius miniſteriali auctoritate baptiſmus miniſtratur, imo, & ipſum etiã Chriſti ſupremi capitis Eccleſiæ, & futuri ſæculi Patris conſenſum poſtulat. Fateor quidem, quod cum Deus ſit omnium dominus, qui citra vllius iniuriam omnes etiam non volentes, imo & inuitos poteſt ſuæ ditioni ſubiicere, duæ iſtæ conditiones, & ſi in ſupernaturali adoptione regulariter ſeruentur, non ſunt tamen penitus neceſſariæ, Quo fit, vt ſi Deus dormiẽti homini iuſtificantem gratiam, & ſpiritum charitatis infunderet, vere ipſum conſtitueret adoptiuum Dei filium, nullo ipſius, vel alterius expectato conſenſu. Quare his duabus conditionibus prætermiſſis ad reliquas occurramus, quæ in hac adoptione diuina ſunt ſimpliciter neceſſariæ.

Poſtulat enim per ſe, & neceſſario hæc adoptiua filiatio, quod perſona, quæ adoptatur ſit ſecundum ſe extranea à diuina natura, & ab hæreditate cæleſtiũ bonorum. Vnde ſi, vt quidam (& ſi falſo, & abſque fundamento) poſſibile reputant, daretur creata ſubſtantia ſupernaturalis ordinis, cui gratia, & hæreditas, cæteraque ordinis ſupernaturalis dona eſſent connaturalia, & propria, talis ſubſtantia minime adoptabilis eſſet in ſupernaturalem Dei filiationem: eo quod neq. ab ipſa Dei natura, neq. ab æterna cœleſtium bonorum hæreditate eſſet ſm̃ ſe extera, & extranea. Quod vero huiuſmodi adoptiua filiatio gratuita debeat eſſe, & liberalis, & ex libera ipſius adoptantis voluntate procedens, quod poſtulat ſecunda conditio, facile conſtabit conſideranti hanc filiationem adoptiuam, per ſolã Dei gratiã fieri poſſe, quæ omnem titulum oneroſum ex ſua ratione excludit. Nã ſi ex operibus gratia, dicente Paul. Rom. c. 11. iã non gratia. Vnde S. Iacob. c. 1. gratuitam hanc, & liberalem filiorum Dei adoptionem, voluntariæ generationis nomine nobis explicuit, *voluntariè*, inquit, *genuit nos verbo veritatis.* Quo loco aduertendum eſſe cenſeo, quod ſupernaturalis filiorũ Dei adoptio, quæ in ſacris litteris ſub ipſo adoptionis nomine, quam ſæpius deſcribitur, ad Rom. c. 4. ad Gal. 4. ad Eph. 1. ſub nomine generationis idcirco à Iacobo exprimitur, & à S. Ioa. c. 1. natiuitas vocari ibi, *ex Deo nati ſunt*, quia vt præclarè D. Caiet. in quodam ientaculo animaduertit, non eſt adoptio purè, & extrinſeca, qualis eſt, quæ inter homines reperitur: Sed eſt reuera communicatiua naturæ generantis, & adoptantis in ipſo adoptato, & genito: Non quidem ſubſtantiali communicatione, quia hæc eſt impoſſibilis, ſed accidentaria per gratiam. Quæ ſane gratia licet forma ſit accidentaria, eſt tamen vt explicuimus ſuperius, formale quoddam ſubſtãtialis Dei naturæ participium. Et ob id Ioan. 1. cano. c. 3. dicebat, *Videte fratres qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Nõ ſolam nominamur filij adoptione extrinſeca ad æternam hæreditatem adoptati, & admiſſi, ſed & veri filii Dei ſumus diuinæ naturæ participes, & conſortes per gratiam effecti: Diuinam gratiam hoc loco S. Io. charitatem appellabat, eo quod effectus eſt eximiæ illius, ac liberaliſſimæ charitatis, qua Deus non diligit. Hinc ſequitur falſũ eſſe, quod Dur. loco citato, & quidam alij Theologi dixerunt, adoptionem filiorum Dei impropriè, & metaphoricè adoptionem vocari. Nam è contra dicendum eſt, quod multo maiori cum proprietate nomen adoptionis meretur, quam illa, quæ in humanis reperitur, propter cauſam nunc aſſignatam. Vnde S. Th. licet in 3. d. 10. q. 2. ar. 1. q. 2. in eamdem fere ſententiam inclinauerit cum ea, quam ex Dur. retulimus, tamen in 3. p. q. 23. ar. 1. abſolutè, & abſque vlla ſermonis improprietate fatetur, concedendum eſſe Deũ, adoptare homines in filios, & in coronide corporis art. adoptionem hanc diuinam in ratione adoptionis præfert humanæ, propter rationem à nobis aſſignatam. Et quidem hæc ſententia, vel ex eo vera cenſeri debet, quod iuxta vulgatam regulam ex Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 3. & 10. deſumptam, verba ſcripturæ ſacræ, niſi manifeſta obſtet ratio, in proprio ſenſu ſunt accipienda. In ſacra autem ſcriptura paſſim dicitur Deum adoptare homines in filios, & quod homines per gratiam Dei filij ſunt, Chriſti fratres, cæleſtis hæreditatis hæredes, & cohæredes Chriſti, & Paul. ad Gal. c. 4. dicit, quod in ſpiritu adoptionis

ptionis Dei, *clamamus abba pater*. Et hæc geminatio abba, pater, diuerſis idiomatibus facta denotat, quod circa improprietatem vllam Deum vocamus patrē, nimirum adoptiuum. Ex his colligo, quod ſi non ad vocē, ſed ad rem ipſam attēdamus, adoptio nō prius de humana, quā de diuina dicitur natura, ſed è cōtra, quidquid commentetur Durand. Quod colligo, & ex ratione facta, quia videlicet adoptio diuina in ratione adoptionis pfectior eſt. Et ex illo Paul. ad Eph. 3. *Huius rei cauſa flecto genua ad Patrē domini mei Ieſu Chriſti ex quo omnis paternitas; ſiue in cælo, ſiue in terra nominatur*. Expendatur illud verbū, *omnis paternitas*, denotat enim, & naturalem, & adoptiuam filiationē humanam ex paternitate diuina tanquam ex prima regula deriuari, & menſurari. Dixi tamen non ad vocem, ſed ad rem attendendum fore: nam vocis impoſitio ex humanis, quæ magis, & prius à nobis agnoſcuntur ortum habuit. Quod non eſt in hac materia peculiare. Nam hæc vox ſapiētia, ſi rem inſpiciamus, prius, & proprius diuinæ, quam humanæ ſapientiæ competit, Vox autem, vt 1. p. q. 13. Solet probari impoſita primum fuit ad humanam ſapientiam nobis magis cognitam ſignificandum, & idem eſt de ſimilibus vocibus, quæ Deo, & creaturis propriè competunt iudicium, ferendum. Ex his omnibus aliud infero conſectarium; quod in humanis nulla ratione quis poteſt dici prius natura, vel tempore adoptiuus filius, quam ſit formaliter ad bonorum ipſius adoptantis hæreditatem acceptatus, quia in huiuſmodi acceptatione ſita eſt ipſa humanæ adoptionis ratio. Cæterùm in diuina adoptione res aliter ſe habet. Nam prius natura homo accipit gratiam per quam Dei naturam participat, & in filium Dei generatur, quam ad æternam cœleſtium bonorum hæreditatem acceptetur, quod Paul. ad Rom. c. 8. inſinuauit illis verbis. *Si filij, & hæredes*, primum filij, deinde hæredes, reſultat enim ex filiatione naturæ ordine præſuppoſita ius ad hæreditatem celeſtem. Vnde probabiliter ſatis dici poteſt, quod adoptio hæc diuina eſſentialiter ſumpta non formalis eſt, ſed radicalis tantum acceptatio ad hæreditatem celeſtium bonorum. Nam prius naturæ ordine filiatio adoptiua tribuitur animæ per gratiam, quam ius ei ad hæreditatem celeſtem conferatur. Hæc ſententia neceſſario eſt accepianda ab ijs Theologis, qui cenſent, quod acceptatio ad primum gradum gloriæ primæ gratiæ correſpondentem pendet in adulto ex opere ipſius meritorio ortum habenti ex gratia prius ordine naturæ infuſa animæ. Sed eſt hoc loco aduertendum, quod & ſi Deus verè, & propriè pater adoptiuus vocetur hominū, quos regenerauit per gratiam, non tamen ſimpliciter eſt eorum pater, non addendo adoptiuum. Nam adoptiuus pater comparatione ad patrem naturalem eſt impropriè, & ſimilitudinariè pater, atque adeo ſecundum quid, & ſimiliter eſt dicendum de filio adoptiuo, quod non eſt propriè, & ſimpliciter filius. Et ob hanc cauſam cenſent nonnulli auctores, quod Chriſtus nuſquam communi appellatione Deum appellauit patrem ſuum, & aliorum iuſtorum, quia, videlicet, pater adoptiuus cum ſit pater ſimilitudinariè, & ſecundum quid, non conuenire poteſt in eadem voce cum patre naturali: Verum hæc ratio mihi non ſatis eſt probata. Quia vt poſtea dicam ex Auguſt. & Chryſoſt. imo ex Adrian. I. Chriſtus ideo nunquam communi illa patris appellatione vſus fuit, vt inſinuaret ſe aliter eſſe Dei filium, atque ſunt alij homines iuſti. Ipſe quidem per naturam, & alij per gratiam, & adoptionem. Sed tamen ſi ad rigorem ſermonis attendamus non inconueniret, quod vna communi voce patris, & naturalis, & adoptiuus comprehenderentur. Sicut vna vox, ens, ſubſtantiam, quæ ſimpliciter eſt ens, & accidens, quod eſt ſecundum quid complectitur, & Dan. 3. benedicere Deum, & laudare in communi accomodatur rationabilibus, & irrationabilibus creaturis, cum tamen rationabilibus competat propriè irrationabilibus verò metaphoricè, *benedicite*, inquit, *omnia opera Domini Domino, &c.* Et ad noſtrum intentum adhuc accomodatius argumentū deſumitur, ex eo quod Chriſtus ipſe Apoſtolos vocauit fratres ſuos Matt. 28. & Paul. ad Rom. 8. vocat Chriſtum primogenitum in multis fratribus. Ergo qua ratione poſſunt vna communi voce fratres vocari adoptiui filij, & naturales, cum tanta ſit inter fraternitatem vtramque diſſimilitudo, quanta inter naturalem, & adoptiuam filiationem; quare nō poterimus ſimul cum Chriſto vna cōmuni voce filij Dei vocari, & ipſe Deus ſimiliter vna, & communi appellatione, & Chriſti, & iuſtorum hominum dici pater? Idem ſumi poteſt argumētum ex eo, quod Paul. loc. cit. dicit nos eſſe coheredes Chriſti, ſi coheredes quare, & non ſimul filij vocari poſſumus, præſertim cum ipſe non confundatur vocare nos fratres ſuos, Pau. ad Hebr. c. 2. teſtante?

Sed breui argumētatione probatur aduerſus omnia hæc, quod neque Deus ſit cum proprietate pater adoptiuus, neque homo propriè adoptetur in Dei filium. Homo quamtumcumque polleat gratia manet Dei ſeruus: Ergo per gratiam non efficitur propriè adoptiuus Dei filius. Filiatio enim ſeruituti è regione opponitur. Reſpondetur, quod per gratuitam adoptionem aufertur quidem ſeruilis conditio, & excluditur ſeruituris ſpiritus, iuxta illud Paul. ad Gal. 2. [non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum Dei] at non aufertur ſeruituris obligatio, quæ potius ex redemptione per Chriſtum facta nouo titulo, ſcilicet redēptionis acceſſit, qui titulo creationis fuit ſuperadditus. Aliquale exemplum habemus in eo, qui iniuſto bello captus, in filium à victore adoptatur, in quo adoptio auget obligationem ſeruiendi, & parendi humiliter, & ſi ſeruilem auferat conditionem. Sed iam ad quintam, & vltimam deueniamus adoptionis cōditionem, ſecundum quam perſona adoptanda præſupponi debet adoptiuæ filiationi. Quæ ſane conditio, vel ex eo neceſſaria eſt, in adoptione ſupernaturali, quod hæc adoptio, vt dudum explicabamus, per intrinſecam diuinæ naturæ accidentariam participationē celebratur, quæ proinde neceſſum eſt præſupponat perſonæ adoptatæ ſubſiſtentiam, nam accidentis inexiſtentia ipſam ſubſtantiæ exiſtentiam præſupponit. Verum hæc conditio non tam eſt rigorosè accipienda, vt temporariam anteceſſionem in adoptanda perſona eflagitet. Nam ſatisfuerit, quod ordine tantum naturæ ipſam adoptionem præcedat, vt contigit Angelis, qui in ipſo ſuæ creationis inſtanti, & gratiam, & adoptionem filiorum Dei acceperunt, Auguſt. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 9. dicente quod

Deus

Digitized by Google

Deus ſimul erat in eis condens naturam, & largens gratiam. Et idipſum cenſet S.Th.1.p.q.95.ar.1. Primo parenti contigiſſe, quem ipſe docet, in gratia, & originali iuſtitia fuiſſe conditum.

Sed in his, & in alijs ſimilibus, ſi qui fuerint, ſubſtantialis ipſa ſubiecti productio, ordine, & rationis, & naturæ, ipſam præceſſit gratiæ infuſionem, ac filiationem proinde adoptiuam.

Hæ ſunt ad filiationem Dei adoptiuam, & neceſſariæ, & ſufficientes conditiones. Nam quod hæreditas adoptatum filium non perueniat, niſi adoptantis morte interueniente, per accidens ſe habet ad rationem adoptionis etiam humanæ. Et quod ita contingat regulariter inter homines, non ex vi adoptiuæ filiationis, ſed ex bonorum temporalium imperfectione prouenit: quæ non ſimul poſſunt à pluribus abſque diuiſione poſſideri. Diuina autem hæreditas ob eximiam, & infinitam perfectionem, Deum, Angelos, & homines ſimul abſque vlla cęleſtium bonorum diminutione, & diuiſione ditare poteſt, & ſumma cum opulentia beare. Eſt enim ipſe Deus ſumma, & ditiſſima cęleſtis hæreditas, iuxta id quod Dauid Pſal.72.ait. *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Et ipſe Deus Abrahæ Gen.capit. 15.dixit. *Ego merces tua magna nimis.* Et hæc eſt illa præcioſa hæreditas, de qua Dauid Pſ.16. dicebat, *funes*, ideſt, *ſortes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Et de hac hæreditate inquit Paul.Rom.c.8. *Si filij & hæredes, & cohæredes autem Chriſti*: Ideſt, ſimul cum Chriſto cęleſtium bonorum hæreditate adoptiui Dei filij potientur.

Ex his ſequitur, quod cum ſola intellectualis, & rationalis creatura apta ſit hac diuina hæreditatę potiri, ipſi ſoli poteſt adoptiua Dei filiatio competere. Quod ſi quando Deus in ſcripturis ſacris Pater irrationalis creaturæ vocatur, id per metaphoram, & ampla quadam ſignificatione dicitur: quo in ſenſu Iob 38. inquit. *Quis eſt pater pluuiæ: aut quis genuit ſtellas roris*, ipſa creatio ex qua creaturæ connaturali quodam ordine ius aliquod competit ad bona ſuæ naturę proportionata, abuſiue, & impropriè generatio, & adoptio vocatur. Et in hoc fere eodem ſenſu Deus dicitur peccatorum pater, & ipſi eius vocantur filij, Eſai.63. & Malach.c.1. Et hæc adoptio metaphorica, & ſiquidem Dei gratia naturalis ordinis vocari poſſit, in quo ſenſu Plato cœlos per gratiam Dei conſiſtere fatetur: at potius natura quam gratia dici debet. Quæ & ab ipſa Chriſti humanitate quatenus quædam creatura Dei eſt ſeparari non debet. Quare nos in præſentia non de hac abuſiua, impropria, & metaphorica adoptione loquimur, ſed de ea, quam diximus eſſe propriam, & magis propriè dici in ordine ad cęleſtem hæreditatem, quam dicatur adoptio in humanis comparatione ad hæreditatem humanã. Similiter etiam non neceſſariam eſſe cenſeo cum Scot.in 4.d.10.q.vni.eam conditionem quam requiſitam eſſe nonnulli Theologi putauerunt, quibus nõ refragatur Alex.Alenſ.3.p.q.10.memb.4.nimirum, quod is, qui in Dei filium eſt adoptandus, prius fuerit per mortalem culpam diaboli filius. Et ita inquit Alenſ.creationem eſſe tranſitum de non eſſe ad eſſe, adoptionem vero de malo eſſe, ad bene eſſe: hanc conditionem impertinentem eſſe crediderim.

Quod oſtendo, à priori quidem. Quia ad filiationem hanc ſatis fuerit, quod adoptanda perſona ſit extranea, à natura adoptantis, ad hanc autem extraneitatem non eſt neceſſarius ſtatus mortalis peccati. A poſteriori etiam probatur. Quia alias Angeli, & primi parentes in ſtatu innocentię non poſſent dici adoptiui Dei filij: quod nulla ratio patitur, imo, & fides repugnat. Vocat.n.Sacr.ſcript. Angelos filios Dei, &c. Quibus ita præmiſſis.

Primum Dictum.

CHriſtus, vt homo per gratiam vnionis filius eſt Dei naturalis. Hanc concluſionem adſtruximus ſuperius ex doctrina Caie.3.p.q.16.ar.11. deſũptam, quæ doctrina inſinuatur, & ferè exprimitur à Magiſt.in 3.d.20. & S.Bonau.ead. d.aperte concedit Chriſtum, vt hominem per gratiam vnionis poſſe dici filium Dei naturalem S.Th.3.p.q.23.art.4.ad 2.non refragatur, dum inquit, quod Chriſtus per gratiam vnionis eſt Filius Dei naturalis. Nam certũ eſt, Chriſtum, quatenus Deum nõ eſſe per gratiam vnionis naturalem Dei filium, cum Chriſto, vt Deo, nulla ſit facta gratia. Quo circa illa S.Th.doctrina verificanda eſt de Chriſto, & homine. Quam non inepte colligere poſſumus ex illo Pauli ad Hębr.1. *Nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio.* Vbi Paulus de Chriſto, vt homine loquens, ipſum Dei filium vocat. Et quod non adoptiuum, ſed naturalem filium eum appellet, inde conſtat, quod contraponit ipſum antiquis Patribus, & Prophetis, qui fuerunt ſine dubio per gratiam adoptiui Dei filij. Multifariam, inquit, multiſq. modis Deus loquens olim in Patribus, & Prophetis nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio. Quod vero de ipſo, vt homine ſermonem faciat Apoſtolus colligo primum, ex eo quod officium Euangelicæ prædicationis exequitur Chriſtus, non vt Deus, ſed vt homo. Deum autem loqui per Chriſtum, ipſam Chriſti prædicationé deſignat. Ex verbis, quæ mox ſubiungit Paulus id ipſum deduco, ſcilicet, quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Etenim Chriſtus non vt Deus præciſe, ſed vt homo fuit vniuerſorum hæres à Patre conſtitutus. Nam, vt Deus non propriè conſtitutus, ſed genitus dicitur ipſe Chriſtus. Tunc autem omnium bonorum Dei vniuerſalis fuit conſtitutus, & hæres cum ipſe Dei filius ſuam perſonalitatem humanitati communicauit, ratione cuius hypoſtaticæ communicationis Chriſto homini, imo, & vt homini, vniuerſalis hæc bonorum Dei competit hæreditas. Huc attinet illud Ioan.3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Legatur Auguſt.tract.14.in Ioan. Confirmo eandem veritatem ex illo Paul. ad Coloſ.1. Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ. Quo in loco Paulus de Chriſto, vt homine, loquebatur, vt ex illis verbis. Primogenitus omnis creaturæ colligitur. Et ex proxime antecedentibus, ſcilicet, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum, aperte conſtat. Nam hæc omnia de Chriſto, vt homine, verificantur. Vel vt proprius loquar, de Chriſto, prout eſt Deus homo, ideſt, prout humanitati per gratiam hypoſtaticæ vnionis ipſe naturalis Dei filius fuit communicatus, cum verbum caro factum eſt, &c. Hic ergo Chriſtus appellatur à Paulo

imago Dei inuiſibilis, ideſt, ſubſtantialis imago, & naturalis Dei filius. Nam licet paulo ſuperius ad ſimilitudinem Dei per gratiam in humanitate participatam explicandam, hæc Pauli verba induximus, multo tamen probabilius, & verius exponuntur hæc verba de naturali, & conſubſtantiali Patris ſimilitudine, & imagine, Vt communiter exponitur ab interpretibus ſacrorum librorum. Legatur Cyrill. Alexandr. lib. de fide ad Theod. poſt medium, & lib. 1. de fide ad Regin. quibus in locis non obſcure noſtram hanc primam inſinuat concluſionem. Quam apertiſſime docuit Adrianus in citat. epiſt. prope finem dicens, quod cum Pater Matth. 3. & aliàs Chriſtum vocat filium dilectum, non tantummodo ſecundum diuinitatem eum appellat filium, ſed potius ſecundum humanitatem. Quæ doctrina cum alijs multis, quæ ibidem ad hoc propoſitum habentur, & in Concil. citat. Franfordienſi, intelligenda ſunt, cum ſub ſupradicto additamento. Videlicet per gratiam vnionis.

Sed neceſſum eſt explicemus, quem ſenſum ſpecificatiuum reddat illa verba, in quantum homo, cum fatemur Chriſtum, in quantum hominem, naturalẽ eſſe Dei filium. Nam quod non fiat hic ſenſus, videlicet, humanitatem formalem eſſe rationem, aut cauſam ob quam Chriſtus filius eſt Dei naturalis, noſtra non eget probatione. Nullus eſt enim, tam ignarus, qui hoc vel leuiter ſuſpicari queat.

Quare in eo ſpecificatiuo ſenſu Chriſtus, vt homo, per gratiam vnionis filius eſt Dei naturalis, in quo ſenſu dici ſolet, Petrum in quantum capillatum eſſe criſpum. Verum eſt, moderate vtendum eſſe hac ſimilitudine, non enim concedendum eſt, quod ſicut capilli formaliter denominantur criſpi, ita humanitas denominatur formaliter Dei filius, aut Dei filia, hic enim ſenſus ſtultus eſſet, & ineptus. Sed ita eſt accipienda prædicta ſimilitudo, quod ſicut non eſt alia pars in Petro præter capillos, ex qua illa poſſit competere creſpitudo, ita quod Chriſtus per gratiam vnionis naturalis ſit Dei filius, non niſi ratione humanitatis aſſumptæ ei competit. Chriſti namque diuinitati, nequit per gratiam competere naturalis Dei filiatio, diuinitati enim, ſeu ſuppoſito Chriſti, prout eſt diuinum ſupoſitum, nulla poteſt fieri gratia, ſed tota gratia, quæ in ipſa hypoſtatica vtione interuenit, ſoli humanitati facta eſt.

Senſus igitur, noſtræ concluſionis eſt, quod Chriſtus, prout includit humanitatem, vt formam, & naturam quam ſuppoſitat, naturalis quidem eſt Dei filius: ſed hoc ei non competit per naturam, vt conpetit eidem, prout eſt diuinitatis ſuppoſitum, ſed per gratiam vnionis, qua ipſe naturalis Dei filius perſonaliter eſt humanitati vnitus.

Eſt autem aduertendum, quod niſi diſtincte explicetur ipſa vnionis gratia, ſicut non conceditur à S. Thom. 3. p. q. 16. ar. 11. neque vero eſt concedẽdum, quod Chriſtus, in quantum homo, eſt Deus, ita neq. debet cõcedi, quod eſt Filius Dei naturalis. Fit enim ſenſus, quod Chriſtus, in quantum homo, per naturã habet eſſe naturalem Dei filium, filiatio enim naturalis ex natura competit per ſe loquendo, eſtque illi quaſi per accidens, quod per ſuperuenientem hypoſtaticam vnionem communicetur. Quo circa vt vere dicatur Chriſtus, in quantum homo, naturalis Dei filius: oportet explicare in hac propoſitione, quod naturalis filiatio ei competit per gratiam vnionis. Ex his ſequitur, quod non eodem modo competit Chriſto, vt homini, eſſe naturalem Dei filium, quo illi conuenit, vt Deo. Nam vt Deus conuenit ei ex viſolius æternæ, & naturalis generationis omni ſecluſa gratia: vt homini vero, non ex ſola generatione æterna, quæ non vt homini, ſed vt Deo, competit Chriſto: ſed ex ipſa vnionis gratia, quæ facta fuit humanitati à verbo aſſumptæ.

Secundum Dictum.

Aliqua ratione poteſt concedi, quod Chriſtus, in quantum homo, per gratiam habitualem eſt naturalis Dei filius. Ad huius concluſionis intelligentiam, & probationem ſupponendum eſt id, quod in ſecunda principali controuerſia explicabitur. Videlicet, quod habitualis Chriſti gratia, & ſi non fuerit antecedens diſpoſitio ad vnionem verbi cum humanitate, eſt tamen diſpoſitio cõcomitans, quæ Chriſti humanitatem diſponit, vt debitè ſe habeat erga diuinum verbum, cui eſt hypoſtaticè vnita. Hoc ergo ſuppoſito ſenſus concluſionis propoſitæ is eſt, quod gratia habitualis, quatenus habet modum explicatæ diſpoſitionis, concurrit ad hypoſtaticam vnionem verbi cum humanitate, per quam Chriſtus, vt homo, eſt naturalis Dei filius, vt diximus præcedẽti concluſione. Et quoniam iuxta ſuauem, & ordinariam Dei diſpoſitionem, & potentiam, hac diſpoſitione concomitante à Chriſti humanitate ſublata, non ſtaret ipſa hypoſtatica vnio verbi cum humanitate, idcirco hac ratione dici poteſt Chriſtus, vt homo, filius Dei naturalis per gratiam habitualem.

Verum, quia modus, quo fit hæc verificatio, eſt ſecundum quid, eo quod gratia nulla ratione anteceſſit hypoſtaticam vnionem, etiam in ratione diſpoſitionis, ac proinde hypoſtatica vnio minime ab ipſa pendet, neque vero eſt ſimpliciter neceſſaria, in eſſe concomitanns diſpoſitionis. Sed ex ſuaui duntaxat diſpoſitione Dei. Idcirco, non liberè vtendum eſt hac noſtra concluſione ſecunda, neque vllatenus eſt affirmanda ſine prædicta expoſitione ei ſubiuncta. Quam concluſionem ob id propoſui, vt morem gererem illis Theologis, quibus placuit aſſerere Chriſtum per gratiam habitualem eſſe quodammodo Filium Dei. Quorum ſententiam non intelligo de filiatione adoptiua, quia filiationem hanc omnino relegandam eſſe a Chriſto crediderim, vt ſequente concluſione explicabo, ſed de naturali, filiatione, quæ vnica tantũ filiatio reperitur in Chriſto.

Hac intelligentia ſuppoſita, vnica probabili ratione, Ambæ concluſiones ſimul confirmantur. Quicũque iuſtus homo eſt per gratiam Dei filius, in quantum homo, ergo non eſt negandum de Chriſto, quod etiam in quantum homo, ſi per gratiam Dei filius, nõ quidem adoptiuus, quia eſſet magna in ipſo Chriſto imperfectio eius diuinitati, repugnans, ſed filius naturalis. Et rationi conſentit, quod hoc ei competat per vtramque gratiam, & vnionis. & habitualem. Sed potiſſimum per gratiam vnionis, quæ ſumma eſt, & omnium gratiarum maxima.

Ter-

Tertium Dictum.

CHriſtus, inquantum homo, non eſt adoptiuus Dei filius. Veritatem huius concluſionis omnes fere Theologi nouerunt, cum Magiſtro in 3.d.10. & cum S.Thom.3 p.q.23. art.4. lib.4. contra g. cap.4. Veruntamen in eius aſſignanda ratione, non tamen inter ipſos Theologos conuenit. Mag. ſent. cui S. Bonauent. minime refragatur, ea ratione mouetur in huius veritatis perſuaſionem, quia, inquit, is qui adoptatur in filium, neceſſe eſt, vt priuſquam adoptetur, exiſtat non filius. Quod quidem de Chriſto dici nequit, quia Chriſtus ſemper fuit Dei filius, neque vnquam potuit non filius Dei vocari. Hanc rationem reprobant quidam ex recentioribus Theologis ex eo, quod ad rationem adoptionis præſertim diuinæ, de qua fit ſermo, non eſt neceſſe, vt is, qui adoptatur temporis anteceſſione adoptioni præexiſtat, ſed ſufficit præexiſtentia ſecundum naturæ ordinem, vt in Angelis, & in primis parentibus verificatum fuit ſuperius à nobis: qui non prius tempore fuerunt conditi, quam fuerint iuſtificati per gratiam, & ad filiationem Dei adoptiuam admiſſi.

Verum hæc impugnatio debilis eſt. Quoniam prædicta ratio non fundatur in præexiſtentia, quæ fit ſecundum ordinem temporariæ durationis, quoniam illius rationis vis in hoc ſita eſt. Quod in illo ſigno, aut temporis, aut naturæ, in quo Chriſtus præintelligebatur habitualis gratiæ infuſioni, potuit ipſe Chriſtus intelligi non Dei filius. Quod nullatenus dici debet, cum ſit ex vi generationis æternæ, filius Dei naturalis.

Sed nihilominus prædicta Magiſtri ratio, non apparet ſufficiens. Contra quam ſic argumentor. In illo ſigno rationis, in quo Chriſtus in ipſo primo ſuæ incarnationis inſtanti præintelligebatur infuſioni habitualis gratiæ, præintelligebatur etiam ſecundum naturam humanam non filius Dei, neq. adoptiuus, neque naturalis, ſed hoc ſatis fuit, vt poſſit adoptari in Dei filium ſecundum naturam humanam, ſecundum quam præintellectus fuit non Dei filius. Ergo inſufficiens eſt Magiſtri ratio.

Quod ſi dixerit Magiſter, quod vt locum haberet in Chriſto adoptiua filiatio, neceſſe erat, vt non ſolum ſecundum humanam naturam, verum etiam quod abſolute & ſimpliciter Chriſtus præintelligeretur non Dei filius, hoc quidem veriſſimum eſſe cẽſeo, ſed rationem ob quam ita ſit dicendum, non aſſignauit Magiſter, & ob id tota eius argumentatio debilis eſt, & inſufficiens ad propoſitam concluſionem probandam.

Scotus ead. diſtinct. Idcirco filiationem adoptiuã denegat Chriſto, quia Chriſto, inquit, ſua natura, & ex vi hypoſtaticæ vnionis, competit congruitas quædam ad Dei gratiam habendam, & ad obtinendum bonorum cæleſtium hæreditatem.

Sed iſta Scoti ratio, & ſi ad bonum poſſit ſenſum reduci, quod fiet inferius, vt iacet tamen inefficax eſt. Quia congruitas ad hæreditatem, non reddit ſubiectum ineptum, & incapax filiationis adoptiuæ. Nam cum quis caret liberis, multaque bonorum temporalium ſubſtantia pollet, nullus non dicet, quod in eius conſanguineis reperitur quædam congruitas, quaſi naturalis, ad hæreditatem illorum bonorum obtinẽdam; & tamen congruitas iſta, non modo non reddit ipſos conſanguineos incapaces filiationis adoptiuæ, quin potius reddit ipſos bene proportionatos, vt ab illo homine in filios adoptentur, & ad bonorum eius hæreditatem admittantur.

Aliæ duæ rationis aſſignari ſolent à quibuſdam Theologis, quæ plus habent apparentiæ, quam efficaciæ. Prima. Ex contraria ſentẽtia ſequeretur, quod Chriſtus vocandus eſſet Spiritus ſancti filius, conſequens continet intolerabilem doctrinam, vtpote antiquis Patribus contrariam. Quia dum varijs in locis verſant illud Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, &c. vnanimi conſenſione negant. Spiritum ſanctum fuiſſe Patrem Chriſti, & Chriſtum appellari poſſe Spiritus ſancti filium; ergo &c. Sequela apparet manifeſta, quia ſpiritualis adoptio, & ſi communi ſit toti Trinitati, ſpeciali tamen ratione Spiritui ſancto accommodatur, iuxta illud Paul. ad Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater*: at qui adoptat aliquem, & ſeipſum conſtituit Patrem adoptati, & ipſum adoptatum, vt filium ſibi ſubijcit. Et ob id diximus neceſſarium eſſe adoptandi voluntarium conſenſum, ne inuitus alteri ſubijciatur: ergo, &c.

Secunda ratio. Ex oppoſita ſententia ſequeretur, Chriſtum, vt hominem, eſſe filium ſui ipſius adoptiuum, ſed non patitur ratio hoc admittere; ergo &c. Sequelam probo, quia adoptare filios per gratiam, ad æternam hæreditatem, eſt opus toti Trinitati commune, vt docet, & probat S. Thom. 1. par. q. 23. art. 2. & colligitur ex illa communi Theologorum ſententia, quam ex patribus, præſertim ex Auguſtin. hauſerunt, & Patres Concil. 11. Toleta. in ipſa fidei confeſſione probarunt, nimirum, quod opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Ideſt, ex æquo competunt tribus perſonis diuinis, quia per vnam, & eandem virtutem ſimpliciſſimam operantur: ergo ipſe Chriſtus eſſet ſui ipſius adoptator: atque adeo eſſet filius ſui ipſius adoptiuus.

Rationes iſtæ duę bonam quidam præſeferunt apparentiam, vt dixi, ſed reipſa efficaciam non habent. Ad primam. n. facile quis reſpondere poſſet, ſacratos auctores, & Patres, cũ negauerũt Spiritũ ſanctũ Chriſti Patrem eſſe, nihil de adoptatiua paternitate, aut filiatione cogitaſſe: ſed id tantum affirmarunt, quod Spiritus ſanctus non eſt Pater Chriſti naturalis, quatenus ipſe Chriſtus eſt homo, quia concurſus quem Spiritus ſanctus habuit in humana Chriſti generatione, non fuit concurſus Patris generantis, ideſt, immittentis prolificum ſemen, cuius virtute ipſa fieret Chriſti generatio, quia ex ſolis puriſſimis ſacræ Virginis ſãguinibus originem duxit humana Chriſti caro. Vnde ipſa vera Chriſti mater fuit; quippe quæ verũ in ipſa Chriſti generationem maternum officium, & concurſum exhibuit. Ex Conc. 11. Tolet. cap. 1. hęc ſolutio probabilitatem accipit. Vbi dicitur, quod B. Virgo fæcundata per Spiritum ſanctum carnis materiam miniſtrauit. Et mox fere ſubditur. Nec tamen Spiritus ſanctus pater eſſe credendus eſt filij, ex eo, quod Maria Spiritu ſancto obumbrante, concepit, ne duos patres filij videamur aſſerere, quod vtique nefas eſt dici. Quo loco de duobus patribus naturali-

bus altero ſecundum diuinam, & altero ſecundum humanam naturam fit ſermo, & non de paternitate adoptiua concilium loquebatur. Etſi non irrationabiliter poſſit hæc Concilij doctrina, & eius ratio ad paternitatem adoptiuam extendi. Quia non videtur rationabile, quod in Deo diſtinguantur duo Chriſti patres alter naturalis, & alter adoptiuus, &c.

Ad ſecũdum argumentum poſlet facile dici, quod ſicut Chriſtus, vt homo, eſt ſubiectus ſibi ipſi, prout eſt Deus ita put homo, filius eſt adoptiuus ſui ipſius, ita vt ſecundum diuinitatem ſit pater, & ſecundum humanitatem filius.

Hæ duæ ſolutiones nullam videntur improbabilitatẽ afferre, neq. alia ratione poterũt expugnari, quam quod non apparet modu loquendi ſanctorum Patrũ ſatis conſentaneum, affirmare, Chriſtum eſſe adoptiuum filium Spiritus ſancti, aut ſui ipſius, aut totius Trinitatis. Et quoniam hæc expugnatio prædictarũ ſolutionum, non eſſe debet leuis ponderis apud grauem, & modeſtum Theologum, idcirco duæ aſſignatæ rationes pro noſtra concluſione tertia, habendæ ſunt, vt probabiles.

Sed efficacioribus deinceps argumentis probatur noſtra concluſio. Vnde ſit quarta ratio pro concluſione tertia. Chriſtus, in quantum homo, eſt per gratiam vnionis naturalis Dei filius, vt in prima concluſione ſtatuimus: Ergo nequit, vt homo, effici adoptiuus Dei filius. Conſequentia apparet euidens, nam implicatio eſt manifeſta, quod quis ſecundum eandem rationem ſimul ſit naturalis, & adoptiuus filius reſpectu eiuſdem: adoptio enim præſupponit ſubiectum extraneum à natura, & filiatione adoptantis. Hac ratione veluti efficaciſſima quidã graues Theologi vtuntur, & putant eſſe eandem cum illa, qua S. Thom. loco citato hanc concluſionem probat. Sed certe neque iſta ratio eſt ſatis efficax, neque eadem eſt cum ratione S. Thom. Quod non ſit ipſa S. Tho. ratio, conſtabit poſtea, quod vero non omnimodam ſortiatur pro concluſione efficaciam, patet. Quia licet Chriſtus, vt homo, ſit per gratiam vnionis filius Dei naturalis, ad ſenſum ſuperius expoſitum; verumtamen hoc non ei conuenit ratione humanitatis: Vnde abſolute loquendo, & niſi explicetur gratia vnionis, neganda eſt illa propoſitio, Chriſtus, vt homo, eſt ſubiectum extraneum à filiatione naturali, atque adeo vt ſic, capax eſt adoptionis per habitualem gratiam humanitati inhærentem. Probabilis eſt hæc ſolutio, niſi argumenti vis amplius vrgeat, & vrgebit quidem ſi ei adiungamus duas alias rationes, quibus S. Thom. 3. par. quæſt. 23. articulo 4. cit. in corpore, & ad ſecundam hanc veritatem admittit comprobare.

Sit ergo quinta ratio pro concluſione, quam S. Thom. in citata ſolutione ad 2. inſinuauit. Adoptio, vt conſtat ex conditionibus retro ex communi omnium ſententia poſitis, debet ex ſola adoptantis gratia adoptato competere. Itaque ſi bona ad quæ quis adoptatur alio titulo ſint ei debita, perit adoptionis ratio. Sed gratia Chriſti habitualis, & ſimiliter gloria (quæ non eſt aliud quam gratia conſumata) non fuerunt datæ Chriſto ex mera Dei gratia, ſed debentur eius humanitati, ex vi hypoſtaticæ vnionis debito connaturalitatis, vt in 2. q. explicabitur, & eſt grauiſſimorum Theologorum ſententia; quorum nonnulli tantam inter hypoſtaticam vnionem, & habitualem gratiam, etiam gloria conſumatam, connaturalitatem eſſe cenſuerunt, vt crediderint ipſam per ſimplicem emanationem ad modum propriæ paſſionis ex Chriſti, prout anima eſt à verbo aſſumpta, & hypoſtaticè ipſi vnita naturalitus dimanaſſe, & effluxiſſe. Igitur ius hoc connaturalitatis ad gratiam habitualem, & gloriam ex hypoſtatica vnione reſultans, non reliquit locum adoptiuæ filiationi in Chriſto, etiam vt homine, cum hoc ius ad Chriſtum, vt hominem, pertineat. Ex ſolutio 3. argumenti conſtabit amplius vis huius argumenti.

Si vera eſſet ſententia nunc relata, quæ affirmat Chriſti gratiam ſimplici emanatione ex vnione hypoſtatica ab ipſa Chriſti anima, prout eſt vnita verbo, effluxiſſe ad modum propriæ paſſionis, magnum robur accreſceret huic rationi. Nam iſta ſententia, quæ multis eſt grauiſſimis probata, ſuppoſita, de qua in controuerſia 2. Sic vrgeo vim argumenti tacti. Filiatio ſiue adoptiua, ſiue naturalis, nequit eſſe, niſi fundata in illa forma, & natura, quæ per ſe primo intenditur, & fit, & non ſe habet conſequenter ad aliam, neque enim id, quod non per ſe fit, ſed cõſequenter comproducitur ad alterius productionem poteſt filij rationem ſortiri, ſicut homo, prout riſibilis, nequit dici natus, genitus, aut filius, eo quod homo, vt riſibilis, non ſit, neque per ſe producitur, ſed comproducitur ad productionem rationalis. Sed Chriſtus, vt gratus, per habitualem gratiam non eſt terminus productionis per ſe, ſed conſequenter, & concomitanter ſe habet. Nam hoc ipſo, quod Filius Dei factus eſt homo, comproducta fuit habitualis gratia in eius humanitate: ergo Chriſtus, vt homo, non eſt per gratiam in Dei Filium adoptatus.

Sit iam ſexta, & vltima ratio, qua S. Thom. artic. citato in corpore, & ad 3. & q. 35. ar. 1. 2. & 3. hanc concluſionem probat, eſtque iſta ratio S. Tho. familiaris, eo quod fundamentum explicat, cui hæc veritas innititur; Proponiturque in hunc modum. Filiatio ſiue naturalis, ſiue adoptiua non conuenit naturæ, ſed ipſi duntaxat ſuppoſito; at ſuppoſito Chriſti, cum ſit per ſe naturalis Dei filius, nequit competere adoptiua Dei filiatio, quæ eſt participata filiatio, & ſecundum quid. Nam quod eſt ſimpliciter, & per ſe tale, non poteſt ſimul eſſe tale participatiuè, & ſecundum quid: Ergo vera eſt noſtra concluſio. Tota huius rationis efficacia in antecedentis veritate conſiſtit: namque ſi illud antecedens verum eſt, nihil magis refert dicere Chriſtus, vt homo eſt filius Dei adoptiuus, ac dicere abſolute, & ſine ſpecificatione Chriſtus, vt homo eſt Filius Dei adoptiuus. Nam adoptio non humanitati, ſed ſoli Chriſti ſuppoſito competere poteſt: at hæc poſterior enuntiatio falſa eſt, & fidei non conſentiens, vt ex communi Theologorum doctrina à principio huius dubij ſuppoſuimus. Quo circa in probatione, & explicatione illius maioris præmiſſæ oportebit tantiſper immorari. Multi ex S. Thom. diſcipulis ex eo probant illius præmiſſæ veritatem: quoniam inquiunt, natura neque filius eſt, neque filia, atque adeo non pertinere poteſt ad ipſam filiatio, ſed ad ſolum ſuppoſitum, quod vere, & propriè appellatur filius. Verum hæc probatio deficiens apparet; nam eadem ratione

pro-

Digitized by Google

probaret Theologus contra veritatem, & contra S. Thom. in ſolutione ad 3. cita. quod ſeruitus non competit naturæ, ſed immediate eſt ad ſuppoſitum referenda, atque adeo, quod repugnat Chriſto. Patet hoc, quia natura humana, neque ſeruus eſt, neque ſerua, ſed ratio formalis ob quam ſuppoſitum eſt ſeruus. Ergo ſimiliter ſatis erit, vt Chriſtus, vt homo, ſit filius Dei adoptiuus, quod humanitas ſit ratio per quam ei competat adoptiua Dei filiatio.

Alij dicunt, quod ob id filiationis relatio, non naturæ, ſed ſuppoſito duntaxat conuenire poteſt. Quia ille ſolus filius eſt, qui Patris naturam, & eſſentiam per vitalem generationem accipit, quod non naturæ competit, ſed ſuppoſito. Natura enim nō accipit per generationem à patre naturam, ſed ipſam accipit ſuppoſitum, & hypoſtaſis.

Sed neque iſta ratio eſt ſufficiens Nam licet ſolum ſuppoſitum ſit, quod accipit naturam à generante, inde tamen nihil aliud ſequitur, quam quod ſolum ſuppoſitum poteſt vocari filius. Non tamen ſequitur, quod non appelletur filius ratione ipſius naturæ per generationem acceptæ. Imo hoc eſt dictu neceſſariū. Quoniam omnis relatio denominat ſubiectum, & ei conuenit propter rationem aliquam, quæ eſt formalis ratio fundandi ipſam. Et ita filiatio conuenit ſuppoſito propter naturam quam ipſum ſuppoſitum accipit à generante: eo quod natura ratio formalis eſt fundandi relationem filiationis in ſuppoſito. Vnde colligo, quod ſecundum naturarum diuerſitatem inſurgunt in ſuppoſito diuerſæ relationes filiationis, quamuis ſuppoſitum ſit vnum, & idem, vt in myſterio incarnationis contingit: atque adeo diuinū verbum, prout naturam diuinam à patre æterna accipit generatione, filius eſt naturalis Dei: quatenus vero in humanitate ſibi perſonaliter vnita, & prout eſt ipſius humanitatis ſuppoſitum, gratiam accipit adeo, qua ad æternam bonorum cœleſtium hæreditatem acceptatur, competit ei relatio filiationis adoptiuæ.

Confirmatur iſta ex doctrina S Thom. 3. p. q. 35. art. 5. vbi probat, quod vnum, & idem verbi ſuppoſitum eſt Dei filius, & Filius B. Virginis, eo quod à patre diuinam, à matre vero naturam accepit humanā vera, & reali generatione: Ergo diuerſitas naturæ ſufficit diuerſitatem filiationis in eodem ſuppoſito cauſare.

Alij deniq. nonnulli Theologi dicunt hoc eſſe peculiare iſti relationi filiationis, vt immediate referatur ad ſuppoſitum, & non ad naturam. Verum huius rei cauſam non aliàm afferunt, quam quod S. Th. ita decreuit. Sed his, & alijs prætermiſſis, breuiter exponam quid ipſe in hac re ſentiam.

Principio id præſuppono, quod in hac parte idem eſt ferendum iudicium de filiatione adoptiua, quod de filiatione naturali: & ad illud ſubiectum referenda eſt adoptiua filiatio ad quod pertinet naturalis. Quoniam filiatio adoptiua ipſam naturalem imitatur, & eius vice ſubſtituitur. Secundo aduertendum eſſe cenſeo, non eſſe peculiare relationi filiationis, quod ad ſuppoſitum, & non ad naturam immediatè referatur. Hoc probo ex S. Thom. qui primus fuit huius rationis author. Nam ipſe, vt ſupra in quodam argumento deducebam in 3. par. q. 34. ar. & ſimiliter eadem q. art. 1. hoc ipſum tribuit naſci, generari, & eſſe natum, ac genitum. Et quidem ob id filiatio non naturam immediate, ſed ſuppoſitum reſpicit: quia naſci, & generari, & ſimiliter natum, ac genitum, in quibus rationibus proxime fundatur filiationis relatio ad ſuppoſitum immediate referuntur. Sed huius rei cauſam deinceps explico. Ad cuius explicationem aduerto primo, ex doctrina S. Thom. loco proxime citato, quod natura poteſt dupliciter reſpici per aliquam actionem: primo per modum formalis termini ipſius actionis. Secundo, per modum ſubiecti, quod vel actione fit, vel ad ipſam præſupponitur. Priori modo natura in qua res genita ſit, & generatur, per ſe primo reſpicitur à generatione, & à natiuitate, & ſuppoſitū reſpicitur ratione ipſius. In generatione hominis formalis, & primarius terminus, quē per ſe primo, & formaliter ipſa generatio intendit, eſt humanitas: homo vero, prout deſignat humanitatis ſuppoſitum, ratione ipſius humanitatis, per humanam generationem reſpicitur. Poſteriori autem modo natura nequaquam per generationem intenditur, generatio enim non naturam per modum ſubiecti, ſeu termini Qui, ſed ipſum ſubiectum per ſe primo reſpicit. Natura namque rationem ſubiecti generationis non ſortitur, ſed ſuppoſitum eſt, quod modum habet totalis ſubiecti, & termini Qui, generationis quatenus ei ſubſtantialis natura per generationem communicatur.

Vnde animaduerto tertio non eſſe contra rationē generationis, quod ſuppoſitum præſupponatur ipſi: vt patet in humana Chriſti generatione, quam præceſſit per infinitam durationem diuinum verbum, quod eſt ſuppoſitum in humanitate genitum. Quod non acquiſiuit ſimpliciter rationem ſuppoſiti ex vi ipſius generationis, & ſi verum ſit acquiſiiſſe rationem formalem humani ſuppoſiti, quatenus de nouo terminauit ſuppoſitaliter humanitatem, ſed hæc eſt ratio ſuppoſiti ſecundum quid. Cæterum contra rationem generationis eſt, quod natura præſupponatur in ſuppoſito ante ipſam generationem: Et huius diſcriminis eſt ratio. Quod natura, vt dixi, eſt formalis terminus quem generatio per ſe primo formaliter intendit, ſuppoſitum autem rationem habet ſubiecti, quod proinde ſi generationem præcedat, non deſtruit generationis rationem.

Sed aduerte, quod ſi quando ad generationem ſimul cum ſuppoſito, natura aliqua ſpecifica præſupponatur, talis natura nequit eſſe proximum, & formale ſubiectum generationis, & natiuitatis, ideſt, ſubiectum quo, ſeu cuius ratione, natura per generationem de nouo adueniens copuletur, v. g. ſi Angelus generatione humana fieret homo, humanitas nō conueniret naturæ Angelicæ, vt ſubiecto proximo, ſed Angelo, ideſt, ſuppoſito Angelico, quod in noua ſubſtantiali natura, nimirum, humana generatur: ita quod ipſa Angelica natura, non eſſet proxima, & formalis ratio per quam Angelicum ſuppoſitum naturam humanam ſuppoſitaret, & terminaret, ſed ipſa ſuppoſitalitas conſtitutiua talis ſuppoſiti, eſſet ei proxima, & formalis ratio ſuppoſitandi, & terminandi naturam humanam. Et ſi verbum naturam nunc angelicam aſſumeret, aſſumptio nullatenus ad humanitatem terminaretur, ſed immediate ad ſuppoſitum, ſcilicet, ad verbum, & humanitas haberet ſe ibi

Digitized by Google

ibi tantum concomitanter: & ſimiliter ſe habuiſſet diuinitas in ipſo incarnationis myſterio reſpectu humanitatis aſſumptæ, niſi eſſet forma intrinſeca, & eſſentialis ipſi verbo. Nam hac de cauſa ſecundario, & ipſa verbi perſonalitate mediante, terminus eſt hypoſtaticæ vnionis, ſed nullatenus eſt cenſenda ratio formalis, & proxima per quam verbum naturæ humanæ depẽdentiam terminat, ſed ipſa verbi perſonalitas, ſcilicet, diuinæ filiationis relatio, eſt verbo diuino proxima, & formalis ratio terminandi perſonaliter humanitatem. Et huius doctrinæ ea eſt ratio, quia vna ſpecifica, & ſubſtantialis natura non eſt cõplebilis, & terminabilis per ſe primo, & immediatè per aliam naturam ſubſtantialem in ratione naturæ ſumptam: nam quælibet huiuſmodi natura perfecta eſt, & independens ſecundum rationem naturæ. Dependet autem à ſuppoſito, & ab eius terminatione: etenim ſubſtantialis natura non intelligitur omnino completa, quandiu non intelligitur ſuppoſitata. Vnde immediate per ſuppoſitalem proprietatem terminatur, & completur. Et hæc eſt ratio à priori, ob quam ſubſtantialis generatio ſubſtantialem naturam reſpicit quidem per modum termini, nullatenus vero poteſt ipſam reſpicere per modum ſubiecti. Dixi conſulto vnam ſubſtantialem naturam non eſſe terminabilem, & perfectibilem immediate per aliam naturam ſubſtantialem. Nam per accidentariam naturam immediate perficitur, & terminatur tanquam proximum, & immediatum eius ſubiectum. Vt accidentia propria naturæ rationalis ipſam immediate perficiunt, & ipſa mediante ſuppoſitum.

Aduerto quintò, quod licet gratia ſit quædam accidentalis forma, & qualitas, quendam tamen habet modum formæ ſubſtantialis, quatenus confert ſubiecto, in quo recipitur diuinæ naturæ participationem, cuius participationis virtute, is qui gratiam recipit vere dicitur generari, & naſci, eſſeque genitum, & natum, ac denique filium, natiuitate diuina participata, & filiatione Dei adoptiua iuxta illud Ioan. cap. 1. [dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.]

Ex his colligo primum, quod in iuſtificatione hominis, gratia poteſt dupliciter conſiderari, & in quantum eſt accidentaria quædam qualitas, & prout induit modum ſubſtantialis formæ nunc expoſitum. Etſi priori modo conſideratur, prius naturæ ordine refertur ad naturam humanam tanquam ad ſubiectum immediatum, quo, & formale, quam ad ipſum humanum ſuppoſitum. Natura enim ſubſtantialis proximum eſſe poteſt ſuſceptiuum, quo, formæ accidentalis, & de facto eſt proximum ſubiectum illius habitus, qui nõ eſt immediatè operatiuus, cuiuſmodi ſunt ſanitas inter accidentia corporalia, & inter ſpiritualia iuſtitia originalis, & gratia, ac ipſum etiam originis peccatum iuſtitiæ originali contrarium. Si vero in poſteriori conſideratione ſumatur, res aliter ſe habet. Dicendum eſt enim, quod non humanitatẽ primo, & formaliter reſpicit, ſed ſuppoſitum, quatenus conſtituit ipſum in noua natura exiſtens, & illi tribuit adoptiuam Dei filiationem, ad eum modum, atque ſi ipſum conſtitueret naturalem Dei filium, tribuens ei ſubſtantialem Dei naturam.

Colligo ſecundo, quod in ipſa Chriſti formali ſanctificatione, gratia prout forma eſt, & qualitas accidentalis ad ipſam Chriſti humanitatem, vt ad proximum, & immediatum ſubiectum eſt referenda, & ad ſuppoſitum non niſi ipſa humanitate mediante. Cæterum, vt forma eſt ſecundum ſe apta nata Dei filium ſpirituali generatione ex ipſo Deo natum conſtituere, non poteſt ad humanitatem per ſe primo, & immediate referri, ſed ſi gratia hanc in Chriſto rationem obtinet ad ſuppoſitum eſt immediatè referẽda, vt ad proximum, & immediatum, & ſpiritualis natiuitatis, & adoptiuæ filiationis ſubiectum, ipſumque adoptiuum Dei filium conſtituit. Quod ſi hoc impoſſibile iudicabit Theologus, & conſequenter fateatur Chriſtum nullatenus eſſe adoptiuum Dei filium. Cum neque adoptiua Dei filiatio, neque gratia, prout eius eſt conſtitutiua ad humanitatem Chriſti, vt ad proximum ſubiectum pertinere queat, ſed ipſum humanitatis ſuppoſitum, nempe verbum, neceſſe eſt immediate reſpiciat. Vnde ex his rationem S. Thom. pro noſtra tertia concluſione in hunc modum deduco. Filiatio adoptiua Dei per gratiam collata non ad Chriſti humanitatem immediate pertinere poteſt, ita vt Chriſtus poſſit ratione humanitatis Dei filius adoptiuus conſtitui: ſed diuino verbo, quod eſt humanitatis ſuppoſitum, nequit immediatè competere adoptiua filiatio. Igitur Chriſtus per habitualem gratiam neque eſt, neque eſſe poteſt adoptiuus Dei filius. Conſequentia eſt euidens. Quia ſi filiatio Dei adoptiua, nec ratione humanitatis, nec ratione ſuppoſiti Chriſto conuenire poteſt, quo pacto Chriſtus adoptiuus Dei filius eſſe poterit per gratiam. Maior præmiſſa ex prænotatis conſtat ex quibus habetur, quod filiatio naturalis per ſe primo, & immediate non naturam, ſed ſuppoſitum reſpicit, vt proximum, & immediatum ſubiectum. Quoniam ita poſcit ipſa ſubſtãtialis generationis ratio. Et quod idem ſit de filiatione adoptiua dicendum, ſufficienter reliquimus explicatum. Minor vero argumenti facti propoſitio efficaciter à S. Thom. 3. p. q. 23. art. 4. probatur, ex eo, quod is qui per ſe, & perfectè eſt Dei filius, vtpote naturalis, nequit eſſe ſimul imperfectè, & participatiue, & per adoptionem filius Dei. Siquidem filiatio adoptiua humanitati, vt ſubiecto. Quo, & per ipſam verbo diuino competeret poſſet, hæc probatio. S. Th. penitus eſſet inefficax, Verum ſi immediate debet ad verbum referri, & non ratione humanitatis, vt expoſuimus retro, & ſufficienter probauimus, hæc ratio vt demonſtratio Theologica eſt habenda.

Confirmatur primo. Chriſtus neque eſt filius Dei adoptiuus, ſecundum quod Deus, neque ſecundum quod homo, vt ex dictis conſtat: Ergo nullo modo.

Confirmatur ſecundo. Adoptio non poteſt conuenire, niſi ſubiecto extraneo à filiatione, & ab hæreditate bonorum eius, à quo adoptatur: ergo impoſſibile eſt conueniat immediate Chriſto ratione ſuppoſiti, cum vt ſic nullatenus poſſit extraneus haberi à Dei filiatione, & cæleſtiũ bonorũ hæreditate, quia eſt naturalis Dei filius, & vniuerſorum hæres. Hanc rationem reperiet Theologus in Conc. Francford. & in epiſtola Adriani Primi ad Epiſcopos Galliciæ, & Hyſpaniarum. Tandem, vt rem iſtam concludamus, aduertendum, quod cum aſſerimus S. Th. filiationẽ

ad

ad ſuum ſuppoſitum pertinere, & non ad naturam: non negamus, quod ſecundario, & quaſi materialiter ad ipſam naturam poſſit pertinere, ratione tamen ſuppoſiti, præſertim cum natura eſt ipſi ſuppoſito intrinſeca, & eſſentialis. Qua ratione filiatio, qua Chriſtus eſt naturalis Beatiſſimæ Virg. filius per ſe primo, & immediatè conuenit verbo; ſecundario, & mediatè conuenit eius diuinitati, quatenus diuinitas eſt forma verbi intrinſeca. Et ita abſolutè fatemur, quod Deus eſt filius Virginis, & quod ipſa eſt mater Dei: non dico deitatis, quia deitas in abſtracto neque immediatè, neque mediatè capax eſt huius denominationis. Cum autem humanitas ſit forma extrinſeca ſimpliciter diuino verbo, ſi adoptiua filiatio per gratiam competeret verbo, non ob id humanitati conueniret niſi valde materialiter. Ad eum modum quo ſi Chriſtus angelicam aſſumeret naturam humanitate retenta, homo eſſet angelus materiali locutione; quatenus humanitas, & angelica natura in vno eodemque coirent ſuppoſito. Non vero angelica natura humanam determinaret, ſed concomitanter, & quaſi per accidens vna ſe haberet ad aliam: quia vtraque immediatam haberet ad ipſum verbum habitudinem, & verbum alteram independenter ab altera terminaret, & ſuppoſitaret. Loquimur de gratia, atque ſi eſſet ſubſtantialis quædam ſpecifica natura. Quia ita eſt conſideranda, ſecundum quod filiationem Dei adoptiuam conſtituit, vt ex dictis eſt manifeſtum.

Quartum Dictum.

SEntentia, quæ affirmat Chriſtum vt hominem eſſe filium Dei adoptiuum, non modo falſa eſt, ſed & temeraria, & periculoſa. Probatur concluſio, & primum quod ſit temeraria ex eo conſtat; quia in re tam graui opponitur omnium Theologorum ſententiæ, vno excepto Durando, qui aſſeueranter docuit, Chriſtum vt hominem eſſe adoptiuum Dei filiū. Et exceptis pauciſſimis alijs, quibus licet non vera, vtcumque tamen viſa fuit probabilis Dur. ſententia. Præterea, quia non modo non probabili innititur rationi, quin potius manifeſtiſſimis Theologicis rationibus opponitur, quarum meminimus circa præcedentem concluſionem. Et quidem duæ poſtremæ magnam vim habent ad confirmandam communem Theologorum ſententiam, quæ negat Chriſto adoptiuam Dei filiationem. Et vltima præſertim ratio, ſi bene expendatur veroſimilem ſolutionem non admittit. Quod ſit periculoſa ſententia probatur primo. Quia vltima ratio, de qua nunc dicebam, apertè deducit ſententiam iſtam ad illum ab Eccleſia damnatum errorem, nempe, in Chriſto, ſuppoſitum aliquod reperiri creatum, cui adoptionis filiatio competit. Secundo probatur ex Adrian. 1. in epiſtola citata ad Epiſcopos Galliciæ, & Hiſpaniæ. In qua expreſſe definit erraſſe in fide Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, quatenus Chriſtum adoptiuum Dei filium, & per gratiam adoptatum appellat. Notanda ſunt illa verba prædictæ epiſtolæ. *Quod ſi ſecundum eorum callidam tergiuerſationem cuncta, quæ protulimus ex ſacris Scripturis ad diuinitatem tantummodo filij Dei referenda opinantur: Dicant, vbi vnquam communi affatu dixerit Chriſtus nobiſcum, Pater noſter, ſcit enim, inquit, Pater veſter, quid vobis opus ſit. Non ait, noſter, quaſi nobiſcum adoptatus per gratiam, &c.* Ex quibus verbis aperte conſtat mentem Adriani Francfordienſis Concilij intentioni conformem, eam fuiſſe, quod Chriſtus etiam, vt homo, non eſt cenſendus adoptiuus Dei filius. In libello quodam qui ſacro ſyllabus inſcribitur editus apud Conc. Francfordien. quem per modum epiſtolæ ſcripſiſſe ferunt Paulinum Aquileienſem Epiſcopum (cuius extat dē hac re epiſtola, quæ refertur in Bibliotheca Sanctorum 4. Tomo) & Petrum Mediolanēſem: In hoc inquam libello eadem habetur ſtatuta veritas, ad cuius corroborationē illa verba dicta Virgini Mariæ ab Angelo Luc. 1. *Hic erit magnus, & vocabitur altiſſimi filius*: & illa, *quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, ita ponderantur. Non ait vocabitur adoptiuus filius Dei, ſed abſolutè filius Dei, & filius altiſſimi. Denique non de ſola excellentia maieſtatis eius tunc loquebatur Angelus, ſed potius de incarnata diuinitate. Et paulo poſt ita dicitur. Sm̄ carnem Dauid filius dictus eſt, non ſecundum diuinitatem. Habes igitur quomodo de quo ſupra dixerat, quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei, non adoptiuus, ſed verus, non alienus ſed proprius, de eo ſubiecit, dabit ei dominus Deus ſedem Dauid patris eius. Item in Conc. ipſo Francfor, quod licet generale non fuerit, fuit tamen nationale: imo, & pluſquam nationale ab Adriano 1. congregato, & confirmato, & ſub Carol. Magno celebrato, aperta definitione hæc probatur ſtatuta veritas, multiſque Patrum teſtimonijs corroboratur contra Epilandum Archiepiſcopum Toletanum, qui affirmabat Chriſtum, vt hominem adoptiuum eſſe Dei filium.

Sed rogat peritus Theologus. Cur ſententia, quæ affirmat Chriſtum, vt hominem, adoptiuum eſſe Dei filium, non cenſetur error in fide manifeſtus, cum fuerit in Concil. prædicto, & ab Adriano Pontif. damnata, & eius aſſertores Elipandus Toletanus, & Fœlix Vrgelitanus, vt Hæretici ſint habiti. Reſpondetur, quod de huius Concil. authoritate non ſatis conſtat in Eccleſia: Neque ante noſtram ætatem Cōcilium iſtud inter reliqua Cōcilia circumferebatur, neque modo integrum habemus, ſed quoddam eius dumtaxat fragmentum Laurentij Surij viri doctiſſimi, & diligentiſſimi opera comparatum, quod in tertio tomo Conc. ſtatim poſt ſeptimam ſynodum generalem circumfertur. Et quidem non fuiſſe generale Conc. manifeſtè conſtat ex ijs, quæ de ipſo tradunt Auctores, qui eius meminere. Non enim ex omnibus Chriſtianis prouincijs ad ipſum confluxere prælati, ſed ex quibuſdam tantum 300. conuenerunt Epiſcopi, puta ex Gallia, Germania, & Italia. Quo fit, vt non tanta ei ſit authoritas deferenda, quanta Concilijs indubitatis generalibus, ſed nihilominus hæc ſynodus non omni eſt authoritate deſtituta. Nam huius Conc. multi meminere Authores, quos refert Robertus Bellar. controuerſia 4. generali par. 2. cap. 8. Et præter Authores ab eo citatos, mentionem huius ſynodi fecere Palud. in 3. diſtin. 4. quæſtion. 3. Anton. 3. part. hyſto. tit. 14. cap. 1. §. 6. Alfonſ. de Caſtro lib. 8. aduerſus hæreſes, verbo Imago. Et Nic. Sand. li. 7. de viſibili Monarchia Eccleſiæ ab ann. 770. vſq. ad anno 796. Multi auctores ſiniſtrè

de

de hac ſynodo ſenſerunt, aſſerentes in ea prohibitam fuiſſe imaginum venerationem, & reprobatum ac damnatum 7. generale Conc. quod fuit. Nic. II. Vbi imaginum veneratio fuit approbata. De qua re erudite loquitur Robertus Bellarm. pro Francford. Cōcilio feliciter decertans. Et ex multis, quæ ipſe probabilius ductus rationibus, & coniecturis dicit, conſtat auctoritatem Francfordienſis Concilij in magno pretio fore habendam, quam vt grauiſſimā admittunt Doctores dudum à nobis citati, & alij his antiquiores, & grauiores tum Græci tū Latini, quos vide apud Bellar.

Ex quo ſequitur, quod licet grauis huius Conc. auctoritas non ſufficiat certam reddere in fide ſententiam Theologorum affirmantem Chriſtum, vt hominem, non eſſe adoptiuum Dei filium, ſufficit tamē ſimul cum communi Theologorum doctrina grauiſſimis Theologicis fundata rationibus eam tam certam efficere, vt oppoſitum, & temerarium, & periculoſum cenſere debeamus.

Sed vt Concilij prædicti authoritas probatior fiat viris doctiſſimis, nonnullæ difficultates ſunt expendendæ, quæ à Roberto Bellarmi. fuerunt conſulto prætermiſſæ: eo quod ipſi de ea Concil. tantum parte, in qua de cultu imaginum tractabatur, inciderat ſermo. De qua ſane Concilij parte non adhuc diſtinctè conſtat. Nam vel eius temporis iniuria, in quo Francford. Synod. fuit celebrata, vel quod eſt veroſimilius hæreticorum imaginum culturam abominantium verſutia, & iniquiſſima diligentia fuit occultata: eo quod prauam eorum ſententiam validiſſimis iaculis confoderat. Hac ergo ignota Concilij parte prætermiſſa. Nonnihil dicendum erit de parte illa, quæ magna Laurentij Surij diligentia extat cæteris grauiſſimis Concilijs aſſociata. In qua contra Elipandum Toletanum, & Felicem Vrgelitanum definitur Chriſtum etiam, vt hominem, & ſecundum carnem, non eſſe vocandum adoptiuum Dei filium.

Sed priuſquam vlterius noſtra progrediatur tractatio, obſeruādum eſſe duxi, deceptum fuiſſe Palud. dum in citato loco ſententiam affirmantem Chriſtū adoptiuum eſſe Dei filium tribuit Elipando Epiſcopo Toloſano. Eſt enim cunctis, qui de hac re loquuntur, manifeſtiſſimum, Elipandum, non Toloſanum, ſed Toletanum fuiſſe Antiſtitem. Et quidem ex ipſis Eccleſiæ Toletanæ Scriniis hoc ipſum poterit comprobari, in quibus inter cæteros Toletanæ ſedis Archiepiſcopos recenſetur Elipandus. Et ex libro manu ſcripto ibidem contento, cuius auctor fuit Etherius Eps Oxomenſis, conſtat hunc Elipandum prædictæ adheſiſſe ſententiæ, eamque conſtanter affirmaſſe. Sed iam ad Francfordienſe reuertamur Concilium.

Et primo ſic argumentor. In illo Francfordienſi Concil. damnatos reperimus, vt male de catholica veritate ſentientes, grauiſſimos Patres, Eugenium, Hydelfonſum, & Iulianum, Toletanæ Sedis Archiepiſcopos: at non eſt credibile, quod à Synodo ſancta in Spiritu ſancto congregata, tam ſancti ij, tamque grauiſſimi Patres hanc accepiſſent tam iniuſtam damnationem: Ergo auctoritas huius Concil. non eſt vt irrefragabilis habenda. Mai. conſtat ex illis verbis Concil. [Et melius eſt teſtimonio Dei patris credere de ſuo filio, quam Hyldefonſi veſtri, qui tales vobis compoſuit preces in miſſarum ſolemnijs, quales vniuerſalis, & ſancta Dei non habet Eccleſia.] Et paulo ante. Cum in libello quodam Elipandi, Eugenius, Hyldefonſus, & Iulianus, eius prædeceſſores referrentur pro ſententia affirmante Chriſtum adoptiuum Dei filium, ita ſubiunxit Concil. [Et cætera, quæ ex parentum veſtrorum dictis poſuiſtis, vt manifeſtum ſit, quales habeatis parentes, & vt notum ſit omnibus, vnde vos traditi ſitis in manus infidelium. Quia hominem Chriſtum verum Dei patris filium eſſe negaſtis, vobis defenſor eſſe noluit, ſed tradidit vos in manus inimicorum ſuorum, vt dominentur veſtri, qui eum recipere noluerunt, & cui illi publice detrahunt, vos occulte illi derogetis.]

Secundo arguitur. In prædicto Concil. eodem modo damnatur hæc propoſitio, Chriſtus eſt ſeruus Dei, ſicut illa Chriſtus eſt filius Dei adoptiuus, ſed ex ſacris litteris Iſa. 40. Et alijs locis quamplurimis conſtat Chriſtum vere appellari, ſeruum Dei: Ergo errauit prædictum Concil. in ſuis definitionibus, atque adeo cum definit Chriſtum, vt hominem, non eſſe filium Dei adoptiuum, nulla eſt ei adhibenda fides.

Tertio arguitur. Eſto admittamus præfati Concil. authoritatem, in illo Conc. non damnatur hæc propoſitio, Chriſtus inquantum homo eſt filius Dei adoptiuus, in ſenſu in quo aſſeritur à Dur. qui confitetur Chriſtum, vt Deum, eſſe naturalem Dei filium, & vt hominem, ideſt, ratione humanitatis eleuatæ per ſanctificantem gratiam, eſſe filium Dei adoptiuum: Sed in ſenſu hæretico, quem Elipandus, & Felix intendebant, qui vt cōſtat ex verbis paulo ante in argumento primo ex ipſo Concil. recitatis, negabant abſolutè Chriſtum eſſe naturalem Dei filium, & ſolam in ipſo adoptiuam filiationem agnoſcebant: qua in re, vel cum Arianis, vel cum Neſtorianis ſentiebant: Ergo prædicti Concil. definitio non infirmat Dur. ſententiam.

Quarto arguitur. Concilium vtitur quibuſdam Theologicis rationibus ad expugnandam adoptiuā Chriſti filiationem, quæ non ſunt efficaces, & earum nonnullæ à multis Theologis contemnuntur: Ergo, quod Chriſtus non ſit adoptiuus Dei filius non poteſt eſſe certum, neque ad fidem pertinens, neque verū credendum eſt Concilium cum tam infirmis vſū fuerit rationibus, hanc ſententiam, vt catholicam veritatem nobis tradidiſſe.

Ad hæc argumenta reſpondeo. Et ad primum quidem, quod apud me maioris eſt momenti (nam multum derogare videtur grauitati, & authoritati Conc. quod de tribus illis ſanctiſſimis Patribus tanta cum libertate loquatur) dico quod S. Synodus ex ſuppoſitione, ideſt, ſuppoſito verum eſſe, quod Elipandus, & Fœlix prætendebant in ſuo libello ſuadere, nimirum, eos doctrinam ſuam ab illis tribus patribus hauſiſſe, quadam libertate chriſtiana tantorū Patrum authoritatem contempſit, catholicam Romanæ Eccleſiæ, cuiuslibet ſingularis Doctoris, & cuiuſcumq. particularis Eccleſiæ doctrinæ anteponēs. Vnde Concil. ibidem Gregor. Magni Romani Pōt. authoritatem, qui Chriſtum naturalem Dei filium, & non adoptiuum in Romana Eccleſia docuit, præferendam eſſe decreuit Hyldefonſo Toletanæ Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ antiſtiti. Conſimili Chriſtiana libertate vſus fuit S. Paul. cum à Gal. c. 1. dixit. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Ecce, & homines, & beatos angelos anathematizat Paulus ex ſuppoſitione, ideſt, ſi ſupponatur eos quidquam docuiſſe, aut docere contra ipſam fidei veritatem ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam, Præterea addiderim Francfordiēſis Concil. Patribus perſuaſū fuiſſe. Elipandū, & Felicē, falſo, & impudenter grauiſſimis illis patribus ſuam falſam ſententiam impoſuiſſe, ſicut & impoſuerunt eam Auguſt. & alijs grauiſſimis Patribus corrupte, & deprauatè eorum teſtimonia referentes, vt ibidem Conc. aduertit, hos Patres à tam manifeſta iniuria vindicans. Et quod hæc fuerit Conc. mens: colligo ex illis verbis, quæ verſus finem in Concilio habētur. [Deſinite (inquit) fratres veſtros per aures populi Chriſtiani diffamare parentes, & voſmetipſos à ſancta Dei diuidere Eccleſia, &c.] Illorum parentes appellat Concil. prædeceſſores Elipandi, in Eccleſia Toletana, Eugenium Hyldefonſum, &c. quorum infamiam iniuſtam fuiſſe Conc. prædictis verbis inſinuauit apertè.

Ad ſecundum argumentum reſpōdeo. Quod cum Synodus Francfordienſis negat Chriſtum eſſe Dei ſeruum, non loquitur de ſeruitute filiali, & reuerentiali qua iuſtificatus per gratiam, & charitatem Deo ſpontanea voluntate obedit, eiuſque imperio, & conſilio citra vllam propriæ voluntatis renitentiam ducitur: Ob quam cauſam Ezech. 1. Sancti viri animalibus comparantur, eo quod Dei motioni, & directioni pænitus ſubijciuntur. Et ob eādem cauſam Paul. ad Rom. 8. dicit, *Qui ſpiritu Dei aguntur, hy ſunt fily Dei.* Ponderandum eſt illud verbum, *Aguntur*, denotat enim valde ſpontaneam ad Deum, eiuſque voluntatem, & legem ſubiectionem, qua tam ipſi Deo parent ad nutum, tamque ſunt eius voluntati, & imperio ſubiecti, vt non tam libertate, quam fatali, & naturali neceſſitate agi videantur. Et ob id Regius vates Pſalm. 1. de viro cuius ibi prædicat beatitudinem dicit. *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Quod ſi hæc tam ſpontanea ſubiectio, & ſeruitus communis eſt omnibus viris iuſtis, multo peculiari ratione ea eſt Chriſto, vt homini, tribuenda. Vnde merito ipſe dicebat Io. 4. *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit.* Cibum vocat obedientiam, & ſubiectionem ad patrem, vt oſtendat quanta cum ſuauitate, & liberæ voluntatis propenſione patri obediebat, ita vt loco delectabilis, & ſuauiſſimi cibi haberet voluntati patris conformari. eiuſque mandatis parere. Loquebatur ergo ibi Conc. de ſeruitute ſeruili qua voluntas quaſi coacte, & violenter, ac timore pœnæ perterrita obedit Deo. Quæ ſeruitus imperfecta eſt, Imo ſi hæc ſeruilitatis conditio ei vel formaliter, vel virtualiter adiungatur, ita vt voluntas taliter ſit animata, quod niſi terribilis immineret contra inobedientes pœna, minime obediret Deo, peccatum eſt mortale. Et hæc ſeruitus ſeruilis ſiue cum peccato ſit, ſiue non, excludenda eſt à Chriſto, quia inuoluit imperfectionem, quam ab anima perfecta charitas excludit: iuxta illud Ioan. 1. cap. 4. *Charitas foras pellit timorem.* Et quidem hæc intelligentia Concilij ex verbis ipſius conſtat, ſic enim dicit. [Deum nequaquam audetis confiteri ſeruum, vel adoptiuum, & ſi cum Propheta ſeruum nominaſſet, non tamen ex conditione ſeruitutis, ſed ex humilitatis obedientia, qua factus eſt patri obediens vſque ad mortem.] Et inducit S. Leo. in hom. de natiuitate dicentem [aſſumpta eſt de matre domini natura, non culpa, creata eſt forma ſerui ſine cōditione ſeruili.] Et his verbis inſinuatur, quod ſeruitus cum ſeruili conditione non eſſe poteſt, niſi in eo, qui capax eſt culpæ: Chriſtus autem, & originalis, & totius actualis culpæ prorſus eſt incapax, atq. adeo & huius ſeruilis timoris, maximè ſi ſeruilitatem habeat adiunctam.

Ad tertium argumentum reſpondetur, manifeſtū eſſe ex libello, ſeu epiſtola Elipandi, & Felicis, cuius meminit Francford. Conc. quod auctores illius ſententiæ, nimirum, Chriſtum eſſe ſecundum humanitatem filium Dei adoptiuum, non negarunt ipſum ſecundum diuinitatem verum eſſe, & naturalem filium Dei. Nam ita habetur in prædicto Concilio. *Quod autem dicitis in epiſtola fidei veſtræ, ex patre vnigenitum ſine adoptione, primogenitum vero in fine temporis verum hominem aſſumēdo de virgine carnis adoptione, vnigenitum in natura, primogenitum in adoptione, & gratia.* Et alia multa in ipſo Concil. referuntur, ex quibus id quod diximus erit legenti manifeſtum.

Fateor, Concilium verbis etiam expreſſis aſſeruiſſe, quod Elipandus, & eius in prædicta doctrina cōſortes negauerunt Chriſtum eſſe verum, & naturalem Dei filium: quæ ſanè apparens contradictio in hunc modum tollitur, ſimulque componitur iſta diuerſitas. Quod Patres Conc. quamuis viderent à prædictis authoribus affirmatam verbis Chriſti diuinitatem, eiuſque æternam, & naturalem Dei filiationem, cenſuerunt tamen affirmationem iſtam verbalem tantum eſſe, & quod mente cum Ario ſentiebā Chriſtum, neque verum eſſe Deum, neque naturalē patris filium: aut vero cum Neſtorio diſtinguebant geminam in Chriſto hypoſtaſim, quarum alteri naturalis, & alteri adoptiua conueniret filiatio. Quod colligebant ex eo, quod Elipandus, & Felix Chriſtum ſecundum humanitatem, & per gratiam, filium Dei adoptiuum eſſe dixere. Senſerunt enim Patres prædicti Concil. & id quidem non irrationabiliter, quod adoptiua filiatio Dei excludit filiationem naturalem ab eo ſuppoſito, cui tribuitur. Et in hac re explicanda, videlicet, quod cum adoptiua Dei filiatione non compatiatur in eodem ſuppoſito naturalis Dei filiatio, laborauerunt, & non infeliciter, Patres Francfordienſis Concil. Et ita conſtituerunt hæreticum eſſe dogma ad Arrianam, ſeu Neſtorianam doctrinam pertinens, illa ſententia, quæ Chriſtum ſecundum humanitatem dicit eſſe adoptiuum Dei filium. Quæ tamen ſententia ob id à nobis non tam graui nota inuritur, quia de huius Concilij authoritate, eiuſque Apoſtolica confirmatione, non ſatis cōſtat apud graues authores, quamuis hiſce temporibus non multa cum probabilitate negari poſſet authoritas huius Concilij, quia à multis viris grauiſſimis iudicatur irrefragabilis. Et epiſtola Adriani I. Pont. quæ prædicto ſuffragatur Concilio, non leuioris momenti iudicatur. Et ob id in tertia concluſione dixi, ſententiam cōſtituentem in Chriſto filiationem Dei adoptiuam temerariam eſſe, & in fide

Digitized by Google

periculoſam. Miſſum facio, quod in Concil. prædicto non expreſsè damnatur hæc propoſitio, Chriſtus inquantum homo eſt adoptiuus Dei filius, quamuis Patres Concilij definiant, quod Chriſtus in carne, & in humanitate aſſumpa filius eſt Dei naturalis. In qua definitione nihil fortaſſis aliud intendebant Patres, quam quod verbum, prout eſt naturalis Dei filius, fuit per gratiam vnionis communicatum humanitati, & carni, quam propria perſonalitate, quæ eſt ipſa naturalis Dei filiatio, ſuppòſitat, & perſonaliter terminat. Quod qui negaret, eſſet citra dubium hæreticus.

Quarto argumento reſpondeo, quod theologicæ illæ rationes, quibus Francfordienſe Concil. vtitur, non plenè conuincunt falſitatis, ne dicam erroris, ſententiam aſſerentem, Chriſtum vt hominem adoptiuum eſſe Dei filium: Verum ipſa Conc. definitio magnum adijcit robur, ita vt ſi certo de ipſa conſtaret, erroneam, vt minimum, redderet prædictam ſententiam. Et quidem in frequenti Cõciliorum etiam generalium, & grauiſſimorum vſu poſitum eſt, vt ad probandas concluſiones, quæ ſunt certæ ſecundum fidem quibuſdam vtantur rationibus inefficacibus, & quandoque minus probabilibus. In ſeptima enim generali ſynodo, non diſplicuit patribus Concilij ratio, qua quidam Patres probauerunt, poſſe depingi Angelos, & corporeas ipſorum fingi imagines ex eo, quod Angeli ſunt naturæ corporeæ: at multo certius eſt, ne dicam certiſſimum, Angelos omnis corporeæ portionis expertes eſſe, & immunes ab omni materia, quam eius oppoſitum. Sed nihilominus addiderim, non eſſe contemnendas rationes illas, quibus Francfordienſe Conc. vtitur contra Elipandum, & Felicem, illæ præſertim, quæ ad hoc reducuntur: quod bonorum cœleſtium adeptio, & ſimiliter plenitudo veritatis, & gratiæ, Chriſti humanitati debentur ex vi hypoſtaticæ vnionis. Quam rationem in quarto loco ſuperius pro tertia concluſione formauimus, & explicuimus: ad cuius efficaciam expendendam, legat Theologus ea, quæ dicemus in ſecundo articulo ſequentis controuerſio.

Quinta & vltima ratio, quam pro tertia concluſione ex mente S. Th. ſuperius deduximus, & ſi non habeatur in prædicto Concil. expreſſa, continetur tñ in eius doctrina virtualiter, & implicitè. Nam cum Cõcilium multis conetur oſtendere, quod vni, & eidem ſuppoſito duplex filiatio naturalis, & adoptiua conuenire mimimè poteſt, manifeſtè præſupponit, quod filiatio immediatè ad naturam, vt aliæ proprietates, ſed ad ſuppoſitum, tanquam immediatum ſubiectũ eſt referenda, iuxta modũ à nobis ſuperius expoſitũ. Quoniam ſi ad naturam immediatè pertineret, & ratione eius referretur ad ſuppoſitum, non ſubſiſteret veritate, quod Conc. intendit, videlicet, vni, & eidem ſuppoſito geminam hanc filiationem competere nõ poſſe. Quia rõne duarum naturarũ, diuinæ, & humanæ idem verbi ſuppoſitum poſſet, & naturalis, & adoptiuus eſſe Dei filius. Sicut ratione harum duarum naturarum vnicus Dei filius, & mortalis eſt, vt homo, & immortalis, vt Deus.

Argumenta, quæ pro affirmatiua huius dubij parte formauimus, opere prætium erit poſthac diluere.

Ad primum argumentum reſpondetur primo, quod cum filiatio adoptiua, ſit vera, & prædicamentalis relatio, gratia vero forma ſit abſoluta, ad prædicamentum qualitatis pertinens, neque eſt primarius, neque ſecundarius eſſe poteſt effectus gratię: ſed relatio conſequens ad primarium eius effectum, ſi tamẽ gratia ſit in ſubiecto apto nato huiuſmodi relationem ſuſcipere, nimirum, in ſubiecto, quod ſecundum ſe extraneum eſt à natura diuina, & cui non eſt alias debita gratia, & bonorum cęleſtium poſſeſſio: Chriſtus autem Saluator noſter cum ſit naturalis Dei filius, non eſt extraneus à natura diuina: & eius humanitati propter hypoſtaticam vnionem, gratia, & gloria iure connaturalitatis debentur, atque adeo Chriſtus, etiam, vt homo, incapax eſt huius relationis, ſcilicet, filiationis adoptiuæ: ac proinde gratia in hoc ſubiecto haudquaquam ſe in iſtam explicat relationẽ, Deeſt, namque conditio neceſſaria fundandi ipſam, nimirum, extraneitas à natura diuina in ſuppoſito, in quo eſt gratia.

Sed inſtat quiſpiam, quod gratia non ſe explicet in hanc filiationis adoptiuæ relationem non poteſt fieri citra magnum miraculum, cum hæc relatio per ſe conſequatur ipſam gratiam, & primarium eius formalem effectum: at in myſterio incarnationis non ſunt multiplicanda miracula abſque magno fundamento, & neceſſaria ratione: ergo, &c. Reſpondetur admittendo hic interuenire miraculum, ſed non nouum, & omnino diſtinctum, ab eo quod eſt verbũ factum fuiſſe carnem. Nam eo ipſo, quod verbum factum eſt caro, debita eſt eius humanitati omnis plenitudo gratiæ, ſecundum omnem illum effectum, qui ad ipſam humanitatem pertinet, & eius ipſa eſt capax, imperfectionibus naturali dignitati ſuppoſiti repugnantibus omninò ſemotis. Hæc autem filiationis relatio, non ad humanitatem pertinet, quia vt ſuperius oſtendimus ex doctrina S. Tho. filiationis relatio ſiue naturalis, ſiue adoptiuæ, non naturam, ſed ſuppoſitum concernit: at humanitatis ſuppoſitum, ſcilicet diuinum verbum, incapax eſt adoptiuæ filiationis. Sed præterea reſpondeo, & eſt ſolutio præcedenti pręferenda, quod nullum in hac re miraculum interuenit. Nam ad perfectionẽ gratiæ eamq; ei valde connaturalem pertinet, quod ſit in tali ſubiecto, in quo, non filiationem conſtituat adoptiuam, ſed potius naturalem, per modum euiſdem concomitantis diſpoſitionis, de qua te in ſequenti ſolutione eiuſdem primi argum.

Secundo reſpondetur ad hoc argumentum primum, quod per ſe, quidem pertinet ad habitualem gratiam diuinam filiationem tribuere ſubiecto, in quo eſt, abſtrahendo tñ à filiatione naturali, & adoptiua. Siquidem ſubiectum fuerit à diuina natura extraneum, conſtituet in illo adoptiuam filiationem, vt contingit in omni pura creatura rationali, in qua ipſa habitualis gratia reperitur, ſin autem, naturalem filiationem ei confert, & ita ſit in Chriſto. Non quod formaliter ipſa gratia naturalem ipſi tribuat Dei filiationem, ſed diſpoſitiuè per modum concomitantis diſpoſitionis: vt enim in ſequenti controuerſia explicabimus, gratia habitualis, diſpoſitio eſt vnionem verbi hypoſtaticam cum humanitate concomitans. Vnde habitualis gratia verè concurrit per modum prædictæ diſpoſitionis, vt Chriſtus, inquantum homo, ſit per gratiam vnionis filius Dei naturalis. Et quidem multo excellentius eſt, &

diui-

Digitized by Google

diuinius habituali gratiæ, diſpoſitiuè concurrere ad naturalem Dei filiationem, quam quod filiationem adoptiuam conſtituat formaliter.

Ad confirmationem dicitur, verum eſſe, quod ea omnia, quæ de cæteris hominibus iuſtis, & ſanctis ratione gratiæ habitualis dicuntur, prædicantur etiam de Chriſto, vt homine, ſi immediatè conueniunt humanitati, & ratione eius ſuppoſito. Cæterum adoptiua Dei filiatio, neque in Chriſto, neque in aliis hominibus iuſtis: immediatè pertinet ad humanitatem, ſed ad ſuppoſitum, vt diximus, immediatam habet habitudinem. Ex his ſupereſt ſolutum quartum argumentum primæ principalis controuerſiæ, ad cuius ſolutionem inſtituta fuit pręſens dubitatio de filiatione adoptiua.

Sed adhuc vrget confirmatio quarto huic argumento ſuppoſita: Cui tamen reſpondetur, quod ſi gratiæ infuſio fiat in ſubiecto extraneo à natura diuina, rationem habet participatæ generationis diuinæ, quam adoptiua Dei filiatio comitatur, quatenus communicatiua eſt participationis naturæ diuinæ in ſubiecto, quod ſecundum ſe ab ipſa Dei natura erat alienum. Cæterum in Chriſto, quia verus eſt Deus, & naturalis Dei filius, infuſio gratiæ generatio quædam eſt communis, & accidentalis, ſicut acquiſitio cuiuſcumque alterius accidentis: non tamen habet rationem generationis adoptiuæ, ſed diſpoſitionis concomitanter ad filiationem naturalem, quod ſatis fuerit, & ad eſſentiam, & ad perfectionem gratiæ ſaluandam.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur: Quod Chriſtus, vt homo, eſt quidem filius Dei naturalis per gratiam vnionis, filius autẽ adoptiuus nullo modo. Si autem quæras, quid ſit dicendum non addendo illam determinationem, per gratiam vnionis: Num Chriſtus, vt homo debeat dici filius Dei, an nõ filius Dei. Reſpondeo, quod in rigore ſermonis, vera eſt hæc propoſitio, Chriſtus vt homo eſt non filius Dei, quia argumentatione dialectica bene deducitur, Chriſtus, vt homo, non eſt Dei filius ſiue naturalis, ſiue adoptiuus, & Chriſtus, vt homo eſt: ergo Chriſtus, vt homo, eſt non filius Dei. Sed nihilominus in hac parte tenenda eſt ſententia, & moderanda lingua, ne minus ſapientibus ſcandalum offeramus: vnde conueniens erit, vt vtamur ſemper diſtinctione in hunc modum; Quod Chriſtus, vt homo, per gratiam vnionis eſt naturalis Dei filius, & ita nequit appellari non filius Dei, abſolutè tamen, & ex rigore verborum verum eſt, quod vt homo nõ eſt filius Dei, & pőt ẽt concedi, quod vt ſic non eſt non filius. Pőt ẽt dici, & forſan melius, & ſecurius, quod quamuis hęc ꝓpoſitio abſolutè prolata vera ſit. ſ. Chriſtus ſecũdum, quod homo non eſt filius Dei, illa tamen Chriſtus ſecundum, quod homo, eſt non filius Dei, eſt abſolutè falſa, quia propter appellationem, & vim illius ſpecificatiuæ, ſm̃ quod homo, quæ fertur ſupra illud, eſſe non filium, videtur aſſerendum, quod ſi concedimus illam propoſitionem non poſſit iſta eſſe vera, nempe Chriſtus, vt homo, per gratiam vnionis eſt naturalis Dei filius. Et illa dialectica argumẽtatio dudum facta, quæ procedit à negatiua ad affirmatiuã, prædicato variato penes finitum in infinitũ, non habet locum in propoſitionibus reduplicatiuis, & ſpecificatiuis, in quibus facillimè variatur appellatio: non enim valet hæc conſequentia, Petrus, vt homo, non eſt albus, & Petrus eſt, ſeu Petrus, vt homo eſt, ergo Petrus, vt homo, eſt non albus, antecedens pro vtraque parte eſt verum, & conſequens propter variationem appellationis eſt ſine dubio falſum. Hæc poſterior ſolutio priori eſt meo iudicio præferenda.

Ad tertium argumentum, diſtinguendum eſt antecedens. Nam ſi illa verba, ex vi gratiæ habitualis, denotent primam radicem, ex qua Chriſto, vt homini conuenit acceptatio ad æternam vitam, falſum eſt illud antecedens, nam ipſa hypoſtatica vnio fuit prima radix in Chriſto, vt eius humanitati deberetur acceptatio ad gloriam. Si verò verba illa denotẽt proximam, & immediatam diſpoſitionem ad gloriã qua diſpoſitione non mediante, Chriſtus, vt homo, non fuiſſe ad gloriam acceptus, verum eſt illud antecedens, & tunc neganda eſt conſequentia, Nam ad filiationem adoptiuam neceſſum erat, quod Chriſti humanitati, ratione vnionis hypoſtaticæ, non deberetur tanquam ex prima radice vita eterna.

Secundo reſpondetur, vel potius explicatur ſolutio præcedens, quod Chriſti humanitati ex vi hypoſtaticæ vnionis, debito, & iure connaturalitatis, debitę fuerunt, & gratia, & gloria, ordine tamen quodam, nam quia gratia diſponit ad gloriam, eo quod gloria, eſt gratia perfecta, & conſummata: prius ordine naturæ fuit illi debita gratia quam gloria. Hoc autem debitum omnino excludit rationem adoptionis, vt ex conditionibus adoptiuæ filiationis ſupra poſitis, conſtat.

Tertio reſpondetur, quod quamuis gratia, & gloria, nullo iure Chriſti humanitati, etiam ſuppoſita hypoſtatica vnione, deberentur, ſed merè gratis, & liberaliter ei fuiſſent collatæ, adhuc non haberet locum in Chriſto adoptiua filiatio: eo quod gratia, & gloria ad ipſam, pertinent humanitatem, quam eleuant, & perficiunt, filiatio, vero adoptiua ſi quæ eſſet in Chriſto, ipſum humanitatis ſuppoſitum, ſcilicet, verbum immediatè reſpiceret: quia autem verbum filius eſt Dei naturalis, repugnat ei adoptiua Dei filiatio. Qui autem diceret, gratiam, & gloriam non deberi Chriſti humanitati ex vi hypoſtaticæ vnionis, ſed merè gratis illi conferri, conſequenter fateri teneretur, quod gloria non fuit data Chriſto per modum hæreditatis, quia hæreditas reſpondet iuri filiationis, naturalis vel adoptiuæ, At qui ita cenſeret, conſequenter teneretur dicere, quod gloria animæ Chriſti neque reſponderet filiationi naturali, cum non eſſet illi debita ex vi hypoſtaticæ vnionis, neque reſponderet filiationi adoptiuæ, cum vt probauimus, nulla reperiatur in Chriſto. Sed quoniam Chriſtus, vt homo, conſtitutus fuit à patre hæres vniuerſorum: non conſonat rationi, neque fortaſſis ſanæ doctrinæ, aſſerere, quod gratia, & gloria non fuerint humanitati Chriſti debitæ ex vi hypoſtaticæ vnionis.

Ad confirmationem dicitur, quod cæleſtium bonorum hæreditas, competit Chriſto, prout eſt naturalis Dei filius. Ad cuius impugnationem, reſpondeo, quod hæreditas, quæ reſpondet Chriſto, quatenus abſolutè, & ex vi tantum generationis æternæ filius eſt Dei naturalis, infinita eſt, æterna, in participata, & ſubſtantialis, cæleſtium bonorum poſſeſſio.

Illa vero hæreditas, quæ cōpetit Chriſto, quatenus, vt homo, per gratiam vnionis, eſt filius Dei naturalis, participata eſt, & limitata: atqi adeo accidentatia poſſeſſio eorundem bonorū. Et ex hoc patet ad reliqua, quæ in eadē cōfirmatione habentur. Dicitur.n. quod Chriſtus, vt homo, per gratiā vnionis eſt naturalis Dei filius, vnde cęleſtis hæreditas, quæ Chriſto, vt homini cōpetit, debetur ei, quatenus per dictā vnionis gratiam eſt filius Dei naturalis. Melius fortaſſis, & explicatius dicitur, quod Chriſto, vt homini, per gratiam vnionis duplex debetur bonorum cęleſtium hæreditas, altera ſubſtantialis, infinita, & imparticipata poſſeſſio, altera vero participata, limitata, & finita. Illa quidē immediatè, nam ſicut homini per gratiam vnionis immediatè conuenit naturalis filiatio diuina, ita, & ei competit prædicta hæreditas. Hæc autem mediatè, ſcilicet, mediante habituali gratia, cui proximè reſpondet hæc diuina participata bonorum cœleſtium hæreditas.

Ad quartum argumentum, negandum eſt antecedens, eius vero probationi negatur conſequentia. Deitas enim participata, idcirco non repugnat Chriſto, vt homini, quia non conuenit immediatè ſuppoſito diuino, ſed humanitati, ſicut pati, & mori: Cæterum adoptiua filiatio immediatè eſt ad ſuppoſitum referenda, atque adeo pugnant in Chriſto naturalis filiatio, & adoptio. Hac eadem ſolutione diſſoluitur confirmatio quarti argumenti, vt illam diſſoluit S. Thom. 3. par. quæſtion. 23. artic. 4. ad tertium, vbi inquit, quod ſeruitus, & ſubiectio ad Deum, non ſolum reſpicit perſonam, ſed etiam naturam, quod non poteſt de filiatione dici. Quæ S. Thom. verba ſic ſunt intelligenda, quod ſeruitus, & ſubiectio conueniunt perſonæ mediante natura, & ratione ipſius naturæ, vnde vere dicimus Chriſtum ratione humanitatis ſeruum eſſe patris, illique ſubiectum.

Quintum argumentum nonnulla efflagitat dicenda, quæ valde conferunt ad exactam intelligentiam illius rationis S. Thom. quam prædictum argumentum expugnare contendit, & quam diximus eſſe pro tertia concluſione fundamentalem, & præcipuam. Dico igitur, quod filiatio (ſi fiat ſermo de filiatione naturali, quæ eſt regula adoptiuæ filiationis) comparari poteſt ad naturam, quæ per illam acquiritur generationem, quę eſt ipſius filiationis fundamentum, ſeu fundandi conditio, vt filiatio qua Petrus refertur ad Paulum patrem ſuum, poteſt conſiderari comparatione ad ſingularem naturam, quam ipſe Petrus ſuſcepit à Paulo per naturalem generationem. Et ſi de hac natura loquamur, ego non formidarem concedere, quod filiatio immediatè reſpicit naturam, non quidem, vt ſubiectum denominatum ab ipſa filiatione, nam ſolum ſuppoſitum, quod accepit naturam denominatur filius, & enim filius eſt qui accepit à patre naturam per ſubſtantialem generationem communicatam; ſed vt fundamentum propriū ſeu rationem fundandi ipſam filiationis relationem, hæc enim relatio filiationis non ob aliud conuenit Petro reſpectu Pauli, niſi propter naturam, quam habet à Paulo ſuſceptam. Itaq. ſicut generari, & naſci reſpicit naturā, in qua quis naſcitur, & generatur, ita filiatio reſpicit ipſammet naturam iam per generationem, & natiuitatem acceptam. Et ſicut ſuppoſitum dicitur generari, & naſci ratione naturæ quā in fieri accipit, ita filius appellatur ratione eiuſdem naturæ iam in facto eſſe acceptæ.

Poſſet etiam conſiderari filiatio per comparationem ad aliam naturam ex parte ſuppoſiti præſuppoſitam: Vt ſi fingamus, quod Angelus fieret homo generatione humana, filiatio qua Angelus diceretur filius ſui humani parentis, poſſet comparari ad naturam angelicam præſuppoſitam in ſuppoſito illo angelico, quod de nouo factum eſſet homo. Et ſi ad huiuſmodi præſuppoſitam naturam filiatio cōpararetur, non reſpicit illā immediatè, neq. vt ſubiectum, neq. vt fundamentum ſui ipſius, ſed ad ſuppoſitum immediatè referretur, propter cauſam ſuperius circa tertiam concluſionem aſſignatam. Quia videlicet natura de nouo adueniens, in qua fundatur filiationis relatio, neque terminat, neq. actuat naturam aliam in ſuppoſito præſuppoſitam.

Ex quo, ſequitur, quod ſi Chriſtus ratione humanitatis tanquam per naturam ſuſceptam adeo eſſet appellandus Dei filius adoptiuus, non eſſet inconueniens, imo eſſet neceſſarium concedere, quod Chriſtus, vt homo, id eſt, ratione humanitatis eſſet adoptiuus Dei filius, ſicut ratione humanitatis eſt ſeruus. Vnde ſi loqueremur de filiatione illa methaphorica, & impropria, qua omnes creaturæ dicuntur filiæ Dei, & Deum habere patrem, iuxta modum illum ſuperius ex cap. 38. Iob relatum, *quis eſt pater pluuiæ, &c.* libenter ipſe concedam, Chriſtum, vt hominem, eſſe Dei filium, naturali quadam filiatione. Cæterum filiatio Dei adoptiua, ſi qua conueniret Chriſto non ex humanitate tanquā ex forma per generationem accepta et competeret, ſed ex gratia. Nā ipſa gratia, eſt forma, & natura diuina quam Deus voluntaria generatione animæ confert: humanitas vero eſt forma præſuppoſita in ipſo ſuppoſito. Vnde nequit ipſa gratia, quatenus præſtat adoptionis filiationem, conuenire Chriſto ratione humanitatis, ſed immediatè deberet competere ipſi ſuppoſito. Et fingamus claritatis cauſa. Quod gratia ſit ſubſtantialis forma diuina, tunc ſine dubio diceremus, quod gratia non ad humanitatem Chriſti immediatè, ſed ad ipſum verbum; quod eſt humanitatis ſuppoſitum, referretur. Et filiatio ſi qua eſſet in hac ſubſtantiali forma fundata, immediate denominaret ipſum verbum, vt ſuppoſitum ipſius gratiæ, & non vt ſuppoſitū humanitatis. Proportionabiliter ergo de gratia, quæ eſt forma accidentalis loqui debemus, non prout eſt acidentalis forma, ſed prout filiationem adoptiuam confert. Et proportionabiliter etiam de ipſa adoptiua filiatione, quā præſtat gratia, theologari oportet, eo quod illi tantum ſubiecto conuenire poteſt, cui poſſet competere filiatio naturalis, ſi ipſa naturalis filiatio eſſet poſſibilis. Non enim poteſt Petrus adoptare leonem in filium, eo quod leo non eſt capax filiationis humanæ naturalis. Sed Paulum poterit adoptare, quia licet in indiuiduo nequeat à Petro naturali generatione generari, in ſua tamen ſpecie conſideratus capax eſt huiuſmodi naturalis generationis. Ad quem modum theologandum eſſe cenſeo de filiatione adoptiua Dei in hominibus, Nam licet homo aut angelus in ſuis ſpeciebus non ſint capaces naturalis generationis diuinæ, at ex gradu intellectualitatis in quo conueniunt cum Deo, capaces sūt

huius

huius generationis, quia verbum diuinum, quod eſt in eodem intellectualitatis gradu, eſt verè filius Dei naturalis. Cui omnes filij adoptiui debent eſſe conformes, Paul. ad Rom. cap. 8. dicente. *Quos preſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius, &c.* Ex quo inſero, mihi ſatis eſſe veroſimile, quod ſi Deus ſolitarius eſſet in ſeipſo, ideſt vnica tantum perſona contentus, vt ipſum æſtimarunt Etnici philoſophi, nulla eſſe poſſet propriè, & rigoroſè loquendo adoptiua Dei filiatio in hominibus, & Angelis, etſi eis daretur gratia eiuſdem ſpeciei cum ea, quæ nunc confertur ipſis. Quoniam in ea natura, quæ non eſt capax naturalis filiationis, nulla poteſt filiatio adoptiua reperiri: quia adoptionis filiatio naturalem imitatur filiationem. Ex ijs omnibus ad propoſitum deduco, idem prorſus eſſe dicendum de immediato filiationis adoptiuæ ſubiecto, quod dicimus de ſubiecto naturalis filiationis. Vnde ſicut humanitas non eſſet in Chriſto immediatum ſubiectum filiationis diuinæ habitæ per gratiam, ſi gratia eſſet forma ſubſtantialis, & filiatio eſſet naturalis: ita neque eſſe poteſt immediatum ſubiectum filiationis Dei adoptiuæ, neque gratia, prout confert adoptiuam filiationem immediatè refertur ad humanitatem, ſed ad verbum humanitatis ſuppoſitum. Quo circa cum verbum non ſit ſecundum ſe huius adoptiuæ diuinæ filiationis capax, neceſſario tenemur fateri Chriſtum nullatenus eſſe adoptiuum Dei filium.

Ex his reſpondeo ad primam quinti argumenti partem, quod filiatio immediatè reſpicit naturam, vt fundamentum ſui ipſius, at non naturam, quæ in ſuppoſito præexiſtit illi generationi, quæ eſt conditio fundandi talem relationem, ſed naturam per huiuſmodi generationem communicatam. Vnde nequit dici, quod filiatio adoptiua fundata in generatione ſpirituali facta per gratiam, reſpicit immediatè naturam humanam Chriſti, ita vt poſſit concedi, quod hæc filiatio competit Chriſto ratione ipſius humanitatis. Siquidem ipſa gratia eſſet natura ſubſtantialis vnita verbo ſubſtantialiter, vt ei eſt vnita humanitas, tunc fateri deberet Theologus, quod Chriſtus quatenus gratus, ideſt, ratione gratię, quæ ponitur ſubſtantialis forma, & natura, eſſet adoptiuus Dei filius. Sicut nunc dicitur, quod ratione humanitatis aſſumptæ eſt naturalis filius Beat. Virgin. Tunc enim adoptiua Dei filiatio non reſpiceret immediatè ipſum verbum, ſed gratiam tanquam ſubſtantialem eius naturam, cuius ratione poſſet conuenire verbo, ſicut ei competit paſſibilitas ratione humanitatis, quamuis ipſum ſecundum ſe ſit impoſſibile. Cæterum ſicut eſt impoſſibile, Chriſtum eſſe adoptiuum Dei filium, ita eſt impoſſibilis aliqua ſubſtantialis natura eiuſdem ordinis cum gratia, quam diuinum verbum ſibi poſſit hypoſtatica vnione copulare. Et quidem licet alias multis, & efficacibus argumentis oſtendimus huius ſupernaturalis ſubſtantiæ impoſſibilitatem, non tamen nobis occurrit hactenus argumentum, quod ex præſenti doctrina deſumitur: nimirum, quod ſi talis daretur ſubſtantia, illa aſſumptibilis eſſet à verbo, atq. adeo conſtitueret illud filium Dei adoptiuum, quod magnum eſſet inconueniens, & forſam implicatorium.

Ad confirmationem ex dictis patet ſolutio, procedit enim de natura per generationem habita, in qua ipſa filiatio naturalis fundatur: de qua iam conceſſimus, quod ratione eius poteſt ſuppoſito conuenire nona filiationis relatio.

Ad ſecundam partem eiuſdem quinti argumenti reſpondeo, quod filiatio Dei adoptiua non negatur Chriſto, quia ſit relatio realis, vel rationis, ſed quia eſt adoptiua, ex qua parte pugnat cum filiatione naturali.

Sextum argumentum ſatis benè diluitur per ſolutionem inter arguendum aſſignatam. Ad replicam vero ibidem ſubiunctam dico, quod quamuis gratia ea præciſe ratione qua confert participationem formalem diuinæ naturæ, gratis ſit ſimpliciter collata Chriſti humanitati, non obſtante illud ſuppoſitionis debitum ex vnione hypoſtatica ortum: eo quod, vt ſic, per ſe conſideratur in ordine ad naturam humanam, quam eleuat ad conſortium naturæ ſuperioris, & ſuppoſitum tantum conſideratur, vt ſuppoſitans ipſam humanitatem, quæ eſt conſideratio quaſi purè materialis: Cæterum ſi velimus conſiderare gratiam, prout adoptiuam confert adoptionem, neceſſariò, & per ſe reſpicit ſuppoſitum. Et licet Durando concederemus, quod gratia in Chriſto immediatius reſpiciat humanitatem, & ipſa mediante ſuppoſitum, adhuc tamen eſſet dicendum, quod gratia ſub hac ratione per ſe, & principalius reſpicit ſuppoſitum, quod conſtituit adoptiuum Dei filium, quam humanitatem. Vnde ſecundum hanc rationem, ideſt, ſi gratia tribueret Chriſto filiationẽ adoptiuam, illa ſuppoſitio, ſcilicet, aſſumptio humanitatis ad verbum, per ſe reſpiceretur à gratia. Non enim humanitati tribueret adoptiuam filiationem, niſi habito formali reſpectu ad ſuppoſitum, cui ſoli competit eſſe filium.

Ex quo inſero, quod quantum attinet ad præſentem tractationem, illa ſuppoſitio debiti ex vnione hypoſtatica proueniens tollit omninò rationem gratiæ, & liberalitatis, qualis neceſſaria eſt ad adoptionem. Ex his patet ad confirmationem. Cui ita reſpõdetur, quod adoptio non qualemcumque gratiam, & liberalitatem importat, ſed quæ fit ſuppoſito iam exiſtenti, ſaltem naturæ prioritate, at ſuppoſito Chriſti iam exiſtenti in humanitate debetur omnis hæreditas ſupernaturalium bonorum, imo & ipſi humanitati debetur ex vi hypoſtaticæ vnionis, vt in tali ſuppoſito, prout in tali ſuppoſito. Vnde ipſa gratia vnionis facta humanitati excludit omnem adoptionis gratiam.

Ad ſeptimũ, & vltimũ argumẽtũ, recẽtiores quidẽ Theologi libẽter concedũt, quod ſi *Spiritus* ſanctus humanitatem aſſumeret habituali gratia præditã, eſſet, in quãtũ homo, filius Dei per gratiã habitualem. Verum mihi hæc ſentẽtia vehementer diſplicet, cõtra quã ſic argumẽtor. Spiritus ſanctus, illa data hypotheſi, neq. eſſet filius Dei naturalis, neq. filius adoptiuus: ergo nulla rõne eſſet dicendus Dei filius, ſm̃ humanitatem aſſumptam. Antecedens probatur, & primo, quod nõ eſſet naturalis Dei filius, adeò eſt manifeſtũ, vt noſtra probatione nõ egeat: quia habitualis gratia nõ ſufficit filiũ Dei naturalem conſtituere eũ, quia alias ex vi generationis æternæ filius Dei naturalis nõ eſt. Quod vero neq. adoptiuus eſſet Dei filius probatur, primo ex eo, quod gratia, & gloria, & cętera ſupnaturalia ornamẽta, nõ minus eſſent debita

humanitati aſſumptæ à Spiritu ſancto, ex vi hypoſtaticæ vnionis, atque nunc de facto debentur humanitati Chriſti, quatenus fuit à verbo aſſumpta: Sed hoc debitum excludit à Chriſto adoptiuam filiationem, ergo, & ipſam excluderet à Spiritu ſancto homine facto.

Secundo, adoptio, vt conſtat ex conditionibus ſuperius poſitis ad adoptionem requiſitis, non poteſt eſſe, niſi circa perſonam alienam, & extraneã, ideſt, quod non conueniat omnino cum adoptato in natura, ita vt vel ſit eiuſdem numero naturæ, vt verbum eſt eiuſdem naturæ cum patre diuino, vel ſit aliquid eius, vt filius in humanis cum ſuis parentibus, & vel habeat ius naturale ad ea bona ad quorum hæreditatem adoptatur. At Spiritus Sanctus ſi fieret homo, non eſſet perſona magis extranea à natura Dei adoptantis, quam eſt verbum caro factum, neque minus eſſent illi propria, & naturalia cæleſtia bona, quam verbo. Igitur data illa hypotheſi, Spiritus ſanctus nõ eſſet capax adoptiuæ filiationis diuinæ.

Denique tertio id ipſum probo. Spiritus ſanctus data hypotheſi argumenti, non eſſet filius Dei adoptiuus ſecundum humanitatem: nam adoptio, vt multis circa tertiam concluſionem, & in ſolutione quinti argumenti conabamur oſtendere, non conuenit naturæ ex parte ſuppoſiti præſuppoſitæ. Neque eſſet adoptiuus Dei filius ſecundum diuinitatem, ſeu quod eſt idem, ſecundum ipſum diuinum Spiritus ſancti ſuppoſitum: quia diuino ſuppoſito nulla poteſt fieri gratia, quæ tamen eſt adoptioni eſſentialis, & intrinſeca, vt reliquimus explicatum: Ergo nulla ratione poterat eſſe filius Dei adoptiuus.

Hæc argumenta adeo ſunt efficacia, vt ego ſolutionem illis ſufficientem non inueniam præſertim ſi ſupponamus ea reſpectu Chriſti efficaciam obtinere. Vnde ad octauum, & vltimum argumẽtum negatur antecedens. Probationi neganda eſt conſequentia. Quia licet non ſit filius naturalis, eſt tamen verus Deus eiuſdem omnino ſubſtantiæ, & naturæ cũ Deo adoptante, nullamque ab ipſo extraneitatem habens in natura, ſed omnimodam, & ſingulariſſimam identitatem, & ob id iure naturali debita ſunt ei omnia cæleſtia bona, ad quorum hæreditatem terminari poterat diuina adoptio. Vnde in humanitate aſſumpta non magis eſſet adoptionis capax, quam verbum in aſſumpta carne.

Confirmationi dico, quod Spiritus ſanctus, vt Deus, eſſet gratus Deo dilectione, & gratitudine infinita, & ſubſtantiali, vt Spiritus infinitè perfectus. Vt homo autem eſſet tunc per gratiam habitualem Deus participatiuè, & participata gratitudine gratus, & acceptus Deo, ſicuti diximus de Chriſto, vt homine, quia humanitas eius capax eſſet huiuſmodi gratitudinis. Non vero eſſet dilectus, vt filius adoptiuus, quia talis dilectionis, neque vt Deus, neque vt homo, capax eſt, aut eſſe poteſt, quamcumque aſſumat naturam. Et idipſum de patris perſona cenſendum eſt. Et hactenus dictum ſit de iſto dubio, & de prima principali huius noſtræ relectionis controuerſia.

QVÆSTIO SECVNDA.

An habitualis gratia fuerit humanitati Chriſti neceſſaria in ratione diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam cum verbo.

SEcunda quæſtio ſuo ordine diſputanda ſuccedit, qua quæritur: Num habitualis gratia fuerit humanitati Chriſti neceſſaria, in ratione diſpoſitionis, ad hypoſtaticam vnionem cum verbo. Duobus articulis abſoluenda eſt hæc diſputatio: In priori tractabitur de diſpoſitione ſecundum naturæ ordinem præcedente: in poſteriori vero diſpoſitione concomitante.

ARTICVLVS PRIMVS.

An prioritate naturæ gratia habitualis Chriſti habuerit rationem diſpoſitionis præcedentis vnionem hypoſtaticam.

IN primo ergo articulo quæritur, Vtrum habitualis Chriſti gratia rationem habuerit diſpoſitionis præcedentis hypoſtaticam vnionem in Chriſti humanitate. Non ſit in præſentia ſermo de temporis anteceſſione, ſupponimus enim, id quod certa eſt fide tenẽdũ, Chriſti, videlicet, humanitatẽ non prius tempore extitiſſe in rerum natura productam, quam à diuino verbo aſſumeretur. De qua re nonnihil in præced. quæſt. diximus. De prioritate ergo naturæ dumtaxat hic diſputamus. Et ſententia affirmatiua ſequentibus comprobatur argumentis.

§. 1. Primum deſumo ex illo Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus præ participibus tuis.* Et ſuppono ad vim argumenti ex prædicto teſtimonio deſumendam, quod iuxta Sanctorum Patrum intelligentiam, quorum præcipua teſtimonia in quæſtione præcedenti adduximus, de gemina ſpirituali vnctione hoc teſtimonium ad litteram explicari poteſt, & de vnctione qua per gratiam vnionis vncta fuit Chriſti humanitas, & de vnctione in eadem Chriſti humanitate facta per habitualem gratiam, & cæleſtia Spiritus ſancti chariſmata. Quæ poſterior vnctio ex priori habuit originem, & ob id per modum vnius vnctionis à Regio vate in teſtimonio citato, & à Paulo ad Hæbr. 1. refert. Quod inartificioſè minimè factum eſt, nam, vulgatum eſt illud Ariſtotelicum proloquium, quod vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantum: vnum quidem, non identitatis, ſed ordinis vnitate. Quo ſuppoſito in hunc modum. Primum argumentum deduco. In citato teſtimonio aſſeritur, quod ob id Deus per gratiam vnionis Chriſtum, vt hominẽ, præ cæteris omnibus hominibus iuſtis vnxit, quia dilexit iuſtitiam, & odio habuit iniquitatem: Ergo huiuſmodi actus dilectionis iuſtitiæ, & odij iniquitatis cauſa extiterunt prædictæ vnctionis. Sed non aliam potuerunt habere cauſalitatem, quam diſpoſitiuam, ergo, &c. Vlterius. Hi actus cum fuerint ſupernaturalis ordinis ſupernaturalis charitatis amorem includentes, neceſſum fuit, vt à ſupernaturalibus, & infuſis habitibus gratiæ, & charitatis proceſſerint.

rint.

rint. Igitur habitualis Chriſti gratia, quatenus fuit principiũ charitatis, & prædictorum actuum, vnionẽ hypoſtaticam præceſſit in ratione diſpoſitionis.

Secundo. Humanitas ſecundum ſe improportionata eſt diuino verbo, & vnioni hypoſtaticæ cum ipſo: ergo neceſſum fuit, aut ſaltem congruum, quod per gratiam habitualem eleuaretur, & fieret proportionata, eiuſdemque ſupernaturalis ordinis cum ipſo verbo, & cum hypoſtatica vnionè.

Tertio. Natura humana extremè diſtat à diuino verbo: ergo conueniens fuit, vt per aliquod medium attingeret vnionem cum ipſo. Antecedens patet, quoniam humanitas eſt natura creata, finita, & ordinis purè naturalis: Verbum autem eſt infactum, infinitum, increatum, & ſupernaturalis ordinis. Conſequentia autem videtur manifeſta, quoniam de extremo ad extremum conueniens tranſitus fit per medium, quod eſt inter vtrumque extremum: ſed gratia eſt huiuſmodi medium, nam eſt forma quidem creata, & non omnibus modis infinita: eſt tamẽ ſupernaturalis ordinis diuini, & infiniti: in primo conuenit cum humanitate, in ſecundo cum diuino verbo: atque adeo medium eſt inter vtrumque extremum. Ergo, &c.

Quarto. Si qua ratione contraria ſententia eſſet, vt verior, ſeu, vt probabilior ſtatuenda, maxime quoniam humanitas in Chriſto non prius etiam ordine naturæ habuit eſſe exiſtentiæ, quam eſſet vnita verbo: atque adeo nec prius natura capax fuit huiuſmodi accidentalis formæ, quoniam forma accidentalis præſupponit eſſe exiſtentiæ in ſubiecto. Hæc autem ratio non eſt efficax, ergo, &c. Probatur minor, in inſtanti generationis ſubſtantialis, v. g. ignis, calor prius natura ſuſcipitur in materia prima, quã forma introducatur in eadem materia, ac proinde priuſquam materia accipiat eſſe exiſtentiæ à forma ignis: Ergo non eſt neceſſarius omnino ille ordo, quem aſſignata ratio prætendit inter eſſe exiſtentiæ, & formam accidentalem: Ergo Chriſti gratia non obſtante ratione prædicta habere potuit rationem antecedentis diſpoſitionis.

Medina 3.p.q.2.ar.13. diſſoluit argumẽtum hoc, aſſignando inter gratiam, & calorem manifeſtum, ſuo iudicio diſcrimen. Et in hoc conſiſtit, quod calor eſt q̃dã paſſibilis qualitas, atq. adeò bene pôt præcedere formã ignis in genere cãæ materialis: gratia vero nõ hẽt ꝙ ſit paſſibilis qualitas, ſed quadã proprietas conſequens hypoſtaticam vnionem. Sicut riſibilitas proprietas eſt cõſequẽs rõnalẽ eſſẽtiã. Vnde ſicut riſibilitas in nullo genere cãæ pôt antecedere rõnalem eſſentiam, ita neque gratia in aliquo genere cauſæ hypoſtaticam præceſſit vnionẽm.

Hæc ſolutio non ſatis placet, nam quod aliqua accidentaria forma ſit paſſibilis qualitas, conferre quidem poteſt ad hoc, quod prius tempore introducatur in ſubiecto ad expellendam formam contrariam, quam in eodem ſubiecto introducatur forma ipſa ſubſtantialis ad quam diſponit, vt patet in exemplo caloris, qui prius tempore producitur in ligno, quam in eius materia forma ignis introducatur: Sed ad prioritatem naturæ nihil retulerit ratio paſſibilis qualitatis, nam quæcumque forma accidentalis, quæ conſtituit proportionem inter ſubiectum, & formam principalem habere poteſt vim diſpoſitionis ordine naturæ præcedentis. Vnde quamuis contritio paſſibilis qualitas non ſit, ordine tamen naturæ in genere diſpoſitiuę, & materialis cauſæ gratiam iuſtificantem præcedit.

Igitur cum gratia ſit forma cõſtituens proportionem inter humanitatem, & verbum, quamuis non ſit paſſibilis qualitas, poteſt ordine naturæ præcedere in ratione diſpoſitionis. Exemplum allatum de riſibilitate non eſt ſatis idoneum, quoniam riſibilitas eſt potentia proximè diſponens ad operandum, & non ad eſſe, atque adeo ex natura ſua præſupponit in omni genere cauſæ naturam exiſtentem, & completam in ſuo eſſe ſubſtantiali: ſicut enim operatio præſupponit eſſe, ita & potentia operatiua neceſſe eſt idem met eſſe præſupponat. Cæterum gratia per ſe primo non diſponit ad operari, ſed eſt forma ſupernaturalis conferens diuinum eſſe participatum, vt cum S. Th. diximus à principio relectionis huius: atque adeo qua ratione dat illud eſſe proportionatum diuino verbo, id eſt, eiuſdem ordinis cum ipſo, potuit ipſam humanitatem ad hypoſtaticam vnionem diſponere.

Confirmãtur hæc omnia, Probabilis eſt ſententia, quam docuerunt Scotus, Dur. & alij quidam graues Theologi in 3. diſtinct. 6. nimirum, quod Chriſti humanitas per exiſtentiam propriam, & ſibi connaturalem exiſtit, & quod prius naturæ proprietate extitit ipſa Chriſti humanitas in propria exiſtentia producta, quam fuerit verbo vnita: qua ſententia ſuppoſita ſic arguitur in confirmationem præcedentium. Gratia prius natura potuit in humanitate Chriſti recipi, quam ipſa humanitas aſſumeretur à verbo, in illo, videlicet, priori naturæ, quo humanitas præintellecta fuit exiſtens, priuſquam vniretur verbo: Ergo gratia habere potuit rationem diſpoſitionis præcedentis hypoſtaticam vnionem. Quod ſi habere potuit, aſſignanda eſt cauſa ob quam de facto non habuerit. Quæ ſanè cauſa non videtur aſſignabilis, quin potius oppoſitum videtur vrgere rationabilis cauſa, quæ in hoc conſiſtit, quod ad dignitatem, & excellentiam hypoſtaticæ vnionis pertinebat, vt verbum vniret ſibi humanitatem valde perfectam, ſupernaturali perfectione, & ſupernaturalibus habitibus exornatam.

§. 2. In oppoſitum facit S. Tho. doctrina 3. p. q. 7. ar. 13. vbi docet expreſſe, verbum vnitum fuiſſe humanitati nulla diſpoſitione mediante.

Sententia affirmatiua proponitur.

IN hoc dubio, duæ inter Theologos ſcholaſticæ factionis extremæ reperiuntur ſententię (nam antiqui Patres parum, aut nihil de hac quæſtione dixerunt) Prima ſententia affirmat habitualem gratiam veram in Chriſti humanitate diſpoſitionem naturæ ordine antecedentem fuiſſe ad vnionem cum verbo. Vnde fatetur hæc ſententia, quod prius in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & quaſi materialis gratia fuit in humanitate Chriſti recepta, quam ipſa humanitas fuerit verbo perſonaliter vnita. Ita docet Enric. Grãdauenſ. loc. quæſt. præc. cit. Alex. Alenſ. 3. p. q. 7. mẽb. 1. & q. 12. memb. 2. S. Bon. in 3. d. 2. q. 2. Dio. Carth. ead. d. q. 5. Palu. ibid. q. 2. Marſ. in 3. q. 10. art. 1. Gab. in 3. d. 1. & S. Th. d. 2. q. 2. Verum eſt, quod ij authores,

Digitized by Google

res,non in omnibus ſibi ipſis conſentiunt. Alex. enim Alen. & Enricus, hanc diſpoſitionem adeo neceſſariã eſſe indicauerunt, vt multis videatur eos exiſtimaſſe, non aliter conſtare potuiſſe hypoſtaticam vnionem, ſecundum etiam abſolutam Dei potentiam, quam hac interueniente diſpoſitione, nos tamen in quæſtione præcedenti ab hac exiſtimatione hos auctores excuſauimus.

Gabriel in 2. d. 2. q. 2. con. 2. exiſtimat, quod qui tenerent ſententiam, quæ docet ſolam rationalem naturam aſſumptibilem eſſe à diuino verbo, conſequenter fateri teneretur, gratiam fuiſſe diſpoſitionẽ adeo neceſſariam ad hypoſtaticam vnionem, vt nulla potentia fieri potuiſſet, quod humanitas non diſpoſita, & eleuata per habitualem gratiam aſſumeretur à verbo. Verum ego non video neceſſariam huius poſterioris ſententiæ, cum priori connexionem. Nam qui cenſeret ſolam rationalem naturam aſſumptibilem eſſe à diuino ſuppoſito, facile quoque poſſet & apparenti cum ratione dicere, quod ſolus intellectualitatis gradus, in quo rationalis natura cum Deo conuenit, conſtituit humanitatem aſſumptibilem à verbo, quam proinde potuit verbum ſibi copulare, & gratia, & omni habitu ſupernaturali deſtitutam, ſuiſque tantum naturalibus perfectionibus præditã. Cæteri vero Theologi, qui huic primæ opinioni patrocinantur, ingenuè fatentur, fieri potuiſſe per abſolutam Dei potentiam, quod humanitas abſque vllo ſupernaturali ornamento aſſumeretur à verbo: ſed ad decentiam, & congruitatem, inquiunt, pertinuit, vt non aliter quam per gratiam habitualem diſpoſita à verbo fuerit aſſumpta.

Sententia negatiua quam ſequitur auctor ſtatuitur, & probatur. §. 3.

SEd alia ſententia in oppoſito extremo docet, gratiam non habuiſſe rationem diſpoſitionis præcedentis vnionem hypoſtaticam: atque adeo fatetur hæc ſententia, quod gratia Chriſti habitualis in nullo genere cauſæ anteceſſit hypoſtaticam vnionem, ſed quod omnibus modis fuit naturæ ordine poſterior. Ita S. Th. 3. p. q. 7. ar. 13. ad ſecundum, & q. 2. ar. 10. quamuis forſam, in 3. d. 2. q. 2. fuerit contrariæ opinionis. Sequũtur S. Th. omnes fere eius diſcipuli. Docuerũt eamd. ſententiam. Scot. in 3. d. 2. q. 2. Riccar. ead. diſt. ar. 2. q. 3. & Dur. ibid. q. 3. Et hæc ſententia mihi apparet probabilior, & vera.

Probatur primo: natura humana in Chriſto, non prius natura exiſtit in rerum natura extra ſuas cauſas producta, quàm vniretur verbo, nam vt D. Th. 3. p. q. 17. a. 2. docet, natura humana Chriſti exiſtit per ipſum eſſe verbi: Ergo non prius natura fuit eleuata, & diſpoſita per gratiam habitualem, quã vniretur verbo. Conſequentia patet, quia eſſe accidentale, ſiue ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis ordinis præſupponit eſſe exiſtentiæ ſubſtantialis in ſubiecto. Hoc argumentum explicabitur amplius in ſolutione ad tertium.

Secundo probatur. Diuinum verbum in hypoſtatica vnione ſupplet rationem, & officium naturalis ſuppoſiti, & perſonalitatis humanæ, ſed humana perſonalitas ſi ibi adfuiſſet, immediatè vniretur humanitati nulla interueniente diſpoſitione accidentali: Ergo diuinum verbum immediatè fuit vnitum humanitati abſque vlla diſpoſitione interueniente.

Confirmatur. Natura ſubſtantialis immediatum habet ordinem ad ſubſtantiale ſuppoſitum, ſicut materia prima habet immediatam habitudinem ad formam ſubſtantialem, quatenus ei confert eſſe ſubſtantiale, quod eſt primus gradus, quem forma ſubſtantialis confert materiæ. Sed materia nullam admittit diſpoſitionem ad ſubſtantialem formam quantum ad hunc primum gradum, propter habitudinem immediatam quam habet ad ipſam, vt docet S. Tho. 1. par. q. 76. ar. 6. ad primum, ergo eadem ratione natura ſubſtantialis nullam admittit diſpoſitionem accidentatiam ad vnionem cum ſuppoſito ſubſtantiali, ſiue illud ſuppoſitum ſit finitum, ſiue infinitum, nã quantum ad hoc eadem eſt omnino ratio de vtroque ſuppoſito.

Tertio probatur. Natura ſubſtantialis non eſt ſecundum aliquã rõnẽ accidentatiã terminabilis à ſubſtantiali ſuppoſito, ſed duntaxat eſt terminabilis quatenus eſt ſubſtantialis natura: ergo nullam admittit accidentariam diſpoſitionem, cuius ratione efficitur terminabilis à ſuppoſito ſubſtantiali ſiue creato, & proprio, ſiue increato, & ſupplẽte vicem proprij ſuppoſiti. Patet conſequentia, quoniam ſi talem ponamus diſpoſitionem, conſequenter fateri tenemur, ꝙ ſuppoſitum non terminat immediatè naturam ſubſtantialem, qua ratione ſubſtantialis eſt, ſed terminat ipſam immediatè ratione talis diſpoſitionis, id eſt, ſecundum quod eſt affecta tali accidentaria diſpoſitione. Antecedens vero probatur, quia natura ſubſtantialis, eo ſolum, quia natura ſubſtantialis eſt, poſtulat terminationem ſuppoſitalem, nam alias, quandiu eſt in terminata tali terminatione, ſemper manet imperfecta, & dependens, Ergo quatenus eſt ſubſtantialis natura habet immediatam habitudinem ad ſuppoſitũ, in quo perficitur, & completur.

Quarto arguitur. Sequitur ex contraria ſententia, vnionem verbi cum humanitate non ſubſtantialem eſſe, ſed accidentariam. Conſequens hæreticum eſſe, à S. Thom. cenſetur 3. par. quæſt. 2. art. 6. & putat illud in 6. ſynodo generali haberi damnatum. Ergo, &c. ſequela probatur. Vnio verbi non immediatè facta eſt ad humanitatem (iuxta contrariam ſententiam) prout eſt ſubſtantialis natura, ſed prout eſt per gratiam eleuata, & diſpoſita, quæ diſpoſitio accidentalis eſt, ergo nequit hæc vnio ſubſtantialis ſimpliciter vocari.

Quinto. Si humanitas Chriſti in aliquo inſtanti naturæ præintellecta fuit diſpoſita per gratiam, antequam vniretur verbo, ſequitur, quod rationabiliter poſſumus concedere Chriſti humanitatem meruiſſe de condigno vnionem hypoſtaticam ſui ipſius cum diuino ſuppoſito. Conſequens à nullo Theologorum admittetur, imo neque ab Auguſt. vt conſtat ex libro de prædeſtinatione ſanct. cap. 15. & lib. de bono perſeuerantiæ, cap. vltimo, & in Enchirid. cap. 40. & tract. 105. in Ioan. quibus in locis Chriſtum, aut eius humanitatem nullatenus ineffabilem hanc vnionem promeruiſſe, vt veritatem certam, & indubitatam docet. *Ille homo*, inquit, *vt à verbo Dei Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus eſſet vnigenitus filius, vnde hoc meruit?* Et poſt pauca ſubiungit. *Humana merita hic conticeſcant, &c.* Scholaſtici Theologi legantur in 3. diſtinc. 4. & certe

con-

Digitized by Google

contraria ſententia in Fotinianum facile prolabi poſſet errorem, de quo vide S. Tho. 4. con. gen. c. 28. ergo vera eſt noſtra, imo S. Th. ſententia. Probatur ſequela. In eo inſtanti naturæ, in quo humanitas præintelligitur grata, poteſt etiam præintelligi cum habitu charitatis, & cum operatione actuali ipſius charitatis, nam cum omnia hæc in eodem inſtanti eſſe poſſint in anima, poſſunt etiam præintelligi ſecundum eandem naturæ prioritatem: actus vero charitatis elicitus ab anima grata, & ſanctificata, meritorius eſt de condigno: ergo per huiuſmodi actũ poſſet Chriſti humanitas mereri de condigno, velut minimum, de congruo hypoſtaticam vnionem.

Hæc ſunt argumenta, quæ mihi apparent efficacia pro ſecunda noſtra ſententia, & quæ tantam habẽt vim, vt parum probabilitatis relinquant in ſententia contraria. Alia duo argumẽta ſolent fieri pro eadem opinione.

Primum eſt: gratia Chriſti, eſt effectus vnionis hypoſtaticæ, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, &c.* Ergo improbabiliter dicitur, quod gratia Chriſti præceſſit vnionem hypoſtaticam, ordine naturæ in genere cauſæ diſpoſitiuæ.

Secundo. Si Chriſti humanitas prius natura extitit grata, q̃ vniretur verbo, ſequitur quod in illo priori naturæ fuit filia Dei adoptiua. Conſequens non eſt admittendum ergo, &c. Sequela patet, quia gratia recepta in ſubiecto, quod eſt extraneum a natura diuina, conſtituit illud in adoptiua Dei filiatione: Ergo cum in illo priori naturæ humanitas ſit extranea à natura Dei, efficietur filia Dei adoptiua.

Hæc tamen duo argumenta parum mouent pro iſta ſententia. Ad primum enim diceretur, quod gratia in genere cauſæ efficientis, & quaſi formalis eſſet poſterior vnione [illegible]hypoſtatica, vtpote, quæ eius fuit effectus. Cæte[illegible]n genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ, eſſe[illegible]prior eadem hypoſtatica vnione. Vt ſolet dici de contritione, quod in genere cauſæ effectiuæ eſt poſterior gratia iuſtificante, eſtque effectus eius: in genere tamen cauſæ materialis prior eſt eadem gratia.

Ad ſecundum, negatur ſequela: præſupponit enim hoc argumentum quoddam principium falſum: videlicet, quod adoptiua filiatio poſſit referri ad naturã, cuius oppoſitum oſtendit S. Tho. 3. p. q. 23. vbi docet filiationem ſiue naturalem, ſiue adoptiuam non ad naturam, ſed immediatè ad ſuppoſitum eſſe referendam. Quæ res fusè ſatisfuit in vltimo dubio quæſt. præcedentis expoſita.

Ex dictis in hac quæſtione ſequitur primo. Falſam eſſe ſententiam quorundam Theologorum, ex his quos retulimus pro prima opinione, e quorum numero fuit Alex. Alenſ. aſſerentium gratiam Chriſti habitualem, verè appellari poſſe gratiam vnionis, quatenus fuit medium diſponens naturam humanam ad vnionem cum verbo. Falſitas huius ſententiæ conſtat ex dictis. Gratia namque habitualis non mediat inter humanitatem, & verbum. Et quidem apud grauiores Theologos gratia vnionis eſt ipſamet vnio hypoſtatica, ſeu ipſum verbum, vt communicatum humanitati per vnionem hypoſtaticam, iuxta modum ſuperius expoſitum.

Sequitur ſecundo, falſum eſſe omnino, quod docuit Gabriel ſupra citatus, ſcilicet, quod verbum, & humanitas vniuntur mediante gratia, tanquam glutino quodam ſpirituali conglutinante hæc duo extrema, ſicut duæ tabulæ vniri ſolent materiali glutino. Iſta ſententia non modo eſt falſa, verum ſatis impertinenter aſſerta. Quoniam iuxta illam, gratia nõ ſolũ habet rationem diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam, ſed & rationem formæ, ſeu principij effectiui vnientis verbum cum natura humana. At ſine ratione hæc tanta virtus vnitiua tribuitur gratiæ.

§. 4. *Soluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.*

ARgumenta à principio pro contraria ſententia propoſita, non difficilem habent ſolutionem, & ſi eorum ſingula ſingulis egent ſolutionibus.

Ad primum igitur argumentum negandum eſt, illa verba, *Propterea vnxit te Deus Deus tuus, &c.* materialem, ſeu diſpoſitiuam importare cauſalitatem. Sed dicendum eſt deſignare finalem, ſeu quaſi finalẽ cauſam, & conſequentem ad ipſam ſpiritualem Chriſti humanitatis vnctionem, ita vt fiat ſenſus: *Propterea vnxit te Deus, &c. vt diligeres iuſtitiam, & odires iniquitatem.* Ita interpretatur hũc locum S. Aug. in eius enarratione. Aliam huius loci explicationem memini me ſupra retuliſſe ex S. Athan. in concione 2. contra Arianos, quæ & ſi non tam communiter, vt præcedens intelligentia apud ſacrorum bibliorum verſetur interpretes, non ob id tamen non debet in magno pretio haberi. Quam proinde reuiſat diligens lector.

Ad ſecundum reſpondetur, naturã humanam ex ſe non eſſe improportionatam, ſecundum contrarietatẽ ad vnionẽ cum verbo; atq. adeo non eget diſpoſitione aliqua accidentali, per quam auferatur contraria improportio. Eſt tamen improportionata negatiuè, id eſt, ex ſe non habet proportionem, vt vniatur verbo, hanc tamen improportionem negatiuam nulla qualitas accidentaria põt auferre ab ipſa. Itaq. & ſi conſtituamus humanitatem ipſam prius, vel tẽpore, vel natura, quam vniretur verbo vniuerſis ſupernaturalibus donis & habitibus præditam, tam im proportionata eſſet vnioni, atque improportionata eſt ex ſua propria natura. Ratio huius eſt. Quoniam ſuppoſitum diuinum, quatenus ſupplet vicem humani ſuppoſiti, non vnitur humanitati prout eſt affecta, & eleuata per gratiam, & per quoſcumque ſupernaturalis ordinis habitus, ſed immediatè vnitur illi, quatenus eſt talis natura ſubſtantialis. Atq. idcirco gratia tunc interueniret ibi concomitanter, & quaſi per accidens, quia verbum in ratione ſuppoſiti humanam terminantis naturam non reſpicit gratiam, qua ratione ipſam humanitatem ad hypoſtaticam vnionem diſponit; eo quod, vt ſupra dixi inter ſuppoſitũ, & naturam ſubſtantialem immediata eſt habitudo. Fateor quidẽ, quod ſi loquamur in eſſe morali, ſicut peccatum conſtitueret humanitatem improportionatam, hypoſtaticè vnioni, ita gratia eam magis congruam, & adaptatam eidem vnioni redderet, quam ipſa humanitas eſſet ex natura ſua. Nos autem hic de proportione, & diſpoſitione phyſica loquimur, & hanc omninò à gratia excludimus comparatione ad vnionem hypoſtaticam.

Ad tertium concedo antecedens, & nego conſequen-

quentiam. Dico enim quod licet humanitas extremè diſtet à verbo, non tamen poteſt ad eius vnionem peruenire per aliquod medium, quia nullum eſt tale medium. Sed immediatè diuinum verbũm debet vniri humanitati, complens capacitatem, quæ in ipſa eſt ad talem vnionem: & eam obedientialem potentiam actuans, per quam natura immediatum ordinem habet ad verbum, iãquam ad ſuppoſitum vicem humani ſuppoſiti ſupplens. Cum autem argumentũ inſtat, quod gratia habet rationem medij: facile dicitur, quod gratia habet quidem ratione medij inter humanitatem, & verbum, ſecundum ordinem naturæ, & perfectionis, vt argumentum probat: non autem habet rationem medij diſpoſitiui ad vnionem hypoſtaticam, propter immediatam habitudinem naturæ ad ſuppoſitum.

Ad quartum dicitur primo, illam rationem non eſſe fundamentalem, & magis efficacem ad probandam noſtram ſententiam. Quoniam, & ſi gratis admittamus Chriſti humanitatem prius natura extitiſſe creatam, ſeu genitam, quam vniretur verbo: adhuc dicendum eſſet, quod gratia non potuit habere rationem diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam. Quod adeo verum exiſtimo, vt id ipſum cenſuerim dicendum, etiam ſi admittamus humanitatem Chriſti prius natura, quam aſſumeretur à verbo fuiſſe eleuatam per gratiàm: quoniam repugnat hypoſtaticæ vnioni, quod ſuppoſitum terminet naturam, prout eſt effecta aliqua forma accidentali, eo quod inter ſuppoſitum, & naturam ſubſtantialem eſt immediatus ordo, Et hæc eſt ratio fundamentalis noſtræ ſententiæ. Et quidem quamuis Scot. & Durand. in ea fuerint ſententia, quod humanitas Chriſti exiſtit per propriam exiſtentiam: docent nihilominus cum S. Thom. Gratiam habitualem non mediare inter humanitatem, & verbum in ratione diſpoſitionis.

Secundo reſpondetur, quod illa ratio eſt ſine dubio ſufficiens ad probandam noſtram ſententiam, & ſi fundamentalis non ſit, & primaria. Ad impugnationem reſpondetur, quod nulla diſpoſitio accidentalis præcedit ordine naturæ in materia prima introductionem formæ ſubſtantialis quantum ad primum gradũ, quẽ confert materiæ ipſa ſubſtantialis forma. Primus autem gradus eſt eſſe ſubſtantiale formale, quod neceſſariò præſupponitur in ſubiecto ad quodcumque eſſe accidentarium. Ad intelligentiam huius ſolutionis videnda eſt doctrina Sancti Thomæ, 1. par. loco citato, vbi apertè docet, quod ad primum iſtum gradum formalem, quem tribuit ſubſtantialis forma, nulla præcedunt accidentia in materia, ad reliquos autem gradus formales præintelliguntur accidentia in ratione diſpoſitionum: ita quod accidentia, quæ conſequuntur primum gradum diſponunt ad gradum ſecundum, & quæ ſequuntur ſecundum gradum, diſponunt ad tertium, & ſic in reliquis. Verbi gratia, accidentia, quæ ſequuntur in generatione hominis ad eſſe ſubſtantiale, diſponunt ad eſſe corporeum, & quæ ſequuntur ad eſſe corporeum, diſponunt ad eſſe vegetatiuum. Ratio autem ob quam Sanct. Thom. inducitur ad aſſerendum, nullam præcedere diſpoſitionem ad primum gradum formalem ea eſt, quod inter materiam primam, & formam ſubſtantialem, prout confert illum primum gradum formalem, ſcilicet, eſſe ſubſtantiale, eſt immediata habitudo: atque adeo materia ſe ipſa abſque vlla media diſpoſitione vnitur formæ ſubſtantiali quantum ad hunc primum gradum: ad vlteriores vero gradus materia non eſt ſua natura determinata, vnde poſtulat diſpoſitiones, quibus determinetur. Quæ ratio noſtro intento facilè accomodari valet, quia natura ſubſtantialis ſe ipſa determinata eſt ad ſuppoſitum, ſeu ad modum conſtitutiuum ſuppoſiti (quem ſolemus modum ſuppoſitalem vocare) atque adeo nulla media eget diſpoſitione, vt ſuppoſito vniãtur, & per ipſum ſuppoſitalem modum terminetur, & compleatur.

Ad confirmationem patet ſolutio ex dictis. Sed occaſione eorũ, quæ dicuntur in hac confirmatione, poſſet quiſpiam dubitare. Nam ſi vera eſſet Scoti, & Durand. ſententia, quæ aſſerit Chriſti humanitatem per propriam, & ſibi connaturalem exiſtentiam exiſtere vnitam verbo, & per eandem præextitiſſe ante ipſam hypoſtaticam vnionem, conſequenter eſſet dicendum, humanitatem Chriſti prius natura fuiſſe gratia habituali præditam, quam verbo vnitam. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua colligitur ex his, quæ paulo ſuperius diximus, nimirum, quod gratia, & ſi in genere naturæ nec habuerit, neque habere poſſit rationem diſpoſitionis ad vnionem humanitatis cum verbo, in ordine tamen morali humanitas eleuata per gratiam aptior eſt, & magis diſpoſita ad hanc vnionem, quam in puris naturalibus conſtituta. Ergo cum Chriſti humanitas, illa ſententia ſuppoſita, capax eſſet gratiæ prius natura, quam vniretur verbo, conſentaneum rationi apparet dicamus, eam in illo priori naturæ, quo vnioni præextitit, ornatam fuiſſe habituali gratia, vt aptior eſſet morali congruitate ad vnionem hypoſtaticam.

Sed reſp. veroſimiliorem eſſe contrariam ſententiam, tum quia iuxta ordinem naturę conſentaneum natura ſubſtantialis nullius accidentis eſt capax, priuſquam ſuppoſitaliter terminetur. Nam ante huiuſmodi terminationem, & ſuppoſitale complementum, natura ſubſtantialis potius eſt ſubiectum, Quo, quam ſubiectum. Quod: Et eſt præterea imperfecta, & incompleta in ſuo eſſe ſubſtantiali. Complementum autem ſubſtantiale præſupponendum eſt ad omnem accidentariam naturæ affectionem, & diſpoſitionem. Vnde negandum eſt argumento facto, quod Chriſti humanitas in illo priori naturæ, capax eſſet gratiæ, aut cuiuſuis alterius formæ accidentalis. Item etiam ſpeciali ratione hæc noſtra ſententia probatur. Quia multo maior congruentia eſſe videtur, quod Chriſti humanitas accipiat gratiam, & omnia ſupernaturalia dona per modum proprietatum conſequentium hypoſtaticam vnionem cum verbo: quam quod haberet moralem illam diſpoſitionem, quam illi poſſet conferre gratia ante hypoſtaticam vnionem ſuſcepta. Maxima enim Chriſti dignitas eſt, quod habeat gratiam, & gloriam quaſi vnigeniti à patre, ideſt, conuenientem illi, eo quod eſt naturalis Dei filius, & ex perſonali vnione in eius humanitate reſultantem.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum gratia habitualis ita ſit principium concomitans vnionẽ hypoſtaticam, quod fluat ſimplici reſultantia, abſq. noua media actione ex ipſa vnione hypoſtatica vti eius proprietas, & propria paſſio: Sicut riſibilitas dimanat ab eſſentia rationali, & rugibilitas à Leonina eſſentia.

§. 1. *Argumenta pro parte affirmatiua.*

Pars affirmatiua primo probatur, ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre:* nomine gloriæ ſecundum probabilem Aug. intelligentiam tract. 2. in Ioann. deſignatur gratia Chriſti habitualis conſummata per beatam viſionẽ: Et ponderanda eſt illa geminatio vocis, Gloriam, quæ videtur denotare gratiam conſummatam pertinere ad Chriſtum, vti eius proprietatem, eo quod eſt vnigenitus Patris. Lege Cano lib. 12. de locis cap. 14. vbi ad hoc propoſitum eleganter ponderauit hoc teſtimonium.

Secundum argumentum ſumitur ex authoritate S. Tho. 3. p. q. 7. art. 13. ad ſecundum, vbi dicit, quod gratia non intelligitur, vt antecedens vnionem, ſed vt ipſam conſequens, tanquam eius naturalis proprietas. Et inducit ibidem Auguſt. in Enchir. cap. 40. dicentem, gratiam fuiſſe Chriſto naturalem. At naturalis proprietas rei abſque noua actione per ſimplicem reſultantiam dimanat. Ergo, &c. Idem ipſe S. Thom. in eodem ar. 13. dicit gratiam cauſari in Chriſti humanitate ex diuinitatis præſentia, ſicut lumen cauſatur in aere ex præſentia Solis. Quod confirmat ex illo Ezechielis vaticinio cap. 43. *Gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam orientalem, & terra ſplendebat à maieſtate eius.* Terram ſplendeſcere à maieſtate Dei ingredientis per viam orientalem, quid deſignabat aliud quam Chriſti humanitatem mirabili gratiæ ſplendore fulgere ad ingreſſum gloriæ Dei Iſrael per orientalem portam? id eſt, quod ex glorioſa diuini verbi cum humanitate vnione diuinus gratiæ fulgor in ipſa humanitate reſultauerit: nam ineffabilis diuini verbi incarnatio gloria Dei à Propheta Iſa. c. 6. appellatur. Sed nunc ſic noſtrum ſecundum procedit argumentum. Ex Solis præſentia ad corpus diaphanum naturali reſultantia lumen effluit, quod ipſum diaphanum corpus lucidum reddit, & illuſtratum: Ergo ex præſentia diuini verbi ad naturam humanam naturali quodam effluxu habitualis emanauit, gratia, quæ veluti fulgentiſſimus quidam diuinæ claritatis radius ipſam illuſtratam, & mire ſplendeſcentem conſtituit. Sed ratione præterea confirmo totam hanc S. Thom. doctrinam. Diuinum verbum eſt ipſa lux per eſſentiam, iuxta illud Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, gratia autem eſt quoddam participatum lumen diuinum, & infuſio gratiæ in anima eſt quædam ſupernaturalis illuſtratio, iuxta illud Pau. 2 Corinth. c. 4. *Qui dixit lumen de tenebris ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, &c.* ergo rationabiliter dicitur a S. Th. quod ſicut ad præſentiam Solis fit irradiatio luminoſa in corpore diaphano, ita ad præſentiam verbi in humanitate Chriſti ſubſequuta fuit ſpiritualis irradiatio per gratiam in anima eius.

Tertio. Diuinum verbum vnitum fuit humanitati, quatenus, eſt fons, & principium totius ſpiritualis vitæ, ergo ex vnione ipſius ad humanitatem conſequuta fuit ſpiritualis vita facta per gratiam in anima Chriſti. Antecedens videtur certum, & conſentaneum modo loquendi ſacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonijs. Conſequentia vero probatur, quoniam ex eo, quod calidum vniatur ſubiecto in ratione calidi naturaliter ſequitur, quod calefaciat ſubiectum, cui vnitur. Ergo, ſi verbum fuit vnitum humanitati in ratione principij effectiui ſpiritualis vitæ conſequenter reſultauit vita ſpiritualis in Chriſti humanitate per gratiam.

Quarto arguitur. Eo ipſo quod res inferioris ordinis coniungitur rei ordinis ſuperioris, conſequitur abſque aliqua media actione, quædam perfectio in re ipſa inferiori participata ex coniunctione ad ſuperiorem, v. gr. cogitatiua, quæ ſecundum ſe non eſt particeps diſcurſus, & ratiocinationis, ex coniunctione ad intellectum in homine abſque vlla media actione participat quandam vim ratiocinandi, & diſcurrendi. Similiter auctore S. Augu. epiſt. 3. ad Dioſcorum, corpus in reſurrectione ex coniunctione ad animam beatam glorioſam participabit immortalitatem, & alias præclariſſimas gloriæ dotes: ergo rationi conſonat dicere, quod anima Chriſti ex coniũctione ad verbum abſque alia noua actione per ſimplicem emanationem participauit ſupernaturalem vitam gratiæ.

Quinto. Ex ipſa gratia habituali in eſſentia animæ ſuſcepta naturaliter oriuntur in potentijs animæ ſupernaturales virtutes, & dona Spiritus ſancti, vt auctor eſt S. Thom. 1. 2. q. 110. At diuinum verbum multo eminentius præhabet in ſe perfectionem gratiæ, & donorum ſupernaturalium, quam ipſa gratia contineat virtutes, & dona Spiritus ſancti: Ergo à fortiori dicendum eſt, quod ex coniunctione verbi ad humanitatem naturaliter conſequuta fuit gratia habitualis in Chriſti anima cum cæteris ſupernaturalibus donis.

In hoc dubio ſunt ſimul explicanda alia duo, quæ valde conferunt ad eius intelligentiam. Alterum eſt an gratia ſit connaturalis Chriſto. Alterum vero, an ipſi gratiæ ſit cõnaturale eſſe in tali ſubiecto, ſcilicet, in Chriſto.

Et quidem iſta duo ſunt omninò diſſimilia, bene enim ſtare poteſt, quod gratia ſit connaturalis Chriſto, ita quod Chriſto naturali debito competat gratia, & quod ipſi gratiæ per accidens ſe habeat eſſe in Chriſto, ſicut eſt illi per accidens eſſe in Petro, v. g. animali connaturalis eſt calor, & debitus eſt illi naturali debito, vt ſit inſtrumentum animalis, & ſenſibilis vitæ, calori autem per accidens eſt, quod ſit in animali, & quod ſit vitale inſtrumentum. Vnde neceſſũ erit iſta exponere.

§. 2. *Variæ ſententiæ referuntur.*

In hoc igitur dubio tres verſantur ſententiæ. Prima docet habitualem gratiam, nulla ratione fuiſſe neceſſariam Chriſto, neq. ipſi debitam connaturalitatis debito, ſed ex quadam congruentia morali fuiſſe illi tributam. Scot. Duran. & alij ex ſcholaſticis

Theo-

Theologis in 3. d. 13. hanc ſibi ſuaſere ſententiam. Quam & fortaſſis docuerunt ij Theologi, quorum opinationem retulit Palud. ead. d. q. 3. qui dixerunt habitualem gratiam non fuiſſe Chriſto neceſſariã, ſed ſufficere illi vnionis gratiam. Puto enim eos non congruitatem, ſed ſolam neceſſitatem gratiæ negauiſſe in Chriſti humanitate.

Secunda ſententia in alio extremo docet, gratiam habitualem eſſe cõnaturalem Chriſto, eſſeq. propriã paſſionem ipſius Chriſti. Authores huius ſententiæ, non eadem omninò via procedunt. Nam quidam fatentur gratiam ſimplici emanatione, abſque aliqua actione media dimanare ex hypoſtatica vnione, ad eum modum, quo proprietates, & paſſiones naturales ſequuntur eſſentiam, in hunc ſenſum intelligit hanc ſententiam Med. 3. p. q. 7. ar. 5. concluſ. 1. & 2. circa fin. Et eandem inſinuant intelligentiam. Caie. 3. p. q. a. art. 1 a. & Cano locis citatis. Cæterum quidã alij diſcipuli S. Th. & ſi libenter fateantur gratiam habitualem eſſe propriam paſſionem Chriſti, ſummamque habere connaturalitatem cum Chriſti humanitate, prout eſt coniuncta verbo: Dicunt tamen non effluxiſſe per ſimplicem emanationem ab vnione hypoſtatica. Sed per aliam nouam Dei actionem fuiſſe productã. Non. n. neceſſarium eſſe putãt, quod omnis propria ſubiecti alicuius paſſio ex eius fluat eſſentia per ſimplicem reſultantiam. Afferunt exemplum in ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt collatæ Angelis, quæ ſunt propriæ paſſiones, & propriatates intellectus Angelici, & tamen non reſultant per ſimplicem emanationem ex ipſo intellectu, ſed actione quadam extrinſeca Authoris naturæ Angelicæ inditæ, & impreſſæ fuerunt intellectui Angelico.

Tertia ſententia fatetur quidem gratiam habitualem connaturalem eſſe Chriſto, debitamq. illi connaturalitatis debito. Exiſtimat tñ hæc ſententia, quod neq. eſt verè propria Chriſti paſſio, neq. per ſimplicem reſultantiam ex vnione dimanauit, ſed per nouã actionem Dei auctoris gratiæ fuit data Chriſto.

Pro reſolutione notandum eſt, quod gratia vt explicabitur quæſt. ſeq. ex ſua natura nullum habet terminum intenſionis, ſed eius dumtaxat natura conſiderata poſſet abſq. miraculo in infinitum ſincathegorematicè augeri. Hoc ſuppoſito ſit.

Deciſio per ſequentes concluſiones.

§. 3. *Prima concluſio.*

GRatia habitualis debita fuit Chriſto connaturalitatis debito, ad modum cuiuſdam naturalis eius proprietatis, connaturalem habens connexionem cum hypoſtatica vnione. Hanc concluſionẽ affirmat S. Th. loc. cit. in ſecundo argumento ex propoſitis à principio huius dubij: & idem docet, 3. p. q. 6. ar. 6. in 3. d. 13. per totam, & ſine dubio iſta ſententia eſt receptiſſima ab vniuerſis ferè Theologis, in illa d. 13. vide Alex. Alenſ. 3. p. q. 8. memb. 3. ar. 4. 9. Ad maiorem, & Sot. in 4. d. 19. q. 1. art. 2. pro hac concl. contra quam videntur docere S. Bona. in 3. d. 4. ar. 2. q. 3. cum Ric. ibi ar. 3. q. 2. & Dur. ead. d. q. 3. Sed re ipſa docent concluſionem noſtram 3. ſequentem, ſi attẽtè legantur. Nam nihil dicunt aliud, quam quod producitur Chriſti gratia per liberam trinitatis actionem. Probant iſtam ſententiam efficaciter argumenta poſita pro parte affirmatiua huius dubij. Colligiturque ex illo Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*, illud verbum, *Sanctum*, non ſolum ſanctitatem perſonalem denotat, quam Angelus alijs verbis .ſ. filius Dei explicuit, quod ſuperius adnotauimus, cum S. Ber. ho. 4. ſuper miſſus eſt, ſed etiam denotat ſanctitatem formalẽ in humanitate Chriſti habitam per gratiam, & hãc ſanctitatem dicit conuenire Chriſto ratione ſuæ conceptionis: hãc. n. vim habet illa cauſalitas, *ideoque quod naſcetur ex te ſanctum*, &c. Ergo ſanctitas gratiæ cõnaturalis eſt Chriſto, & illi debita ex vi ſuæ cõceptionis, & rationis vnionis hypoſtaticæ. Ex illo Iſai. 11. colligitur, *Flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, &c.* Illa particula. Et concomitantiam denotat donorum Spiritus ſancti in Chriſto, ad eius generationem in vtero virginis virtute Spiritus ſancti effectam, quam generationem Propheta explicuit illis verbis, *Flos de radice eius aſcendet.* Vnde merito S. Aug. in Enchyr. loc. cit. hãc gratiam vocauit naturalem Chriſto. Fauet id, quod dicitur Io. 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Ex paterna. n. dilectione, quæ ad vnionis gratiam potiſſimum pertinet, prouenere Chriſto omnia bona, quæ ei pater tribuit, quorum præcipuum fuit gratia. Et illud Iſa. 42. *Suſcipiam eum, dedi ſpiritum meum ſuper eum.* Quæ verba eandem prorſus vim habent. Præterea probatur hæc veritas ex Synod. Frãcf. vbi Patres dicunt Chriſtum eſſe vnctum per naturã. Et quod loquantur de vnctione, qua Chriſtus, vt homo, fuit per habitualẽ gratiam vnctus, conſtat ex eo, quod Conc. illud Pſ. 44. *Vnxit te Deus, &c.* exponit de oleo exultationis, reſurrectionis, aſcenſionis, & dominationis. Ergo a fortiori intelligitur etiam de oleo exultationis, quo per habitualem gratiam vncta fuit Chriſti humanitas. Conſtat etiam hæc Conc. mens ex verbis, quæ inferius habentur, ſcilicet, non gratia, ſed natura, vt eſſet etiam plenus gratia. Ideſt ex naturali debito plenus eſt gratia. S. Cyri, exponens illa verba Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c.* inquit, *quod Spiritus ſancti dona non fuerunt Chriſto aduentitia ſicut alijs hominibus, ſed vt ſua, & propria accepit:* Eadem autem eſt ratio de gratia, quam Spiritus ſancti dona comitantur. Ergo, &c. Baſil. in illud Pſalm. 44. *Vnxit te Deus &c.* per oleum intelligit Spiritum ſanctum, quatenus dat ſpirituale gaudium, & ſpiritalia omnia infundit dona. Et ſubdit. *Sancti labore, & exercitamento hæc aſſequuntur. Tibi autem, ô Chriſte, naturalis eſt, ad boni proſecutionem proprietas, & ad iniquitatis fugam per quam familiaris alienatio.* Similia habet Dioniſ. Alex. in epiſt. contra Paul. Samoſat. à principio.

§. 4. *Secunda concluſio.*

GRatia habitualis propriè, & rigoroſè loquẽdo nõ eſt propria Chriſti paſſio. Hæc concluſio probatur. Propria paſſio, in rigore loquẽdo, ſequitur naturaliter principia cõmunia ſpeciei, at gratia in Xpõ nõ ſequitur principia ſpecificæ naturæ, nimirũ, humanitatis, vt patet: Ergo non eſt verè propria Chriſti paſſio. Confirmatur, in Chriſto nulla ſunt principia

ſpecificæ naturæ,quæ non ſint in cæteris hominibus: Ergo nullam habet propriam paſſionem, in rigore loquendo,præter illas quæ communes ſunt toti humanæ naturæ,& vniuerſis eius indiuiduis.

Sed rogat quiſpiam,an gratia Chriſti debeat appellari accidens eius proprium indiuiduale. Reſpondetur. Gratia in rigore non eſt accidẽs indiuiduale proprium, quoniam neque conſtituit indiuiduationem humanitatis Chriſti, neque ſequitur ex principijs ipſam indiuiduantibus: Humanitas enim prius naturæ ordine ſingularis fuit,& indiuidua, quã verbo fuerit vnita,nam in aliꝰ homo,& in ſingulari verbũ aſſumpſit humanam naturam. Vocari autem poterit accidens perſonale proprium. Nam eſt accidens receptum in natura humana Chriſti ipſi naturæ cõnaturale,ratione perſonalitatis diuinæ,per quam ipſa humanitas ſuppoſitaliter terminatur.

§.5. *Tertia concluſio.*

GRatia habitualis non emanauit in Chriſto per ſimplicem reſultantiam ex vnione hypoſtatica,ſed per nouam Dei actionem fuit producta in anima. Hanc concluſionem docent Theologi graues ex iunioribus,in antiquioribus vero,& ſi non expreſſa habeatur iſta concluſio,habetur tamen à multis eorum inſinuata. Et probatur primo. Diuinum verbũ nihil operatur ad extra,neceſſario,& per modũ naturalis neceſſitatis,docet enim catholica fides,Deum non eſſe cauſam neceſſariam, & naturalem, ſed voluntariam,& liberam: at ſi gratia per ſimplicem, & naturalem reſultantiam conſequitur hypoſtaticam vnionem,verbum cauſa eſt eiuſdem gratiæ non per modum libertatis,ſed per modum potius naturæ, & neceſſitatis naturalis:Ergo nullatenus eſt concedendum habitualem Chriſti gratiã ſimplici, & naturali dimanatione in eius humanitatẽ effluxiſſe,ſed ꝙ noua Dei actione ei fuerit tributa. Probatur minor. Simplex emanatio non libera eſt, ſed naturalis productio formæ emanantis ex termino primario per actionem principalẽ producto, vt intellectus naturali emanatione cõnſequitur animæ eſſentiam per creationem productam,ita ꝙ hæc emanatio proximè quidem tribuitur eſſentiæ animæ intellectiuam potentiã virtute præhabentis, ſed tãdẽ reducitur,vt ad cauſam principalẽ,ad ipſum Deũ animã creantẽ: Ergo in noſtro caſu habitualis gratia non libera, ſed naturali emanatione proceſſit à verbo, vt à termino principalis actionis,nimirum, vnionis hypoſtaticæ, vt à cauſa proxima,& immediata non libera, ſed neceſſaria,naturalique virtute,& radicaliter præhabenti ipſam habitualem gratiam.

Reſpondebis forſan,quod hypoſtatica vnio ad cuius principalem terminum, puta, verbum humanitati vnitum,immediatè ſequitur gratia, vt ſecundarius,& minus principalis terminus eiuſdem hypoſtaticę vnionis,liberrima fuit totius Trinitatis actio,atque adeo ipſe effluxus gratiæ conſequentis,& ſi ſecũdum quid,& in ſenſu compoſito,naturalis ſit, & neceſſarius,ſimpliciter tamen eſt liber totius Trinitatis effectus. Hęc tamen ſolutio licet ſententiã noſtræ concluſioni contrariam totaliter eximat ab erroris periculo,non tamen mihi ſufficiens apparet. Contra quam ſic arguitur primo. Quamquam iuxta ſolutionem aſsignatam effluxus gratiæ habitualis in Chriſti humanitate liber ſit abſolutè,& ſimpliciter ex parte totius Trinitatis,at comparatione ad verbum ex quo tanquam ex immediato, & principali termino hypoſtaticæ vnionis gratia effluit, & dimanat, naturalis eſt ſimpliciter, & neceſſarius, quemadmodum (vt in poſito exemplo ſiſtamus) etſi intellectiuæ potentiæ emanatio cõparatione ad Deum creatorẽ rationalis animæ,libera ſit,& voluntaria ſimpliciter,at reſpectu ipſius animæ, ad quam immediatè ſequitur ipſa intellectiua potentia,naturalis eſt, & neceſſaria ſimpliciter; magnã autem præſeferre videtur abſurditatem aſſerere, quod ſit aliquis effectus in rerum natura productus,qui naturaliter,& neceſſario ex diuino verbo emanauerit; & non ex liberrima ipſius verbi voluntate ortum habuerit:ergo,&c.

Secundo contra eandem ſolutionem ſic argumentor. Ex ea ſequitur,quod ſuppoſita hypoſtatica vnione non potuerit etiam per abſolutam Dei potentiã ipſe gratiæ effluxus impediri, & quod Chriſti humanitas à verbo aſſumpta non potuerit non perfici, & eleuari per habitualem gratiam, conſequens vero falſum,& improbabile, vt credo, iudicabitur à peritioribus theologis: Ergo,&c. Sequelam probo. Diuinum verbum humanitati vnitum nequit impedire prædictum gratiæ effluxum, ſed quod impediri non poteſt à verbo,neque etiam poteſt à tota Trinitate impediri, cum non maior ſit totius Trinitatis poteſtas,& virtus,quam ſolius verbi: ergo,&c. Probatur maior. Verbum humanitati vnitum cauſa naturalis eſt:& neceſſaria (vt contraria ſententia docet) habitualis Chriſti gratiæ, at naturalis cauſa cuiuſpiam effectus non poteſt ipſum effectum impedire,cum reſpectu illius non ſit indifferens, ſed pœnitus determinata, aliàs enim ſimul erit naturalis cauſa,& non naturalis,neceſſaria, & non neceſſaria, ſed libera: ergo, &c.

Secundo probatur iſta cõcluſio. Si per ſimplicem, & naturalem reſultantiã habitualis Chriſti gratia ex vnionis gratia dimanauit, ſequitur, quod ex vi ſuæ dimanationis çertum habuit, & determinatũ intenſionis gradum:itaq; citra miraculum, neq; in maiori,neq; in minori intenſione produci potuerit. Conſequens eſt falſum: Ergo falſa eſt ſententia noſtræ concluſioni contraria. Falſitas conſequentis patet ex fundamento,quod ante primam concluſionem pręmiſimus,cuius veritatem ſequenti quæſtione contra Scot. Durand. Capreol.& Caiet. probabimus:quos authores hoc ſecundum noſtrum argumentum non valde premet. Quia arbitrantur gratiam ſua natura terminum intenſionis ſortiri determinatum,in quo gradu ex ipſa vnionis gratia in Chriſto dimanauit. Verũ hęc determinatio naturalis in gradibus intẽſionis gratiæ nobis non placet,propter ea,quæ in ſequenti q. dicemus,vnde, & argumentatio facta nos vehementer vrget. Sed iam probo ſequelã. Natura ad vnũ eſt determinata,& oĩs naturalis actio,vel ꝓductio ſimiliter eſt determinata ad vnũ. Ergo ſi gratia in Chriſto naturali emanatione effluxit, neceſsũ eſt fuerit ad certũ intenſionis gradũ ex vi ſuæ dimanationis,ſuiq; effluxus determinata. Nam alias emanatio naturalis non eſſet determinata ad vnũ,ſed ad incertũ,& indeterminatũ ſcopũ,& terminũ progrederetur. Quod naturali cauſalitati, & emanationi,

G qua

Digitized by Google

qua ratione naturalis eſt, è regione opponitur.

Confirmatur, quod Chriſti gratia naturali intenſionis gradu, & non in maiori, aut minori effluxerit, nulla poteſt aſſignari ratio, neque ex parte ipſius gratiæ, quia ſua natura non poſtulat certum, & determinatum intenſionis gradum, vt à principio ſuppoſuimus, neque ex parte virtutis diuini verbi, quæ cum ſit infinita, nullam in ſuo effectu determinationem præfigit. Ergo limitatio, & determinatio gratiæ Chriſti ad talem gradum intenſionis reducenda eſt ad liberam Dei voluntatem, & ad ſpecialem Dei actionem ex libera eius voluntate procedentem, qua Chriſti humanitati voluit gratiam habitualem in tali gradu intenſionis conferre.

Tertio probatur concluſio. Ex contraria ſententia ſequitur, quod Chriſti gratia ex vi ſuæ dimanationis infinitum ſortitur intenſionis gradum: conſequens, vt ſequenti quæſtione probabitur, & falſum eſt, & improbabile: ergo ſententia noſtræ concluſioni contraria parum eſt probabilis. Sequela probatur. Emanatio naturalis terminatur ad maximum, & ſummum, in quod poteſt ipſa naturalis cauſæ virtus, ex qua fit talis emanatio. Cauſa enim naturalis vt commune philoſophorum proloquiũ affirmat, operatur quantum poteſt, & ſecundum vltimum ſuæ virtutis & potentiæ, & efficit proinde effectum in ſummo gradu, ad quem poteſt peruenire, niſi extrinſecum aliquod impedimentum aduenerit: Ergo cum diuinum verbum infinitam virtutem habeat, & gratia ex ſua natura nullum determinatum vendicet intenſionis gradum, ſed in infinitum poſſit augeri: ſi per modum naturalis emanationis gratia effluxit a verbo humanitati vnito, neceſſum eſt dicamus eam in gradu intenſionis infinitæ dimanaſſe.

Neque ſatis fuerit dicere, talem intenſionis gradum repugnare ex parte facti, quia licet gratia nullum determinatum intenſionis ſibi vendicet gradum, nequit tamen eſſe ſecundum intenſionem actu & cathegorematice infinitam. Non inquam ſat fuerit ita dicere, quia adhuc ſupereſt aſſignanda ratio, ob quam Chriſti gratia in tali gradu intenſionis conſtituta effluxerit, V. G. in gradu intenſionis, vt centum, cum poſſet in altiori gradu, V. G. vt mille emanare. Quę ſane ratio ex ipſa naturali emanatione deſumi nequit, cum naturalis emanatio, eo quod naturalis eſt, ad ſummum, & maximum gradum gratiæ ex propria ſui ratione tendat: ac proinde ad liberam Dei voluntatem recurrendum eſt, quæ per ſpecialem actionem gratiam Chriſti in tali gradu conſtitutam produxit.

Nonnulli ex iunioribus Theologis, & quidẽ doctiſſimis, quibus noſtra tertia non placet concluſio, ſed per ſimplicem dimanationem habitualẽ Chriſti gratiam ex hypoſtatica vnione ad modum proprietatis naturalis effluxiſſe cenſent, duobus exemplis contendunt explicare, non eſſe vſquequaque certum id, quod nos in his argumentis ſecũdo, & tertio pro noſtra concluſione factis, vt certum aſſumpſimus. Nimirum actionem naturalem terminari ſemper ad vnum, & ad maximum, quod poteſt. Et primum exemplum afferunt in qualitatibus ſenſibilibus, quæ ex formis naturalibus ſubſtantialibus per ſimplicem dimanationem reſultant, conſtat enim, quod calor non ſemper in ſummo grado reperitur in igne, ſed quandoq; in ſummo, quandoq; citra ſũmum; & cõſtat idipſum de frigiditate reſpectu aquę. Afferunt aliud exemplũ in ordine naturali vniuerſi, qui cum ſit valde naturalis, non eſt ad vnum determinatus, non enim naturalem habuit determinationem ad certum creaturarum numerum: namq; ſpecies, & indiuidua rerum ſaluo ipſo naturæ ordine in maiori numero produci potuerunt. De indiuiduali quidem numero res eſt certiſſima, & de ſpeciebus vero, quamuis negent nonnulli, manifeſtum etiam apparet. Nam qua ratione in dubiũ verti poteſt, quod abſq; immutatione naturalis ordinis cœleſtis, potuerit Deus aliã Angelicæ naturæ ſpeciem efficere, præter eas, quas de facto produxit: aut aliquã ex iis, quas creauit, non creauiſſe? Et quis negabit, quod in hoc inferiori orbe, naturali eius ordine ſuperſtite, ſpeciem aliquam ab his, quæ fuerunt productæ diſtinctam, ſiue magis perfectam, ſiue minus perfectam, ipſe naturæ author valuerit efficere? nam quod omnia in tali numero, pondere, & menſura creauerit, in libera ipſius voluntate poſitum fuit.

Sed his non obſtantibus exemplis, illa propoſitio cui tota vis vtriuſq; argumenti ſecundi & tertij innititur, ſcilicet, quod actio naturalis determinatur ad vnum, & tendit ad ſummum, quod poteſt efficere: eſt adeo manifeſta ſecundum naturæ lumen, vt ego non videam, qua poſſit ratione negari. Nam ſi ad vnum non determinatur, cenſeri debet indifferens ad vtrumq; oppoſitorum, huiuſmodi autem indifferentia è diametro pugnat cum natura, & cũ naturali cauſalitate, & ordine: talis enim indifferentia ad libertatem, & non ad naturam pertinet. Quod vero naturalis cauſa operetur quantum poteſt, & ſecundum vltimum ſuæ virtutis, ex eadem radice prouenit. Nam ex eo, quod cauſa naturalis ex ſe ipſa determinatur ad vnum, prouenit, vt determinetur ad totum id, quod poteſt. Nam alias neceſſario admittenda eſt indifferentia aliqua in cauſis naturalibus, ſi aliquando eorum cauſalitas attingeret ſummum effectum, in quem ipſę poſſunt, quandoque vero infra ſummum ſubſiſteret.

Ab exemplis vero in contrarium adductis facilè nos expediemus; Nam ad primum, quod ex qualitatibus naturalibus procedebat dicitur. Quod omnes eiuſmodi qualitates, quæ per ſimplicem emanationem reſultant ex ſubſtantialibus formis, ſequuntur ipſas in ſummo gradu ad quem ſecundum naturæ ordinem peruenire poſſunt, niſi vel ex parte cauſæ effectricis, vel ex parte ſubiecti recipientis, aliquod interueniat impedimentum. Vnde ſi quando in igne non reperitur calor ſummus, vel in aqua ſumma frigiditas, alicui adpoſito impedimento illud erit tribuendum: neque huius rei reperies aliquam in toto ordine naturæ inſtantiam.

Ad ſecundum exemplum Reſpond. Quod ſi, vt nonnulli falſo putauerunt Phyloſophi, Vniuerſum illud per modum naturalis effluxus à Deo naturali authore dimanaſſet, vti ſplendor emanat à Sole exemplum illud præſenti intento quadraret. Et tunc conſequenter eſſet dicendum, vt plane dicerent illi Phyloſophi, omnes rerum ſpecies, imo & indiuidua omnia certũ habere ac determinatũ à natura numerum, Verũ illa Phyloſophorũ ſtulta, & impia exiſti-

matione ſemota, exemplum allatum eſt ſatis impertinens. Dicendumque eſt ad vim omnem eius euacuandam. Vniuerſi ordinem determinatum quidē eſſe quantum ad gradus entitatis: ad eſſentiam enim Vniuerſi requiritur, vt intra ſe ipſum comprehendat omnes poſſibiles entitatis gradus, puta, corporeum, vegetatiuum, ſenſitiuum, ac denique intellectualem, & rationalem. (Nam ad eundem pertinēt gradum rationalis, & intellectualis natura.) cum ſuis proprietatibus, & connaturalibus accidentibus. Item corpora ſimplicia, & cœleſtia, & elementaria intrinſecè pertinent ad ipſum vniuerſi ordinem, & ad primariam eius conſtitutionem. Cæterum non omnes poſſibiles rerum ſpecies ſub prædictis entitatis gradibus contentæ per ſe, & neceſſario ſpectant ad naturalem Vniuerſi conſtitutionem, & ordinem. Sed quod in tanto, vel tanto numero fuerint productæ, ad ſolum ipſius naturę authorē eſt referendum. Itaque ſi ex ipſis entitatis gradibus, aut ex ſimplicibus corporibus quidpiam in Vniuerſo defuiſſet, miraculum, & quidem grande cenſendum foret; imo ſat diceretur probabiliter, quod eſſet Vniuerſum aliud ſpecie diſtinctum ab vniuerſo iſto, quod ſuit de facto productum. At ſi ſpecies aliqua, ex ijs quæ productæ ſunt, defuiſſet, ſiue in natura ſpirituali, & immortali, ſiue in natura corporea, & corruptibili, neque vllum eſſet miraculum, neque naturalem Vniuerſi ordinem immutaret. Nam quod ex tot Angelorum millibus vna deeſſet ſpecies, aut quòd ex tot ſpeciebus corporeis, & ſenſibilibus vna dematur, vel altera, quid obſecro ad naturalem Vniuerſi referret ordinem? Sed hoc ad liberam authoris naturæ diſpoſitionem pertinuit. Ex his conſtat, quod exemplum illud ſecundum non eſt ad propoſitum: Quia ille ordo numericus ſpecierum, ſeu indiuiduorum non naturalis eſt, ſed merè liber. Miſſum facio, quod licet cenſeretur naturalis, non in eo tamen ſenſu, in quo propria paſſio dicitur emanare à proprio ſubiecto, quod ipſam naturali effluxu producit, & ſi non actione noua, & diſtincta ab ea, qua ipſum ſubiectum producitur, & ob id propria paſſio dicitur comproduci ad productionem ſubiecti; quæ ſanè emanatio, & effluxio propriæ paſſionis eſt modis omnibus naturalis, atque adeo omnimodam habet determinationem ad vnum. At naturalitas, quæ eſt in ordine vniuerſi, quantum ad actualem ſui exiſtentiam, per ſe pendet à liberrima ipſius naturę authoris voluntate.

Solutio alia poſſet his duobus poſtremis argumentis aſſignari, quæ aliquali cum apparentia ipſorum vim euaderet: quæ in hunc habet modū. Quod ſi effluxus gratiæ in Chriſti animam, quo ex Verbo humanitati coniuncto naturaliter emanauit ſuæ relinqueretur naturæ, ad gratiam in ſummo gradu cōſtitutam terminaretur: at de facto ob id non iſtum attigit gradum, quia Deus ita diſpoſuit, & limitauit naturalem gratiæ habitualis emanationem ad certum intenſionis terminum. Sicut naturalem lucis ex eſſentia Solis effluxum potuiſſet Deus ſi vellet limitare ad intenſionis gradū minorem eo, in quo emanauit de facto. Omnis etenim naturalis cauſalitas ſupremæ omnium cauſæ, diuinæ ſcilicet voluntati, & potentiæ ſubditur, ab eaque poteſt limitari, & coarctari. Verum huic ſolutioni, quæ primo aſpectu tam apparet probabilis, duo obſtant, quæ illam minus reddunt probabilem.

Primum eſt. Quod ex hac ſolutione ſequitur naturalem effluxum habitualis Chriſti gratiæ ex propria ſui ratione terminari ad infinitæ intenſionis gradū: quod inde conſtat, quod gratia, vt præſuppoſuimus paulo ante in hac eadem quæſtione non habet ſummum ſuæ poſſibilis intenſionis gradum infinitum; eo quod ſua natura in infinitum intendi poteſt. At cum infinitus intenſionis gratiæ gradus nequeat per abſolutam etiam Dei potentiam effici; nullatenus intelligi valet, quod ſit actio aliqua, ſeu emanatio, quæ ſua natura ſit productiua gratiæ in ſummo gradu intenſionis, Nam cum effectus eſt ſimpliciter impoſſibilis, actio etiam talis effectus productiua cenſeri quoq; debet impoſſibilis. Et augeo huius primi inconuenientis vim. Nam ſupponamus, quod Deus reliquerit illam gratiæ habitualis ex vnione hypoſtatica emanationem ſuæ naturæ, nullamque ei limitationem induxerit (quod certè non eſt cur impoſſibile cuiquam videatur) tunc fatendum eſſet habitualem Chriſti gratiam in gradu infinitæ intenſionis fuiſſe productam. Sed cum gradus iſte ſit ſimpliciter impoſſibilis, manifeſta ibi interueniret cōtradictio, nimirum, quod eſſet infinita gratiæ intēſio, & quod infinita non eſſet.

Secundum, quod prædictæ obſtat ſolutioni eſt. Quod vt dudum probauimus, Si Chriſti gratiæ emanatio ex Verbo humanitati vnito eſt naturalis, Nulla eſſe poteſt neque in ipſo diuino Verbo, neque in tota Trinitate poteſtas, quæ ipſam valeat impedire, ſuppoſita verbi ad humanitatem vnione. Vt paulo ſuperius oſtendimus. Et eadem prorſus eſt ratio de limitatione. Nam cauſa, quæ poſſet gratiæ effluxum ad certum intenſionis gratiæ terminum limitare, poſſet etiam ipſum gratiæ effluxum totaliter impedire.

Quarto probatur concluſio. Omnis proprietas, quæ per ſimplicem emanationem oritur in aliquo ſubiecto, neceſſarium eſt procedat ex aliqua forma, quæ habet rationem principij formalis effectiui in tali ſubiecto, ſed non eſt aſſignabilis in Chriſto aliqua forma, quæ habeat rationem formalis principij effectiui gratiæ habitualis: ergo, &c. Probatur mai. Verbum non habet rationem formæ, quia non vnitur humanitati per modum formæ, ſed per modum termini tantum terminantis, & complentis dependentiam humanæ naturæ cui vnitur. Neque vero vnitur in ratione formalis principij effectiui, quoniam virtus effectiua communis eſt toti Trinitati, & ex æquo ſe habet ad tres diuinas perſonas: atque adeo vnio ex æquo terminaretur ad totam Trinitatem, quod eſt fidei contrarium. Præterea, humana natura non eſt forma, quæ habeat vim effectiuam gratiæ. Diuinitas etiam non poteſt eſſe principium, ex quo immediatè effluat in anima Chriſti habitualis gratia. Quoniam diuinitas non vnitur immediatè humanitati, ſed mediante perſonalitate verbi. Vnde ſi perſonalitas verbi non eſt immediatū principium emanationis gratiæ, diuinitas non habebit rationem mediati principij eiuſdem emanationis. Ergo nullum eſt aſſignabile formale principium gratiæ in Chriſto.

Confirmatur. Si diuinitas eſt immediatum principium

cipium emanationis gratiæ,& non mediatum ratione perſonalitatis verbi: Sequitur, quod illa emanatio immediatè ſit tribuẽda toti Trinitati,& ex æquo tribuatur Patri, Verbo,& Spiritui ſancto: quoniam ea quæ immediatè competunt naturæ diuinę,& non ratione alicuius perſonalitatis, ex æquo competunt tribus perſonis diuinis. Hoc autem non eſt admittẽdum, quoniam qui docent gratiam reſultare per ſimplicem emanationem, neceſſarium eſt dicant, quòd reſultat non immediatè à tota Trinitate, ſed ex diuino verbo, ad quod terminata fuit vnio hypoſtatica. Etenim reſultantia gratiæ prouenit, ſi qua eſt, ex vi hypoſtaticę vnionis. Et ab ipſo primario vnionis termino. Reſpondent quidam Theologi è quibus vnus eſt Mag. Medina, quod gratia reſultat ex humanitate non abſolutè conſiderata, ſed prout eſt eleuata ad eſſe perſonale verbi: Sicut virtutes, inquit, infuſæ charitas, iuſtitia, &c. per ſimplicem reſultantiã oriuntur ex anima hominis iuſti, non abſolutè, ſed prout eſt eleuata per gratiam habitualem. Hæc tamen ſolutio etiam deficit in duobus.

Primo, in eo, quod dicit, virtutes infuſas reſultare ex eſſentia animæ eleuatæ per gratiam, hoc enim eſt falſum, quoniã eſſentia animæ nihil confert ad hanc emanationẽ, vnde tota reſultantia virtutum tribuenda eſt gratiæ inhærenti animæ.

Secundo deficit in eo, quod gratia eſt verè forma actuans eſſentiam animæ, atque adeo poteſt optimè habere rationem principij formalis effectiui comparatione ad virtutes infuſas. At diuinum verbum, ad cuius eſſe perſonale eleuatur humanitas, non vnitur humanitati in ratione formæ, neque illud eſſe, quod humanitas ſuſcipit a verbo, rationem habet principij formalis effectiui, ſed eſt tantum eſſe perſonale terminatiuum, & completiuum humanæ naturæ, ſupplens in ea vicem propriæ perſonalitatis. Vnde ſicut eſſe perſonale, quod humanitas Chriſti poſſet ſuſcipere à propria perſonalitate, non eſſet formale principium effectiuum alicuius qualitatis naturalis, neq; per propriam actionem, neque per ſimplicem reſultantiam: ita eſſe perſonale, quod ſuſcipit à verbo, nullius qualitatis ſupernaturalis poteſt eſſe formale principium effectiuum: Et ex hac doctrina ſoluitur argumentum, quod quidam magnificant pro contraria ſententia, videlicet, quod virtus operandi ſequitur eſſe rei: ergo verbũ eo ipſo quod tribuit humanitati eſſe ſupernaturale, tribuit etiam virtutem ad operandum ſupernaturales actiones, quæ virtus eſt ipſamet gratia, quatenus radix eſt omnium ſupernaturalium habituum, & actionum.

Reſpondetur ex dictis, quod virtus operandi ſumitur ex eſſe formali rei, & non ex eſſe perſonali tantum, quia tota operatio rei, & virtus operatiua ex principio formali penſatur, & ex forma rei oritur.

Quinto probatur concl. Si gratia ſimplici emanatione reſultat ex vnione hypoſtatica eius emanatio referenda eſt ad verbum, prout eſt ſuppoſitũ humanæ naturæ, ſed hac ratione verbum nequit eſſe principium gratiæ: ergo, &c. Maior patet, quoniam verbum prout ſuppoſitũ eſt humanæ naturæ, eſt primarius terminus vnionis hypoſtaticæ: Ergo terminus ſecundarius eiuſdem vnionis, ſcilicet gratia, referri debet ad verbum ſecundum hanc rationem: terminus enim ſecundarius actionis alicuius dimanat à termino primario, ea ratione, qua eſt primarius terminus. Min. probatur. Diuinum verbum, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, nihil efficit niſi iuxta proportionem ipſius humanæ naturæ, cuius eſt ſuppoſitum. Ergo cum natura humana nullam habeat ex ſe vim productiuam gratiæ, eius emánatio nõ poteſt referri ad verbum, vt ad principium effectiuum, prout eſt ſuppoſitum humanæ naturæ.

Vltimo tandem noſtram ſententiam probabilis hæc confirmat ratio. Habitualis Chriſti gratiæ productio, ſecundum ſacrarum literarum accõmodationem non diuino verbo, ſed Spiritui ſancto tribuitur: at ſi gratia naturali dimanatione à verbo naturę humanæ hypoſtaticè coniuncto effluxiſſet, ipſi potius verbo, quam Spiritui ſancto eſſet accomodanda. Veroſimilis ergo ſit coniectura eam haudquaquam ex hypoſtatica vnione naturali dimaoatione proceſſiſſe. Minor apparet manifeſta, ea enim, quæ à Dei filio procedunt, vt eſt ſuppoſitum humanitatis, non Patri, aut Spiritui ſancto accommodantur, ſed ipſi dumtaxat diuino tribuuntur verbo. Maior vero propoſitio probatur Luc. 1. Virgini interroganti Gabrielem de modo incarnationis filij Dei: ita reſpondit Angelus, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c.* Et ſubiungit continuo. *Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*. Quaſi diceret, eius ſanctitas ſecundum humanam formam à Spiritu ſancto incarnationis authore proueniet: Hoc enim deſignat illa dictio, *Ideoque*. Huc attinet, quod D. Th. 3. p. quæſt. 7. art. 13. in prima ratione corporis articuli docet, quod in incarnationis myſterio, principium vnionis eſt perſona filij naturam aſſumens humanam. Principium vero habitualis gratiæ eſt ipſe Spiritus ſanctus. Et ex hoc colligit, quod gratia vnionis præceſſit naturæ ordine habitualẽ Chriſti gratiam, quia miſſio perſonæ filij prior eſt miſſione Spiritus ſãcti, ſicuti filius prior eſt origine Spiritus ſancti perſona. Ecce apertam Doctoris Angelici mentem, ex qua conſtat habitualem Chriſti gratiam ſpeciali accommodatione fore Spiritui ſancto attribuendam.

Ex omnibus, quæ tam latè diximus breui oportet compendio reſoluamus, habitualem gratiam, quam charitas, & cætera ſpiritualia comitata fuere charismata, collatam fuiſſe Chriſti humanitati per ſpecialem Sanctiſſimæ Trinitatis actionem, ab illa diſtinctam, per quam facta fuit ſubſtantialis vnio. Colligitur non obſcurè ex dictis conſectarium iſtud, quoniam ſi ex ipſa ſubſtantiali vnione, ſeu quod idẽ eſt, ex diuino verbo humanitati hypoſtaticè vnito, qui primarius fuit actiuæ vnitionis terminus, non emanauit habitualis gratia per ſimplicem reſultantiam, neceſſum eſt dicamus, eam fuiſſe in Chriſti animã effectam, ipſique diuinitus infuſam, per aliam Dei actionem ab vnitione diſtinctam: quæ cum fuerit actio Dei ad extra, non potuit non eſſe libera, totiq; Trinitati communis.

Sed aduertendum eſt, quòd hæc noua Dei actio, ſuppoſita gratia vnionis, non minus fuit debita, & veluti connaturalis ipſi Chriſti humanitati, atq; fuit ei connaturalis, & debita ipſa habitualis gratia. Itaque miraculum eſſet in ordine gratiæ, ſi Deus nouã actione non infudiſſet Chriſti animæ hanc ſanctificãtem gratiam. Et hoc eſt, quod dicebat Cyri. paulo

ante

ante citatus, Chriſtum accepiſſe Spiritus ſancti chariſmata, non vt aduentitia, ſed vt ſua, & propria, id eſt, vt ſibi iure cõnaturalitatis debita, & per actionem eodem iure ipſi debitam. Neque enim tollit huiuſmodi connaturalitatis debitum libertas ipſius actionis. Cuius rei ex ordine naturæ manifeſtum poteſt afferri exemplum. Motus circularis cœleſtis orbis connaturalis eſt, & debitus ipſi cœleſti corpori, non ita quidem quod vt propria paſſio ab eius eſſentia per ſimplicem effluentiam dimanet, vt doctè S. Thom. aduertit q. 5. de potentia art. 5. ſed noua actione ab extrinſeca intelligentia mouetur cœleſtis orbis, quæ actio quamlibet extrinſeca ſit, imo voluntaria, & libera, debita nihilominus eſt cœleſti corpori, ipſo connaturalitatis iure. Vnde ceſſatio huius actionis non poterit non eſſe miraculoſa. Huc etiã attinet exemplum à quibuſdam Theologis allatum de ſpeciebus intelligibilibus intellectui Angelico ab Authore naturæ inditis, quæ vt bene probat Franc. Ferr. lib. 2. contra Gent. cap. 98. non per ſimplicem reſultantiam ex ipſa Angelica natura promanarunt (& ob id nequeunt propriæ paſſiones Angelicæ naturæ vocari, niſi lata quadam, & abuſiua appellatione) ſed ſpeciali Dei Authoris naturæ actione, eaque voluntaria, & libera producuntur, quę tamen actio connaturalitatis iure Angelicæ naturæ debetur.

§. 6. *Quarta Concluſio.*

CHriſtus Dominus proprium eſt, & per ſe gratiæ habitualis ſubiectum. Volo dicere in hac concluſione, quod Chriſto qua ratione, eſt Deus homo, per ſe competit habitualis gratia, & iure connaturalitatis illi debetur; & quod gratiæ habitualis naturæ valde proportionatum eſt, & connaturale hoc ſubiectum. Prior pars, nimirum, quod Chriſto per ſe cõpetat gratia ex dictis circa cõcluſionem præcedentẽ ſatis conſtat, & conſtabit amplius ex dicendis infra in hac quæſtione, cum argumenta primum, & ſecundum diſſoluerimus. Poſterior vero pars, puta, quod Chriſtus ſit proprium gratiæ ſubiectum eius naturæ maximè proportionatum, & connaturale. Probatur primo. Gratia, vt ex doctrina S. Thom. ſuperius retulimus connaturalis eſt Chriſto, & ſe habet ad verbum humanitati vnitum: vt ſplendor ad lucem: Ergo & ipſe Chriſtus proprium eſt ſubiectum, & connaturale gratiæ. Probatur conſequentia, quia nulla poterit afferri inſtantia, qua conſtet, quod illa qualitas, quæ connaturalis eſt alicui ſubiecto, non vendicet ſibi illud niſi ſubiectum tanquam ſibi magis proprium, & connaturale. Neque quidquam efficit inſtantia qua vtuntur nonnulli ex calore naturali animalis. Animali, inquiunt, per ſe competit calor, calori autem per accidens eſt ineſſe animali, nam proprium eius, & connaturale ſubiectum eſt ignis. Hæc inquam inſtantia nihil efficit, tum quia animali non per ſe competit calor abſolutè in ratione caloris, ſed calor vitalis proportionatus animalis vitæ, quem calorem animalem vocare ſolemus: calor autem animalis etiam per ſe reſpicit ipſum animal tanquam ſibi proprium, imo & neceſſarium ſubiectum. Tum etiam quoniam animal vendicat ſibi calorem ex inferiori natura elementali participatum, vt vtatur ipſo tanquam inſtrumento neceſſario ad ipſas animalis vitæ actiones: at gratia non conuenit Chriſto, vt ex aliqua inferiori natura in ipſo participata, ſed potius, vt participatio diuinitatis, quæ ſecundum plenitudinem habitat in Chriſto: Vnde gratia non fuit data humanitati Chriſti, eo ſolum, vt eſſet diuinitatis inſtrumentum ex aliena natura aſcitum, ſed vt qualitas ipſi diuinitati connaturalis, id eſt, eiuſdem ordinis cum ipſa, ac proinde eiuſdem ordinis cum Chriſto ratione diuinitatis. Vnde propter hanc connaturalitatem inter gratiam, & Chriſtum: & gratia per ſe competit Chriſto, & Chriſtus proprium eſt, & connaturale ſubiectum gratiæ. Quæ ratio connaturalitatis inter animalis vitam, & calorem, non reperitur.

Secundo probatùr concluſio quo ad eamdem poſteriorem partem. Illud eſt proprium alicuius qualitatis ſubiectum, in quo ipſa qualitas omnem habet ſuę perfectionis plenitudinem, & ad omnes ſibi proprios, & connaturales effectus extenditur, hac enim ratione Sol proprium eſt lucis ſubiectum, quia lux in Sole eam omnem ſortitur perfectionem, quæ ſecundum ordinem naturæ ipſi luci poteſt competere, & quia ad omnes effectus ſibi poſſibiles ſe extendit: & ob ſimilem cauſam ignis proprium eſt caloris ſubiectum. Sed gratia habitualis in Chriſto omnem habet gratiæ plenitudinem, & ad omnes eos effectùs ſe extendit, ad quos gratia intra totum genus gratiæ poteſt pertingere, vt docuit S. Tho. 3. p. q. 7. ar. 9. & conſtabit ex dicendis in ſequenti argumẽto, & in q. ſeq. explicabitur amplius: ergo vera eſt noſtra concluſio.

Tertio probatur. Gratia in Chriſto habet omnes effectus ſibi poſſibiles, & multos quos in alio ſubiecto habere non poteſt. Et illi effectus continentur intra ordinem gratiæ, & intra genus eius: Ergo Chriſtus eſt proprium, & natiuum ſubiectum gratię. Probatur minor, in qua eſt difficultas. Gratia in Chriſto tria habet, quæ ipſi in alio ſubiecto competere nequeunt. Primum, quod diſponit humanitatem diſpoſitione concomitante ad vnionem cũ verbo. Secundum quod eſt principium meriti infiniti. Tertium, quod eſt ſubiectum infinitæ ſatisfactionis, & rigoroſæ. Sed hæc tria continentur intra rationem, & genus gratiæ: ergo, &c. Probatur. Et primo de diſpoſitione ad vnionẽ. Vltimus, & proprius finis gratiæ, vt docet S. Thom. 3. par. q. 7. art. 12. eſt vnire creaturam rationalem cum Deo. Et hinc fit, quod vnio diuinæ eſſentiæ cum intellectu beati per modũ ſpeciei intelligibilis eſt magna perfectio gratiæ, & eius naturæ valde proportionata, quoniã eius finis eſt vnire: Ergo quod ſit diſpoſitio ad hypoſtaticam vnionem verbi cum humanitate, clauditur ſub fine proprio gratiæ, atque adeo pertinet ad ipſius gratiæ naturam.

Confirmatur, gratia eatenus eſt diſpoſitio humanitatis ad vnionem cum verbo, quatenus eleuat ipſam humanitatem, & conſtituit eam eiuſdem ordinis diuini cum verbo. Hæc autem ratio propria eſt, & natiua gratiæ: ergo, &c. Secundo, idipſum probo de merito, & ſatisfactione: Gratia ex ſua natura habet eſſe principium meriti ſupernaturalis, & ſatisfactionis. Ergo quod in Chriſto eleuetur gratia ad hoc quod ſit principium proximum meriti perfectiſſimi, & exactæ ſatisfactionis, ad perfectionem gratiæ

ipſi connaturalem pertinet.

Sed contra iſtam concluſionem ſunt quædam argumenta. Et primum probo gratiam non eſſe connaturalem Chriſto ad modum proprietatis naturalis. Nam ſequeretur, quod concedenda eſſet iſta propoſitio, ſcilicet, Chriſtus eſt per eſſentiam gratus habituali gratia. Sicut conceditur iſta, Sol eſt lucidus per eſſentiam, conſequens eſt falſum: ergo, &c. Probo minorem. Chriſtus non eſt cauſa totius gratiæ, gratia enim Angelorum, & gratia Prothoparentis in ſtatu innocentiæ, iuxta ſententiam valde probabilem, non fuit collata per Chriſtum. At qui eſt gratus per eſſẽtiam, debet eſſe cauſa formalis totius gratiæ, ſicut Sol eſt fons totius lucis, & ignis totius caloris: & ratio eſt manifeſta, quia id, quod eſt per eſſentiam tale, eſt cauſa omnium illorum, quæ ſunt talia per participationem: ergo, &c.

Secundo. Gratia ex propria ſui ratione habet conſtituere habentem ipſã filiũ Dei adoptiuum, ſed Chriſtus non eſt capax filiationis adoptiuæ, vt q. t. diximus: Ergo non eſt proprium, & connaturale ſubiectum gratiæ. Maior apparet nota, quia gratia omnem hominem iuſtum præter Chriſtum conſtituit adoptiuum Dei filium, & hoc non conuenit gratiæ ex aliquo extrinſeco priuilegio, & extrinſeca Dei acceptatione, vt falsò commentantur quidam Theologi, ſed ex propria ſua natura habet hunc effectum, eo quod eſt formalis quædam participatio diuinæ naturæ. Conſequentia probatur, nam proprium ſubiectum alicuius formæ, eſt illud, in quo forma poteſt ſe explicare in omnẽ effectum ſibi connaturalem, vt exemplis adductis de luce, & calore conſtat. Et ratio aperta ſuffragatur huic doctrinæ, quia ſubiectum proprium, & connaturale formæ, eſt ſubiectum adequatum ipſi formæ, id eſt, illud ſubiectum in quo forma explicat ſe in omnem ſuam virtutem: ergo, &c.

Tertio contra tertiam rationem factam pro concluſione arguitur. Meritum perfectum, & infinitum & ſimiliter ſatisfactio rigoroſa, important rationes repugnantes gratiæ: Ergo non continentur intra genus gratiæ, atque adeo ruit illa ratio, quæ eſt præcipuum fundamentum concluſionis. Probatur antecedens: gratia ſecundum rationem gratiæ tollit rigorem iuſtitiæ in merito, & in ſatisfactione, nam meritum, quod fundatur in gratia, nequit habere perfectam rationem iuſtitiæ, quia gratia in qua fundatur id non permittit. Et ſimiliter eſt dicendum de ſatisfactione. Et ob hanc cauſam, etſi homines iuſti mereantur de condigno, & condignam Deo ſatisfactionem offerant pro peccatis, non tamen ibi interuenit exacta iuſtitia: Ergo meritum Chriſti qua ratione perfectum eſt, & rigoroſæ iuſtitiæ, non pertinet ad naturam gratiæ, quin potius videtur deſtruere ipſam aliqua ex parte: quia quanto magis fuerit de iuſtitia, tanto minus erit de gratia, & idem eſt iudicium de ſatisfactione rigoroſa: ergo malè dicitur, quod iſta fundantur in gratia.

Ad primum argumentum reſpondetur. Poſſe negari Chriſtum debere dici gratum per eſſentiam, eo quod gratia non ſequitur ad eius eſſentiam, neque eſt ei connaturalis ratione eſſentialis formæ, ſed tantum ratione ſuppoſiti. In quo magnum verſatur diſcrimen, inter gratiam per comparationem ad Chriſtum, & lucem comparatam ad Solem. Nam lux ſequitur formalem eſſentiam Solis, & ſimiliter calor eſſentiam ignis. Vnde dicebamus ſuperius, quod gratia eſt accidens proprium Chriſto, non ſpecificum, neque indiuiduale, ſed perſonale dumtaxat.

Secundo reſpondetur. Quod tranſeat Chriſtum appellandum eſſe gratum per eſſentiam. Ad impugnationem dicitur. Quod gratia Chriſti, quantum eſt ex ſe, potuit eſſe cauſa cuiuſcumque gratiæ, & Angelorum, & primi parentis, quod autem non habuerit rationem cauſæ reſpectu gratiæ Angelorum, prouenit ab extrinſeco, videlicet, ex diuina prouidentia, qua diſpoſitum fuit, vt Chriſtus veniret in remedium peccati, alias non venturus. Hæc ſolutio inde maiorem accipit probabilitatem, quod habitualis Chriſti gratia ſecundum eſſe phyſicum, non eſt cauſa principalis gratiæ, & ſanctitatis in ceteris hominibus, ſed per modum cauſæ moralis dũtaxat, nimirum, prout Chriſti merita, & ſatisfactio omnis ex ipſa gratia vim omnem, & efficaciam, vt à proximo principio hauſerunt. Vt inferius probabitur. Moralis vero cauſalitas variationem multam ex Dei prouidentia admittit.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod gratia ex ſua natura habet, conſtituere habentem ipſam Dei filium, ſiue naturalem, ſiue adoptiuum. Si ſubiectum habens gratiam fuerit ſecundum ſe extraneum à natura diuina gratia conſtituet illum Dei filium adoptiuum, & id quidem formaliter: Si autem fuerit naturalis Dei filius, vt eſt Chriſtus, cõſtituet illum filium Dei naturalem, non quidem formaliter, ſed diſpoſitiuè diſpoſitione concomitante: Et quidem multo perfectius eſt, & connaturalius gratiæ, quod per modum diſpoſitionis conſtituat naturalem Dei filium, quam quod formaliter conſtituat filios Dei adoptiuos. Imo neq; neceſſarium eſt, vt filium Dei vel adoptiuũ, vel naturalem ipſum habentem conſtituat. Nam vt dicebam ſuperius. Si Spiritus ſanctus humanitatem gratia habituali exornatam aſſumeret, neque naturalis, neque adoptiuus Dei filius cenſeretur. Sed ſecundum quod Spiritus ſanctus eſſet Deus eſſentialiter. Secundũ vero, quod homo eſſet quidem per gratiam vnionis Deus etiam eſſentialiter, & ad hoc concurreret habitualis gratia per modum concomitantis diſpoſitionis. Eſſet autem per gratiam habitualem Deus participatiuè, quam participationem formaliter conferret habitualis ipſa gratia.

Ad tertium reſpondetur, quod iuſtitia rigoroſa meriti, aut ſatisfactionis exactæ non repugnat gratiæ. Fateor quidem quod non conuenit ei eſſe principium meriti rigoroſi, aut ſatisfactionis perfectæ, niſi quando ipſa gratia fuerit debita, & connaturalis merenti, & ſatisfacienti. Itaque iuſtitia exacta ſatiſfactionis, aut meriti pugnat cum gratia non debita, & quæ non eſt connaturalis merenti, & ſatisfacienti, non autem abſolutè repugnat gratiæ. Sed dicet quis. Quod gratia ſit debita, tollit rationem gratiæ, nam quod ex debito datur, non eſt gratuitum donũ: Ergo hæc ſolutio ſupponit falſum, videlicet, quod gratia nequit eſſe debita. Quidam reſpondent huic argumento, quod gratia nequit eſſe debita ex debito iuſtitiæ, quod habeat ortum ex operibus meritorijs, nam ſi ex operibus gratia, iam non eſſet gratia.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum ratio debiti connaturalitatis non deſtruit naturam gratiæ. Hæc ſolutio mihi diſplicet, nam impropriiſſimè appellatur gratuitum donum, id quod debitum eſt ſubiecto debito connaturalitatis. Quis enim dicet, quod riſibilitas eſt donum gratuito collatum humanæ naturæ, cum debeatur homini ex iuſtitia naturali, etſi non ſit debita ex aliquo debito morali in bonis operibus fundato.

Reſpondent alij, quod gratia collata humanitati Chriſti fuit quidem illi debita connaturalitatis debito, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſuppoſitione facta, ſcilicet ſuppoſita gratia vnionis: atque adeo ſimpliciter habitualis gratia retinet rationem gratuiti doni, & ſecundum quid eſt debita.

Hæc ſolutio veriſſimè quidem ſaluat rationē gratiæ, & doni gratuiti, in gratia Chriſti habituali: non tamen ſaluat rationem perfecti, & rigoroſi meriti in operationibus Chriſti. Nam iuxta hanc ſolutionem totum Chriſti meritum fundatur in liberalitate, & in gratia Dei facta humanitati, ſcilicet in gratia vnionis. Meritum autem, quod in liberalitate fundatur, nequit eſſe rigoroſum meritum. Vnde reſpondetur argumento. Quod gratia habitualis Chriſti poteſt comparari, & ad humanitatem Chriſti, quæ eſt proximum ſubiectum ipſius gratiæ, & ad totum Chriſtum, qui eſt eius ſubiectum, quod & totale, Comparata ad humanitatem habet pleniſſimam rationem gratiæ, quia non eſt debita humanitati abſolutè aliquo debito. Dixi abſolutè, quia ex ſuppoſitione, ſcilicet ſuppoſita gratia vnionis, debetur illi gratia habitualis, ſed hoc eſt debitum ſecundum quid, nam totum reducitur ad gratiam vnionis, quæ eſt maxima gratia. Comparata vero ad Chriſtum, habet quidem rationem cuiuſdam diuinæ formæ, non vero rationem gratiæ, eſt enim ſimpliciter debita Chriſto, quia eſt Deus homo: quoniam autem operans, quod meretur, non eſt humanitas Chriſti; ſed Chriſtus, idcirco eius operationes habuerunt perfectam rationem meriti, & ſatisfactionis, quia ratio meriti, & ſatisfactionis Chriſti, non reducebatur ad aliquam gratiam, & liberalitatem exhibitam Chriſto à Patre. Etenim Chriſtus, prout diuinum importat ſuppoſitum, non eſt capax, vt ei donum aliquod, aut beneficium exhibeatur.

§.7. *Vbi diſſoluuntur argumenta propoſita initio articuli.*

AD argumenta in principio. Ad primum, & ſecundum reſpondetur his argumentis tantum conuinci, veram eſſe illam noſtram concluſionem, qua ſtatuimus gratiam eſſe connaturalem, & debitam Chriſto. Ex quatuor autem capitibus ſumitur iſta connaturalitas. Prima eſt, quia gratia in Chriſto prouenit à principio intrinſeco, ſcilicet à diuinitate, quæ eſt intra ipſum Chriſtum. Diuinitas enim verbi cauſauit habitualem gratiam, in humanitate ipſius Chriſti, id autem, quod eſt à principio intrinſeco, merito appellatur naturale. Secunda, quoniam gratia ſimul fuit data Chriſto cū humanitate, ita quod infuſio gratiæ ſe habuit quaſi concomitanter ad ipſam Chriſti generationem. Id autem, quod ſimul cōuenit cum natura, ſolet naturale vocari qua ratione peccatum originis vocatur quandoque naturale, iuxta illud Paul. ad Epheſ. 2. *Eramus natura filij iræ.* Iſtæ duæ rationes ſatis oſtendunt gratiam habitualem non impropriè dici connaturalem Chriſto; non tamen ex eis colligitur, quod gratia ſit debita humanitati Chriſti aliquo connaturalitatis debito. Quocirca aliæ duæ rationes ſunt, ex quibus conſtat iſtud debitum. ſit ergo.

Tertia ratio. Chriſtus conceptus eſt ex Spiritu ſancto: ita quod conceptio Chriſti quantum ad præparationem materiæ in vtero Virginis, & quantum ad vnionem animæ rationalis cum tali materia ſic præparata, ſpecialiter attribuitur Spiritui ſancto. Vt autem Spiritus ſancti operatio eſſet perfecta, qualis eſt omnis operatio Dei, (*nam Dei perfecta ſunt opera*) Deute. 32. Non debuit ſiſtere in ſola præparatione, & mundatione materiæ, & in ipſa rationalis animæ infuſione: ſed conueniens maxime fuit, vt ipſam quoque ſpiritualem animæ munditiem attingeret, perfectamque eius ſanctificationem per gratiam, & charitatem, & per reliqua Spiritus ſancti chariſmata effectam. Vnde ex ipſo conceptionis Chriſti effectiuo principio, connaturalis fuit Chriſto habitualis gratia cæteris ſupernaturalibus aſſociata donis. Hæc ratio colligitur ex illo Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, & poſt pauca ſubditur, *ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, &c.* Quo loco Angelus ſanctitatem Chriſti naſcituri, ad virtutem Spiritus ſancti ſuperuenientis, tanquam ad propriam reuocat cauſam. Illud enim verbum, *ideoque*, cauſalitatem importat.

Quarta ratio eſt illa, quam primo loco S. Thom. aſſignat, 3. p. q. 7. ar. 1. Et tota ad hoc reducitur. Humanitas in Chriſto eſt ſumma, & maxima vnione vnita verbo, quod eſt ipſum fontale totius gratiæ principium. Ergo debitum ipſi fuit, vt ex præſentia verbi coniuncti habitualē ſuſciperet gratiā in ſūmo & totam eius plenitudinem. Ad hanc rationem reducitur alia, quæ communis eſt inter Theologos fundata in illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, nimirum, quòd quia Chriſtus eſt naturalis Dei filius, debita fuit eius humanitati omnis plenitudo gratiæ, vt magna cum dignitate, ac ſumma cum decentia, & humanitas eſſet ſubſtantialis filij Dei natura, & ipſe Dei filius verum ipſius humanitatis ſuppoſitum. Ad ipſumque Dei filium, qua ratione eſt ſuppoſitum humanæ naturæ, attinebat, ipſam omni ſupernaturali munere, cuius eſt capax, magna cum gloriæ acceſſione ornare, & perficere.

Circa ſecundum argumentum ſpecialiter eſt notandum. Quod ex illo exemplo adducto à S. Thom. videlicet, quod ſicut ad præſentiam Solis naturaliter conſequitur lumen in corpore diaphano, ita in humanitate Chriſti, quæ capax eſt gratiæ, & diuini ſplēdoris, ad præſentiam verbi, quod eſt ipſa eſſentialis lux, naturaliter fuit in humanitate conſequuta gratia, quæ eſt diuinum quoddam, & ſupernaturale lumen à lumine eſſentiali diuino participatum.

Notādum inquam eſt, quod ex iſto exemplo colligitur id, quod nos in reſolutione quæſtionis diximus. Gratiam nimirum non effluxiſſe per ſimplicem reſultantiam in humanitatem Chriſti ex præſentia diuini verbi: ſed productam fuiſſe noua Dei actione ab vnione hypoſtatica diſtincta: Etenim

pro-

productio lucis in corpore diaphano, non eſt ſimplex emanatio lucis ab eſſentia Solis, ſed eſt noua, quædam actio diſtincta à creatione Solis, per quam ipſe Sol effectiuè producit lumen, neque ipſum productum lumē propria paſſio eſt, & proprietas Solis. Eſt autem diſcrimen inter lumen comparatū ad Solem, & gratiam ad verbum, quod lumen neceſſitate naturali producitur à Sole, quia Sol eſt cauſa purè naturalis. Gratia vero producitur à diuino verbo in humanitate per actionem ſimpliciter liberam. Quamuis, vt ſupra dixi, hæc actio libera induit rationem actionis naturalis in ordine gratiæ, quatenus fuit humanitati Chriſti debita, ſuppoſita vnionis gratia.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quod ſi antecedens intelligatur in genere cauſæ formalis, falſum eſt, & negandum: Verbum enim diuinum non fuit humanitati vnitum in ratione formalis principij effectiui gratiæ, aut cuiuſuis alterius effectus, ſed in ratione tantum ſuppoſiti terminantis, & complentis dependentiam illam, qua humana natura pendet à proprio ſuppoſito, cuius vicem eminenti quodam, & ineffabili modo gerit diuinum verbum. Si autem in genere finalis, vel quaſi finalis cauſæ, illud antecedens intelligatur, veriſſimum eſt, & concedendum: quoniam verbum ob id fuit humanitati ſuppoſitaliter vnitum, vt eam ſanctificaret, & per ipſam ſanctificatam tanquam per coniunctū diuinitatis inſtrumentum nos redimeret, & ſanctificaret. Ob quam cauſam in ſacris literis, cum Chriſtus humani generis futurus ſaluator prænunciatur, præmittitur quam ſæpius aliquid deſignans Chriſti ſanctitatem, & iuſtitiam. Ita Matth. c. 1. priuſquam Angelus, qui Ioſeph apparuit in ſomnis, prædiceret illi, quod Ieſus ex Virginis vtero naſciturus, populū ſuum ſanctificaturus erat, & à peccatis liberaturus, præmiſit hæc verba, *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, id eſt, ſanctificatum, & ſanctū ex vi ſuæ conceptionis, quia conceptio ex Spiritu ſancto facta, nō poterat non eximiam ſanctitatem proli conceptæ afferre. Quod apertius ipſe explicuit Angelus Virginem ſanctiſſimam alloquens. Luc. 1. *Spiritus ſanctus, inquit, ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*. Id ipſum colligo ex illo Iſa. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur*. De Chriſto hic habetur ſermo, qui prius velut diuinus ſplendor a Sole ex vtero virgineo iuſtus, & ſanctificatus fuit egreſſus, quam in medio populi doctrina, & miraculis coruſcans, nimiaque humani generis charitate, vt lampas accenſus, Saluatoris gereret officium: Et Zach. 9. de aduentu Meſſiæ loquens Spiritus ſanctus, ita inquit. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator*. Primum iuſtus, deinde ſaluator. Et id quidem merito, nam ab immundo quis mundabitur? Vnde Chriſtus Ioan. 17. dicebat. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate*. Sanctificauit ſe primum Chriſtus, ſeipſum hoſtiam ſanctā, & Deo placentem in cruce offerens, vt ſanctificatus ipſe homines ſanctificaret. Non quod Chriſtus ante mortem ſuam non fuiſſet ſanctificatus ſimpliciter, ſed quod tunc eius ſanctificatio omnimodam conſummationem accepit. Quæ conſummatio in duobus conſiſtit. Primo, quod Hoſtia Deo oblata, & ſacrificata, ex vi ſuæ oblationis ſacrata manet, & ſancta, vtpote ſibi dicata, & conſecrata Deo. Secundo, quod Chriſtus dum mortalem egit nobiſcum vitā, ſimilitudinem peccatoris gerebat, ſimilitudinem carnis peccati deferens. Hanc autem peccati effigiē, & ſimilitudinem penitus ipſe depoſuit, cum immortalem, & impaſſibilem carnem glorioſa reſurrectione aſſumpſit. Quam ſane gloriam, & corporis immortalitatem merito ſuæ paſſionis acquiſiuit. Ad Philipp. 2. *Factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum. &c.* Vnde paſſio Chriſti rationabiliter ſanctificatio eius vocatur. Ad hunc fere ſenſum, non incommodè trahi poſſunt verba illa Pauli Rom. 3. *Vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti*, id eſt, vt diuinus Pater iuſtificaret eos, qui ſuis antiquis promiſſionibus de Chriſto venturo per ſectam adhiberent fidem, conueniēs fuit, vt prius ſemetipſum oſtenderet iuſtum, ſuas pollicitationes adimplens.

Sed aduertēdum eſt, quod cum duplex ſit humanitatis Chriſti ſanctificatio. Altera per ipſam vnionis gratiam. Altera per habitualem gratiam facta. Priorem ipſum verbum ſeipſo, & quaſi formaliter humanitati tribuit, nam tota hæc humanitans ſanctitas eſt ipſum verbum quatenus perſonaliter humanitati vnitur. Poſteriorem vero ſanctitatem efficienter verbum in ſua humanitate cauſauit noua, & libera actione, quæ licet accommodatione quadā ſpeciali ipſi verbo tribuatur, toti tamen fuit Trinitati communis, iuxta ſuperius à nobis ſtatuta. Sed iam ad ſolutionem argumenti rediens, aſſero, quod ex eo, quod verbum fuerit humanitati vnitum in ratione principij viuificantis, & ſanctificantis, per modum finalis cauſæ, id eſt, vt eſſet principium viuificatiuum, & ſanctificatiuum, non poteſt, vel etiam apparenter colligi, quod vita ſpiritualis, & ſanctitas, reſultaret per ſimplicem emanationem, aut in nobis aut in ipſa Chriſti humanitate, ſed tantum colligitur, quod eſt proprius effectus verbi humanæ naturæ vniti.

Ad quartum argumentū reſpondetur, quod quando eſt coniunctio formalis inter naturam ſuperiorem, & inferiorem, habet verum id, quod aſſeritur in argumento; ſecus autem eſt, quando eſt coniunctio tantum in eſſe perſonali, qualis eſt humanitatis ad verbum. Quoniam ſuppoſitum, in ratione ſuppoſiti, nullam aliam perfectionem tribuit naturæ ſecūdum ordinem phyſicum, quam terminare, & complere ipſam. Etenim ſuppoſitum non operatur phyſicè ſecundum propriam virtutem, ſed iuxta proportionem naturæ ſuppoſitaliter vnitur. Vnde viſio Chriſti domini, quamuis eliciatur à ſuppoſito infinito, non tamen eſt perfectior viſione alterius hominis habentis potentiam viſiuam in perfectione æquali cum potentia viſiua Chriſti: eo quod tota viſionis perfectio in Chriſto ſumitur per habitudinem, & proportionem ad potentiam viſiuam, & nō ad ſuppoſitum.

Ad vltimum reſpondetur, quod ex gratia habituali, ſeu vt alijs placet, ex anima eleuata per gratiā oriuntur per ſimplicem emanationem ſupernaturales virtutes, & dona Spiritus ſancti. Quoniam gratia

eſt

Digitized by Google

eſt principium formale, & quaſi effectiuum harum virtutum, & vnitur animæ per modum formæ: verbum autem, vt dixi, non vnitur per modum formæ, ſed tantum per modum ſuppoſiti, atque adeo ex eius vnione ad humanitatem, licet reſultet debitum connaturalitatis inter humanitatem aſſumptam, & gratiam, non tamen reſultat ipſa gratia, ſed noua actione eſt producenda.

QVÆSTIO TERTIA.

An Chriſti gratia tanta polleat plenitudine, vt cenſeri debeat infinita.

TOta hæc quæſtio duobus articulis abſoluetur. In primo diſputabitur de plenitudine gratię Chriſti. In ſecundo de eius infinitate. Neque enim eadem eſt ratio infinitatis, & plenitudinis gratiæ Chriſti.

De plenitudine ergo primũ q̃ritur. An ita ſit plena Chriſti gratia, vt augmentũ nequeat ſuſcipere.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ita ſit plena Chriſti gratia, vt augmentum nequeat ſuſcipere.

§. 1. *Proponuntur argumenta pro parte affirmatiua.*

PArs affirmatiua probatur primo. In ſacris literis, gratia Chriſti, & gratia quorundam Sanctorum, ſcilicet B. Virginis, S. Stephani, &c. dicitur plena, vt patet Io. 1. de gratia Chriſti. Luc. 1. de Gratia B. Virg. Act. 6. de gratia S. Stephani, & alia ratione gratia Chriſti dicitur plena, atque gratia aliorum Sanctorum. Hæc autem diuerſa ratio non alia fingi poteſt, quam quod gratia Chriſti habet omnimodam plenitudinem, & ex parte ſubiecti, & ex parte ipſius gratiæ, ita vt augmentum nequeat recipere: ergo, &c.

Secundo probatur ex ſententia expreſſa S. Tho. 3. p. q. 7. Namque in art. 9. loquens de intenſione gratiæ Chriſti dicit, quod *eſt in ſummo, & perfectiſſimo gradu, quo maior eſſe non poteſt*, & art. 10. dicit, *quod gratia, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum virtutem ſumma eſt in Chriſto, ita vt augeri nequeat.* Perfectio gratiæ, ſecundum eſſentiam, comprehendit iuxta mentem S. Thom. ibidem, perfectionem intenſiuam ipſius gratiæ. Et denique ar. 12. apertè docet Chriſti gratiam, neque ex parte ſubiecti, neque ex parte ipſius gratiæ poſſe augeri. Ecce manifeſtam S. Thom. ſententiam.

Arguitur tertio. Gratia ex ſua natura habet terminum intenſionis, vltra quem per nullam potentiam poteſt augeri, ſed Chriſto propter dignitatem ſuam debetur gratia ſecundum omnem poſſibilem intenſionis gradum: ergo de facto Chriſtus recepit gratiam in ſummo gradu intenſionis, vltra quem nequit fieri progreſſus. Maior in qua videtur eſſe difficultas probatur. Primo expreſſa S. Thom. authoritate art. 12. cit. dicit enim, quod *ſicut omnes formæ naturales habent terminum ſuæ perfectionis, vltra quem progredi nequeunt: ita & gratiæ determinatus eſt proprius intenſionis, & perfectionis terminus, vltra quem non ſuſcipit augmentum.* Et confirmat S. Tho. hanc doctrinam ex illo Sap. 11. *Omnia in pondere, numero, & menſura diſpoſuiſti.* Deinde probatur ratione eadem maior præmiſſa. Omnis creatura, eo quod creatura eſt, habet limitatam, & finitam perfectionem, infinitas enim perfectionis repugnat creaturæ: Igitur gratia, ea ratione, qua creatura eſt, ſua natura determinatur ad certum intenſionis, & perfectionis gradum.

Quarto. Si qua ratione gratia non haberet ſua natura determinatum perfectionis, & intenſionis terminum, maxime quia eſt participatio diuinæ naturæ infinitæ, atque adeo ipſa quoque gratia infinitatem habet intrinſecam, ſed hæc ratio parum mouet: ergo, &c. Probatur min. quilibet gradus gratiæ eſt participatio totius naturæ diuinæ infinitæ, non. n. commentandũ eſt, quod vnus gradus gratiæ eſt participiũ vnius diuinæ pfectionis, & alius gradus alterius perfectionis: ſed quilibet gradus retinens eſſentiam gratiæ eſt participatio ipſius naturæ diuinæ; atque adeo quilibet gradus gratiæ totam Dei naturam participat: Ergo non creſcit participatio diuinæ naturæ ſecundum maiorem intenſionem gratiæ, & ex conſequenti, infinitas gratiæ nõ poteſt ſumi ex eo, quod natura diuina eſt infinita, & infinitè participabilis.

Dices, quod licet gradus quilibet gratiæ participet totam naturam diuinam, non tamen totaliter, quemadmodum quicumque videns Deum videt totum Deum, non tamen videt totaliter, & ex ea parte poteſt creſcere gratia, ſicut poteſt creſcere quæcumque creata Dei viſio, quia magis ac magis poſſumus per gratiam participare Dei naturam.

Sed contra. Intenſio gratiæ non fit per additionẽ noui gradus, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto, quod ſuppono ex doctrina, quam tradunt S. Thom. & eius diſcipuli 1. 2. q. 54. & 2. 2. q. 24. ergo maior intenſio gratiæ non eſt participatio diuinæ naturæ, ſed eſt eademmet participatio magis firmata, & radicata in anima, ſicut eſt idemmet gradus gratiæ magis radicatus in animæ eſſentia.

§. 2. *Notanda pro deciſione quæſtionis.*

PRo deciſione quæſtionis. Notandum eſt ex triplici capite poſſe prouenire plenitudinem alicuius formæ eſſe adeo ſummam, vt non poſſit eſſe maior.

Primo, ex principio effectiuo, ſi enim effectiua virtus limitata fuerit, plenitudo formæ productæ poterit eſſe ſumma, ita vt per naturalis cauſæ facultatem, & vim maior, & perfectior eſſe nequeat, in gradu tamen certo, & determinato, iuxta determinationem, & limitationem virtutis in ipſa cauſa reſidentis.

Secundo, ex parte ipſius formæ, quæ ſua natura determinata eſt ad certum perfectionis gradum, vltra quem non eſt progreſſus. Vnde ſi forma talem pertingat gradum, plenitudinem obtinebit ſummam.

Tertio, ex potentia receptiua ſubiecti, quæ aptanata eſt ſuſcipere formam in tali gradu intenſionis, & non in maiori. Hoc ſuppoſito.

§. 3.

§.3. *Proponitur ſententia affirmatiua.*

PRima ſententia affirmat Chriſti gratiam plenã eſſe, & in ſummo gradu intenſionis, & perfectionis conſtitutam, quo maior eſſe nequit etiam per abſolutam Dei potentiam. Hanc docent multi Theologi graues, ſed non omnes in eodem ſenſu, neque eadem ratione mouentur.

Quidam enim fatentur, quod gratia ex natura ſua nullum terminum poſtulat, ſed in infinitum poteſt creſcere ſecundum intenſionem. Cæterum potentia obedientialis, & capacitas, quæ eſt in anima rationali ad ſuſcipiendum gratiam, limitata eſt, & intrinſecè determinata: ita vt per potentiam Dei abſolutam augeri nequeat. Vnde colligunt iſti Theologi, quod gratia Chriſti, ex parte ipſius gratiæ, non habet omnimodam plenitudinem, neq; eſt in ſummo gradu intenſionis conſtituta: ex parte tamen ſubiecti intenſior fieri non poteſt per diuinam potentiam, quia Chriſti anima accepit gratiam adimplentem totam capacitatem, & obedientialem ipſiuſmet animæ potentiam. Ita docet Alber. Mag. in 3. d. 13. & Gab. ead. diſt. quæſt. vlt. ar. 2. concl. 2. reputat probabilem eius ſententiam, in quam propendit, Dur. ead. diſt. quæſt. 1. eandem inſinuant. S. Bonauẽ. ead. diſt. ar. 1. q. 2. & Riccard. ead. diſt. q. 2. ar. 2. ad primum. Verum eſt, quod ij duo poſtremi Authores in alijs locis aliquantulum diſcedunt ab hac ſententia. Dicunt enim, quod gratia in anima Chriſti eſt ſumma ſecundum intenſionem ex parte ſubiecti, ita quod in illo ſubiecto non poterit creſcere, quia tota eius capacitas plena eſt, & ſatiata.

Cæterum in alio ſubiecto perfectiori, puta in Angelo, poterit reperiri gratia ſecundum maiorem intenſionem, ita docet S. Bonauen. in primo diſt. 12. 2. par. quæſt. 4. Riccard. eadem diſt. ar. 2. quæſt. 4. & in 3. diſt. 13. ar. 2. quæſt. 1. & idem inſinuat Duran. q. 1. eiuſdem diſt.

In alio ſenſu quidam alij Theologi intelligunt hanc primam ſententiam. Dicunt enim, gratiam Chriſti ex parte ipſius gratiæ eſſe pleniſſimam, & ſummam, qua intenſior, & perfectior neque in anima Chriſti, neque in alio quouis ſubiecto, etiam per potentiam Dei abſolutam, poteſt haberi. Duo ſunt fundamenta huius ſententiæ. Alterum, quod Chriſto collata fuit gratia ſecundum omnem illam plenitudinem, cuius ipſa gratia eſt capax. Alterũ, quod ipſa gratia ſua natura, & ab intrinſeco poſtulat determinatum gradum intenſionis, & perfectionis, vltra quem non poteſt creſcere. Hanc ſententiam ſic expoſitam docet Caiet. 3. p. q. 7. ar. 11. & 12. & expreſſius 2. 2. q. 24. ar. 7. Scot. in 3. d. 13. Dur. in primo. d. 17. q. 9. & alij in his diſtinctionibus.

§.4. *Proponitur ſententia negatiua.*

SEcunda ſententia docet, gratiam ſecundum potentiam Dei ordinariam eſſe ſummam, & plenam in anima Chriſti. Ita vt ſecundum ordinem connaturalem ipſius gratiæ, & ſecundum ordinariã Dei potentiam non poſſit augeri: at ſecundum potentiam Dei abſolutam poteſt creſcere gratia Chriſti ſecundum intenſionem. In duplici etiam ſenſu intelligi poteſt hæc ſententia. Nam Theologi quidam fatentur, quod gratia ex natura ſua nullum habet terminum, ſed in infinitum poteſt augeri quo ad intenſionem, & extenſionem. Cæterum capacitas, & obedientialis potentia animæ, & cuiuslibet intellectualis creaturæ ſua natura eſt limitata; atque adeo ſecundum naturam ipſius potentiæ, & capacitatis determinatus eſt gradus gratiæ, qui poteſt ſuſcipi in anima. Et in hoc gradu, inquiunt, collata fuit gratia animæ Chriſti. Verum ex potentia Dei abſoluta poteſt creſcere capacitas, & potentia obedientialis animæ ad ſuſcipiendam gratiam: & ex cõſequenti poteſt etiam creſcere ipſa Chriſti gratia. Ita docet Marſ. in 3. q. 10. & Gabr. loco citato, & in primo diſt. 17. q. vlt. & Greg. in 3. d. 17. q. 2. in eandem propendit ſententiam. Driedo. lib. de capt. & redemp. generis humani tract. 2. ar. 6. ſent. 8. eiuſdẽ videtur ſententiæ. Cæterum alij Theologi cenſent in alio ſenſu intelligendam eſſe hanc ſententiam. Videlicet quod gratia ex natura ſua, ſicut aliæ omnes formæ, determinata eſt ad certum gradum intenſionis, & perfectionis, in quo gradu accepit ipſam anima Chriſti. Verum ex potentia Dei abſoluta poteſt gratia, & intenſione, & perfectione, hunc gradũ tranſcendere: & hac ratione Chriſti gratia poterit ſuſcipere augmentum. Ita docet Capreol. in 3. diſt. 13. quæſt. vnic. quem ſequuntur alij quidam Thomiſtæ. Denique eſt tertia ſententia, quam docent nouiores S. Tho. interpretes. 3. p. q. 7. 11. & 12. & 2. 2. q. 24. ar. 7. & pro eadem referunt grauiſſimos Thomiſtas, Victor. & Sotum, & putant hi authores ſe docere conſentaneè ad S Tho. doctrinam.

Pro cuius ſententiæ explicatione, quæ mihi probabilior apparet, & pro deciſione quæſtionis. Notandum eſt, quod licet plenũ eſſe, eo quod dicitur ſumpta metaphora ex plenitudine vaſis, ſi rigoroſè loquamur, non denotat plenitudinem formæ ſuſceptæ abſolutè loquendo, ſed per habitudinem, & proportionem ad capacitatem ſubiecti, in quo ſuſcipitur: Etenim tunc vas plenum liquore dicitur, quando eſt adimpletum ipſo liquore, quamuis non habeat liquorem ſummum, & ſecundum omnem eius plenitudinem. Vnde potiſſima acceptio huius vocis, plenum, cum ad formam aliquam accommodatur, accipienda eſt per comparationem ad capacitatem, & potentiam ſubiecti. Sed nihilominus aliæ ſunt acceptiones huius vocis, plenum, non inuſitatæ.

Secunda igitur acceptio eſt, quod plenum idem pollet, quod multum, qua acceptione dicimus aliquẽ plenum miſerijs, & calamitatibus, Ezech. cap. 7. *Plena eſt terra iudicio ſanguinum, & ciuitas plena iniquitate.*

Tertia acceptio eſt, quod plenum idem pollet, quòd exuberans & affluens, denotatque redundantiam ad extra, Qua acceptione, Iſa. c. 6, dicitur, quod *plena erat terra gloria domini*, & quod *ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.*

Quarta denique acceptio eſt, qua plenum deſignet id, quod eſt excellens, & perfectiſſimum in aliquo genere. In qua acceptatione Sol plenus luce dici poterit, & ignis plenus calore.

§.5.

§.5. *Reſolutio controuerſiæ per ſequentes concluſioones.*

Prima concluſio.

GRatia, & ex parte agentis, & ex parte formæ, ac etiam ex parte ſuſceptiuæ potentiæ nullum habet terminum intenſiuæ perfectionis, ſed infinita eſt ſincathegorematicè, ita vt quocunque gradu perfectionis ſignato, ſua natura apta nata ſit amplius perfici. Hanc concluſionem docent authores poſtremæ ſententiæ, & ſufficienter eam colligunt ex S. Th. doctrina 2. 2. q. 24. ar. 7. vbi fere id ipſum aſſerit de charitate. Eadem autem militat ratio in charitate, & in gratia, imo potior videtur eſſe in gratia, eo quod perfectior eſt ſimpliciter charitate, & illam præhabet tamquam in radice intra ſuam eſſentiam: ſicut natura ſubſtantialis continet proprias paſſiones.

Probatur ſecundo, & primo, quod ex parte agentis non ſumatur habitualis gratiæ determinatio, manifeſtum eſt: quoniam virtus diuina, quæ eſt principium effectiuum gratiæ eſt ſimpliciter infinita.

Probatur vero hoc ipſum ex parte gratiæ. Gratia eſt forma ordinis infiniti, eſtque participatio infinitæ naturæ Dei, ita quod eius eſſentia conſiſtit in hoc, quod eſt eſſe participationem ipſius naturæ Dei: ſed diuina eſſentia cum ſit infinita, infinitè eſt participabilis: Ergo gratia ex propria, & formali ſui ratione, nullam determinationem ſibi vendicat, ſed in infinitum eſt augmentabilis ſecundum intenſionem.

Confirmatur hæc ratio. Charitas ex propria, & formali ratione charitatis nullum determinatum ſibi poſtulat intenſionis gradum, nam cum Deus ſit ſummè, & infinitè diligibilis, charitas, quæ eſt virtus dilectiua Dei, nullum determinatum gradum dilectionis poſtulat: ſed ex ſua natura poteſt in infinitũ creſcere: Ergo eadem ratione idipſum erit aſſerendum de gratia. Imo & fortiori ratione, quoniam gratia forma eſt perfectior charitate, & comparatur ad ipſam, ſicut eſſentia ad propriam potentiam, ſeu paſſionem.

Deinde probatur concluſio ex parte ſubiecti ſuſceptiui gratiæ. Potentia obedientialis, quæ ineſt animæ ad ſuſcipiendam gratiam, nullam habet determinationem; Sed gratia non pertinet ad animam ratione alicuius naturalis potentiæ, quæ ſit in anima, ſed ratione tantum potentiæ obedientialis: Ergo ex parte ſubiecti recipientis nulla determinatio prouenit ipſi gratiæ. Minor patet, quoniam forma ſupernaturalis non reſpicit per ſe naturalem potentiam, ſed ſupernaturalem, qualis eſt potentia obedientialis: potentia enim & actus debent proportionari, & ſunt eiuſdem generis, quod Ariſt. lib. 9. Met. cap. 13. apertè docuit. Probatur maior; determinatio potentiæ paſſiuæ non poteſt ſumi, niſi vel ex potentia actiua cui reſpondet, & ſubijcitur; vel ex actu, & forma ad quam ſuſcipiendam ordinatur. Sed obedientialis potentia animæ ad gratiam ſuſcipiendum, non limitatur ex virtute actiua Dei, quæ eſt principium proximum effectiuum gratiæ, & cui ſubordinatur, & reſpondet ipſa obedientialis potentia; neque vero limitatur ex forma, & actu in quem ordinatur, nimirum, ex ipſa gratia, quia, vt probauimus, gratia ſecũdum ſe nullam habet determinationem, quam poſſit communicare obedientiali potentiæ.

Confirmatur. Potentia obedientialis conſiſtit in quadam ſubiectione, qua creatura ſubijcitur Deo, vt in ipſa efficiat quidquid ex parte rei productæ contradictionem non implicat. Cum ergo hæc ſubiectio creaturæ ad Deum totalis ſit, & plenaria, nequit ex ipſa aliqua limitatio, ſeu determinatio deſumi. Atque adeo omni ex parte probatum dedimus, gratiam ex propria ſui ratione illimitatam formam eſſe: atque in infinitum ſecundum intenſionem augmentabilem.

Sed arguitur ex S. Thom. 3. par. quæſt. 7. art. 11. vbi probat gratiam non eſſe ſimpliciter infinitam, quoniam capacitas, & potentia animæ eſt ſimpliciter finita, atque adeo nequit anima ſuſcipere infinitam gratiam. Hæc ratio S. Tho. manifeſtè ſupponit duo contraria his, quæ modo dicebamus. Alterum, quod potentia obedientialis animæ reſpectu gratiæ ſuſcipiendæ eſt ſimpliciter finita, non enim S. Tho. vt quidam dicunt, loquebatur ibi de potentia naturali animæ, quia gratia non proportionatur huic potentiæ, ſed potentiæ obedientiali. Alterum, quod limitatio gratiæ ex ipſamet potentia paſſiua animæ deſumitur. Quod cum de obedientiali potentia ſit intelligendum, è diametro pugnat cum his, quę dicebamus.

Reſpondeo huic obiectioni, S. Thom. ibi loquutum fuiſſe de infinitate gratiæ ſimpliciter, & in genere entis, negatque gratiam hanc poſſe habere infinitatem. Quod inde probat efficaciter, quia in rationali anima non reperitur aliqua potentia, quæ ſit huius infinitatis ſuſceptiua, eo quod creatura omnis ex propria ſui ratione ad certum, & determinatum gradum, & genus entis determinata eſt; atque adeo & huius tantæ infinitatis eſt incapax. Quocirca S. Thom. minime negauit gratiam ſua natura illimitatam eſſe in genere gratiæ, neque in tali genere ſyncathegorematice infinitam. Neque vero quod obedientialis animæ potentia, eiuſque capacitas ſimiliter ſit infinita ad ſuſcipiendam hanc formam. In eodem ſenſu explicandus eſt ipſe Doctor ſanctus in quæſt. 29. de verit. art. 3. ad 6. vbi apertè fatetur animæ Chriſti finitam ineſſe capacitatem ad gratiam ſuſcipiendam. Manifeſtumque eſt ibi loqui S. Tho. de capacitate animæ comparatione ad gratiam, ſimpliciter, & in eſſe entis infinitam.

Miſſum facio in hac parte, id quod S. Bonauen. & Riccard. in locis citatis aiunt, nimirum, quod potentia obedientialis animæ rationalis reſpectu gratiæ ſuſcipiendæ, ſecundum ſe limitata eſt ad certum intenſionis gradum, ſed in Chriſti anima creuit multum hæc potentia ex coniunctione ad verbum. Ex quo inferunt ij Theologi, quod rationalis Chriſti anima in eo intenſionis gradu gratiam accepit, in quo nulla alia rationalis anima, quæ non eſſet Deo vnita, ipſam poſſet ſuſcipere, etiam ſecundum abſolutam Dei potentiam. Hæc ſententia alijs doctiſſimis, & quidem non paucis, meritò diſplicet.

Primo. Quoniam obedientialis potentia in quacumque rationali anima, & intellectuali creatura, illimitata eſt, & ſua natura ſyncathegorematice infinita, quod ſuperius probatum reliquimus: Ergo etiam reſpectu gratiæ ſuſcipiendæ omnes rationales

animæ

Digitized by Google

animæ, imo & creaturæ omnes intellectuales æqualem habent obedientiæ potentiam. Nam in cœleſti Hieruſalem, ideſt, in his quæ pertinent ad æternam vitam, *eadem eſt hominis, & Angeli menſura*, vt Apoc. c. 20. dicitur. In quo benè dixit Albertus Magnus, ſed in eo tamen defecit, quod hanc æqualem in animabus obedientialem potentiam exiſtimauit ſimpliciter eſſe in eis omnibus limitatam.

Secundo. Quoniam verbum ea ratione qua humanam naturam hypoſtaticè terminat, nullam ipſi mutationem infert, præter illam, quæ conſiſtit in ipſa terminatione paſſiua, qua humanitas à diuino verbo perſonaliter terminatur. Neque enim verbũ vicem habet formæ ipſam informantis, & actuantis, neque vero vicem actiui principij aliquid in ea efficientis, ſed rationem duntaxat termini ipſam naturam per modum ſuppoſiti complentis, & terminantis. Ergo ex vnione verbi ad humanitatem haudquaquam creſcit ipſa obedientialis animæ potentia ad ſuſcipiendam gratiam.

Sed & alio tertio argumento prædictam ſententiam impugno. Illud augmentum, quod in potentia obedientiali rationalis Chriſti animæ ex vnione hypoſtatica accreſcit, vel prouenit à verbo, vt à formali, vel vt ab efficienti principio: primum nequit dici, quia verbum nequit habere rationem formæ humanitatem actuantis, vt communis Theologorum doctrina affirmat. Et præterea, quia tunc concedendũ eſſet, quod obedientialis potentia animæ Chriſti erga ſuſcipiendam gratiam ſimpliciter eſſet infinita, atque adeo concedendum foret animæ Chriſti datam fuiſſe gratiam ſecundum intenſionem infinitam, cuius oppoſitum veritati conſentire, ſequenti probabitur articulo.

Si vero ſecundum dicatur, infero, ſimilem infinitatem poſſe tribui a Deo cuicumque alteri rationali animæ, nam quidquid verbum non per modũ ſuppoſiti operantis per humanitatem, ſed per modum efficientis principij cauſare poteſt in ſua humanitate, poteſt etiam illud efficere in alia humanitate quacumque: quia eadem eſt capacitas in quacumque humanitate ad effectum diuinæ virtutis ſuſcipiendum: virtus itidem diuini verbi, eadem eſt, & ęqualẽ vim habet reſpectu cuiuſcũq; humanitatis, ergo, &c. Sed arguit quis ex S. Th. doctrina in 2. 2. q. 24. ar. 7. dicentis, quod per gratiæ, & charitatis ſuſceptionẽ creſcit animæ capacitas ad vlteriorem gradũ ſuſcipiendum. Ergo eadẽ ratione aſſeuerandum eſt, quod animæ Chriſti capacitas ad gratiã, creuit ex vnione perſonali ad verbum. Reſpondetur, & primum dico S. Th. ibi loqui de capacitate proxima ad gratiam, & id tantum aſſerit, quod per vnũ gratiæ, & charitatis gradũ anima quodammodo diſponitur, & fit magis proportionata ad gradum vlteriorem. In hunc ſenſum interpretatur Capreol. in 1. diſt. 17. q. 2. ar. 2. ad 2. prædictam S. Thom. doctrinam.

Dico ſecundo. Quod ex coniunctione ad diuinum verbũ hęc proxima capacitas, ſi propriè loquamur, non creuit in Chriſti anima, eo quod verbum cum non vniatur humanitati per modum formæ, ſicut ei vniuntur charitas, & gratia, non diſponit ipſam ad formam aliquam vlteriorem. Confert autem ei ius quoddam connaturalitatis, de quo in ſequenti articulo.

§. 6. *Secunda Concluſio.*

HAbitualis Chriſti gratia non tantam habet intenſionis plenitudinem, vt ſecundum abſolutam Dei potentiam non poſsit augeſcere. Hæc concluſio licet præſupponamus, quod ſequenti quæſtione probabitur, nimirum, habitualem Chriſti gratiam non habere intenſionem infinitam, manifeſtè deducitur ex præcedenti concluſione. Nam oſtendimus in illa concluſione gratiam habitualem ex propria ſui ratione in infinitum eſſe ſecundum intenſionis perfectionem augmentabilem: vnde ſi in Chriſti humanitate ad intenſionem infinitam habitualis gratia non acceſſit, manifeſtum eſt intenſiuum eius augmentum vlterius progredi poſſe, ſi ipſam gratiæ naturam, abſolutamq; ſimul Dei potentiam contemplemur.

Quidam Docti Theologi ex nouioribus, non ita diſtinctè huius concluſionis, vt à nobis eſt propoſita, veritatem agnoſcunt. Dicunt enim gratiam Chriſti comparari poſſe, & ad ſolam Dei omnipotentiam. & ad ipſam omnipotentiam prout regulatam, vel quaſi regulatam per ipſius Dei ſapientiam, & prouidentiam, quatenus diuina potentia operatur iuxta ordinem ab ipſa Dei ſapientia, & prouidentia præſcriptum, itaque ex parte effectus potentia Dei, & ſimiliter eius voluntas, prout mouet ad operandum, diuinæ ſubordinentur ſapientiæ. Qua ſuppoſita diſtinctione dicunt illi Theologi, quod ſi Chriſti gratia ad ſolam Dei potentiam cõparetur, non eſt adeo plena, & conſummata, vt amplius ſecundum intenſionem nõ poſſit augeri, vt aſſignata dudum à nobis ratione conuincitur. Cæterum ſi comparetur ad Dei potentiam, vt diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ ex parte effectus ſubordinatam, nulla poteſt dari, imo neq; excogitari gratia, quę perfectior ſit, & intenſior gratia Chriſti, neq; talis perfectior gratia, continetur in ipſa Dei omnipotentia, prout diuinæ ſapiẽtiæ ex parte effectus ſubordinatur, ideſt, quatenus nihil operatur, quod non ſit proportionatum, & congruũ Dei ſapientiæ, & ordini prouidentiæ diuinæ. Et hoc probant, primo nulla creatura poteſt eſſe coniunctior Deo, quam Chriſti humanitas: ergo diuina ſapientia non poteſt perficere, & exornare creaturam aliquam præſtantiori gratia quam ſit gratia Chriſti: atq; adeo neq; id poterit diuina potentia quatenus operatur conformiter ad ipſam Dei ſapientiã.

Probatur conſequentia, quia cum diuina ſapientia diſponat omnia ſuauiter, nihil operatur in rebus cõtra proprium meritum, & naturalem ipſarum rerũ exigentiam, atque adeo cum intra ordinem diuinæ ſapientiæ non poſſit excogitari creatura Deo coniũctior, quam anima Chriſti, & cui tam ſit connaturalis, ac debita perfectiſſima habitualis gratia, neque poterit etiam excogitari gratia præſtantior, & excellentior ipſa Chriſti gratia.

Secundo probant. Nihil præſtantius, & excellentius poteſt excogitari in natura, quam Deus homo: Ergo Deus diſtributor gratiæ non potuit ſapienter alicui creaturæ excellentiorem gratiam infundere, quam ſit gratia collata animæ Chriſti: decet enim diuinæ ſapientiæ ordinem, quod alicui puræ creaturæ præſtantior gratia conferatur, quam

Chriſto,

Digitized by Google

Chriſto, qui eſt Deus homo. Confirmatur, Chriſto, qua ratione eſt Deus homo, debita eſt gratia iure connaturalitatis: Ergo cum ratio debiti fundetur, non in humanitate, ſed in diuino ſuppoſito, hoc debitum ſummum eſt, & ad ſummam extenditur gratiam, quæ iuxta ordinem diuinæ ſapientiæ alicui eſt communicabilis creaturæ.

Tertio probant. Ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod Chriſtus ſecundum gratiam habitualem poſſit ſubordinari alicui creaturæ gratæ, conſequens abſurditatem præſefert contra ipſum diuinæ ſapientiæ ordinem. Ergo, &c. Sequela patet, quia ſi perfectior gratia alteri rationali creaturæ conferretur, talis creatura ſecundum habitualem gratiam ſuperior eſſet, & dignior Chriſti anima, atq; adeo ſecundum hanc gratiæ perfectionem, anima Chriſti illi ſubordinaretur creaturæ, eſſetque ipſa inferior.

Hic tamen dicendi modus nouiſſimè à nouis authoribus excogitatus, mihi nulla ratione probatur, contra quem ſic arguo. Primo, Arguméta, quæ prædicti authores in huius ſententiæ confirmationem faciunt, vt plurimum apparenter probant, quod in pura aliqua creatura, non poterit reperiri præſtantior gratia, quã ſit gratia collata animæ Chriſti, nulla autem probabilitate ſuadent, quod ipſamet Chriſti gratia nequeat augeri, & perfici in ſemetipſa, & ad altiorem intenſionis gradum pertingere: Ergo illa ſententia qua parte docet Chriſti gratiam ſummè plenam eſſe in ſemetipſa, ſecundum ordinem diuinæ ſapientiæ, nullo, vel apparenti ſundamento fulcitur. Confirmo, & explico huius argumenti vim. Et ſupponamus collatam fuiſſe Chriſti animam intenſam, vt 100. Quæro, cur ſecundum ordinem diuinæ ſapientię non potuit dari Chriſto gratia intenſa, vt 200. cum ex vi gratiæ vnionis nulla ſumatur determinatio ad iſtum gradum potius, quam ad illum, vel ecõtra, neq; vero ex ipſa gratia ſumi poteſt, cum ſua natura valeat in infinitum progredi eius intenſio. Ergo nulla ratione aduerſatur ſapientiæ diuinæ augmẽtum gratiæ Chriſti ſecundum maiorem eius intenſionem.

Secundo contra eandem ſententiam ſic argumentor. Ex ea ſequitur ad plura ſe poſſe extendere diuinam potentiam, diuinamq; voluntatem, quam ſe poſſit extendere ipſa Dei ſapientia. Conſequens eſt falſum, ergo, &c. Sequela apparet manifeſta, quoniam diuina potentia poteſt efficere maiorem, & perfectiorem gratiam, quam ſit ipſa habitualis Chriſti gratia, & ſimiliter Dei voluntas abſolutè conſiderata poteſt eſſe principium huius effectus, ad quem tamen non valet extendi diuina ſapientia, quia non cadit ſub eius ordine. Probatur vero conſequentis falſitas. Diuina ſapientia non minorem habet infinitatem, quam habet Dei voluntas, & eius omnipotentia: Ergo nullum effectum poſſunt attingere Dei voluntas, eiuſque omnipotentia, ad quem non ſe extendat ipſa Dei ſapientia, & eius ordo. Confirmatur. Diuina attributa æqualis ſunt virtutis, & perfectionis, quoniam omnia ſunt ſimpliciter infinita, imo & ſunt ipſe Deus, ergo quidquid poteſt vnum, poteſt, & aliud.

Contrariæ ſententiæ authores variè conantur hoc argumentum diſſoluere. Primo dicunt, quod nullũ opus, quod de facto produceretur à Dei omnipotentia, & à Dei voluntate, deuiaret ab ordine potentiæ diuinæ, eo quod omnipotentia Dei eſt regula omnium ſuarum actionum, ſuorumque effectuum, & ſimiliter Dei voluntas. Cæterum ex hac doctrina nihil habetur, quod ad ſolutionem argumenti facti quidquam attineat: argumentum enim contendit, quod ordo diuinæ ſapientiæ poteſt ſe extendere ad omnem illum effectum, quem ipſa Dei omnipotentia, ſecundum ſe conſiderata, poſſet efficere. Et quod nihil cadit ſub diuinæ voluntatis obiecto, quod non poſſit per diuinam ſapientiam in bonum aliquem, & honeſtum finem ordinari. Ad hoc autem firmandum, quid refert aſſignata ſolutio?

Dicunt ſecundo. Quod prædicta ſententia non plus tribuit diuinæ voluntati, diuinæq; omnipotentiæ, quam ipſi ſapientiæ Dei, nam etiam ſtando in terminis illius ſententiæ, fatendum eſt diuinum intellectum per ſuam ſapiẽtiam poſſe totum id exacta notitia cognoſcere, quod Dei voluntas poteſt velle, & Dei potentia valet efficere. *Sed* hæc etiam ſolutio apparet deficiens, quia tantum procedit de ſcientia Dei ſpeculatiua, & non habet locum in ſcientia practica præordinatiua, & factiua rerum, de qua tamen ſcientia factum argumentum procedit.

Dicunt tertio. Non eſſe inconueniens, quod poſſit Deus per vnum attributum aliquid efficere, quod per attributum aliud non poteſt operari. V. G. per ſuam omnipotentiam poſſet Deus totum hoc vniuerſum viſibilibus, atq; inuiſibilibus creaturis cõſtans, in nihilum vertere, & iterum reproducere. hoc autem non eſſet opus diuinæ ſapientiæ, neque vero diuinæ iuſtitiæ. Similiter per attributum diuinę iuſtitiæ punit Deus peccatores in inferno, quam tamen punitionem non exequitur per attributum miſericordiæ. Hæc ſolutio aliqualem præſefert probabilitatem, ſed eſt ſine dubio inſufficiens ad diluendũ argumentum factum, ſi vim eius pauliſper in hunc modum pręmamus. Eſto aliquem effectum vni diuino attributo adſcribamus, qui alio attributo non competit, at nulla ratione admittendum eſt, quod effectus vnius attributi altero attributo opponatur: nam alias attributa diuina inuicem repugnarent: aliquid enim præhaberetur in virtute vnius, quod non modo in alterius attributi poteſtate non præhaberetur, verum, & ei repugnaret: atque adeo ipſæ diuinorum attributorum virtutes eſſent inter ſe oppoſitæ, & inuicem contrariæ. Quæ aſſertio abſurdiſſima eſt, & impia forſan, & ſacrilega: talis enim attributorum contrarietas indecora eſt, & indecens Deo. Miſſum facio, quod fortaſſis eſt falſum id, quod vt certũ præſupponit aſſignata ſolutio, videlicet, qood aliquid operetur Deus per vnum attributum, ad quod attributum aliud nullatenus concurrit. Nam in operibus iuſtitiæ, & miſericordiæ, in quibus illa ſolutio maiori cum apparentia verificari videtur, illa doctrina eſt falſa: vniuerſa enim opera Domini miſericordia, & veritas. Vbi veritatis nomine, ſacrorum bibliorum interpretes Dei iuſtitiam intelligũt. De qua intelligentia, & huius rei explicatione legatur. S. Th. 1. p. q. 21. ar. 4.

Dicunt deniq; quarto prædictæ ſententiæ, & ſolutionis authores, Liberè fatendum eſſe: quod non tã extenduntur Dei ſapientia, & prouidentia, atque extenduntur eius omnipotentia, & voluntas, quod ita

probant. Non poſſumus intelligere qualiter Deus ſapienter crearet Angelos abſque naturalibus eorum potentijs intellectu, ſcilicet, & voluntate, & tamen id non repugnaret abſolutæ Dei potentiæ. Communiter enim docent Theologi, & ſi Caietan. repugnet, poſſe Deum abſoluta ſua potentia vtens, proprietates, & naturales paſſiones à proprijs ſubiectis ſeparare. Similiter nullus dicet, quod Deus ſapienter potuerit Chriſtum, vt hominem, perpetuis inferni cruciatibus vexare. Quod tamen ſi ſolam Dei omnipotentiam, & liberam ipſius voluntatem attendamus, nihil habet repugnantiæ, & implicationis. Verum hanc ſolutionem efficaciſſimè, ni fallor, impugnat argumentum, quod formauimus aduerſus ſolutionem præcedentem: Nam quod aliquod ſit proportionatum diuinæ voluntati, & omnipotentiæ, & quod ſub eadem ratione qua Dei omnipotentiæ, & voluntati proportionatur, diuinæ ſapientiæ, aut cuilibet alteri Dei attributo repugnet, manifeſta eſt implicatio: Neque poteſt abſque abſurditate dici. Exempla autem, quibus quarta ſolutio iuuatur, in eo, quamplurimum deficiunt, quod illius ſolutionis authores falſo arbitrantur, quod deeſſet Deo ratio ſuæ ſapientiæ congruens, qua honeſtaret illud vtrumque factum per ſuam abſolutã potentiam. Itaq; fateri debemus, quod ſi Deus ſua libera omnipotentia vtens, Chriſtum vt hominem perpetuis vexaret cruciatibus, talis vexatio prudens eſſet, & ſapiens, diuinæq; ſapientiæ conſentanea. Quia licet nobis non appareat ſapiens, & prudens ratio, & honeſtus finis talis vexationis, hæc tamen omnia ſunt Deo præſentia, quia nouit varios, & multiplices fines, in quos poteſt ſuas omnes creaturas iuxta modos ſibi placitos ordinare, & referre, ob id enim Dei ſapientia multiformis appellatur à S. Paul. ad Eph. c. 3. Et quidem licet verũ ſit, quod *effuderit Deus ſapientiam ſuam ſuper omnia opera ſua*, Eccl. 1. non tamen effudit omnem, ſed infinitam ſibi adhuc ſapientiam reſeruauit: qua infinitas conuenientię rationes, infinitos fines, infinita media, infinitos denique modos, in creatis rebus excogitare poteſt, & diſponere. Huc attinet, quod dicitur Eccleſiaſt. 1. *Radix ſapientiæ, cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit.*

Confirmatur. Nullli virtuti aduerſatur intrinſecè, quod Deus aliter diſpoſuerit ordinem vtrumque, & naturæ, & gratiæ, atque diſpoſuit de facto: Ergo neque ordini diuinæ ſapientiæ repugnat. Antecedens patet. Quia iuſtitiæ diſtributiuæ non aduerſatur. Nã vt S. Th. 1. p. q. 21. ar. 1. ad 3. ait, iuſtitiæ diſtributiuæ ius nulli debitorem conſtituit Deum, quia non ipſe ad alia, ſed omnia ad ipſum ordinantur: Ergo nulli aduerſatur virtuti. Quia non eſt ſignabilis alia virtus cui opponatur. Conſequentia eſt euidens. Nam ſi phyſicam rationem entis conſideremus nulla eſt in hac parte contradictionis repugnantia, cum vt aduerſarij admittunt, ſubſit diuinæ potentiæ abſolutè ſumptæ: Ergo vt ab ordine diuinæ ſapientiæ rem iſtam ſubtrahamus, oportet inuenire moralem aliquam deformitatem. Quæ eſſe minima poteſt ſi nullius virtutis rectitudo lædatur.

Sed iam tertio probatur commemoratæ ſententiæ falſitas. Id quod nequit cadere ſub diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ ordine, non habet veram entis rationem: Sed eſt quod impoſſibile, & contradictionẽ implicans. Id autem, quod implicat contradictionẽ, & veram rationem entis non participat, nullatenus ſubeſt diuinæ potentiæ, diuinæque voluntati, etiam ſi abſolutè abſque coordinatione ad diuinam ſapientiam conſideretur: Ergo ſi augmentum gratiæ Chriſti ſub diuinæ ſapientiæ ordine non cadit, neq; etiam ſubeſt diuinæ potentiæ, & voluntati. Minorem admittunt vniuerſi Theologi. Maiorem vero ſic probo. Quidquid veram participat rationem entis, & contradictionem non inuoluit, ordinabile eſt in Dei gloriam, eiuſq; bonitatem, nam quidquid rationem entis ſortitur, illam participat ab ipſa Dei entitate, & bonitate, atq; adeo ordinabile eſt in ipſam ſummi, & primi entis gloriam, & in eius bonitatis manifeſtationem. Id autem, quod eſt in hunc finem ordinabile, ſub ordine diuinæ ſapientiæ, diuinæque prouidentiæ continetur: quia eſt ordinabile, vt medium in illum finem, quem per ſe primo diuina prouidentia in ſuo ordine reſpicit: ergo, &c.

Confirm. Vel augmentum gratiæ Chriſti veram ſecundum ſe rationem entis habet, vel non, ſi primũ dixeris, conſequenter fateri teneris, quod cadit ſub ordine diuinæ ſapientiæ, quia id quod veram habet entis rationem, aptum natum eſt, actu extra ſuas cauſas exiſtere in Dei gloriam productum. *Omnia enim propter ſeipſum operatus eſt Dominus*. Prou. 18. Si vero ſecundum dicas, manifeſta deductione conuinceris ad aſſerẽdum, quod neq; ſub ordine diuinæ prouidentiæ, neque ſub poteſtate, & efficacia diuinę omnipotentiæ, neque tandem ſub formali diuinæ voluntatis obiecto connectur. Ergo, &c.

Quarto contra eandem ſententiam arguitur. Ex ea ſequitur, quòd neque diuina voluntas, neque infinita Dei omnipotentia ſit prima ſuarum operationum regula, ſed quod vtraque egeat regulari per ipſam Dei ſapientiam. Conſequens eſt falſiſſimum, nam tunc concedendum eſſet, quod Dei voluntas, & potentia per ſe ſubijciuntur, & ſubordinantur diuinæ ſapientiæ tanquam ſuperiori regulæ, ac proinde, quod ſunt inferiores ipſa Dei ſapientia. Vnde communis eſt Theologorum doctrina, affirmans Dei voluntatem ipſam eſſe ſuarum operationum regulam: ergo, &c. Sequela probatur. Diuina omnipotentia ſecundum ſe, & abſolutè conſiderata, iuxta prædictam ſententiam, multa poteſt facere, & ſimiliter Dei voluntas abſolutè ſumpta multa poteſt velle, quę non ſunt conſentanea recto ordini à diuina ſapiẽtia probato: Ergo ex natura ſua voluntas, & potentia Dei, non ſunt determinatæ ad id, quod rectum eſt, bonum, & decens, atque adeo egent moderari, & regulari per diuinam ſapientiam tanquam per ſuperiorem regulam. Patet hęc conſequentia, nam ea potentia, & virtus, quæ ex ſua natura poteſt in aliquid diſſentaneũ rationi, & recto ordini, nequit eſſe ſuarum operationum regula, ſed dirigenda eſt, & regulanda ab alia ſuperiori regula, quæ ſua natura determinata ſit ad debitum ordinem, & ſapienti ordini conſentaneum. Hoc autem de diuina voluntate, qui dixerit, aduerſabitur Paulo ad Eph. 1. de rectiſſimo, & optimo Deo dicente, quod *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Non enim Paulus voluntatẽ conſilio ſubijcit, ſed conſilium voluntati (ſi fas eſt ibi ſubiectionis ordinẽ nominare) quatenus Deus per ipſam voluntatis ſuæ libertatẽ vniuerſa ad

crea-

creaturas ſpectantia, & ęterna prouidentia diſpoſuit, & temporali exequutione efficit. Certè ſi libera Dei voluntas ex propria ſui ratione non eſſet ſummè recta, & diuinæ ſapientiæ conformis, iniurioſus fuiſſet Paulus Deo (abſit iniuria verbo) dum aſſeruit ipſum operari omnia, iuxta conſilium voluntatis ſuæ. Nam promptum eſſet illi obijcere. Sanius fuiſſe creaturis, vt Deus operaretur in eis ſecundum conſilij ſapientiæ ſuę. Et quod voluntas conſilium ſequeretur, & non conſilium voluntatem.

Vltimo tandem contra eamd. ſententiam arguitur. Potuit verbum aſſumere humanitatem in puris naturalibus conſtitutam, vt in 1. q. concluſione 1. ex cōmuni Theologorum ſententia reſoluimus, in quo caſu poſſent eſſe alij homines, ac ſimiliter Angeli in gratia conſtituti: Ergo ſi hoc potuit fieri ſecundum ordinem diuinæ ſapientiæ, multo potiori ratione cadere poteſt intra rectum eius ordinem, vt Chriſti gratia minoris ſit intenſionis, quam gratia alterius puræ creaturæ rationalis. Huius conſequentiæ vim nullus eſt, qui non videat. Nam multo magis indecens apparet, quod Chriſti anima nulla ſit gratia habituali prædita, alijs creaturis rationabilibus in gratia exiſtentibus, quam quod habeat gratiam in minori intenſionis gradu poſitam.

Eſt tamen hoc loco obſeruandum, quod in præſentia tantum loquimur de perfectione gratiæ intenſiua, quæ conſiſtit in maiori radicatione ipſius gratiæ in anima. Nam de perfectione alia, quæ competit gratiæ Chriſti ex vnione ad verbum, dicemus ſequenti articulo. Quæ cum ſit infinita iuxta modū ibidem explicādum, nullatenus poteſt augmētum ſuſcipere, neque ſuperari, imo neque adæquari à gratia cuiuſuis puræ creaturæ. Infinitas enim ex vnione hypoſtatica cum verbo proueniens adęquationem non admittit.

Argumenta illa tria, quæ propoſita fuerunt pro ſententia nūc à nobis confutata, facilem ex his, quę diximus ſolutionem accipient.

Ad primum enim argumentum antecedenti dato neganda eſt conſequentia, probationi vero dicitur, quod tantum procedit de lege, & potentia ordinaria Dei, ſecundum quam Deus non ſolum fortiter omnia diſponit, verum & ſuauiter, ideſt, cōſentaneè ad ipſas rerum naturas ſuam eis prouidentiam accommodans. At ſecundum abſolutam potentiam poterit aliter rebus ipſis prouidere, eaſque non tam ſuauiter, ideſt, non tam conformiter ad earum naturas, & inclinationes diſponere, & hoc quidem prudentiſſimè, & ſapientiſſimè. Certè ſi hoc argumentum quidquam probaret, conuinceret etiam Deum non aliter potuiſſe vtrumque ordinem, & naturæ, & gratiæ diſponere, quam diſpoſuit de facto. Quoniā ſi contra ordinem diuinæ ſapientiæ eſt, quod Deus non ſe accommodet in rerum prouidentia, & diſpoſitione earū naturis, & meritis, neceſſaria collectione deducitur, Deum non aliter potuiſſe res vtriuſq; ordinis diſponere, quam de facto diſpoſuit. Quæ aſſertio intolerabile eſſet erratum.

Ad ſecundum argumentum eadem eſt ſolutio, nā ſimiliter procedit ſecundum ordinariam Dei potentiam, & legem. Confirmationi vero dicitur primo. Quod illum connaturalitatis debitum, quo Chriſti humanitati debetur gratia, non adeo ſtrictum eſt, & rigoroſum, vt Deum vniuerſorum, ipſius etiam humanitatis Chriſti dominum, poſſit adſtringere, atque adeo libera manet potentia Dei abſoluta, vt poſſit habitualem gratiam à Chriſti humanitate auferre, & vberiorem intenſionem gratiæ puræ creaturæ tribuere. Secundo dici poſſet huic confir. quod ſi hoc connaturalitatis ius tam eſſe rigoroſum, & ſtrictum iudicaretur, vt ipſum Deū adſtringeret, adhuc argumentum non aliud conuinceret, quam quod non potuiſſet nō conferre Chriſto totam eam gratiam, quam de facto contulit. Verum non probat, quod non potuerit alteri homini æqualem, vel maiorem gratiam conferre. Nam poſſet tunc Deus dicere Chriſto, vt homini, id quod Matth. 20. operarijs murmurantibus dixit. *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt, & vade. An non licet mihi facere de meo, &c.*

Ad tertium argumentum reſpondeo, quod Chriſtus ſecundum gratiam habitualem non poteſt ſimpliciter loquendo alicui creaturæ ſubordinari, eo qđ eius gratia magnā quandam infinitam dignitatē participat ex coniunctione ad verbum nulli puræ creaturæ communicabilem, quam art. ſeq. explicabimus: at ſecundum quid, ideſt, ſecundum intenſionem, non inconueniet talis ſubordinatio, ita quod gratia puræ creaturæ hac ratione ſuperior eſſet gratia Chriſti. Imo nullum inconueniens eſſet admittere, quod ſecundum abſolutam Dei potentiam Chriſto daretur gratia propter meritum alicuius purę creaturæ. Etenim poſtquam vnigenitus Dei filius caro factus, paulominus ab Angelis minoratus eſt, nihil mirū, quod in his omnibus, quę ad humanitatem, qua minor eſt Angelis attinent, aliqualiter pendeat ab ipſis Angelis, & ab alijs creaturis, Deo præſertim per abſolutam potentiam diſponente.

§. 7. *Tertia concluſio.*

CHriſti gratia etiam ſecundum intenſionem plena fuit, & ſumma, quæ poteſt eſſe ſecundum ordinariam Dei potentiam, habuitque quadruplicem illam plenitudinem ſuperius in quodam notabili explicatam. Docent hanc concluſionem omnes fere Theologi in 3. diſt. 13. & S. Th. 3. p. q. 7. ar. 9. & tribus ſequentib. Sancti Patres locis q. prima citatis, eam re ipſa docuerunt. Et quidem de priori concluſionis parte nulla poteſt ſubeſſe dubitatio, nam eam ſufficientiſſimè probāt illa tria argumenta, quæ paulo ante diluebamus, quibus recētiores quidam Theologi probare nitebantur Chriſti gratiam adeo plenam eſſe, & ſummam, vt ſecundum ordinem diuinæ ſapientiæ nulla poſſit dari perfectior, & præſtantior, ſiue intenſione, ſiue virtute. Quorum argumenta, ſi ordinariam Dei potentiam, & legem contemplemur, efficaciſſima ſunt, nec ſolutionem admittunt probabilem.

Explicatur autem, & probatur poſterior concluſionis pars: cuius expoſitio erit quoque prioris partis probatio. Sigillatimque oſtenditur, quatuor illos plenitudinis modos gratiæ Chriſti competere: & de primo, quod eſt ex parte ſubiecti conſtat ex noſtro Prothemate ex cap. 1. Ioan. deſumpto, in illis verbis, *Plenum gratiæ, & veritatis*, quæ verba, vt minimum intelligenda ſunt de plenitudine ex parte

Digitized by Google

ſubiecti: quæ in hoc ſenſu eſt accipienda, ꝙ Chriſto datæ eſt omnis gratia, quam ipſius Chriſti dignitas poſtulabat, & quæ neceſſaria erat, & conueniens ad debitè exequendum, ipſum ſibi à patre commiſſum Redemptoris, & Saluatoris officium. Siue illa gratia in ſe maxima fuerit, & ſumma, ſiue non.

De ſecundo modo plenitudinis, qui deſignat magnam, & multam gratiam, valdeque intenſam, & perſectam, probatur manifeſtè ex illo Io. 3. *Non ad menſuram dat Deus*, (de ſpiritu, nimirũ,) *filio ſuo*, de quo ibi Chriſtus ipſe loquebatur. Sed antequam in huius cõcluſionis probationem noſter vlterius progrediatur tractatus: Oportet occerramus obiectioni, quam eruditus Theologus aduerſus communem huius teſtimonij. Ioann. 3. intelligentiam nobis forſan opponet, ex Grego. Nazianz. in oratione 36. nu. 49. vbi ita inquit. *Per multa ex his, quæ ita dicuntur, nec affirmationis modo, ſed inficiationis. Vt illud, non ad menſuram dat Deus ſpiritum, neque. n. dat, neq; menſura definitum: nec. n. Deus Deum metitur.* Ecce quemadmodum ita intelligit prædictum Io. teſtimonium S Greg. Nazian. quod Deus nullum dedit filio ſuo ſpiritum. Nam licet ipſe in citatis verbis non expreſſerit filium, eſt tamen ſubintelligendũ, filio ſuo, cum dicit, quod Deus non dat ſpiritũ ad mẽſurã. Ita in ſcholijs Billius intellexit illum locũ. Igitur ex prædicto Io. teſtimonio, c. 3. nulla gratiæ Chriſti plenitudo colligi poteſt, quin ex præfata Gregor. intelligentia infertur, nullam fuiſſe Chriſto habitualẽ gratiam collatam. Huic obiectioni primũ aſſero, deceptum fuiſſe Billium, addens in ſcholia illa verba, filio ſuo. Quia Greg. conſulto nõ appoſuit, vt inſinuaret ſe non tantum in ordine ad filium negare Patri Spiritus ſãcti donationem, ſed abſolutè, & omnibus modis. Secundo dico, quòd Greg. intendit, quod Pater non dat Spiritum ſanctum authoritatiuè, ita vt ſuperioritatem habeat ſuper Spiritus ſancti perſonam eiuſque virtutem, ex qua gratia, & cætera ſupernaturalia dona ad animam proueniunt. Et quia hoc non ſolum reſpectu animæ Chriſti, ſed abſolutè verũ eſt, ideo Greg. non addidit, filio ſuo, & ſi Io. in illo teſtimonio de filio tm̃ loquutus eſſet. Fateor hãc Grego. intelligentiam nõ ſatis gratã eſſe, & germanã textui, & menti ipſius Euangeliſtæ. Neq; acceptatam eſſe à cæteris Patribus, & ſacrorum Bibliorum interpretibus. Qui non per negationem, ſed poſitiuè, & affirmatiuè intelligunt Patrem dediſſe filio Spiritũ ſanctum plenè, & non ad menſurã. Legantur ibi Chryſ. cuius verba referam ſequenti quæſt. Et Auguſt. trac. 14. in Ioan. Neq; vero aliud intendebat S. Hier. cum verſans illa verba Iſa. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, &c.* inquit, [Chriſtum non per partes accepiſſe Spiritum ſanctum, ſed quod iuxta Nazaræorum Euangelium, ipſe fons Spiritus ſancti in Chriſtum deſcendit.] Ex hoc S Hieron. teſtimonio etiam probatur, conuenire Chriſto tertium plenitudinis modum, ideſt, quod tam ſit exuberans, & affluens Chriſti gratia, vt non ſe contineat intra ipſam Chriſti animam, ſed ad nos vſq; inenarrabili diffuſione deriuetur: Sicut copioſus aquæ in perenni fonte defluxus non ſe poteſt diu intra circunſtantem fontis alueolum continere, ſed neceſſum eſt, vt ex ipſo deriuetur riuulus, & in fluuium magnum quandoque creſcat. Quod Ioã. Baptiſta de gratiæ incarnati verbi plenitudine teſtimonium perhibẽs, Io. 1. magnificis verbis explicuit, inquiens: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Nos omnes, i. nos etiam primitias Spiritus habentes, ad quos gratia Chriſti magna, & affluenti diffuſione peruenit.

Denique quod plenitudo gratiæ Chriſti, quartũ etiam plenitudinis modum attingat, ita quod Chriſtus in ordine gratiæ ſit primus, & omnium maximus, ex eodem etiam teſtimonio B. Hieron. colligitur. Eſt enim in Chriſto gratia, vt in fonte, in cæteris autem tanquam in quibuſdam riuulis ex ipſo fonte deriuatis. Item etiam probatur, quia Chriſti gratia eſt gratia capitis, vt docet, & probat S. Tho. 3. p. q. 8. ar. 1. & probabitur in 6. quæſt. ſequenti, caput autem eminentiam habet ſupra totum corpus, & in omnia membra influit, quæ duo ad tertium, & quartum plenitudinis gradus manifeſtè pertinent.

Probatur præterea concluſio quoad hunc quartum plenitudinis modum. Prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis hominum, & gratia vniuerſis hominibus prædeſtinatis collata conſtituit in eis omnibus conformitatem ad Chriſtum, & ad eius gratiam, iuxta illud, quod ait Paulus Rom. 8. [Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius.] Quæ verba non ſolum ſunt intelligenda de conformitate ad Dei filium ſecundum naturam diuinam, ſed etiam ſecũdum aſſumptam humanitatem, quatenus per gratiam habitualem dilectiſſima eſt Deo, & ad plenariam bonorum cœleſtiũ hæreditatem admiſſa. Quam Paulini teſtimonij intelligentiam promptum erit cuique ex multorum Patrum doctrina, & ex ſacrorum Bibliorum interpretibus colligere: Ergo Chriſtus primus eſt prædeſtinatus, omniumque prædeſtinatorum princeps, ac proinde ipſa prædeſtinationis gratia, reſidet in ipſo tanquam in ſupremo, & maximo totius ordinis gratiæ: atque adeo quarta plenitudinis acceptio verè accommodatur Chriſti gratiæ.

Eſt autem obſeruandum ſummoperè, quod ſi rigoroſè loquamur ad explicandam ſufficientiſſimè plenitudinem gratiæ Chriſti, ſatis eſſet dicere, Chriſtum eſſe plenum gratiæ plenitudine primo modo accepta, ideſt, ex parte ſubiecti. Quoniam dignitati Chriſti, ipſique Redemptoris, & Saluatoris officio debetur omnis illa plenitudo gratiæ, quæ pertinet ad alios tres modos plenitudinis: etenim quia Chriſtus filius Dei eſt, debita eſt ei gratia in maxima quãtitate perfectionis, & intenſionis, debeturq; illi gratia exuberans, & affluens, & quę ad cæteros homines iuſtos deriuetur. Debetur denique illi, quod in ordine gratiæ ſit ſummum, & maximum, habeatq; proinde rationem capitis in genere gratiæ: Vnde S. Cyr. lib. 1. in Ioan. cap. 17. inquit, quod Deus dedit Chriſto omnem gratiam, & omnem ſapientiam, quia filius Dei eſt. Ecce vbi totam gratiæ, & ſapientiæ Chriſti plenitudinem ad dignitatem ſubiecti reuocat S. Cyri. S. autem Tho. 3. p. loco cit. dicit, gratiam Chriſti, & ex parte ſubiecti, & ex parte gratiæ habere omnem plenitudinem. Vbi videtur diſtinxiſſe plenitudinem gratiæ ex parte ipſius gratiæ, à plenitudine eiuſdem gratiæ ex parte ſubiecti, ſed hoc fecit S. Thom. claritatis cauſa, nam re ipſa plenitudo ex parte ſubiecti in Chriſto, coincidit cum plenitudine gratiæ ex parte gratiæ: quod non contingit de plenitudine

Digitized by Google

nitudine gratiæ ex parte ſubiecti in alijs ſanctis, etiã in Beata Virgine. Plenitudo vero ex parte gratiæ, in eo ſita eſt, quod Chriſti gratiæ ſummum illum intenſionis gradum attingat, vltra quem decreuit Deus gratiæ author, non producere gratiam in aliquo ſubiecto.

Ex quo ſequitur, ſatis eſſe veroſimilem, & rationabilem illam Theologorum ſententiam affirmãtem, quod habitualis Chriſti gratia ſecundum intenſionẽ non ſolum excedit gratiam cuiuſcumque Sancti, & Sanctiſſimi, ſed & totam collectionem gratiæ, quæ in omnibus Sanctis, & Angelis, & hominibus reperitur. Probatur. Hæc ſententia nihil docet, quod contradictionem inuoluat, ſed quod maximè decet Chriſti dignitatem, eſt præterea conformis doctrinæ Patrum, & Theologorum, qui vnanimiter docent gratiam Chriſti immenſam eſſe, & ſummè plenam, imo & ſacræ ſcripturæ dicenti, non fuiſſe datum Chriſto Spiritum ad menſuram: eſt denique conſentanea hæc doctrina S. Thom. 3. p. loco citato, vbi inquit in Chriſto gratiam fuiſſe plenam, tum ex parte ſubiecti, tum ex parte gratiæ. Neqne enim in rigore poſterior hæc plenitudo Chriſti gratię competeret, niſi tota hac intenſione polleret. Et præterea ipſemet S. Thom. 1. p. q. 20. art. vlt. ad 1. & 2. hanc eandem inſinuauit ſententiam, cum inquit, Deum plus diligere animam Chriſti, quam totam omnium creaturarum vniuerſitatem, & quod Chriſtus melior eſt omnibus & Angelis, & hominibus, maximè ratione vnionis. Illa dictio, maxime, inſinuat apertè, quod non ſolũ ratione vnionis Chriſtus eſt melior Angelis, & hominibus, verum etiam ratione gratiæ habitualis, & ſupernaturalium donorum, quibus eſt eleuata, & prædita anima Chriſti: Ergo iuxta S. Tho. doctrinã fateri tenemur, quod habitualis Chriſti gratia excellit intenſione omnem gratiam omnium hominum, & Angelorum collectiuè ſumptam, conſiderando omnem eius pro tota æternitate collectionẽ. Quemadmodum aqua maris ſua plenitudine excedit quantitatem omnium aquarum, quæ ſparſæ repeiuntur in vniuerſis fontibus, fluminibus, riuulis, &c.

Hoc priuilegium tantæ intenſionis, & dignitatis gratię, ſoli Chriſto (mea ſententia,) eſt tribuendũ, & quia filius Dei eſt, & quia caput eſt omnium hominum, & Angelorum. Hoc dixerim, quia non deſunt quidam pij Theologi, qui gratiæ Beatiſsimæ Virginis ſimilem tribuunt dignitatem: aſſerentes, quod eius gratiæ plenitudo exuberat intenſione, & perfectione omnem gratiam collectiuè ſumptam omniũ hominum, & Angelorum. Quam ſententiam, quod attinet ad dignitatem gratiæ, ego libenter admitto. Exiſtimo enim, quod ſicut dignitas Matris Dei excedit omnem dignitatem collectiuè ſumptam, quæ ratione cuiuſuis miniſterij, aut officij in cœlo, & in terra poteſt competere Angelis & hominibus, propter quam cauſam S. Thom. 1. p. q. 25. ar. 6. ad vltimum argumentum vocat hanc dignitatem infinitam; ita dignitas gratiæ B. Virginis, quæ eſt proportionata dignitati Matris Dei, & ob quam dicitur à S. Tho. 3. p. q. 7. ar. 9. ad 1. quod eſt plena ex parte ſubiecti, ideſt, habet totam plenitudinem quantam exigit dignitas matris, excellit dignitatem omnis gratiæ collectiuè ſumptæ, quæ in omni intellectuali, & rationali creatura reperitur. Cæterum, quod attinet ad intenſionem non placet mihi hæc ſententia, quoniã in B. Virgine gratia habet quidem plenitudinem ex parte ſubiecti, non vero ex parte ipſius gratiæ, vt S. Thom. loco proximè cit. dixit. Nam hoc priuilegiũ ſoli gratiæ Chriſti eſt concedendum. De ſolo enim Chriſto dixit Apoſt. ad Coloſſ. 1. quod [complacuit Deo in ipſo omnem plenitudinem inhabitare.] Quã omnem plenitudinem rationabiliter poſſumus ad triplicem modum reuocare.

Ad cuius intelligentiam notandum eſſe cenſeo, quod ſicut in Chriſti humanitate ſecundum ſe conſiderata triplex repetitur capacitas, & obedientialis potentia in ordine ad ſupernaturalia, & diuini ordinis bona.

Prima ad ipſam verbi perſonalitatem, & exiſtentiam, ſecundum quam potentiam terminabilis eſt verbi perſonalitate, & potẽs eſt exiſtere diuina ipſius verbi exiſtentia, & hæc eſt potentia ad gratiam vnionis.

Secunda eſt ad gratiam habitualem (ſub gratiæ habitualis nomine comprehendimus charitatem, & reliqua habitualia Spiritus ſancti dona, quæ gratiam habitualem in Chriſti anima comitantur, iuxta modum in prima quæſtione expoſitum:)

Tertia denique capacitas, & obedientialis potẽtia eſt ad ſupernaturales actiones, quæ radicaliter eſt in ipſa animæ eſſentia, proxime vero in eius potentijs intellectu, voluntate, &c. Sicut, inquam, triplex hæc reperitur capacitas, & obedientialis potentia in Chriſti humanitate, ita & triplicem ſupernaturalem plenitudinẽ ipſa Chriſti humanitas diuinitus fuit adepta per hypoſtaticam vnionem ad verbum.

Primam quidem accepit à verbo quaſi formaliter, quatenus verbum humanitati perſonaliter vnitum eam ſua diuinitate repleuit, ita vt homo verè, & propriè dicatur, & ſit Deus.

Secundam vero, & tertiam plenitudinem accepit Chriſti humanitas à diuino verbo, vt ab efficienti principio. Secundam quidẽ plenitudinem, quæ habitibus gratiæ, ac virtutum ſupernaturaliũ, & cœleſtiũ donorũ conſtat, immediate, & ſe ſolo ipſum diuinũ verbum effecit, vel quatenus ſupernaturales ij habitus per ſimplicem reſultantiã ex hypoſtatica vnione effluxerũt, vt quibuſdam placet doctiſſimis, vel quatenus vt nobis videtur, & probatum dedimus pręcedenti quæſtione, per nouam actionem toti Trinitati communem ab ipſo verbo fuerunt effecti.

Tertiam vero plenitudinem ipſis interuenientibus humanitatis potentijs, diuinum verbum humanitati tribuit; actualis enim hæc plenitudo intrinſecè pendet ex potentijs elicitiuè, & vitaliter concurrentibus. Non inconſideratè dixerit, vt opinor, is qui affirmauerit hanc triplicem ſpiritualem plenitudinẽ inſinuatam, & intentam fuiſſe à S. Paulo ad Coloſſ. 2. illis verbis, *in quo*, ideſt in Chriſto *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, itaque diuinitatis nomine Paulus vtramq; diuinitatem complectatur & eſſentialem, & participatam, & vtramq; ſecundũ omnem plenitudinem habitare dixit in Chriſti anima. Quæ diuinitatis plenitudo tanta eſt, vt etiam ad Chriſti corpus refundatur, non modo nunc poſt eius reſurrectionem, per quam corporis immortalitatem, & gloriam fuit adeptus, ſed etiam dum vitam mortalem nobiſcum ageret. Quæ ſane diuinita-

Digitized by Google

tis ad corpoream portionem diffuſio in hunc modum poterit explicari. Quod caro Chriſti ex ipſa eſſentiali diuinitate, ideſt, ex hypoſtatica vnione ad verbum aptitudinem quandam habuit, vt ab ipſo verbo aſſumeretur vt inſtrumentum eius coniunctū, ad ſanandos infirmos, ad ſuſcitandum mortuos, ad ſanctificandum aquas, & ad alia quamplurima diuinæ virtutis opera corporali contactu efficienda. Ex gratia vero habituali habuit Chriſti caro (vt à proximo principio, nam radicale principium totius virtutis fuit ipſa vnionis gratia) vt eius corporeæ, & materiales actiones aſſumerentur, vt diuinæ virtutis inſtrumenta ad internam animarum ſanctitatem, & munditiem efficiendam, vnde Chriſtus corporali flatu ſpiritum ſanctum dedit diſcipulis, vt habetur Ioan. 20. & eius verba, vt dixit, Petrus. Ioan. 6. *verba erant æternæ vitæ*, ideſt, *vim habebant æternam vitam conferendi*. Denique ex ipſa anima Chriſti gloria, quæ fuit præcipua actualis plenitudo, diuinum quoddam lumen ad carnem vſque Chriſti deriuabatur, nam vt S. Hier. ſuper c. 9. Matth. inquit, quoddam fulgor maieſtatis occultæ inerat Chriſto domino, qui etiam in humanitate, & in facie eius recurrebat, vnde ex primo aſpectu poterat homines ad ſe trahere. Et idem repetit ipſe Hieronym. ſuper Matth. cap. 21. Quæ res licet certa non ſit, non eſt tamen incredibilis, nam ſi S. Dionyſio Areopagitæ, cum primo Beatiſſimam Virginem fuit intuitus, diuinus quidam gloriæ fulgor in eius facie refulgens apparuit, ita vt niſi certa fidei perſuaſione detineretur diuinitatis eſſentialis quidpiam ipſi Beatiſſimæ Virgini ineſſe putaret, & vt Deam quandam ſuſpiceret, & veneraretur, quid mirum, ſi ipſi Chriſti carni ſimilem tribuamus dignitatem, & quendam diuinæ claritatis fulgorem?

Et iuxta hunc ſenſum poſſet non improbabiliter explicari vox illa, *corporaliter*, ita quod ipſa diuinitatis plenitudo in Chriſto habitans, in ſanctiſſima eius carne, in humanoque ipſius corpore miris ſemper modis ſplenduerit. Cui intelligentiæ non diſſentit id, quod à principio huius operis ex S. Chryſoſt. & alijs Patribus referebamus, exponentes illa verba Io. 1. *vidimus gloriam eius, &c.* nimirum S. Euangeliſtam de illa Chriſti gloria, ibi ſermonem inſtituiſſe, quæ clariſſimis Chriſti miraculis ſanctiſſimæ carnis eius miniſterio editis in conſpectu omnium, ſplenduit, & emicuit. Aliter explicuimus ſuperius illam dictionem, corporaliter, iuxta S. Thom. interpretamentum, 3. p. q. 2. ar. 10. ad 2. quæ interpretatio, & intelligentia magis forſan eſt literalis, atque adeo cæteris præferenda, ſed hæc, quam nunc tradidimus, contemni non debet.

Tandem, vt huic tertiæ concluſioni vltimam imponamus manum, obſeruādum eſſe cēſuerim: quod quamuis diuinæ ſapientiæ ordini non ſit contrariū, quod Chriſti humanitas omnis gratiæ, & ſupernaturaliū virtutum expers, & in puris naturalibus aſſumeretur à verbo: Et quod alteri rationali creaturæ intenſior gratiæ gradus conferretur, quam fit collatus Chriſti animæ: fateri nihilominus debet peritus Theologus, melius ſimpliciter fuiſſe, & ordini diuinæ ſapientiæ magis conſentaneum, quod Chriſtus vnctus fuerit oleo exultationis præ participibus ſuis. Ita quod tanta vnctionis ſpiritualis plenitudine polleat, vt veriſſimè Ioan. Baptiſta diceret, quod *de plenitudine eius omnes accepimus*. Et crediderim, abſque heſitatione vlla, quod ſicut Theologi ex doctrina Sancti Auguſt. 13. de Trinita. cap. 13. collegerunt, quod quamquam non defuerint ſapientiæ, & omnipotentiæ Dei multa media alia, quibus humanum genus potuit ab originali culpa, & à cæteris peccatis liberare. Nullus tamen inueniri potuit modus, quo & ſapientius & potentius id fieret: ita quamuis circa Chriſti humanitatem in ſupernaturali ordine diſponendam, alijs multis potuiſſet Deus modis procedere, quæ ab ordine ſapientiæ ſuę haudquaquam exorbitarent: Nullus tamen modus intra totum ipſius diuinæ ſapientiæ ordinem conuenientior reperiri potuit, quam quod Chriſtus, vt homo, ita cæteris præficeretur iuſtis per modum ſupremi totius Eccleſiæ capitis, vt non modo illos perſonali excelleret dignitate, ſed & in gratiæ quoque habitualis, & habitualium virtutum, ac Spiritus ſancti donorum plenitudine, vnctuſque fuerit omni ſpiritualis exultationis oleo præ omnibus participibus ſuis. Hoc enim, & ipſius Chriſti dignitas, & ipſum ſupremi capitis officium ſuo iure poſtulabant. Quid enim diuinæ ſapientiæ congruentius, & conformius, quam quod ſuauiſſimum vnctionum ſpiritualium vnguentum in ſacerdotale caput primo diffunderetur, & inde in barbam Aaron, ideſt, in Apoſtolos, ac primarios Eccleſiæ Patres Chriſto Eccleſiæ capiti coniunctiores, ac tandem ad oram vſque veſtimenti eius, ideſt, in ſimpliciores fideles redundaret? In hunc ſenſum adducit Amb. in Epiſto. ad Hebr. cap. 1. hoc teſtimonium ex pſalm. 133. deſumptum.

§. 8. *Quarta Concluſio.*

GRatiæ Chriſti plenitudo ſumma poteſt cenſeri, & appellari, ſecundum propriam ipſius gratiæ naturam. Hanc concluſionem nobis concederet Capreol. loco ſuperius citato, verum in alio longe abſimili ſenſu ab eo, quem noſtra intendit concluſio: cenſet enim Caperol. quod gratia ex principijs intrinſecis ſuæ naturæ determinata eſt, ad eum intenſionis gradum, quem de facto habet in Chriſti humanitate: Sicut lux Solis naturalem habet determinationem, ad eum intenſionis, & perfectionis gradum quem obtinet in ſolari aſtro, quod eſt proprium eius & natiuum ſubiectum, & ſicut calor determinatur ad intenſionem, quam in igne ſortitur; quam doctrinam falſam eſſe ſuperius oſtendimus. Vnde pro noſtræ concluſionis intelligentia notandum eſt, quod tam in operibus naturæ, quam in operibus gratiæ, Deus, vt Author naturæ, & gratiæ, cuicumque formæ præfixit ordinem, & modum vltra quem numquam de facto progredietur, iuxta illud Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti, &c.* Quod teſtimoniū, vt ſupra retuli. S. Th. accommodauit ad omnia etiam ſupernaturalia dona, quorum prima radix eſt gratia. Cæterum inter gratiam, & formas naturales accidentales, V. G. lucem, & calorem magnū in hac parte verſatur diſcrimen: quod formæ naturales non ex ſola Dei voluntate authoris naturæ, certum gradum, & limitatum intenſionis, & perfectionis ſibi vendicant, ſed etiam ex proprijs, & intrin-

intrinſecis differentijs,& ex habitudine ad cauſas naturales,ex quibus procedunt, eo quod omnis virtus naturalium cauſarum determinata eſt ad vnũ,& ad ſummum,quod poteſt efficere. Vnde lux Solaris determinatam habet perfectionem ex ipſa natura, & virtute Solis ex qua dimanat,& calor ſimiliter,ex ipſa ignis natura determinatum intenſionis, & virtutis ſortitur gradum. Cæterum,quod gratia in tali intenſionis gradu, & neq; in maiori, neque in minori producatur, neq; deſumitur ex intrinſeca differentia gratiæ,quia gratia,vt dixi, ex natura ſua poteſt in infinitum creſcere ſecundum intenſionem,& perfectionem,neque vero talis determinatio prouenire poteſt gratiæ ex limitatione virtutis diuinæ à qua procedit,cum ſit virtus infinita. Vnde neceſſum eſt, quod tota hæc gratiæ limitatio ad ſolam Dei voluntatem referatur.

Sed tamen fatendum eſſe credo,quod hæc determinatio gratiæ eſt conformis naturæ ipſius gratiæ: Et ob id dicebam in concluſione, quod gratia in Chriſto habet eã omnem plenitudinem, qua maior non poteſt conuenire gratiæ ſecundum naturam ipſius gratiæ. Et ratio eſt, quoniam gratia ex propria ſui ratione debet commenſurari cum liberali Dei voluntate: Eſt enim ex ſua natura donum gratuitum, & voluntarium, iuxta illud Iacobi cap. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*.

At illa forma,quæ ex ſua natura eſt voluntaria, & liberalis,realiter ſubordinatur in ſui perfectione, & intenſione liberæ, & voluntariæ diſpoſitioni eius voluntatis à qua per ſe pendet: Ergo gratia ex natura ſua contenta eſt illo intenſionis, & perfectionis gradu,in quo diuina voluntas decreuit illam efficere,& non in maiori. Quo fit, vt gradus ille gratiæ, qui eſt maximus, & ſummus ſecundum ordinariam Dei potentiam, ſit etiam ſummus, & maximus per habitudinem,& conformitatem ad naturam ipſiuſmet gratiæ. Et propter iſtam cauſam exiſtimo S.Th. abſolutè definijſſe gratiam Chriſti eſſe plenam,& ſummam ex parte ipſius gratiæ, id eſt, ſecundũ propriam naturam ipſius gratiæ, quæ poſtulat, vt non fiat augmentum in ipſa, vltra gradum illum quem Deus ſecundum liberæ ſuæ voluntatis conſilium maximum,& ſummum eſſe decreuit.

§ 9. *Vbi diſſoluuntur argumenta propoſita initio articuli.*

AD argumenta in principio. Ad primum reſpondetur,quod gratia in B. Virgine, & alijs Sanctis,habet plenitudinem tantum ex parte ſubiecti,in Chriſto autem habet plenitudinem omnimodam, & ex parte ſubiecti,& ex parte gratiæ. Hanc ſolutionem proſequitur latè S.Th.3.p.q.7.ar.9. ad 1. qui eſt proinde legendus.

Ad ſecundum argumentum facilè reſpondetur, quod S. Thom. in illis locis, & in alijs ſimilibus loquitur de plenitudine gratiæ Chriſti ſecundum potentiam Dei non abſolutam,ſed ordinariam, vt conſtat ex illis locis S.Thom.nuper à me adductis. Loquitur etiam S.Th.de plenitudine gratiæ ſecundum naturam ipſius gratiæ, non in ſenſu quem intendebat Capreol.ſupra citatus, ſed in ſenſu à nobis expoſito in vltima concluſione.

Ad tertium argumentum reſpondetur,quod gratia eſt quidem creatura. Sed eſt tamen ordinis increati, & diuini,ac proinde non debet menſurari legibus aliarum creaturarum,ſed ſua natura poteſt in infinitum creſcere,nullumq; habet alium determinatum limitem intenſionis,& perfectionis,præter eum,quẽ ipſi Deus ſua prouidentia præſcripſit.

Ad quartum reſpondetur per ſolutionem inter arguendum aſſignatam. Ad replicam reſpondetur ex doctr.S.Th.2.2.q.24.ar.4.ad 3. vbi loquens de charitatis augmento dicit,quod propriam vocem ignorant,qui dicunt accidens non perfici in ſua eſſentia per maiorem inhæſionem, & radicationem in ſubiecto,nam cum eſſentia accidentis ſit in eſſe ſubiecto,non ſtat quod accidens perfectius inſit ſubiecto, quin eius eſſẽtia perfectior reddatur. Hinc ergo colligit ibid. S.Tho. eſſentiam charitatis perfici per inhæſionem ad ſubiectum,& quod tãto magis eſt perfecta charitas in ſua eſſentia, quanto magis in ſubiecto radicatur. Idipſum nos proportionabiliter de gratia dicimus, quod eius eſſentia, quæ conſiſtit in participatione formali diuinæ naturæ,perficitur per maiorem intenſionem,& radicationem in anima. Hactenus de primo articulo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An gratia habitualis Chriſti Domini fuerit infinita.

§.1. *Nonnulla ſuppoſita annectuntur.*

IN ſecundo eiuſdem tertiæ quæſtionis articulo de infinitate Chriſti gratiæ diſſerendum eſt. Et priuſquam argumentis in vtramque partem propoſitis rem iſtam verſemur, ſupponendum eſt ex communi omnium Theologorum ſententia, habitualem Chriſti gratiam neque in ratione entis, neque in ratione qualitatis eſſe ſimpliciter infinitam. Quod patet, nam illud dumtaxat infinitum eſt ſimpliciter,& in ratione entis,quod habet intra ſe omnem entitatis plenitudinem, quæ plenitudo ſoli Deo eſt propria: & ſimiliter aliquid eſſe infinitum in ratione qualitatis conſiſtit in hoc, quod habeat omnem plenitudinem totius generis qualitatis. At certum eſt, quod gratia, neque totius entis, neque totius generis qualitatis omnem in ſua eſſentia præhabet plenitudinem: eſt enim quædam peculiaris ſpecies qualitatis.

Sed notandum obiter, quod licet gratia non ſit infinita,ſiue in genere entis, ſiue in genere qualitatis,ſi tamen aſſeratur infinita in ratione gratiæ, qui eſt ſenſus quem intendit noſtra diſputatio, fatẽdum erit conſequenter, quod gratia eſt quædam entitas infinita,& quædam infinita qualitas,etſi non ſit infinita ſiue in ratione entis, ſiue in ratione qualitatis. V.G.ſi ponamus lineam infinitam, ipſa non eſſe infinita in ratione quantitatis,quia non complecteretur omnem quantitatis ſpeciem, & perfectionem, eſſet tamen quantitas infinita.

Huiuſque diuerſæ loquutionis ea eſt ratio, quòd iſte modus loquendi infinitum in ratione entis, ſeu in ratione qualitatis,ſeu in eſſe qualitatis reddit ſenſum formalem amplectentem totam illam ratio-

nem,

Digitized by Google

nem, & totum illud genus de quo loquimur: at cum dicimus ens infinitum, aut qualitatem infinitam, non ſit huiuſmodi formalis, ſed materialis potius ſenſus. Concederem ego libenter ſi ſemel admittamus gratiam eſſe infinitam in ratione gratiæ, quod eſt infinita in genere qualitatis, quoniam iſta loquutio non reddit ſenſum illum ampliſſimum complectentem totum qualitatis genus, ſed ſenſus eſt, quod gratia Chriſti eſt infinita intra genus qualitatis, & hoc eſt veriſſimum illa ſententia ſuppoſita, nam habet infinitatem gratiæ, quæ continetur intra qualitatis genus.

§. 2. *Proponuntur argum. pro parte negatiua.*

HOc ergo ſuppoſito. Dubium eſt in hoc ſecundo articulo exagitandum. Num gratia Chriſti ſit infinita ſimpliciter in eſſe gratiæ, & pars negatiua probatur.

Primo. Gratia Chriſti non habet intenſionem infinitam, quod probauimus art. præced. ſed intenſio eſt perſectio pertinens ad rationem gratiæ, perficit enim eſſentiam ipſius gratiæ, vt in eodem art. in ſolutione ad vlt. ex doctrina S. Thom. deduximus: Ergo gratia Chriſti non habet infinitatem ſimpliciter in ratione formali gratiæ. Patet conſequentia, quia deeſt illi infinitas aliqua, nimirum, intenſiua, quæ per ſe pertinet ad perſectionem gratiæ, ſecundum rationem gratiæ, at infinitum ſimpliciter cum ſit de genere bonorum, poſtulat omnimodam infinitatem in illa ratione, qua dicitur infinitum: bonum enim ex integra cauſa conſurgit, ſicut malum ex particulari defectu.

Secundo arguitur, Chriſti anima per gratiam habitualem acceptatur ad finitam gloriam, ita quod poterat ad maiorem, & perfectiorem acceptari, acceptatio autem ad gloriam per ſe pertinet ad rationem gratiæ, nam vel eſt primarius gratiæ effectus, vt quidam putant, vel vt alijs melius ſentientibus placet, pertinet ad effectum formalem eius ſecundarium: Ergo gratia Chriſti non habet plenariam perfectionem pertinentem ad rationem gratiæ, atque adeo non eſt ſimpliciter infinita in ratione gratiæ.

Tertio. Si gratia Chriſti ſimpliciter eſſet infinita, ſequeretur nullam poſſe reperiri gratiam ab ipſa Chriſti gratia realiter diſtinctam: Conſequens eſt falſum, imo & hæreticum, coincidit enim cum hæreſi Lutherana, quæ in Concil. Triden. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 11. damnationem accepit. Quę aſſerit omnem hominem iuſtum iuſtificari, non per inhærentem iuſtitiam, & gratiam, ſed per imputationem iuſtitię, & gratiæ Chriſti: Ergo, &c. ſequela probatur, Extra infinitum, authore Ariſt. 3. phyſ. non eſt aliud accipere, nam infinitum continet totam illam rationem in qua eſt infinitum: Ergo ſi Chriſti gratia in ratione gratiæ eſt ſimpliciter infinita, non erit accipere aliã gratiam ab ea realiter ſeparatam.

Dices forſan, quod ad rationem infinitatis ſatis fuerit, quod non ſit aliud extra ipſum accipere, quod in eo non præhabeatur eminenter. Quemadmodũ creaturæ omnes præhabentur eminenter in diuino eſſe, quod ſatis eſt, vt Deus infinitus ſimpliciter dicatur in ratione entis: & in hoc ſenſu poſſet Chriſti gratia infinita cenſeri in eſſe gratiæ, quia præhabet in ſua eminenti virtute omnem aliam poſſibilem gratiam.

Sed contra hanc ſolutionem inſurgunt duæ replicæ. Prima ex ea ſequeretur gratiam Chriſti eſſe alterius ſpeciei à gratia cæterorum hominum iuſtorũ, conſequens eſt ſine dubio falſum, imo forte eſt impoſſibile ſecundum omnem potentiam, quod reperiantur diuerſæ ſpecies gratiæ: ergo, &c. Probatur ſequela, effectus, qui eminenter continetur in aliqua ſuperiori forma, ſpecie diſtinctus eſt ab ipſa eminenti forma, quod & exemplo caloris, qui eminenter præhabetur in luce Solis: & manifeſta etiam ratione conſtat. Calor namque alterius, eſt ſpeciei à luce Solis, & forma ſuperior, ac eminentior eſſentialiter includit aliquid perfectionis, quod non includitur in effectu eminenter in ipſa præhabito, etenim effectus huiuſmodi nequit adęquare ſimpliciter perfectionem ſuperioris formæ, alias enim impropriíſſimè diceretur contineri in illa eminenti continentia. Ergo ibi diuerſitas eſt ſpecifica.

Secunda replica eſt adhuc vrgentior. Si Pater diuinus aſſumeret aliam humanam naturam, quod fieri poſſet per potentiam Dei abſolutam, gratia qua perficeretur eius humanitas, non contineretur virtualiter, aut eminenter in gratia Chriſti, quoniam Pater factus homo non dependeret in gratia, & donis ſupernaturalibus à Chriſti humanitate, & ab eius gratia, quæ res in dubitationem verti non poteſt: Ergo non omnis gratia continetur eminenter in ipſa Chriſti gratia, atque adeo ruit aſſignata ſolutio. Et ex hac replica ſumitur principale argumentum contra concluſionem: Nam gratia, quæ ineſſet humanitati aſſumptæ à Patre, tam perfecta eſſet, atque eſt modo gratia Chriſti: Ergo ſi gratia Chriſti eſt ſimpliciter infinita in ratione gratiæ, gratia etiam Patris in illo caſu infinita eſſet ſimpliciter in ratione gratiæ: atque adeo darentur duo infinita ſimpliciter in eadem ratione, quod eſt implicatio. Miſſum facio argumentum, quod poterat ſumi contra aſſignatam ſolutionem ex gratia collata Angelis, iuxta ſententiam quæ negat illam fuiſſe datam ex meritis Chriſti: Ex qua ſententia videtur colligi, quod gratia Angelorũ non continetur eminenter intra Chriſti gratiam: nã hoc argumentum ex dictis in præcedenti quæſt. facilè poterit diſſolui.

Quarto arguitur, Charitas Chriſti non eſt infinita in ratione charitatis: Ergo nec eius gratia eſt ſimpliciter infinita in ratione gratiæ. Conſequentia apparet manifeſta ex paritate rationis. Omnes namque rationes, quæ poſſunt afferri ad probandam infinitetem gratiæ Chriſti, habent æqualem vim ad ſuadendam infinitatem Charitatis Chriſti, quod fiet manifeſtum, recurrendo ad ſingulas rationes, de quibus poſtea.

Antecedens vero probatur. Charitas Chriſti nequit eſſe principium infinitæ dilectionis Dei, Chriſtus enim per voluntatem humanam finitè diligit Deum, non enim ipſum diligit quantum diligibilis eſt, nam hæc tanta dilectio ſoli diuinæ voluntati poteſt competere: Ergo Chriſti charitas in ratione charitatis non eſt ſimpliciter infinita: Probatur conſequentia dupliciter. Primo, quia perfectio habitus penſanda eſt ex actu ad quem diſponit potentiã, atq;

adeo

adeo ſi actus ſit ſimpliciter infinitus, neceſſe eſt, quod etiam habitus ſit ſimpliciter infinitus in ſua ratione, & è conuerſo. Secūdo voluntas humana Chriſti nō diligit Deū iuxta proportionē naturalis facultatis ipſiuſmet voluntatis humanæ, ſed iuxta proportionem virtutis, quam illi tribuit habitus charitatis infuſus. Tunc ſic, vel hæc virtus à charitate proueniens finita eſt ſimpliciter, vel infinita ſimpliciter, ſi primū dixeris habeo intētum.ſ. charitatē Chriſti eſſe finitam in eſſe charitatis, ſi dixeris ſecundū, ergo poterit voluntas Chriſti exire in actū dilectionis infinitū, quia debet proportionari actus cum virtute ſui principij, atq; adeo virtus infinita poterit ſe explicare in actū infinitum, vel aſſignanda eſt ratio, propter quam id fieri nequeat, quæ certè non eſt aſſignabilis.

Arguitur quinto. Theologi, qui docent gratiam Chriſti eſſe ſimpliciter infinitā in ratione gratię, duplici ratione ducuntur: altera eſt, quia gratia Chriſti eſt principium meriti infiniti ſimpliciter, & infinitæ ſatiſfactionis: altera vero, quia gratia diſponit humanitatem Chriſti, diſpoſitione ſaltem concomitante ad vnionem hypoſtaticā cum verbo. Sed vtraque ratio eſt deficiens ad probandā gratię Chriſti infinitatem: ergo, &c. Probatur min. Et primum, quod ratio, quæ deſumitur ex diſpoſitione ad vnionem hypoſtaticam non ſit ſufficiens, colligo ex doctr. S. Th. 3. p. q. 10. art. 4. ad 3. vbi habet, quod ſicut gratia eſt infinita per habitudinem ad vnionem humanitatis cum verbo, ita & viſio beata animæ Chriſti conſimilem habet infinitatem, quia etiam eſt diſpoſitio ad viſionem ſicuti gratia, hæc S Thom. Sed certum eſt, quod viſio beata animæ Chriſti in ratione beatificæ viſionis non eſt infinita ſimpliciter: Ergo neq; gratia Chriſti ex vnione ad verbum, & ex ratione diſpoſitionis ad ipſam vnionem participat infinitatē ſimpliciter in ratione gratiæ, iuxta S. Tho. mentem.

Confirmatur. Perfectio, & infinitas, quæ competit gratiæ Chriſti ex diſpoſitione ad vnionem hypoſtaticam eſt ei extrinſeca, quemadmodum dicit S. Tho. 1. p. q. 25. ar. 6. ad 4. quod humanitati Chriſti competit quædam dignitatis infinitas per vnionem ad verbum, quæ ſane infinitas extrinſeca eſt ipſi humanitati. Ergo ex eo, quod gratia Chriſti diſponat ad vnionem hypoſtaticam, vt plurimum conſurgit in illa quædam ratio extrinſecæ infinitatis, quæ proinde non conſtituit ipſam infinitam ſimpliciter in ratione gratiæ. Deinde probatur, quod ſit etiam inſufficiens alia ratio inſinnata in argumento. Infinitas meriti, & ſatiſfactionis Chriſti non deſumitur ex gratia habituali, ſed ex ipſa gratia vnionis, ob id enim, & non ob aliud opus Chriſti meritorium fuit infiniti valoris, quia erat opus hominis Dei, valor enim infinitus operis ex dignitate operantis deſumitur. Ergo impertinens eſt illa ratio ad probandam gratiæ infinitatem.

Confirmatur, nam ſi fingamus in Chriſto nullam fuiſſe habitualem gratiam, ad hoc tenemur concedere eius opus meritorium fuiſſe infiniti valoris: Ergo infinitas meriti in Chriſto non proueniebat ex gratia habituali, alias enim gratia habituali ſemota, eius meritum non eſſet valoris infiniti. Hoc argumentum etiam habet vim in opinione eorum Theologorum, qui putant gratiam habitualem fuiſſe ſimpliciter neceſſariam Chriſto ad merendum: quoniam ij authores neceſſitatem gratię ad merendum, non deſumunt ex infinitate meriti, ſed ex ſubſtantia ipſius: itaque fatentur ſine dubio, quod ſi maneret meriti ſubſtantia in operatione Chriſti, tale meritum eſſet valoris infiniti, propter dignitatem perſonæ merentis.

Vltimo tandem arguitur. Si diuinum verbū relinqueret humanitatem cum gratia, & donis ſupernaturalibus, quibus nunc eſt exornata, illa gratia eſſet eiuſdē ſpeciei, imo eſſet omnino eadē numero quoad omnem realitatem, cum gratia, quam nunc habet ipſamet Chriſti humanitas: Sed certum eſt, qđ gratia in humanitate relicta à verbo non eſſet infinita in ratione gratiæ: Ergo neque modo verbo coniuncta habet huiuſmodi infinitatem, niſi forſan ſecundum extrinſecam denominationem.

§. 3. *Argumenta pro parte negatiua.*

IN oppoſitum autem eſt, quod ſi gratia Chriſti nō eſt ſimpliciter infinita in ratione gratiæ, ſequeretur poſſe cōtingere, quod gratia in homine puro, ſaltem ſecundum abſolutam Dei potentiam, poſſet peruenire ad tantam excellentiam, & perfectionem in eſſe gratiæ, quantam nunc habet gratia Chriſti, quod videtur abſurdum dictu. Imo, & maius abſurdum videtur inferri, ſcilicet, quod abſolutè, & ſecundum ordinatiam Dei potentiam concedendum ſit, quēlibet hominem iuſtum poſſe adeo in gratia creſcere, vt ad æqualem perfectionem cum gratia Chriſti perueniat. Prius abſurdum manifeſte ſequitur ex illa ſententia, & probatur per abſolutam Dei potentiam quilibet homo iuſtus poteſt peruenire ad quēcumque gradum gratiæ, quamlibet perfectum, extra infinitum. Ergo ſi gratia Chriſti continetur extra infinitum gratiæ gradum in eſſe gratiæ, poterit gratia hominis puri attingere hunc ipſum perfectionis gradum. Poſterius vero abſurdum ſic probatur: Secundum fidem in Synod. Triden. ſeſſ. 6. explicatam fateri tenemur, quod quilibet homo iuſtus quātumcumque iuſtiſſimus, poteſt vlterius in gratia, & ſanctitate proficere. Itaque nullus eſt terminus ſignatus ex diuina lege, ad quem perueniat gratia puri hominis, vltra quem progredi nequeat: Ergo ſi Chriſti gratia continetur extra gradum infinitum in eſſe gratiæ, concedendum eſt, quod ſecundum ordinariā legem, poteſt purus homo peruenire ad æqualem gratiam cum Chriſto: quod abſurdiſſimum eſt, & fidei parum conſentiens.

§. 4. *Vbi variæ ſententiæ recenſentur.*

PRo huius dubij deciſione præmittendum eſt breuiter, infinitum dupliciter ſumi: vno modo ex parte materiæ, vt dicimus potētiam materiæ primæ infinitam eſſe. Alio modo ex parte formæ, ſicut dicimus Deum eſſe infinitum actu. Prima infinitas ad imperfectionem pertinet, vtpote ad potentialitatē. Secunda vero ad perfectionem, quia eſt actualis. In præſentia ergo loquimur de infinitate poſteriori modo ſumpta. Et quia bonum, & perfectum, vt paulo ante diximus, ex integra cauſa conſurgit, hinc prouenit, quod vt gratia ſit infinita ſimpliciter in eſſe gratiæ, neceſſum eſt, quod omni ex parte habeat infini-

finitatem in eſſe gratiæ, & ſi ex aliqua ratione fuerit finita, appellanda erit finita ſimpliciter in eſſe gratiæ, quamuis aliquas, & multas rationes habeat infinitas in tali genere. Quo ſuppoſito variæ ſunt Theologorum ſententiæ.

Prima eſt, Ioan. Maioris in 3. d. 13. q. 3. qui libenter fatetur Chriſti gratiam eſſe ſimpliciter, & actu infinitam ſecundum intenſionem, & extenſionem, atque adeo, & in ratione gratiæ. Hæc ſententia placere debet illis omnibus Theologis, Greg. Arim. & quibuſdam alijs, qui ſibi perſuaſum habent nullam eſſe implicationem in hoc, quod detur aliquis effectus extra ſuas cauſas actu infinitos, & cõſequenter, quod hæc actualis intenſiua, & extenſiua infinitas non repugnat gratiæ. Nam qua probabilitate negabitur Chriſti gratiæ hæc poſſibilis infinitas, cum Chriſtus ſit ipſe fons totius gratiæ, & debeatur eius animæ, ex vi vnionis hypoſtaticæ, tota ipſa gratiæ plenitudo, & ex parte ſubiecti, & ex parte gratiæ, vt ſupra diximus cum S. Th. 3. p. q. 7. ar. 12.

Secunda ſententia, quam docet S. Bonau. eadem diſt. q. 1. art. 2. aſſerit, quod gratia Chriſti ſi conſideretur ſecundum ſe ipſam, & per ordinem ad animã Chriſti in qua ſubiectatur, ſimpliciter eſt finita: Eſt autem infinita in ratione gratiæ per comparationẽ ad membra Chriſti, & vt eſt gratia capitis. Quia Chriſti gratia incommenſurabilis eſt, cuicumque gratiæ puri hominis, & quantumcomque creſcat gratia hominis puri, non poterit attingere gradum gratiæ plenitudinis Chriſti: & ideo gratia Chriſti comparatione ad gratiam membrorum ſimpliciter eſt infinita in eſſe gratiæ. Ad hanc ſententiam reducitur opinio, quam docet Michael de Palacios eadem diſt. diſputatione vnica, dicit enim infinitatem gratiæ Chriſti, neque intenſiuam eſſe, neque gradualem, ſed extenſiuam, quatenus opera Chriſti meritoria ex ipſius Chriſti gratia prouenietia poſſent conferre ad redemptionem, & ſanctificationem infinitorum hominum, ſi de facto fuiſſent homines infiniti.

Inter diſcipulos S. Thom. communis ſententia videtur eſſe, quod gratia Chriſti, in eſſe qualitatis, & ſecundum intenſionem, eſt ſimpliciter & actu finita, eſt autem infinita in ratione gratiæ. Verum in explicando modum infinitatis quem habet in eſſe gratiæ, diuerſimodè procedunt ij Theologi. Quidam enim dicunt gratiam Chriſti eatenus ſolum dici infinitam in ratione gratiæ, quatenus operatur omnes effectus poſſibiles ipſi gratiæ: ita quod non eſt factibile per abſolutam Dei potentiam, quod gratia Chriſti, vel cuiuſuis iuſti ad aliquem effectum ſe extendat, ad cuius ſimilem ſecundum eſſentialem ſpeciem non ſe extendat de facto ipſa Chriſti gratia. Verum, quia non efficit hos effectus in ſummo gradu per abſolutam Dei potentiam poſſibili: (non enim infinita intenſione qualificat animam, neque eam reddit ad ſummum gloriæ gradũ acceptam) idcirco hæc ratio non ſufficit conſtituere Chriſti gratiam ſimpliciter infinitam in eſſe gratiæ, & ſi prædictam infinitatem intra genus, & ſpeciem gratiæ ei tribuat: Atque adeo poteſt quidem dici infinita intra rationem gratiæ, quia habet aliquam infinitatem, quæ intra hanc rationem comprehenditur, nimirum, quod extendit ſe ad omnes poſſibiles effectus gratiæ. Cæterum non poterit dici infinita in eſſe gratiæ, ſeu in ratione gratiæ, quia iſtæ locutiones, vt ſupra aduerti, denotant totalem infinitatem gratiæ, ſecundum propriam rationem gratiæ. Ad hunc modum ſolet lux Solis infinita à nonnullis vocari, eo quod lux in Sole ad omnes ſuæ naturæ poſſibiles effectus ſe extendit.

Quidam alij Thomiſtæ dicunt, gratiam Chriſti infinitam eſſe ſecundum quandam extrinſecam Dei acceptationem, quatenus Deus acceptat ipſam, vt ſit principium infiniti meriti, & infinitæ ſatisfactionis, & vt ſit debita diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam. Cæterum hæc acceptatio Dei nullam veram, & realem infinitatem ponit in ipſa.

Denique iuniores quidam alij Theologi dicunt, quod ſi Chriſti gratia eſſentialiter conſideretur in ratione gratiæ, nullam habet infinitatem actualem, & Cathegorematicam, quia eſt omnino eiuſdem ſpeciei cum gratia aliorum iuſtorum. Cæterum ex eo, quod eſt in tali ſubiecto, nimirum, in Chriſto conſurgit in ea quidam modus realis, & phyſicus, qui eſt modus infinitatis per quem conſtituitur ſimpliciter infinita in eſſe gratiæ. Et hic realis infinitatis modus tribuit Chriſti gratiæ quandam modalem ſpeciem ſuperadditam eſſentiali ipſiuſmet gratiæ ſpeciei. Vnde inferunt, quod ſi verbum relinqueret humanitatem, gratia in humanitate permanens retineret eandemmet eſſentialem ſpeciem, quam nũc habet in Chriſto, non tamen ſpeciem illam, quæ ei competit ex modo infinitatis ſupradicto. Hæc, & alia huiuſmodi commentantur Theologi circa infinitatem gratiæ Chriſti, ſed pro reſolutione ſit.

§. 5. *De præcedentibus ſententijs iudicium per ſeq. concluſiones.*

Prima concluſio.

Illa ſententia, quæ docet gratiam Chriſti infinitam eſſe ſecundum acceptationem Dei extrinſecam tantum, falſa eſt, & improbabilis, atque omnino impertinens. Patet, quia hæc extrinſeca Dei acceptatio nullam perfectionem ponit in ipſa Chriſti gratia: Ergo ad inquirendam perfectionem, & infinitatem gratiæ Chriſti, impertinenter recurritur ad extrinſecam Dei acceptationem, ſecundum quam albedo Chriſti, imo, & albedo Petri poſſet eſſe infinita: nam poſſet Deus ſi vellet acceptare illam ad quamlibet dignitatem, & ad quemcunque finem comparandum. Igitur in materia gratiæ, ſiue in communi de gratia, ſiue in ſpeciali de gratia Chriſti ſermo fiat, releganda eſt à ſcholis huiuſmodi acceptatio Dei extrinſeca: quia impertinenter ſe habet ad perfectionem gratiæ, & iuſtitiæ formaliter inhærentis animæ. Et ex hac doctrina acceptationis externæ facilè poſſemus incidere in eum Lutheranorum errorem, qui totam animæ iuſtitiam, & gratiam reuocant ad extrinſecum Dei fauorem. Neſcio an Scot. in 4. d. 1. q. 6. §. contra iſtam concluſ. & §. Ad argumenta, & d. 6. q. 2. quẽ Gabriel. & alij ſequuti ſunt, reprehendendus ſit in hac parte, eo quod impij iuſtificationem, & ſanctificationem animæ, ac peccati ſiue actualis, ſiue originalis remiſſionem

non

non fieri formaliter per infuſionem gratiæ, ex vi ipſius gratiæ exiſtimauit, ſed ex voluntate Dei non imputantis & condonantis peccatum, & acceptãtis hominem ad æternam vitam. Certè hic theologandi modus non admodum ſecurus apparet viris egregiè doctis, quibus ego libenter aſſentior. Oportet enim, vt modus loquendi theologicus in materia iuſtificationis impij longius recedat à recenſito Lutteranorum errore. Sed de hoc alias.

§.6. *Secunda Concluſio.*

Falſa eſt, & parum probabilis ſententia, quæ affirmat habitualem Chriſti gratiam actu, & cathegorematicè eſſe ſecundum intenſionem ſimpliciter infinitam. Hæc concluſio, quæ Ioan. Maioris ſententiæ aduerſatur, conſentanea eſt omnium ferè Theologorum doctrinæ in 3.d. 13. imò & Phyloſophorum, qui cum Ariſt. 3. phyſ. & S. Th. 1. p. q. 7. exiſtimant nõ eſſe poſſibilem effectum aliquem à Deo produci actu, & cathegorematicè in aliquo genere infinitum. Et omnia argumẽta, quibus Phyloſophi, & Theologi hanc ſententiam in communi probant, ſi ad peculiarem noſtræ concluſionis materiam determinentur, ipſam efficaciter comprobabunt, certamque efficient, & indubitatam. Duæ rationes inter alias potiſſimum ſunt expendendæ.

Prima in hunc modum formatur. Non eſt producibilis à Deo aliquis effectus, niſi in eo gradu quem Deus determinatè cognoſcit, ſed nõ cognoſcit Deus, quia non cognoſcibilis eſt, vltimum, & determinatum intenſionis gradum in quo gratia actu, & cathegorematicè poſſit eſſe intenſionis infinitæ. Non ergo producibilis eſt gratia infinitè intenſa. Antecedens probatur. Gratia ex propria ſui ratione eſt in infinitum augmentabilis, ita vt quocumque intenſionis gradu dato, ad vlteriorem progredi poſſit: Ergo non eſt dabilis gradus gratiæ vltimus ſecundum intenſionem, atque adeo non eſt cognoſcibilis à diuino intellectu.

Secunda ratio eſt huiuſmodi. Si produci poteſt gratia intenſionis actu infinitæ, ita vt ad vlteriorem intenſionis gradum per nullam potentiam progredi poſſit: Sequitur poſſe ſimpliciter exhauriri diuinam potentiã, in hoc ſenſu, quod poſſint dari producti extra ſuas cauſas omnes effectus poſſibiles à Deo produci, & ſecundum omnes poſſibiles modos ſub quibus à diuina potentia effici queunt. Conſequens manifeſtam præfert abſurditatem, neque ab vllo, vel mediocriter ſapiente, vt probabile, admittetur: Nam quæ maior obſecro abſurditas, quam fateri Dei omnipotentiam ad eum ſtatum peruenire poſſe, in quo impotens cenſeatur, ideſt, in quo nihil reuera poſſit efficere? Ergo, &c. Sequelam probo. Eadem prorſus ratione, quã Dei omnipotentia poteſt producere gratiam infinitę intenſionis, valebit etiam efficere eandem gratiam ſub omnibus illis modis conſtitutam, quæ ſunt poſſibiles ſecundum ipſam Dei omnipotentiam: Nam quantum ad præſens inſtitutum attinet, quæ alia poteſt eſſe ratio de modis alijs quibuſcumque ab ea, quæ eſt de modo intenſionis infinitæ? Item ſi hæc admittuntur de habituali gratiã, quare, & in omnibus, & in ſingulis alijs creaturis non erunt admittenda? Et quare non poterit Deus omnes poſſibiles creaturas quantum ad numericas, & ſpecificas omnes poſſibiles rationes in rerum natura ſimul efficere? Quod ſi efficiat, intentum habemus, nimirum, exhauſtam relinqui ipſam Dei omnipotentiam. Noſtra igitur ſecunda concluſio & vera, & certa cenſeri debet.

§.7. *Tertia Concluſio.*

Sententia illa, quæ docet Chriſti gratiam in ſemetipſa finitam eſſe, infinitam autem ſimpliciter, & cathegorematicè per comparationem ad gratias membrorum, neque vera eſt, neque ſatis probabilis.

Probatur primo. Si gratia Chriſti in ſemetipſa finita eſt: Ergo cuicumque alteri gratia comparata retinebit hanc finitatem, & limitationem, quia comparatio ad extrinſecum non præſtat infinitatem ſimpliciter rei comparatæ Quod ſi conferl infinitatem, illa infinitas intrinſeca erit ipſi rei comparatæ: niſi recurramus ad extrinſecam illam Dei acceptationem, quam in prima concluſione exploſimus. Si autem eſt intrinſeca gratiæ talis infinitas: Ergo in ſemetipſa erit infinita, & non ſolum per comparationem ad gratias membrorum, quod negat prædicta ſententia.

Secundo probatur. Gratia Chriſti per comparationem ad gratias membrorum, tantum differt à ſemetipſa, ſicut differt gratia capitis à gratia perſonali: Nam quod gratia Chriſti ſit gratia capitis, in eo ſolum conſiſtit, quod non ſolum gratificat Chriſti animam, ſed eſt etiã gratificatiua, & ſanctificatiua omnium animarũ, ſed gratia capitis in Chriſto eſt omnino eadem gratia cum gratia perſonali, & non addit ſupra gratiam perſonalem aliquam perfectionẽ, ſed reſpectum tantum ad membra, vt colligitur ex S. Thom. 3. p. q. 8. ar. 4. ergo, &c.

Confirmatur ratione ex S. Doct. loco proximè citato deſumpta. Subiectum, quod per aliquam formam operatur ad extra, non operatur niſi quatenus eſt actu conſtitutum per talem formam, & ſecundũ virtutem, quam in ſemetipſo habet ab illa forma ſuſceptam, nam calefactiuum, V. G. non calefacit vltra virtutem, quam ſuſcipit à calore à quo conſtituitur actu calidum. Et ratio in communi propoſita huic veritati atteſtatur, quia omne agens agit in quantum eſt in actu, & iuxta proportionem ſui actus, & non alias: Ergo anima Chriſti per gratiam habitualem nihil influit, & nihil operatur in membra, niſi iuxta proportionem gratiæ, quam habet in ſemetipſa, & ſecundum quod eſt conſtituta in actu per huiuſmodi gratiam: Ergo non eſt gratificatiua aliarum animarum, niſi iuxta proportionem, qua ipſa eſt actu grata: Vnde impertinenter ſtatuitur illa diſtinctio, quod gratia Chriſti in ſeipſa eſt finita, & cõparatione ad gratias membrorum eſt infinita ſimpliciter. His argumentis confutatur etiam ſententia Mich. de Pala. qui aſſerit Chriſti gratiam intenſiuè finitam ſimpliciter, extenſiuè vero eſſe ſimpliciter infinitam. Etenim nulla forma poteſt ſe extendi ad producendos infinitos effectus, ſi in ſemetipſa non fuerit infinita: Atq; adeo extenſio infinita in aliqua forma præſupponit infinitam perfectionem, & intenſionem in eadem forma. Voco intenſionem, perfectio-

fectionem intrinſecam ipſius formæ: non enim ſtrictè loquor de intentione accidentaria, quæ fit per maiorem inhæſionem, & radicationem in ſubiecto. Iſta ratio procedit, ſuppoſito, quod extenſio non ſit purè materialis, ſed formalis. Nam ſi extenſio purè materialis fuerit, forma ſimpliciter finita poterit extendi ad infinitos effectus. Sicut vnica candela per eandem omnino virtutem poterit lucem communicare infinitis candelis, ſecus autem eſt, ſi lux magis ac magis accreſceret in ipſis candelis, nam tunc eſſet extenſio formalis ſecundum maiorem, & maiorem perfectionem, atq; adeo neceſſaria quoque eſſet infinita lux in candela, ex qua fieret iſta extenſiua communicatio. Quæ non ſolum extenſiua eſſet, ſed & ſimpliciter intenſiua. Et quoniam extentio gratiæ ad infinitos homines ſi infiniti darentur, non purè materialis eſſet, ſed formalis, & ſimpliciter intenſiua, idcirco argumentum factum efficax eſt contra ſententiam S. Bonauen. & Mich. de Palatios. Ex dictis in hac concl. ſequitur falſo quoſdam S. Thom. diſcipulos interpretari ſuum magiſtrum in 3. p. q. 7. art. 11. quod cum aſſeruit Chriſti gratiam eo infinitam eſſe, quia collata fuit animæ Chriſti, tamquam vniuerſali principio gratificationis: intellexerit gratiam infinitam eſſe ſecundum extenſionem duntaxat. Falſa eſt hæc interpretatio, & contra S. Thom. mentem, qui q. ſeq. art. 6. extenſionem gratiæ, ad perfectionem eius intenſiuam reducit.

§. 8. *Quarta Concluſio.*

CHriſti Domini gratia infinita eſt in eo ſenſu, in quo lux Solis poteſt etiam dici infinita, videlicet, quia exequitur in Chriſto omnes effectus poſſibiles gratiæ, neque vllus eſt ſignabilis ad quem non ſe extendat gratia Chriſti.

Docuit hanc veritatem S. Ioan. Chryſoſt. hom. 29 in Ioan. vbi exponens illud Ioan. 3. *Non ad menſuram dat Deus ſpiritum*, ita inquit, *Alijs datur ſpiritus ad has, vel illas functiones, filio vero ad omnes.* Itaq; Chriſti gratia habet totum, quod pertinet ad bonū vſum, & perfectionem gratiæ tam gratum facientis, quam gratis datæ, tam gratiæ perſonalis, quam gratiæ capitis, & ad omnia gratiæ munia ſe magna cum perfectione extendit: Et ob id infinita vocatur à grauiſſimis Theologis. Et Chriſtus Ioan. cap. 3. dixit eſſe datam non ad menſuram, id eſt, non limitatam ad peculiares aliquot gratiæ effectus. Hanc gratiæ infinitatem agnouit S. Thom. in gratia Chriſti, 3. par. quæſt. 7. art. 11. verum quia hæc infinitas non eſt infinitas ſimpliciter, nam vt ſupra dicebam, licet gratia Chriſti ſe extendat ad omnes effectus gratiæ, non tamen omnes exequitur infinitè, idcirco S. Thom. in iſto art. non dicit Chriſti gratiam ſecundum iſtam rationem eſſe ſimpliciter infinitam, ſed quod poteſt dici infinita: Quo modo loquendi inſinuauit, quod hac ratione infinitas gratiæ limitata eſt, & non plenaria infinitas in eſſe gratiæ. Quocirca alia via oportet quærere gratiæ infinitatem. Quod fecit S. Tho. eodem art. ad 2. vbi inquit, quod gratia habet infinitum effectum, tum propter infinitatem prædictam, quæ eſt iſta, quam nunc expoſuimus, tum etiam propter infinitatem diuinæ perſonæ, cui gratia vnitur in humanitate perſonæ diuinæ: hanc ſecundam infinitatem, quę competit gratiæ ex coniunctione ad diuinitatē verbi inueſtigamus hoc loco, & quærimus an ſit tanta, quæ conſtituat gratiam ſimpliciter infinitā in eſſe gratiæ. Vnde ſit.

§. 9. *Quinta Concluſio.*

CHriſti gratia ex coniunctione ad Verbum non participat infinitatem phyſicam, vel eſſentialem, vel modalem, quę illam in eſſe gratiæ conſtituat infinitam ſimpliciter. Iſta concluſio quantum ad infinitatem eſſentialem vniuerſis S. Thom. diſcipulis placet. Et probatur primo. Eſſentia gratiæ in duobus conſiſtit: Primum, quod reddit animam formaliter participem diuinæ naturę. Secundum, quod eam conſtituit formaliter acceptam ad gloriam. Primum pertinet ad effectum primarium formalem gratiæ: Secundum vero ad effectum eius ſecundarium: ſed quo ad vtrumque Chriſti gratia ſimpliciter eſt finita: Ergo eſſentiam habet finitam phyſicè loquendo. Minor patet, nam diuina natura adhuc magis eſt participabilis, quam per gratiam participetur à Chriſti anima, quia cum ſit in infinitū participabilis non poteſt totaliter participari. Item in confeſſo eſt apud omnes Theologos, quod Chriſti anima potuit per abſolutam Dei potentiam ad maiorem gloriam, nimirum, ad perfectiorem Dei intuitiuam viſionem acceptari, quam eſt de facto acceptata, eo quod Chriſti anima non comprehendit eſſentiam Dei, per viſionem illam beatificam, qua nunc ipſam intuetur: ergo, &c.

Secundo probatur. Charitas, lumen gloriæ, & cætera Spiritus ſancti dona phyſicè loquendo ſimpliciter ſunt finita: Ergo & ipſa gratia, ex qua exoriūtur hæc ſupernaturalia dona, eſſentialiter eſt finita: patet conſequentia, quoniam effectus, qui per naturalem reſultantiam procedit à forma: proportionātur ipſi formæ: Ergo ſi hęc dona quę reſultant ex gratia, ſunt ſimpliciter finita in ſuis proprijs rationibus, & eſſentijs, manifeſtum eſt, quod & ipſa eſſentia gratiæ in eſſe gratiæ, eſt ſimpliciter finita.

Denique probatur Gratia Chriſti in eſſe qualitatis eſt ſine dubio finita, vt retro expoſuimus. Sed qualitas eſt ratio eſſentialis gratiæ, quia eſt ratio generica ipſius: Ergo non eſt poſſibile, quod gratia Chriſti in eſſe gratiæ ſit ſimpliciter infinita. Et confirmatur. Differentiæ ſpecificè continentur ſub potentia generis: Ergo quando ratio generica eſt ſimpliciter finita, differentia etiam ſpecifica finita eſt, & limitata: atq; adeo differentia ſpecifica, & eſſentialis gratiæ non poteſt eſſe infinita ſimpliciter in Chriſti gratia, cum ratio qualitatis, quæ eſt ratio eius generica, non ſit in ipſa ſimpliciter infinita.

Deinde probatur concluſio eadem quantum ad rationem modalem, oſtenditurq; nullum eſſe modum phyſicum in Chriſti gratia, qui ſit infinitus ſimpliciter in ratione gratiæ, & qui ipſam conſtituat in eſſe gratiæ ſimpliciter infinitam: cuius oppoſitum nonnulli graues Theologi docuerunt.

Probatur primo. Non eſt facile, imo eſt difficillimum explicare, quiſnā ſit iſte modus, quoniam nō poſſumus alium fingere, quam quod gratia, mediante anima Chriſti, in qua reſidet, eſt ſupernaturaliter terminata, & cōpleta a verbo: ſed hæc modificatio,

& ter-

Digitized by Google

& terminatio non inducit infinitatem ſimpliciter ineſſe gratiæ: Ergo, &c. Probatur minor. In ipſa eſſentia animæ, & in ipſa Chriſti humanitate ad quam primo hæc terminatio pertinet, non inducitur ſimilis infinitas: Etenim Chriſti humanitas non eſt infinita ſimpliciter in eſſe humanitatis, neque eſſentialiter, neque modaliter. Item reliqua accidentia, ſiue ſpiritualia, & ordinis ſupernataralis, vt ſcientia inſuſa, ſiue ordinis purè naturalis, vt albedo, ſcientia acquiſita, &c. Ex hac terminatione non induunt infinitatem ſimpliciter in ſuis proprijs rationibus: etenim ſcientia Chriſti, ſiue per ſe infuſa, ſiue per ſe acquiſita non eſt ſimpliciter infinita in ratione ſcientiæ, quod ſatentur omnes Theologi, quia poſſet creſcere per abſolutam Dei potentiam ſecundum formalem rationem ſcientiæ, poſſet enim intellectus Chriſti plura cognoſcere per vtramque ſcientiam, quam de facto cognoſcit, & ea quæ nunc cognoſcit, perſectius noſſe. Ergo proportionabiliter dicendum eſt de habituali gratia, quod illa terminatio perſonalis nullam inducit infinitatem ſimpliciter in ipſa ſecundum rationem gratiæ. Certè tam eſt difficile aſſignare hunc modum phyſicum infinitum in Chriſti gratia, vt non defuerint viri Doctiſſimi, qui vt hunc modum infinitum in Chriſti gratia tuerentur, dicerent, quod ipſummet verbum ſe ipſo quaſi modaliter conſtituit gratiam Chriſti infinitam ſimpliciter in eſſe gratiæ: Verumtamen hic modus dicendi eſt omnino impertinens, tum quia eadem ratione eſſet dicendum, quod diuinum verbum terminans humanitatem, ſimiliter eam modificat, ipſam in eſſe humanitatis infinitam ſimpliciter conſtituens, quod eſt falſiſſimum. Tum etiam, quia chimericum apparet, dicere, quod diuinũ verbum induat rationem modi phyſicè modificantis gratiam, modalis enim modificatio imperfectionem inuoluit.

Secundo probatur, quod non reperiatur hic modus phyſicam infinitatem tribuens gratiæ Chriſti. Vnio diuini verbi ad naturam humanam non eſt operatiua, & factiua alicuius effectus, ſed tantum eſt terminatiua, & completiua naturæ: Ergo, ex vi vnionis, neque in Chriſti humanitate, neque in eius gratia, neque in aliquo eius accidenti, ſiue naturali, ſiue ſupernaturali reſultat aliquis nouus modus præter paſſiuam terminationem ſuppoſitalem, cuius ratione gratia poſſit aliquam phyſicam infinitatem participare. Antecedens videtur clarum, quia ſuppoſitum ſecundum quod propriam exequitur rationem ſuppoſiti, nihil efficit, ſed tantum habet terminare naturam.

Confirmatur. Diuinum verbum terminat, & complet humanitatem propria perſonalitate verbi: At verbi perſonalitas nullius effectus eſt productiua, cum ſit relatio, ſcilicet, filiatio, quæ forma operatiua non eſt: Ergo diuinum verbum, prout terminat humanitatem, nullum effectum, nullumque phyſicum modum in ipſa humanitate, aut in eius accidentibus efficit.

Tertio probatur. Ille modus infinitatis phyſicus neque efficitur à verbo naturali, & neceſſaria reſultantia, neq. noua actione: Ergo nullo modo fit, atq. adeo non eſt. Probatur antecedens. Et primum, quod modus ille non procedat à verbo per naturalem, & neceſſariam reſultantiam, apparet maniſeſtum: Quia videtur non bene affirmari poſſe, quod verbum aliquem operetur effectum neceſſario, & non liberè, omnia enim opera Dei, & omnis eius actio ad extra ex libertate procedunt, *Operatur enim omnia*, inquit Paul ad Eph. c. 1. *Secundum conſilium voluntatis ſuæ*. Probatur vero, quod non producatur a verbo per nouam, & liberam actionem; Quoniã alias ſequerentur duo, quæ non admittentur à Theologis. Primũ eſt. Quod modus hic phyſicè infinitatis, immediatè fieret à tota Trinitate, & non procederet à verbo, quatenus eſt humanitatis ſuppoſitum; At omnes Theologi, qui aliquam infinitatem conſtituunt in Chriſti gratia, totam redducunt ad verbum, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, & ad ipſam vnionis gratiam: ergo, &c. Sequela patet, illum modum phyſicè infinitatis non cauſat verbum per actionem alicuius humanæ potentiæ, ſed immediatè per actionem virtutis, & potẽtiæ diuinæ: Ergo verbum non cauſat iſtum modum phyſicum, prout eſt ſuppoſitum humanitatus, ſed prout conuenit cum Patre, & Spiritu ſancto, in potentia, & virtute diuina, atque adeo prout eſt diuinitatis ſuppoſitum. Secundum inconueniens eſt, quod poſſet fieri per abſolutam Dei potẽtiam, quod Chriſti gratia nullam haberet infinitatem in ratione gratiæ, conſequens non admittitur à Theologis, quia hãc in ipſa infinitatem agnoſcunt. Dicunt enim quod hoc ipſo quod gratia eſt in tali ſubiecto, ſcilicet, in humanitate vnita verbo hypoſtaticè, non poteſt non eſſe infinita in ratione gratiæ, ſicut humanitas Chriſti eo ipſo, quod vnitur verbo, non poteſt nõ induere quandam infinitam dignitatem, vt dicit S. Thom. 3. p. loco citato: Ergo &c. Sequela patet, quoniam ſi verbum per nouam, & liberam actionem produxit illum infinitatis modum, potuiſſet nõ producere, alias, non liberè, ſed neceſſariò produxiſſet, & poſſet modo ſi vellet ſeparare hunc modum infinitatis ab ipſa gratia: ergo.

Confirmatur primo vis huius argumenti. Si modus hic infinitatis phyſicæ non habet aliquam neceſſariam connexionem cum hypoſtatica vnione, ſed noua, & libera actione verbi fuit productus, voluntariè, & ſine fundamento aſſeritur à Theologis infinitas gratiæ Chriſti; quia nulla eſt ratio, qua poſſit cõſtare, diuinum verbum libere effeciſſe hunc modum infinitatis in ſua gratia, At Theologi, qui docẽt Chriſti gratiam eſſe infinitam, putant hanc infinitatem intrinſecam eſſe, & neceſſariam gratię Chriſti, prout eſt in tali ſubiecto: ergo.

Confir. ſecundo. Sequitur quod poſſet Deus ſimilem infinitatem tribuere gratiæ cuiuslibet hominis iuſti, ita vt gratia Petri tam eſſet infinita in ratione gratiæ, quam eſt gratia Chriſti: Conſequens non admittetur apertioribus Theologis, ſicut neque admittent, quod operationes procedentes à gratia Petri poſſint habere tantum valorem, quantum habẽt operationes profectæ à Chriſti gratia, de qua multa dici ſolent à S. Tho. diſcipulis 3. p. q. 1. art. 2. in illa celebri diſputatione. Num purus homo poſſet perfectè ſatisfacere Deo pro vniuerſis hominum peccatis. Probatur vero ſequela. Quicumque modus phyſicus, cuius eſt capax gratia Chriſti, poteſt poni in quacũq. gratia, & ex alia parte hic modus infinitatis phyſicæ cum ſit libere productus à verbo, non habet maiorẽ

connexionem, neq. magis intrinſecã, & eſſentialẽ cũ Chriſti gratia, quã cũ gratia alterius iuſti, alias, ſi intrinſecã haberet connexionẽ cũ gratia Chriſti, nõ libere, ſed neceſſariò, nõ per actionẽ liberã, ſed per neceſſariã reſultãtiã ei cõpeteret: Ergo cum modus iſte infinitatis phyſicę, nec libertate, neq. neceſſitate fuerit communicatus gratiæ, fateri tenemur non reperiri talem infinitatis modum in ipſa Chriſti gratia.

Sed arguit quiſpiam aduerſus hanc noſtram quintam concluſionem, duplici argumento. Primo. Habituali Chriſti gratiæ ex reali coniunctione ad diuinum verbum conuenit, quod ſi gratia capitis, quod ſit gratificatiua, & ſanctificatiua omnium hominũ, etiam infinitorum ſi infiniti darẽtur, & hoc quidem non ſolum ſecundum moralem, & meritoriam virtutem, ſed etiam, vt inferius quæſt. 6. explicabitur, ſecũdum phyſicam efficientiam: Ergo negari non poteſt quin aliquis modus phyſicæ infinitatis reſultauerit in ipſa Chriſti gratia ex reali coniunctione ad verbum, alias enim qua ratione poterat, ſanctificatiua eſſe, & gratificatiua infinitorum hominum ſecundũ efficientiam phyſicam.

Reſpondetur huic obiectioni, quæ totum fundamentum eſt ſententiæ contrariæ. Quod in ipſa Chriſti humanitate manifeſtum habemus exemplum, ex quo dilui poteſt præſens obiectio. Nam certa fide in Conc. Ephe. 1. tradita credere tenemur Chriſti humanitatem, & carnem, noſtrarũ animarum eſſe ſanctificatiuam, nam ſacra illa ſynodus in Epiſt. Conc. Alexandr. can. 11. lecta, & probata ab eadem S. Synodo Epheſ. ipſam Chriſti carnem appellat viuificatricem, qui modus loquendi ſatis frequens reperitur apud ſanctos patres, in ijs præſertim locis in quibus de ſancto Euchariſtiæ ſacramẽto, & de ſpirituali eius effectu ſermonem inſtituere. Imo & idipſum affirmauit Chriſtus cum Ioan. 6. dixit. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*. At nullus Theologorum hactenus dixit, quod ex hypoſtatica vnione ad verbum reſultauerit in Chriſti humanitatem, & carnem modus aliquis phyſicæ infinitatis, qui ipſam conſtitueret viuificatricem, & ſanctificatricem animarum. Cur ergo adſtringimur huiuſmodi infinitatis modum in habituali Chriſti gratia conſtituere, vt ipſam fateamur ſanctificatiuam, & gratificatiuam omnium hominum?

Quare ad formam argumenti, neganda eſt conſequentia, ad cuius vim euadendam dicatur. Quod ſicut Chriſti caro ex coniunctione ad verbum abſque aliquo reali, & phyſico infinitatis modo ſuper addito, viuificatrix eſt, & ſanctificatrix infinitarum animarum, ſi infinitæ eſſent per modum inſtrumenti coniuncti diuini verbi, ita & habitualis gratia per modum cuiuſdam formæ inſtrumentariæ non immediatè, ſed mediante Chriſti anima diuino verbo coniunctæ vim habet ſanctificatiuam, & viuificatiuã infinitorum hominum. Vt autem, & Chriſti caro, & habitualis eius gratia dici poſſint abſolutè viuificatrices, & ſanctificatrices animarum, ſatisfuerit ipſa realis coniunctio qua coniunguntur verbo, quod eſt ipſa eſſentialis vita, & ſanctitas, & quod in hunc finẽ, vt ſuperius dicebamus, venit in mundo caro factum, plenumque veritatis, & gratiæ, vt hominem viuificaret. *Veni*, inquit ipſe, Ioan. capit. 10. *Vt vitam habeant, & vt abundantius habeant*. Nam hoc ipſo quod & caro, & gratia realem hanc, & hypoſtaticam vnionem habeant cum verbo, paſſiuamque realem terminationem ab ipſo ſuſcipiunt, ſtricto quodam iure eis debetur, vt in opere redemptionis, & ſanctificationis humanæ, vt inſtrumenta verbi coniuncta aſſumantur. Imo & crediderim non ſolum iſto hypoſtaticę coniunctionis titulo inſtrumentariam hanc efficiẽtiam, humanitati Chriſti, & habituali eius gratiæ deberi, verum etiam, & quodam morali iure id quoque debitam eſſe. Exiſtimo enim, quod illo primo voluntatis Chriſti opere, quo ingrediens in mundum noſtram nobis redemptionem, & ſalutem meruit, de quo opere loquebatur Paul. ad Heb. 10. cum dixit, quod illa prima Chriſti voluntate, vſque ad crucis patibulum continuata, ſanctificati ſumus: hoc inquam opere meruit etiam Chriſtus ſuæ humanitati, habitualique ſuę gratiæ, hanc inſtrumentariam vim ſanctificatiuam, ideſt, meruit ipſis, vt aſſumerentur à diuino verbo tanquam inſtrumenta ei coniuncta ad efficiendum, & cauſandum phyſica actione totum illum ſpiritualem effectum, ad quem ſe extendebat ipſum Chriſti meritum. Vnde ſicut immortalitatis gloria duplici iure, & morali, & connaturali, debita fuit Chriſti corpori, vt ſana habet Eccleſiæ doctrina (de qua alias) ita & duplici conſimili iure debitum fuit Chriſti gratiæ, vt in opere ſanctificationis animarum locum habeat inſtrumentariæ coniunctæ formæ. Vnde meritò ſanctificatiua, & gratificatiua vocatur, non ſolum in ordine morali, ſed etiam in ordine phyſico, abſque vllo phyſicæ infinitatis modo ex vnione ad verbum in ipſam reſultanti.

Eſt ſecundum argumentum contra eandem concluſionem. In calore animalis ex coniunctione ad ipſam animalis vitam participatur quidã modus vitalis, & ſubſtantialis, cuius ratione eſt proprium ipſius animalis vitæ inſtrumentum ad vitales actiones, & functiones exequendum: Ergo proportionabiliter fateri tenemur de Chriſti gratia, quod ex reali coniunctione ad verbum quendam modum phyſicæ infinitatis participat, cuius ratione proportionatum eſt ipſius verbi inſtrumentum. Et hoc quidem per locũ a fortiori dicendum videtur, quoniam calori accidit omninò eſſe in animali, non enim animal eſt ſubiectũ proportionatum naturæ caloris: at Chriſtus ſubiectum eſt gratiæ eius naturæ valde proportionatum, vti dicebamus ſuperius.

Huic argumento (quod Authoribus contrariæ ſẽtentiæ ſolet eſſe in eius perſuaſionem ſatis familiare) poſſet primo reſponderi, quod calori animalis non ineſt intrinſecè aliqua viuificatiua virtus ab eſſentiali animalis vita in ipſum calorẽ deriuata, ſed calor ita eſt à natura diſpoſitus, & in ea intenſionis mediocritate conſtitutus, vt poſſit eſſe proportionatũ animalis vitæ inſtrumentum. Quoniam vero vſus actualis, quo ipſa animalis vita calori naturali vtitur, cõtinuus eſt, & perpetuus quamdiu ipſum animal viuit (nutritur enim animal aſſidue: Ariſtot. lib. 1. de ortu, & interitu dicente) idcirco ſolet aperitioribus phyloſophis inſinuari, quod calor animalis virtutem accipit permanentem, & ſibi intrinſecatam à propria, & eſſentiali animalis vita.

Hæc ſolutio, & ſi abſque improbabilitate vlla poſſit defendi, mihi tamen non libet eam complecti.

Video

Video enim indeciſo ab animali ſemine vitalem virtutem permanentem, & ipſius ſeminis calori inſitā, & independentem ab actualis animali motione, & vſu, quod mihi manifeſto eſt argumento, ſimilem permanentem virtutem in ipſo animalis calore ſore admittendam. Quare ad argumentum aliter reſpondeo. Et dato antecedenti, nego conſequentiam. Et differentiæ ratio inter animalis calorem, & Chriſti gratiam ex his, quæ in ſuperioribus repetimmus, quā ſæpius, eſt manifeſtum, videlicet, quod coniunctio caloris ad eſſentialem animalis vitā eſt formalis, ideſt, quod calor ſubordinatur animalis vitæ, vt accidentalis, & inferior forma ſuperiori formæ, & eſſentiali, atque adeo vim quandam formalem vitalem ab ipſa participat: coniunctio autem gratiæ habitualis ad verbum in Chriſto non formalis eſt, ſed ſuppoſitalis, quoniam verbum non exequitur rationem formæ, ſed tantum ſubſtantialis ſuppoſiti naturam humanā, & eius accidentia terminantis. Suppoſitum autem in ratione ſuppoſiti nihil efficit, ac proinde nulla virtus, neque finita, neque infinita ad habitualem gratiam ex ipſo effluit, & dimanat: conſurgit tamen in habituali Chriſti gratia ex coniunctione ad verbum veluti quoddam cōnaturale ius, vt aſſumatur tanquā inſtrumentum in operationibus ſanctificatiuis, & gratificatiuis animarum.

Eſt tertium argumentum aduerſus eandem conclusionem. Gratia Chriſti infinita eſt in ratione diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam, vt docuit S. Th. 3. p. q. 7. a. 12. & q. 10. ar. 4. ad 3. Sed hęc infinitas ad phyſicum ſpectat ordinem: ergo quinta concl. nō eſt abſolutè concedenda. Minor patet, quia ratio diſpoſitionis ad hypoſtaticam vnionem cōſiſtit in hoc, quod humanitas fiat proportionata diuino verbo, cui perſonaliter vnitur, huiuſmodi autem proportio nō poteſt non eſſe phyſici ordinis: ergo, &c. Huic argumento forſam reſponderent auctores nonnulli, ꝙ gratia Chriſti in ratione diſpoſitionis appellatur infinita, formaliter loquendo, extrinſeca quadam denominatione, ideſt, per reſpectum ad verbum ad cuius vnionem cum humanitate diſponit, ad eum modum quo iuxta eiuſdem S. Doct. ſentētiam 1. p. q. 25. ar. 6. ad vltimum humanitas infinitam quandam dignitatem ex vnione ad verbum participat. Quæ ſane dignitatis infinitas nihil intrinſecum in ipſa humanitate conſtituit. Sed hac ſolutione prætermiſſa (quam non omninò improbandam eſſe cenſuerim) aliter dicendum eſſe cenſeo, puta, quod infinitas, quam gratia Chriſti in ratione diſpoſitionis à verbo participat, non phyſica eſt, ſed moralis Et cū argumentū inſtat, quod ratio phyſicæ diſpoſitionis, ad ordinē phyſicū ſpectat. Reſpondeo, quod diſpoſitio qua humanitas per gratiam diſponitur ad hypoſtaticam vnionem partim phyſica eſt, partim moralis. Eſt quidem phyſica quatenus humanitas efficitur eiuſdem ſupernaturalis ordinis cum verbo, atque adeo ei proportionata.

Sed hæc diſpoſitio finita eſt, quia non magis humanitas proportionatur verbo hac phyſica proportione, quam ſit ipſe gradus intenſionis gratiæ. Partim vero eſt moralis, & hac ratione eſt infinita in eſſe diſpoſitionis. Et conſiſtit eius infinitas in hoc, quod gratia quatenus concomitanter ſe habet ad verbum, infinitam quandam dignitatem participat, cuius ratione humanitas infinite grata eſt Deo, & digna ab ipſo Deo reputatur ipſius hypoſtaticæ vnionis: hæc autem moralis infinitas n.ō eſt ſola extrinſeca denominatio in gratia habituali, ſed perfectio eius in eſſe morali intrinſeca, eiuſque naturæ proportionata. Nam quia gratia forma eſt ſupernaturalis ordinis, & ſua natura gratificatiua, & dignificatiua ſubiecti in ordine ad finem, & bonum ſupernaturale, capax eſt huius realis infinitatis, quam à verbo participat. In quo ab humanitate differt, quam plurimum, quæ cum ſit naturalis, & inferioris ordinis extrinſecè tantum poteſt ei competere illa dignitatis infinitas.

§. 10. *Sexta concluſio.*

GRatia Chriſti eſt ſimpliciter infinita in eſſe gratiæ infinitate moralis dignitatis. Hanc concluſionem docent multi Theologi graues moderni, quidam explicitè, & quidam implicitè. Probatur concluſio. Operationes Chriſti, quæ procedebant ex gratia habituali, habuerunt infinitum valorem moralem, quem ex ipſa gratia participabunt: Ergo in ipſa gratia præhabetur hic infinitus valor moralis, & infinita dignitas, atque adeo eſt infinita moraliter. Conſequentia eſt manifeſta, quia tota perfectio, quæ reperitur in effectu neceſſe eſt, præhabeatur, & quidem perfectiori modo in eius cauſa. Antecedens probatur. Chriſti meritum fuit infinitum, in ratione meriti, ſatisfactio Chriſti fuit infiniti valoris in ratione ſatisfactionis, ſed opera meritoria, & ſatisfactoria Chriſti procedebant ex gratia habituali tanquam ex proximo principio, & licet ex gratia vnionis tanquam ex prima radice omnem ſuum habuerint valorem, eumdem tamen acceperunt etiam à gratia habituali tanquam à proximiori principio formali, imo ſimpliciter, vt à primo formali principio, quia gratia vnionis ad principium quod perſonale pertinet, & non ad formale.

Confirmatur, gratia habitualis ſua natura eſt gratificatiua, & dignificatiua ſubiecti ſupernaturali dignitate: Ergo capax eſt infinitę dignitatis tanquam proximum principium operis infiniti valoris, & infinitæ dignitatis meritoriæ, & ſatisfactoriæ, atque adeo illam accepit à verbo.

Confirmatur ſecundo. Humanitas Chriſti ex vi vnionis hypoſtaticæ induit infinitam dignitatem, vt S. Thom. loco citato fatetur: Ergo à fortiori gratia cum ſit diuini generis, & eiuſdem ordinis cum verbo participat infinitam dignitatem ex eadem vnione hypoſtatica. Dixi autem, quod hæc dignitas moralis infinita, conſtituit gratiam infinitam in eſſe gratiæ, quia tota hæc moralis dignitas, per ſe pertinet ad rationem gratiæ. Nam eſſe principium meriti, aut ſatisfactionis coram Deo, proprium eſt officiū gratiæ: Vnde ſatisfacere, & mereri perfectè ad ordinem gratiæ pertinent, & conſequenter infinitas moralis gratiæ ex qua habet eſſe principium infiniti meriti, & infinitæ ſatisfactionis, conſtituit ipſam infinitā intra rationem gratiæ.

Sed contra hanc concluſionem ſunt nonnulla argumenta, quæ noſtra egent ſolutione. Primum. Hęc infinitas moralis gratiæ, eſt modus quidam realis in ipſamet gratia: Ergo contra iſtam concluſionem

militant omnia argumenta, quæ fecimus circa præcedentem concluſionem ad excludendum modum infinitatis phyſicæ, nam de hoc modo infinitatis moralis ſimiliter inquirendum eſt, an ſit effectus à verbo per actionem nouam, & liberam: an vero per naturalem emanationem reſultauerit. Et eadem omninò erit difficultas de iſto modo infinitatis moralis, quæ eſt de modo infinitatis phyſicæ.

Secundum argumentum. Aliqua eſt ratio moralis in Chriſti gratia, quæ non eſt ſimpliciter infinita: Ergo gratia, & ſi aliquam infinitatem habeat moralem, quatenus eſt principium meriti infiniti, & infinitæ ſatiſfactionis, non tamen debet cenſeri ſimpliciter infinita, in eſſe morali. Conſequentia nota eſt ex dictis, diximus enim, quod infinitum cum ſit de genere bonorum conſurgit ex integra cauſa. Antecedens vero probatur. Gratia Chriſti eſt acceptatio ad finitam gloriam, hæc autem ratio acceptationis ad gloriam, ad moralem ordinem pertinet, quoniam conſideratur reſpectu voluntatis ipſius acceptantis. Ea autem, quæ conſiderantur per ordinē ad voluntatem, & actionem liberam operantis, non ad phyſicū, ſed ad moralem ordinem pertinent.

Confirmatur. Meritum Chriſti reſpectu gloriæ ſui corporis, non fuit ſimpliciter infinitum, ſed proportionatum gloriæ animæ, quæ eſt ſimpliciter finita: Ergo cum hæc ratio ſit moralis, gratia Chriſti nō eſt ſimpliciter infinita, ſecundum rationem moralē.

Tertium argumentum. Gratia Chriſti non habet vim vt ex ipſa effluant virtutes ſupernaturales infinitæ ſecundum proprias virtutum rationes. Nam charitas virtus eſt, ſecundum rationem charitatis finita in Chriſto. Et temperantia ſimiliter finita virtus eſt in ratione temperantiæ: at propria ratio harum virtutum ad ordinem ſpectat moralem; igitur gratia Chriſti, neque etiam ſecundum rationem moralem, infinita eſt ſimpliciter in eſſe gratiæ. Neque diluet ſufficienter hoc argumentum, qui dixerit, quod huiuſmodi virtutum actiones infinitum participabunt valorem, & meritorium, & ſatiſfactorium ex ipſa Chriſti gratia. Quoniam ex hoc non colligitur, quod prędictæ virtutes, & earum actiones ſint infinitæ ſecundum proprias, & ſpecificas rationes, quæ deſumuntur ex habitudine ad propria ipſarum virtutum, & actionum obiecta, quæ ſanè habitudo ad ordinem ſpectat moralem, & ipſe ſimiliter ſpecificæ differentiæ, & eſſentiæ virtutum intra moralem ordinem continentur, quod nullus, qui benè ſapiat, poterit inficiari.

Ad primū argumentum reſpondetur, non defuiſſe graues Theologos quorum Princeps fuiſſe videtur Mag. Cano. qui putarent, totū ordinem moralem nō realem eſſe, ſed rationis tantum: Vnde inferebant bonitatem, & dignitatem moralem in virtutibus, & actionibus earum, & in alijs quibuſcumq. habitibus quandam eſſe rationis entitatem. Iuxta quam ſententiam facillimè diſſolueretur primum argumentum: dicerent enim illius ſententiæ fauctores, quod infinitas dignitatis moralis in Chriſti gratia non realis modus eſt, ſed rationis duntaxat, atque adeo nullam efflagitat effectiuam cauſam.

Verum hæc ſententia meritò diſplicit poſterioribus Theologis, qui antiquiorum Theologorum veſtigijs inhærentes, certa definitione ſtatuunt, entitatem moralem virtutum, & operationum earum veram eſſe, & realem perfectionem, qua humana voluntas, imo & totus homo, valde perficitur. Quæ ſententia, ſi vera eſt in habitibus, & virtutibus naturalis ordinis, multo verior, & certior haberi debet in habitibus, virtutibus, & actionibus ordinis ſupernaturalis.

Qua ſententia ſuppoſita, ad illud primum argumentum dicitur: Quod infinitas moralis dignitatis, quæ eſt in Chriſti gratia, conſequenter ſe habuit ad gratiam vnionis, & tam neceſſaria fuit conſequutione ſequuta, vt per nullam poſſet potentiam impediri. Cuius ratio ea eſt, quod moralis entitas, & perfectio in modo ſuæ productionis magnam habet cōuenientiam cum relatione, eo quod conſiſtit in quadam proportione, & habitudine tranſcendentali ad liberam voluntatis intentionem, & ad rationem, quę prima regula eſt totius entis moralis. Vnde ſicut relatio nō per ſe, & proprie producitur, ſed comproducitur ad ſui fundamenti productionem, ſic adeo vt vtroque extremo exiſtente non poſſit non ipſa relatio ſequi, non enim, vlla potentia fieri poteſt vt duobus albis in rerum natura poſitis non ſequatur in eis mutuæ ſimilitudinis relatio: ita moralis entitas poſitis requiſitis, quaſi fundamentis, & terminis ad eius exiſtentiam, non poteſt non veluti quadam reſultantia ſequi. Vnde videtur aduenire, & corrumpi, abſque reali ſubiecti mutatione, ſicut de prædicamentali relatione dici ſolet. Exemplum huius rei illud afferre poſſumus, quod eſt in hac materia ſatis frequēter à Theologis vſurpatum: Si quis in die Iouis prope mediam noctem futuri diei carnes temperate comedat, & earum comeſtionem vſque ad horem poſt mediam noctem continuando protrahat culpabiliter, non conſiderans quota ſit noctis hora, tunc illa exterior actio manducationis carnium, internaque eius volitio ante mediam noctem bona eſt, & ſtudioſa moraliter, poſt mediam autem noctem, mox redditur praua, & iniqua. Et tamen nulla, neque in operante, neque in ipſa actione interuenit perceptibilis mutatio.

Ad propoſitum igitur prædictam applicantes doctrinam dicimus, quod infinitas dignitatis moralis, non potuit non ſequi in Chriſti gratia ſuppoſita ipſius gratiæ inhærentia in humanitate à verbo hypoſtaticè aſſumpta. Neque hæc moralis ſequela gratiæ poſtulat in verbo ſuppoſitante humanitatem actionem aliam præter illam, qua tota trinitas ipſam hypoſtaticam vnionem effecit, ſicut ſequela relationis prædicamentalis nulla eget alia actione ab ea, qua producuntur proxima, & formalia ipſius relationis extrema.

Eſt autem hic obiter notādum, quod ſicut per nullam eſt potentiam factibile, quod extinctis prædicamentalis relationis extremis, eiuſque deſtructo fundamento permaneat ipſa relatio, ita nulla potentia factibile eſt, quod humanitate à verbo ſeparata permaneat in ipſamet Chriſti habituali gratia hęc dignitatis moralis infinitas, quæ nunc ei competit ex reali ad verbum coniunctione, nam ſicut eſt intrinſeca, & formalis habitudo inter fundamentum, & relationem, ita hęc moralis gratiæ infinitas intrinſecā, & formalem habet dependentiam à verbo humanitati perſonaliter coniuncto.

Ex

Ex his omnibus ad illud primũ argumẽtum in cuius verſamur ſolutione reſpondetur, non eſſe eamdẽ rationem, ſed potius omninò abſimilem, de infinitate phyſica modali gratiæ, de qua procedebat quinta concluſio, & de infinitate moralis dignitatis, de qua ſexta præſens concluſio loquitur. Quia modus phyſicæ infinitatis, cum eſſet entitas ſimpliciter abſoluta, non poſſet hypoſtaticam vnionem conſequi ad modum relationis, ſed aliqua egeret actione productiua ex parte verbi, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, quã actionẽ nos nullatenus valemus admittere, eo quod ſuppoſitum prout exequitur rationem ſuppoſiti, nõ actiuum principium eſt, ſed terminus quaſi formaliter complens, & terminans naturæ dependentiam. Et hoc præſertim habet verum in diuino verbo, quia eius dignitati, & infinitæ actualitati repugnat, quod aliquem producat effectum naturali, & neceſſaria actione. Cæterum infinitas dignitatis moralis, neque aliquam peculiarem actionem poſtulat, cum per modum relationis conſequatur, neque vllam habet repugnantiam, ſed maximam potius decentiam ad ipſam verbi dignitatem, nam quod gratia ex reali coniunctione ad verbum infinitam ſortiatur dignitatẽ, & id quidem neceſſaria, & inimpedibili ſequela, maximè decet ipſam diuini verbi maieſtatem. Et quidẽ in ipſa Chriſti humanitate aliquale huius rei habemus exemplum. Non enim per aliquam potentiam impedibilis eſt illa magna, imo & infinita dignitas, quæ ex vnione hypoſtatica, ad ipſam humanitatem refunditur. Et quamuis quandoque ipſe cum alijs quibuſdam Theologis exiſtimauerim olim dignitatem hanc infinitam quandam eſſe rationis denominationem, & nõ perfectionem realem. Nunc autem re magis perſpecta oppoſitum verius aſſe crediderim exiſtimo namque quod cum Chriſti humanitas verè, & realiter ſit terminata ipſa diuini verbi perſonalitate, ſitque verè, & realiter diuini ſuppoſiti natura, vera etiam, & realis conſurgit in ea dignitas, qua, & apud Deum, & apud Angelos, & apud homines, multo maiori æſtimatione digna eſt, quam quæuis alia ſubſtantialis natura, & producta, & producibilis, imo quam omnes naturæ producibiles à Deo collectiuè ſumptæ. Et in hoc conſiſtit infinitas moralis dignitatis humanitatis Chriſti. Quod præterea ſic oſtendo. Si hæc infinita dignitas, quæ conſurgit in humanitate Chriſti ex coniunctione ad verbum, eſſet vera relatio, eſſet ſine dubio relatio realis, cum eius fundamentum ſit reale, & extrema ſint realia, & teneat ſe ex parte illius extremi, quod verè, & realiter ab alio perficitur: Humanitas enim per aſſumptionem realiter, & in ſemetipſa perficitur: Ergo quamuis non ſit relatio, ſed moralis quædam perfectio ad modum relationis conſequens, vera eſt, & realis entitas, qua realiter humana Chriſti natura dignificatur, & perficitur. Sed quamquam in Chriſti humanitate ea, quæ diximus non eſſent omninò certa, non ob id realis infinitas moralis dignitatis neganda eſt habituali eius gratiæ, quoniam, vt ſuperius dicebam circa finem quintæ concluſionis, gratia ex ſua natura apta nata eſt tanta hac dignitate perfici, & eleuari.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod acceptatio ad gloriam poteſt conſiderari dupliciter per ordinem ad gratiam. Altero modo quatenus fundatur in operè meritorio ex gratia procedente, ita quod homo gratus acceptatur ad gloriam iuxta proportionem ſui meriti, & hoc modo conſiderata acceptatio ad gloriam, pertinet ad ordinem moralem, ſicut, & ipſum meritum, cui reſpondet.

Cæterum in Chriſti gratia non reperitur hæc acceptatio ad gloriam, etenim Chriſtus non habet gloriam ex meritis acquiſitam, ſed ex vi vnionis hypoſtaticæ habet, & gratiam, & gloriam animæ, & cætera ſpiritualia chariſmata. Altero modo acceptatio ad gloriam conſideratur, ſecundum connaturalem proportionem, & habitudinem quam gratia habet ad ipſam. Etenim ſicut terra per grauitatem proportionatur centro naturali quadã coaptatione, ita homo iuſtus per gratiam connaturaliter proportionatur gloriæ, & iure connaturalitatis illi debetur. Sicut filio iure naturalis filiationis debetur hæreditas, & ita Paul. Rom. cap. 8. dicebat de hominibus iuſtis. *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. Hæc acceptatio ad gloriam, prout ſe tenet ex parte gratiæ conſtituentis paſſiuam acceptationem in anima, ideſt, connaturalem proportionẽ, & ius connaturalitatis ad gloriam, non pertinet ad ordinem moralem, ſed ad ordinem phyſicum, ſicut coaptatio terræ per grauitatem ad centrum phyſica eſt. Hanc autem acceptationem conſtituimus nos in Chriſti gratia reſpectu gloriæ, etenim animæ Chriſti collata fuit gloria in inſtanti incarnationis, non ex vi alicuius meriti, ſed iuxta exigẽtiam gratiæ, & proportionabiliter ad diſpoſitionem, qua Chriſti anima in ſeipſa diſpoſita fuit per gratiam habitualem. Quo circa, & ſi hæc acceptatio ſit finita in Chriſti gratia, non inde poteſt colligi, quod gratia ſecundum dignitatem moralem aliquam habeat finitatem, & limitationem, ſed tantum colligitur, quod in eſſe phyſico eſt limitata, quod nos conceſſimus.

Sed obiicit quis: benè potuit fieri ex abſoluta Dei potentia, quod Chriſti animæ daretur gloria ex vi meriti procedentis ex ipſa gratia habituali: tunc ſic. Illud meritum eſſet finitum, & acceptatio ad gloriã eſſet finita, eo quod gloria animæ per nullam potentiam poterat eſſe infinita, vt ex dictis conſtat: Ergo gratia Chriſti non præhabet in ſemetipſa omnem plenitudinem dignitatis moralis, nam quatenus eſſet principium illius meriti, limitationem haberet.

Reſpondetur, quod illo caſu admiſſo, meritum quo anima Chriſti ſuam gloriam mereretur, eſſet ſimpliciter infinitum in ratione meriti, non ex parte præmij ſumpti materialiter, nam illi meritò reſponderet finita gloria, quia infinita eſſe non poterat, ſed eſſet infinitum ratione modi, qui modus refunderetur in ipſum præmium, & redderet ipſum formaliter infinitum in ratione præmij. Hic aũt modus is eſſet, quod Chriſtus mereretur gloriam ex iuſtitia exacta, & rigoroſa. Quam perfectionem rigoroſæ iuſtitiæ nullum opus poteſt habere coram Deo, quod non fuerit infiniti valoris, & infinitæ dignitatis moralis. Et tunc gloria, quæ daretur Chriſti animę formaliter ſumpta in ratione præmij infinita eſſet, licet in eſſe gloriæ, & in eſſe viſionis diuinæ, eſſet limitata, quoniam redderetur Chriſto tanquam merces ex rigore iuſtitiæ ei debita: Vnde colligitur, quod Chriſti

habet ſimpliciter infinitam dignitatem, & valorem infinitum moralem, quamuis propter repugnãtiam ex parte ſacti non poſſet mereri gloriam in eſſe gloriæ infinitam. Dixi propter repugnantiam ex parte ſacti, quoniam ex parte gratiæ, & valoris eius nulla eſſet repugnantia, vt gratia Chriſti per ſuum opus mereretur infinitam gloriam. Imo abſolutè eſt concedendum, quod quantum eſt ex ſe, habet tantam hanc vim, & tantum hunc valorem, quod ſatis fuerit, vt in eſſe moris, dicatur ſimpliciter infinita. Sicut Dei omnipotentia, quamuis propter facti repugnantiam nequeat producere effectum actu infinitum, eſt tamen infinita ſimpliciter, quia quantum eſt ex ſe illud poteſt.

Ad confirmationem conſtat ſimpliciter ex dictis. Dicitur enim primo, quod ex parte modi meritum Chriſti fuit infinitum reſpectu gloriæ ſui corporis, quia meruit illam ex omni rigore iuſtitiæ. Dicitur ſecundo, quod quantum erat ex parte gratiæ, ſicut potuit Chriſtus mereri infinitam gloriam animæ, ita potuit mereri infinitam gloriam ſui corporis, niſi ex parte effectus, ſcilicet, gloriæ corporis repugnaret.

Ad tertium argumentum, poſſet primo reſponderi, habitualem Chriſti gratiam infinitam quidem eſſe, in illo eſſe morali, quod ab extrinſeco deſumitur, nimirum à diuino ſuppoſito, cui eſt realiter coniuncta. Non verò eſt infinita ſimpliciter, ſecundum illud eſſe morale, quod ex intrinſeca eius differentia prouenit, ad quod eſſe pertinet moralitas propria virtutum infuſarum, quæ non eſt neceſſe ſit infinita in ipſis virtutibus, cum illud eſſe morale gratiæ, ex quo prouenit, non ſit infinitum. Huic ſolutioni accõmodari poteſt noſtra ſexta concluſio, in qua non diximus abſolutè gratiam Chriſti eſſe infinitam in eſſe morali, ſed quod eſt infinita in eſſe gratiæ infinitate moralis dignitatis: moralis autem dignitas tantum deſignare videtur moralitatẽ ab extrĩſeco deſumptã.

Sed nihilominus aliter reſpondendum eſſe cenſeo. Nam licet moralis infinitas proueniat Chriſti gratiæ ab extrinſeco principio, videlicet à diuino ſuppoſito, eſt tamen ei intrinſeca, & habet ſe per modum vnius perfectionis cum illa gratiæ moralitate, quæ ipſi conuenit ex principijs intrinſecis: eo quod moralis dignitas ex ſuppoſito proueniens non eſt extranea à ratione gratiæ, ſed intra genus eius continetur, vt ſuperius dixi, atque adeo perficit ipſam gratiã proportionabiliter ad eius naturã, & efficit vnã integram perfectionẽ cum illa moralitate, quæ eſt omnino intrinſeca gratiæ. Et licet ſuppoſitum diuinum à quo deriuatur prædicta dignitas, ſit extrinſecum habituali gratiæ, eſt tamen ei proportionatum: dicebamus enim in ſecundo artic. præcedentis quæſtionis, quod Chriſtus eſt ſubiectum magis proprium, magiſque proportionatum gratiæ, quam quælibet pura creatura ſiue rationalis, ſiue intellectualis. Vnde perfectio illa, & dignitas, quæ ex iſto ſubiecto ad gratiam deriuatur, non debet computari inter perfectiones gratiæ extrinſecas. Aliter ergo oportet diſſoluamus illud tertium argumentum. Et quidem Authores qui cenſent virtutes animæ Chriſti infuſas, ſimilem habere infinitatem in ſuis proprijs rationibus quam habet gratia in ratione gratiæ, facile ſe poſſent ab hac difficultate expedire, aſſerentes, quod hæc virtutum infinitas ex morali ipſius gratiæ infinitate dimanat, ſicut earum eſſentiæ affluunt ex eſſentia gratiæ. Verum quia nos paulò inferius in contrariam ſententiam ibimus, minimè ad hanc ſolutionẽ valemus recurrere.

Sit ergo prima huius tertij argumenti ſolutio, quod virtutes morales infuſæ effluunt quidem ab ipſa habituali gratia, non verò vt à morali principio, ſed à phyſico: & ſimiliter præhabentur hæ virtutes in habituali gratia, tanquam in prima radice, non morali, ſed phyſica. Continentur enim in gratia ab ipſaque effluunt, eo modo, quo proprietates, & potentiæ naturales ſubiecti cuiuſpiam præhabentur in eius eſſentia, & ab ea dimanãt. Quo circa ex hoc quod ab eſſentia habitualis gratiæ Xpi nõ oriãtur virtutes infinitæ, non poteſt colligi gratiam Chriſti, non eſſe præditam omni infinitate morali, quę ad rationem gratiæ poteſt pertinere, ſed tantum ſequitur, eam nõ eſſe infinitam in ratione gratiæ phyſicâ infinitate, quod nos libenter fatemur.

Sed eſt ſecunda ſolutio, quæ meo iudicio pro ſufficienti, & legitima haberi debet, quod tanta eſt gratiæ Chriſti dignitas, vt niſi ex parte effectus repugnaret, & ipſa ſecundum intenſionem infinita eſſet, & ex ea effluerent morales virtutes in eſſe virtutum infinitæ. Itaque tota, & gratiæ, & moralium virtutũ infuſarum, & poſſibilis, & intelligibilis perfectio cõprehenditur ſub infinitate moralis dignitatis gratiæ Chriſti, quæ tamen propter repugnantiam ex parte facti non ſe in omnem eam explicuit, ſed iuxta menſuram diuina lege, diuinaque prouidentia diſpoſitã. Ex quo manifeſta ratione deducitur, quod hæc dignitas quam tribuimus Chriſti gratiæ in eſſe morali nullam admittit limitationem, ſed ſimpliciter eſt infinita. Et licet ab extrinſeco deſumatur, nimirum, à diuino verbo, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, intrinſecè tamen gratiam perficit, & infinita morali perfectione dignificat.

Eſtque hoc loco aduertendum, vt iſta plenius intelligantur. Quod moralis perfectio infuſarum virtutum, ſicut & acquiſitarum, adeo coniuncta eſt phyſicæ earum perfectioni, quod non poteſt augeſcere niſi iuxta proportionem ipſius phyſicæ perfectionis. Quod in actibus ipſarum virtutum facilè poterit explicari. Actus charitatis tantam, & non maiorem ſortietur, moralis perfectionis dignitatem, quanta fuerit eius intenſio, & extenſio (loquor de perfectione, & dignitate morali ipſius charitatis propria, & intrinſeca, & non de aduentitia, & accidentaria ex conſortio alterius virtutis proueniente) quod & de actibus iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & aliarum virtutum dicendum eſt. Et id ipſum proportionabiliter cenſendum erit de ipſis virtutum habitibus, quorum tanta, & non maior erit moralis perfectio habitualis, quanta fuerit eorum intenſio, & radicatio in ſubiectis. Quod tamen, & in habitibus, & in actibus intelligo ſeruata perfectione habitudinis ad obiecta: & iuxta proportionem eius. Nam quo moralis virtus perfectius, & dignius obiectum reſpicit, eo moralis eius perfectio, dignior eſt, & excellentior, quæ cum intenſiua, & actus, & habitus intenſione proportionabiliter creſcit.

Ex iſta doctrina ad noſtrum intentum colligitur, quod ſicut nulla potentia fieri poteſt, quod virtutes

mora-

morales actu attingant phyſicam infinitatem intenſiuam, ita neque fieri poteſt, vt ad moralem perfectionem, & dignitatem, ipſis propriam, & connaturalem perueniant.

In habituali verò gratia aliter res ſe habet, nam cū eius moralis dignitas non ſit penſanda ex habitudine ad obiectum aliquod per operationem attingibile, neque ex eo, quod gratia ſubiectum ad operādum proximæ diſponant, ſed quatenus ſubiectum gratificat, & dignificat, deoque reddit acceptum: inter phyſicam eius perfectionem, & moralem dignitatē, non eſt neceſſaria conſimilis adæquatio ei, quam in moralibus virtutibus diximus reperiri. Quo fit, vt ſi fingamus gratiam puri hominis intenſiorem eſſe gratia Chriſti, aut æque illi intenſam, non ob id concedendum eſſet, quod vel excelleret dignitatem moralem gratiæ Chriſti, vel illam adequaret. Similiter ſi animo fingamus, habitualem Chriſti gratiam in ſua intenſione decreſcere, ita vt ad minimum vſque intenſionis deſcendat gradum, non ob id exiſtimandum eſt, eam minui in morali perfectione, & dignitate. Plura dicemus poſtea, in ſolutione cuiuſdam argumenti, quibus omnino hanc doctrinam locupletabimur.

Tandem circa vltimam hanc concluſionem. Nota, quod nonnulli Theologi, quibus placet hæc moralis infinitas gratiæ Chriſti, dicunt quod competit ei hæc infinitas, non vt cauſæ principali, ſed inſtrumētali, ita qđ ſicut calor ignis potens eſt generare ignē, quatenus eſt virtus, & potentia ignis, quod tamen nō habet, vt cauſa principalis, ſed vt forma inſtrumentalis, quæ operatur in virtute ignis, qui eſt principalis cauſa, ita gratia Chriſti principium eſt meriti infiniti, & ſatisfactionis infinitæ, ſed hoc non habet à ſemetipſa, ſed prout eſt inſtrumentum verbi, quod eſt principale agens in merito, & ſatisfactione.

Hic modus dicendi eſt probabilis. Sed mihi non ſatis eſt gratus, & primum valde diſplicet illa ratio ob quam prædicti Theologi in eius perſuaſionem mouentur. Dicunt enim, quod pertinet ad maiorem gloriam, & dignitatem Chriſti, & diuini verbi, prout eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, quod gratiæ eius habituali nulla tribuatur infinitas, vt cauſæ, & formæ principali, ſed tantum vt formæ inſtrumentariæ, & prout eſt inſtrumentum ipſius verbi; vt tota principalis cauſalitas ſoli diuino verbo tribuatur. Hæc, inquam, ratio non placet, nam è contra cenſeo, pertinere ad gloriam Chriſti, & diuini verbi, quod gratia ex coniunctione ad ipſum verbum tantum dignificetur, & eleuetur, vt in ſemetipſa, & per modum principalis formæ, diuino tamē verbo humanitati ſuppoſito ſubordinatæ habeat dignitatem in genere gratiæ infinitam, infinitumque valorem, ita vt ex ipſa tanquam ex cauſa, & forma principali, verbo tamen diuino ſubordinata, infinitas meriti, & ſatiſfactionis in ſtudioſis Chriſti operibus participetur. Quemadmodum in magnam Dei, & Chriſti gloriam cedit, quod gratia nobis à Deo per Chriſtum collata tantæ ſit virtutis, & efficaciæ, vt per modum principalis cauſæ, & formæ, ſubordinatæ tamen Chriſto, & virtuti paſſionis eius, cauſet, & operetur in nobis meritum condignum æternæ gloriæ, & condignam pro peccatis ſatisfactionem.

Præterea exemplum de calore ignis adductum pro ſententia contraria in multis habet diſſimilitudinem, ſed in duobus præſertim.

Primo, in eo, quod calor per ſe primo eſt forma operatiua formæ ſuperiori ſubordinata, & virtus, quæ illi ex ipſa ſuperiori forma communicatur, eſt per ſe primo operatiua effectus correſpondentis naturæ formæ ſuperioris, atque adeo rationabiliter aſſeritur, quod hæc virtus, & ſi permanenter ſe habeat in calore, eſt tamen verè, & propriè inſtrumentalis. At gratia non eſt per ſe primo operatiua forma, ſed gratificatiua, & dignificatiua ſubiecti operantis: Vnde virtus ei à diuino verbo communicata, non eſt per ſe primo operatiua, ſed gratificatiua, & dignificatiua ſubiecti, refunditur tamen morali quadam refuſione ad operationem, conſtituens illam infinitè Deo acceptam, & gratam; atq. adeo infinitè meritoriam, & ſatisfactoriam coram Deo. Vnde non eſt neceſſe, quod hæc virtus ſit inſtrumentaria, dignificare enim & gratificare ſubiectum, non eſt officium inſtrumentariæ virtutis, ſed formę principalis, ipſum ſubiectū formaliter perficientis, & eleuantis. Secundo, generare ignem non eſt actus, qui per ſe, & ex natura ſua comprehendatur ſub virtute qualitatis, & formæ accidentariæ, nam eſt actus per ſe pertinens ad operans ſubſtātiale, & ad ſubſtantialem virtutem, atque adeo nequit communicari accidentariæ formæ, vt cauſæ principali ex propria virtute operanti, ſed vt inſtrumentali principio, quod operatur virtute ſubſtantialis agentis. At dignificare, & gratificare ſubiectum operans, & eius operationes ea infinita gratitudine, & dignitate, quæ non eſt infinita in genere entis, ſed in genere tantum gratitudinis, & dignitatis moralis, non exit limites ordinis gratiæ, imo neque alicui formæ poteſt competere, vt cauſæ principali, niſi tātum habituali gratiæ. Relinquitur ergo ex his manifeſtū; abſimilem prorſus rationem eſſe de habituali Chriſti gratia, ab ea, quæ in calore ignis militat, quod ad præſens attinet. Et ex hoc duplici diſcrimine ſumitur non debile argumentum contra prædictam ſententiam, quod in hunc modum formatur.

Si infinitas hæc dignitatis moralis conuenit gratiæ inſtrumentaliter tantum, ſequitur, quod cōuenit diuino verbo, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, vt cauſæ, & formæ principali, ita vt verbum ſe ipſo formaliter conſtituat in Chriſto hanc dignitatem. Conſequens eſt omninò falſum; quia verbum non vnitur humanitati per modum formæ, ſed per modum ſuppoſiti duntaxat: Ergo non conuenit gratiæ inſtrumētaliter, ſed vt formæ principali.

Probatur ſequela. Hæc moralis infinitas, vt in priori diſcrimine inter calorem, & gratiam aſſignato dicebamus, non eſt per ſe primo virtus operatiua, ſed formaliter dignificatiua, & gratificatiua operantis: Ergo tribuenda eſt alicui formæ principaliter dignificanti, & gratificanti formali gratificatione ipſum operans, non enim eſt ſatis intelligibile, quod detur aliquis formalis effectus, qui non habeat aliquam formam a qua principaliter ſecundum formalem cauſalitatem procedat: igitur cum, vt in ſecundo aſſignato diſcrimine dicebamus, nō ſit dabilis forma alia principalis, cui per modum formæ competat hęc infinita dignitas, conſentaneum erit rationi dicere, quod cōuenit habituali Chriſti gratiæ tanquam principali formæ, & cauſæ. Et ita ego dicendum exiſtimo, quia

&

& Theologicæ rationi dudum informatæ, & perfectioni habitualis gratiæ Chriſti, & ipſi denique diuini verbi dignitati iſta ſententia congruit.

§. 11. Solutiones argumẽtorũ in initio articuli.

SEd iam neceſſum eſt ea diluamus argumenta, quæ à principio huius ſecundi articuli fuerunt propoſita. Primum, & ſecundum ex dictis concluſionibus facilè ſoluuntur, procedunt enim de perfectione gratiæ phyſica, quæ, vt diximus, finita eſt, & limitata. Sed eſt aduertendum quod iſta perfectio phyſica, quæ conſiſtit in intenſione gratiæ, & in acceptatione ad gloriam continetur intra virtutem infinitatis moralis, quam poſuimus in habituali Chriſti gratia, & hoc quidem duplici ratione.

Prima, quoniam Chriſtus ex vi huius habitualis gratiæ mediante charitate, & cæteris virtutibus, poterat mereri infinitam gloriam ſi poſſibilis eſſet, & infinitam ipſius gratiæ intenſionem, ſi ex parte facti non repugnaret.

Secunda, quia crediderim probabiliter, quod Chriſti gratiæ, omni opere meritorio ſecluſo propter ſuã dignitatem debetur omnis poſſibilis intenſio, & omnis poſſibilis acceptatio ad gloriam; quod ſi ei non tribuuntur iſtæ duæ perfectiones, prouenit ex impoſſibilitate facti, quia non poteſt eſſe actu producta omnis poſſibilis intenſio gratiæ, neque omnis poſſibilis acceptatio ad gloriam.

Ad tertium argumentum alijs ſolutionibus præter miſſis, reſpondetur per ſolutionem aſſignatam inter arguendum, quam puto eſſe ſufficientem.

Ad primam replicam reſpondetur, verum eſſe, quod Chriſti gratia quatenus eſt infinita morali infinitate, alterius eſt ſpeciei à gratia noſtra, ſed res hæc preſſius examinabatur circa ſolutionem ad vltimum in quodam ſpeciali de hac re dubio, quod incidenter diſputabitur.

Ad ſecundam reſpondetur. Quod in illo caſu gratia patris non præhaberetur in gratia Chriſti formaliter loquendo, ſecundum rationem moralis infinitatis. Nam vtraque eſſet ſimpliciter infinita in eſſe gratiæ infinitate morali, atque adeo ęqualis dignitatis, & perfectionis eſſent. Et cum inſtat argumẽtum, quia tunc ſequitur, quod ſint duę gratiæ infinitæ in eſſe gratiæ, quæ videtur manifeſta implicatio, quia non poſſunt dari duo infinita in vna, & eadem ratione. Reſpondetur, quod infinitas moralis vtriuſque gratiæ Chriſti, & Patris, formaliter loquendo eſſet vna, & eadem infinitas, & materialiter tantum diſtinguerentur: ratio eſt, quoniam infinitas vtriuſque gratiæ deſumeretur ex vna, & eadem infinitate, & perfectione diuina; Etenim licet perſonalitas verbi in ratione talis perſonalitatis realiter diſtinguatur à perſonalitate patris, non tamen ab illa diſtinguitur in ratione perfectionis infinitæ: ſed illæ duæ perſonalitates ſunt ſimpliciter vna, & eadem infinita perfectio. Infinitas autem gratiæ Chriſti non ſumitur ex perſonalitate verbi vtcũque conſiderata, ſed vt eſt perſonalitas infinitæ perfectionis. Et id ipſum eſſet dicendum in illo caſu de gratia patris, atque adeo infinitas vtriuſque gratiæ ex eadem omninò infinitate diuina dimanaret, & ex conſequenti eſſet formaliter vna, & eadem infinitas. Legantur quæ dicentur inferius q. 5. dubio 3. ad 3. Nam illa ſolutio poterit huic replicæ non inepte accommodari.

Ad quartum argumentum quidam graues Theologi libenter fatentur, quod charitas Chriſti in ratione charitatis eſt ſimpliciter infinita infinitate morali, ſicut ipſa Chriſti gratia, & ſimiliter viſio beata animæ Chriſti habet huiuſmodi infinitatem moralem, quæ illam conſtituit infinitam ineſſe viſionis beatæ, & idem in reliquis virtutibus, & ſupernaturalibus donis cenſent eſſe dicendum. Et probant quoniam vniuerſæ rationes propter quas habitualis gratia Chriſti eſt infinita, habent locum in charitate, & in viſione beata, & in cęteris ſupernaturalib. donis. Etenim ſicut gratia in Chriſto eſt diſpoſitio concomitans hypoſtaticam vnionem, ita & charitas, viſio beata, &c. Præterea ſicut gratia principium eſt meriti infiniti, & ſatisfactionis infinitæ, ita & charitas, nam charitas authore S. Thom. 12. q. 114. art. 4. prima eſt radix totius meriti: Ergo eadem infinitas eſt in charitate Chriſti, & in cæteris ſupernaturalibus habitibus cum ea, quæ reperitur in eius gratia.

Sed tamen oppoſita ſententia, ſcilicet, quod ſola Chriſti gratia hanc ſibi vendicet infinitatem moralem, mihi eſt probabilior. Et quidem argumenta alterius opinionis parum mouent: nam vt plurimum probant charitati competere hanc moralem infinitatem: quoniam lumen gloriæ, viſio beata, & alia ſupernaturalia dona à charitate diſtincta, inpropriè dicuntur principium meriti infiniti, & ſatisfactionis infinitæ, nam licet ex charitate ſumatur ratio meriti, & ſatisfactionis, non tamen deſumitur ex lumine gloriæ, aut ex alijs habitibus huiuſmodi. Quocirca hæc ratio infinitatis, quæ reperitur in gratia Chriſti, ſcilicet, eſſe principium infiniti meriti, & ſatisfactionis infinitæ, ſoli charitati, vt plurimum erit concedenda.

Secundo reſpondetur, quod neque etiam in habitu charitatis reperitur hæc moralis infinitas, quoniã licet actus charitatis Chriſti fuerit infiniti valoris, fuerit que proinde meritorius, & ſatisfactionis infinitæ, hic tamen infinitatis valor non illi ex ipſo charitatis habitu proueniebat, ſed ex habitu gratiæ. Quoniam totus ille valor in actu charitatis Chriſti, & in qualibet eius operatione, deſumebatur ex ſola operãtis dignitate, & non ex modo attingendi obiectum per actualem operationem. At quod operans, nimirum, Chriſtus haberet infinitam dignitatem coram Deo, eſſetq. Deo infinitè gratus, & acceptus, nullatenus ex habitu charitatis, aut ex alio quocumq. habituoperatiuo deſumebatur, ſed ex habitu gratiæ, cuius proprium eſt, conſtituere habentem gratum, & acceptum Deo: Et quidem habitus charitatis potius facit nobis Deum gratum, & amabilem, quã nos ipſi Deo gratos reddat, & amabiles, charitas enim facit nos dilectores Dei, & non dilectos ab ipſo.

Ex his ſequitur, quod ſimpliciter, & abſolutè loquendo, gratia Chriſti fuit infinita in eſſe gratiæ, cæteræ autem virtutes non habent ſimpliciter infinitatem, neque phyſicam, neque moralem in ſuis proprijs rationibus, quod amplius explicabitur in ſolutione ſequentis argumenti, & probatur ſatis efficaciter duabus probationibus, quibus inter arguẽdum probauimus minorem huius argumenti quarti.

Digitized by Google

Ad quintum argumentum reſpondetur, quod neutra illarum rationum ſufficit conſtituere lumen gloriæ, viſionem beatam, aut quemlibet alium habitum, ſeu actum, præter habitum gratiæ in ratione infinitatis ſimpliciter: Et quidem quod prima ratio, quæ deſumitur ex diſpoſitione ad vnionem hypoſtaticam, non tribuat hanc infinitatem ſimpliciter lumini gloriæ in eſſe luminis, viſioni beatæ in eſſe beatificæ viſionis, &c. conſtituat autem gratiam infinitam in eſſe gratiæ ex duobus colligitur.

Primum eſt, quoniam omnia iſta dona ſupernaturalia præter habitum gratiæ non perficiantur intrinsecè, & in proprijs rationibus, niſi perficiuntur in ordine ad obiecta, quę ſuis operationibus attingũt, quia tota eorũ ratio deſumitur p habitudinẽ ad obiecta: at quod diſponãt Chriſti humanitatẽ ad vnionem cũ verbo nihil attinet ad obiecta; quoniã tota diſpoſitionis ratio pẽſatur per ordinẽ ad ſubiectũ, & per habitudinem ad eſſe perſonale, & nõ ad eſſe operatiuum in ratione operatiui. Cæterum gratia per ſe primo non tribuit operari, ſed eſſe, neque eius perfectio deſumitur per ordinem ab obiectũ, ſed ad ſubiectum. Vnde perfectio, & dignitas, quæ conſurgit in gratia ex ratione diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam, per ſe pertinet ad ipſam gratiam, & eam perficit in eſſe gratiæ.

Secundũ eſt, quod tota ratio diſpoſitionis, qua humanitas Chriſti diſponitur per hæc ſupernaturalia dona ſiue actualia, ſiue habitualia in ordine ad vnionem hypoſtaticam, conſiſtit in hoc, quod hæc dona ſunt eiuſdem diuini ordinis cum verbo, & ex natura ſua ordinantur ad vniendam creaturam rationalem cum Deo: Sed ſic eſt, quod omnes habitus operatiui ſupernaturales ordinantur ex natura ſua ad quãdam limitatam vnionem creaturæ rationalis cum Deo. v. g. charitas per ſe ordinatur ad affectuoſam vnionẽ, lumen gloriæ ad intelligibilem, & ita proportionabiliter dicendum eſt de alijs habitibus operatiuis, quod illi qui pertinent ad voluntatem, intendunt vnire affectum cum Deo, illi vero qui ad intellectum ſpectant, per ſe habent facere vnionem in eſſe tantũ intelligibili. Sola autem gratia eſt, cui ex natura ſua competit conſtituere vnionem rationalis creaturæ cum Deo, nonſolum in eſſe intelligibili, & in eſſe diligibili, & affectuoſo, ſed præcipuè in eſſe entitatiuo: in quo radicaliter, & intelligibilis, & affectuoſa vnio præhabetur, eo quod non eſt per ſe primo, & immediatè habitus operatiuus, ſed habitus dans eſſe diuinum ſecundum formalem diuinæ naturæ participationem. Vnde ex ſemetipſa habet diſponere ad eſſe perſonale diuini verbi.

Igitur ad argumentum, quod ad hanc primam rationem attinet, reſpondetur, quod illa infinitas, quæ competit viſioni beatæ in anima Chriſti, prout diſponit animam ad vnionem cum verbo, eſt ei quaſi extrinſeca, & quæ non perficit ipſam formaliter in ratione viſionis, & ſi perficiat ſine dubio, in ratione entis. Quemadmodum perfectio, qua humanitas Chriſti perficitur, & dignificatur ex vnione ad verbum, eſt illi extrinſeca, & non perficit ipſam in ratione humanitatis: etenim humanitas Chriſti, etſi ex vnione ad verbum induat dignitatem quandam infinitam, & quidem in eſſe morali realem, non tamen conſtituitur infinita in ratione humanitatis; nihil enim attinet ad eſſentialia humanitatis principia hæc qualis, & quantacumque ſit dignitas. Cęterum gratia per illam dignitatem, quam attingit in Chriſto, prout diſponit ad vnionem hypoſtaticam, verè dignificatur, & perficitur in ratione gratiæ: eo quod proprium eſt ipſi gratiæ perficere ſubiectum, & diſponere ad vnionem cum Deo non ſolum ſecundum operationem, ſed præſertim ſecundum eſſe. Ex hoc ſoluitur confirmatio inter arguendum poſita, negandum eſt enim, quod hęc dignitas ſit extrinſeca gratiæ, ſicut eſt extrinſeca humanitati.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, quod infinitas meriti in Chriſto radicaliter, & principaliter prouenit quidem ex gratia vnionis, proximè autem, & tanquam ex formali principio immediato prouenit ex gratia habituali, ita quod ex gratia vnionis immediatè dignificatur habitualis Chriſti gratia, & ipſa ſic dignificata mediate dignificantur Chriſti operationes, & valoris infiniti conſtituuntur.

Ad confirmationem reſpondetur, quod quidquid ſit de illata opinione, vel de alia: hoc tamen nobis eſt certum, quod de facto, & ſecundum ordinariam Dei potentiam, Chriſti operãtiones non participant infinitum valorem immediatè à ſuppoſito diuino, ſed à gratia dignificata dignitate infinita ex coniunctione ad diuinum ſuppoſitum.

Sed nota circa hęc omnia, quod iſtæ duæ rationes ex quibus ſumitur infinita dignitas gratiæ Chriſti, ita ſe habent, quod prima procedit à priori, nimirũ quod gratia Chriſti dignitatem habet infinitam in ratione gratiæ, quatenus eſt diſpoſitio concomitans hypoſtaticam vnionem. Non quod hæc ſit primaria in ipſa gratia dignitatis infinitę ratio. Nam prima & radicalis eius dignitas in eo ſita, quod realiter coniungitur cum diuino verbo, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, Ex qua reali coniunctione ſortitur gratia, & rationem debitæ diſpoſitionis, & omnem aliam quam ei tribuimus dignitatem: Sed eſt ratio proxima, & immediata.

Secũda verò ratio procedit à poſteriori, & ab effectu, ex eo enim, quod gratia Chriſti eius operationi tribuit valorem infinitum meritorium, & ſatisfactorium, aperta ratione colligimus, quod ipſa gratia præhabet in ſemetipſa infinitatem huiuſmodi, eſtque infiniti valoris moralis.

Ad ſextum reſpondetur, quod probat efficaciter Chriſti gratiam in eſſe phyſico nullam habere infinitatem, ſed quod tota eius infinitas pertinet ad ordinem moralem, & quod deſumitur ex actuali coniunctione ad verbum, qua vnione diſſoluta non retinebit gratia hanc infinitatem moralem, ſed perfectione phyſica erit contenta, quæ eadem eſt in Chriſto, & in illa humanitate à verbo relicta.

DVBITATIO APPENDIX.

Num gratia Chriſti ſit alterius ſpeciei à gratia puri hominis, &c.

SEd ad exactam huius ſexti argumẽti ſolutionem, neceſſum eſt explicemus. Num gratia Chriſti ſit alterius ſpeciei à gratia puri hominis. Et ſimiliter an differat ſpecie ab illa gratia, quæ permaneret in

ipſamet

ipſamet Chriſti humanitate, ſi per magnum miraculum diſſolueretur hypoſtatica vnio, ipſa humanitate in rerum natura perſiſtẽte. Et quidem hæc poſterior dubitatio facilem habebit reſolutionem ſi exacte priorem dubitationem explicemus, à cuius proinde expoſitione inchoandum erit.

In hac dubitatione diuerſimodè procedunt Theologi. Quidam enim abſolutè fatentur habitualem Chriſti gratiam, ſecundum eſſe phyſicum, aliquam ſortiri ſpeciem, in qua non conuenit cum gratia puri hominis iuſti, addunt tamen, quod hæc ſpecifica diuerſitas phyſica in Chriſti gratia tota ſumitur ex parte ſubiecti, vel vt proprius loquamur, ex parte ſuppoſiti humanitatis Chriſti, in qua reſidet gratia. Ex quo prouenit ei tota illa dignitas, qua gratiam puri hominis excellit. Vnde colligunt huius ſententiæ Authores, quod hæc ſpecies modalis eſt, & non eſſentialis, atque adeo dicunt, quod in eſſentiali ſpecie gratiæ, conueniunt gratia Chriſti, & noſtra, differunt autem ſpecificè modaliter, ratione illius ſpeciei, quæ ex parte ſubiecti conuenit gratiæ Chriſti. Adhibent exemplum in calore naturali animalis, qui ſimpliciter, & eſſentialiter eiuſdem eſt ſpeciei cum calore ignis, at modaliter, & ex parte ſubiecti, qua ratione, vt animalis virtus, productiuus eſt vitæ, & carnis, ſpecie differt à caloro ignis. Similiter dicunt de Chriſti gratia, quod prout eſt participatio naturæ diuinæ, quæ eſt propria, & eſſentialis ratio gratiæ, eiuſdem eſt ſpeciei cum gratia noſtra, differt autem ſpecie, quatenus virtutem habet effectiuam gratiæ in nobis, quæ virtus phyſica eſt, proueniens ex ſubiecto, ideſt, ex ipſa vnionis gratia.

Huic ſententiæ, quam docent multi Theologi ex his, qui cenſent in Chriſti gratia reperiri modum, quendam phyſicæ infinitatis ex ipſa diuini ſuppoſiti cui realiter coniungitur infinitate participatum, fauet Cai. 3. p. q. 7. a. 11. & illum videtur ſequi Mag. Med. ibidem. Cæterum Theologi, qui nullam infinitatem, neq. phyſicam, neq. modalem agnoſcunt in Chriſti gratia, nullam diuerſitatem ſpecificam in ea reperiunt, qua diſtinguatur à gratia noſtra. Sed dicũt differre ſicut magis perfectum, & minus perfectum intra eandem ſpeciem. Ita cẽſent Scotus, Dur. & alij quos citauimus ſuperius.

Sed neque in has duas tantum ſententias diuerſa Theologorum ſecantur placita. Sunt enim authores graues, qui dicunt, quod quemadmodum calor ignis in duplici reponitur ſpecie, quarum altera non eſt mo... is alterius, neque indiuiduale eius accidens, ſed vtraque eſt perfecta ſpecies, & vna non pendet eſſentialiter ab alia, eſt enim calor ignis, & in tertia ſpecie qualitatis, quæ eſt paſſio, vel paſſibilis qualitas. Eſt etiam in ſpecie alia, quæ eſt potentia, vel impotentia. Ita cenſent Chriſti gratiam in duplici collocari ſpecie, altera quæ communis eſt eſt gratiæ Chriſti, & noſtræ, quatenus vtraq. formale quoddam eſt diuinæ naturæ participium, altera vero ſecundum quam habet rationem potentiæ actiuæ, & productiuæ ſupernaturalium effectuum in hominibus, & in Angelis. Et hæc ſecunda ſpecies, inquiunt, perfectior eſt, prima, quia habet infinitatem in ratione gratiæ, in qua cõprehenditur eminentiali cõtinentia prior gratiæ ſpecies, nam Chriſti gratia habet vim productiuã gratiæ in nobis, prout eſt participatio naturæ diuinę, in qua ratione formaliter cõſiſtit prior ſpecies gratię. In hac poſteriori ſpecie, gratia Chriſti ſimpliciter differt à gratia noſtra eſſentiali differentia.

Denique non deſunt Theologi, qui dicant, quod gratia Chriſti in vnica tantum ſpecie reponitur, ſed illa ſpecies continet virtualiter eminenter ſpeciem aliam gratiæ, eam ſcilicet ad quam pertinet gratia noſtra. Quemadmodum figura ſuperior. v. g. tetragonum alterius eſt ſpeciei à figura inferiori, ſcilicet, trigonum, illam tamen, & virtualiter, & eminenter continet.

Ex hac ſententia ſequitur, quod ſicut tetragonum, & ſi eminenter complectatur trigonum, eſt tamen ſimpliciter alterius ſpeciei à figura trigona, ita gratia Chriſti ſimpliciter eſt alterius ſpeciei à gratia noſtra, & ſi illam eminenter comprehendat.

Sed pro reſolutione huius dubij dico primo. Gratia Chriſti phyſicè conſiderata eſt ſimpliciter loquẽdo eiuſdem ſpeciei cum gratia noſtra. Hoc aſſertum aduerſatur vltimæ ſententiæ, nam auctores aliarum opinionum libenter illud cõcedent. Probatur primo quia forſan eſt infactibile, ſecundum omnem potentiam, quod dentur duæ gratiæ eſſentialiter differentes in eſſe gratiæ: ergo, &c. antecedẽs in noſtro libro de origine, & poicitate gratiæ efficaciſſimis habetur rationibus confirmatum. Sed nunc breuiſſimè probatur. Gratia formaliter, & eſſentialiter eſt participatio naturæ diuinæ, quantum ad omnia eſſentialia eius attributa: Ergo cum natura diuina vnica ſit, & ſimpliciſſima, gratia, quæ eius eſt participatio, & formalis expreſſio, non poterit non eſſe vnius, & eiuſdẽ rationis eſſentialis.

Confirmatur, nõ eſt factibile lumen gloriæ, quod differat ſpecie a lumine, quod nunc reperitur in beatis, neque lumen gloriæ collatum animæ Chriſti, alterius eſt ſpeciei à lumine gloriæ, quod confertur alijs beatis, ſicut viſio beatifica animæ Chriſti non differt ſpecie, neque poteſt differre à viſione beatifica reliquorum beatorum. Similiter, charitas qua diligitur Deus, prout eſt ſummum ſupernaturale bonum nequit ad diuerſas eſſentiales ſpecies pertinere, neque alterius eſt ſpeciei charitas animæ Chriſti, à ſpecie ad quam ſpectat charitas, qua purus homo Deum ſuper omnia diligit. Ergo cum eadem ſit ratio de gratia abſolutè fatendum eſt, non poſſe diuerſas reperiri ſpecies eſſentiales gratiæ.

Secundo probatur. Gratia Chriſti eſt gratia capitis, reſpectu gratiæ noſtræ, quæ eſt gratia membrorum, at caput, & membrum vniuocè ſe habent, & in eadem ſpecifica eſſentia continentur: Ergo gratia Chriſti, ſi phyſice loquamur, eandem ſpeciem gratiæ retinet, quam habet gratia noſtra.

Confirmatur ex illa ſimilitudine poſita à Chriſto. Ioan. 15. ſcilicet, *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*, itaque eo modo nos comparamur ad Chriſtum, quo palmites ad vitem, at inter vitem, & palmites & inter virtutem vitis, & virtutem palmitum, non eſt ſpecifica, & eſſentialis differentia, nam eadem virtus, quæ eſt in vite, vt in radice, diffunditur ad palmites: Ergo eadem gratia ſecundum ſpeciem eſt in Chriſto tanquam in capite, & in radice ſpiritualis vitæ, & in nobis tanquam in membris, & in palmitibus. Huc attinet illud Paul. Roman. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagi-*

nis

nis filij ſui. Quo in loco Paulus loquebatur de filio Dei,& vt Deo,& vt homine, & vtroque modo debemus conformari ipſi per gratiam,& opera gratiæ;at ſi Chriſti gratia eſſet ſimpliciter alterius rationis à gratia noſtra, non poſſet inter nos, & Chriſtum hæc tanta conformitas reperiri, quin potius eſſemus illi deformes, cum non viuamus eadem vita gratiæ, qua ipſe viuit.

Dico ſecundo. Gratia Chriſti non eſt, phyſicè loquendo,in aliqua ſpecie gratiæ, in qua non ſit gratia noſtra. Aduerſatur hoc dictum illi ſententiæ, quæ docet gratiã Chriſti,phyſicè loquẽdo,in duplici ſpecie reperiri, quarum altera conuenit cum gratia noſtra,altera vero differt. Probatur hoc dictũ. Chriſti gratia, vt conſtat ex dictis quæſt. præced. non habet aliquam infinitatem phyſicam,nec eſſentialem, neq. modalem:Ergo neque ſpecie differt,phyſicè loquendo, à noſtra gratia, neq. eſſentiali,neq. modali ſpecie, ſed ſicut perfectum à minus perfecto intra eandem ſpeciem. Rationes,quæ improbant infinitatem phyſicam in Chriſti gratia, accommodandæ ſũt omnes ad probandum eam non differre phyſica ſpecie à gratia noſtra,eandem enim vim habent ad hãc vtramque veritatem ſuadendam.

Dico vltimo. Gratia Chriſti in eſſẽ morali,ſpecie differt à gratia noſtra,& Angelorum,ſic adeo,vt per potentiam Dei abſolutam illa moralis ſpecies, quæ reperitur in gratia Chriſti, non ſit communicabilis gratiæ, quæ eſt in pura creatura. Hoc aſſertum communiter recipitur à Theologis quoad vtramq; partem.

Prima pars probatur ex dictis in præcedẽti dubio art. a. ex quibus conſtat Chriſti gratiam eſſe infinitã in ratione gratiæ. Hæc autem moralis infinitas nullatenus competit alteri gratiæ: Ergo Chriſti gratia ſecundum hanc moralem dignitatem formaliter diſtinguitur à quacumque alia gratia,atque adeo diſtinguitur ſpecie, imo forſan differt genere, quoniam illa dignitas moralis, quæ ex parte diuini ſuppoſiti communicatur gratiæ Chriſti, videtur eſſe quaſi alterius ordinis, aut ſaltem alterius generis ab illa dignitate, quæ competit gratiæ aliquorum iuſtorum, quatenus eſt participium quoddam diuinæ naturæ.

Secunda pars huius aſſerti etiam videtur manifeſta,quoniam dignitas moralis infinita,quæ reperitur in Chriſti gratia formalem dicit habitudinem ad ſuppoſitum diuinum, & ita dicebamus præcedenti dubio, quod hæc dignitas conſequitur hypoſtaticam vnionem,eo modo, quo relatio ſequitur poſitis fundamento, & extremis. At relatio formalem, & intrinſecam connexionem habet cum fundamento, & extremis, ita vt illis poſitis non poſſit non ſequi,& illis non poſitis,ſequi poſſit: Ergo nulla potentia eſt factibile, quod illa ſpecies infinitatis modalis,quæ competit gratiæ Chriſti communicetur alteri gratiæ. Ex hoc ſequitur,quod quantumcumque creſcat perfectio gratiæ puræ creaturę,nõ poterit abſolutè loquendo, peruenire ad perfectionem gratiæ Chriſti.patet,quia non poterit habere hanc modalẽ ſpeciem infinitæ dignitatia, quæ eſt maxima perfectio gratiæ Chriſti etiam in ratione gratiæ, vt ex dictis dubio præcedenti conſtat, & quæ multo maior eſt,ſimpliciter loquendo, quam omnis ſpecifica,& eſſentialis perfectio phyſica ipſiuſmet gratiæ, &c.

Sed contra priorem partem huius tertiæ aſſertionis eſt argumentum, Finitum,& infinitum intra idẽ genus non variant ſpeciem, linea enim infinita ſi daretur non differret ſpecie à linea finita,ſed ſecundum magis,& minus dũtaxat: Ergo moralis dignitatis infinitas,quæ in habituali Chriſti gratia reperitur,non illam diſtinguit ſpecie à gratia noſtra: probatur conſequentia,quoniã moralis dignitas,& perfectio, quæ in gratia puri hominis reperitur,eiuſdem generis eſt cum infinita dignitate, & perfectione morali habitualis Chriſti gratiæ.

Secundo arguitur aduerſus eandem partem huius aſſertionis tertiæ. In Chriſti gratia non reperiuntur duæ morales perfectiones, & dignitates: altera quæ ſit ei communis cum gratia puri hominis,& altera ei propria ex coniunctione ad diuinum ſuppoſitum proueniens, ſed vna,& ſimpliciſſima moralis dignitas ineſt Chriſti gratiæ quaſi ex vtraque iſta dignitate, & perfectione morali, conflata: Ergo manifeſtum ſignum eſt, quod illa moralis dignitas, quæ ex reali coniunctione ad verbum competit Chriſti gratiæ,non differt ſpecie, ab ea perfectione,& dignitate morali,quam habet ipſa gratia ex propria, & intrinſeca differentia,& quæ proinde communis eſt ad omnem gratiam. Conſequentia apparet euidens,namq. ex duobus perfectionibus ſpecie diſtinctis nequit vna ſimplex perfectio conflari. Sed antecedens probatur, Si in Chriſti gratia gemina reperiretur moralis dignitas, & perfectio,altera infinita,& altera finita,ſequeretur quod in quolibet opere Chriſti meritorio,duplicem quoque diſtinguere debeamus meriti rationem; Alteram infinitam, eam ſcilicet, quæ reſponderet infinitæ dignitati gratiæ, & alteram finitam,vtpote proportionatam finitæ perfectioni,& dignitati eiuſdem Chriſti gratiæ, at conſequens inauditum eſſe videtur in Theologorum ſcholis: ergo, &c.

Tertium argumentum contra eandem ſententiã. Si fingamus in Petro meritum, quo mereretur infinitam gloriam, eiuſdem eſſe ſpeciei cũ merito, quo nunc meretur de facto gradum finitum, & limitatũ gloriæ,tantumque differrent hæc duo merita, vt minus perfectum, & magis perfectum, intra idem genus: Ergo idipſum proportionabiliter eſt dicendum de Chriſti gratia, & de gratia puri hominis in eſſe morali conſideratis.

Ad primum argumentum poſſet primo reſponderi negando,quod intra idem genus comprehendantur moralis dignitas infinita gratiæ Chriſti, & illa dignitas,& perfectio moralis,quæ ex differentia ſpeciali gratiæ ſumitur, & quæ proinde in omni habituali gratia,ſiue Chriſti,ſiue puri hominis reperitur. Quæ diuerſitas generica moralis inde cõſurgit,quod moralia perfectio gratiæ,quæ omni gratiæ communis eſt,ſumitur ex ipſa diuina eſſentia, quatenus participatur in gratia; itaque gratia confert omni ſubiecto,cui ineſt huiuſmodi moralẽ dignitatem, eo quod eſt formalis quædã participatio, & expreſſio diuinæ naturæ,iuxta modũ à principio huius relectionis explicatũ. Et quia gratia finita eſt participatio naturę,& eſſentiæ Dei,dignitas moralis,quæ hinc conſurgit finita quoque eſt & limitata. Cæterum dignitas moralis infinita gratiæ Chriſti, non prouenit ex aliqua formali diuinitatis participatione, ſed ex reali vnione

ne ad diuinum verbum, tanquam ad ſuppoſitum humanitati, cui ineſt ipſa gratia. Vnde prior dignitas propriè vocari poteſt formalis, poſterior vero perſonalis, aut ſuppoſitalis. Iſta diſtinctione ſuppoſita, quæ ſatis eſt rationabilis, ceſſat tota primi argumenti difficultas. Sed quoniam hac generica diſtinctione admiſſa valde vrget ſecundum argumentum, nam conſeqnenter videtur concedendum, quod in gratia Chriſti gemina formaliter reperiatur formalis dignitas, altera finita, altera infinita, altera formalis, & altera perſonalis, idcirco aliter reſpondendum eſſe cenſeo ad ptimum argumentum. Et libenter admirro, quod vtraque illa dignitas ſub eodem morali genere continetur. Quod quidem non irrationabiliter aſſeritur, præſertim ſi verum eſt id, quod ſuperius veriſſimum iudicauimus, nimirum, Chriſtum eſſe valde proprium, & connaturale ſubiectum gratiæ, eiuſque naturæ maximè proportionatum. Nam ſi hoc verum eſt, qua probabili poterit ratione defendi, perfectionem illam, & dignitatem moralem, quę ex reali coniunctione ad iſtud ſubiectum obuenit gratię, genere differre ab ea morali perfectione gratiæ, quæ ex intrinſecis ipſius principijs oritur, Quare ad antecedens primi argumeuti per diſtinctionem reſpondeo, quod quando finitum, & infinitum tantum differunt, ſecundum maiorem, vel minorem perfectionem intra idem genus, ita quod infinitum tantū addit nouum gradum perfectionis extenſiuum, vel quaſi extenſiuum nulla formali variatione facta, tūc antecedens eſt veriſſimum, & hoc modo procedit exemplum de linea ibi adductum, vt conſideranti conſtabit. Cæterum quando infinitum non ſolum addit nouum gradum perfectionis, ſed nouam etiam formalem perfectionis rationem, tunc infinitum ſpecie differt à finito eiuſdem generis. Vt ſuperficies in ratione ſuperficiei infinita, ſpecie differt à linea finita intra idem genus quantitatis, non propter ſolam infinitatem, quæ ſecundum ſe non eſſet ſufficiens ſpecificam diſtinctionem conſtituere, ſed propter formalem rationem, & differētiam diſtinctam, quam intra genus quantitatis importar. In præſentia ergo, infinita moralis dignitas, quam inuenimus in habituali Chriſti gratia, alterius eſt formalis rationis ab illa finita morali dignitate, quæ communis eſt omni gratiæ. Quam ſpecificam differentiam manifeſtat nobis illa ratio, quam paulo ſuperius circa primam ſolutionem huius argumenti formauimus, ad ſuadendum reperiri diuerſitatem genericam inter has duas morales gratiæ perfectiones. Quæ ratio genericam quidem diſtinctionem non oſtendit, ſed conuenientiam potius, cum vtraque gratiæ perfectio, & dignitas ex ipſa deitate ſumatur, ſed quia diuerſimodè ſumitur, diuerſitatem conſtituit ſpecificam.

Ad ſecundi argumenti ſolutionem, libet mihi recurrere ad ſententiam, quam paulo ante ex quibuſdā Theologis referebam, quæ aſſerit habitualem Chriſti gratiam in vnica tantum ſpecie collocari, quæ tamen eminenter continet ſpeciem aliam inferiorem, quæ eſſentialis eſt gratiæ puri hominis iuſti. Exiſtimo enim hanc ſententiam falſam eſſe, ſi de illa ſpecie gratiæ puri hominis intelligatur, quę ad ordinem phyſicum ſpectat, probauimus enim ſpeciem hanc communem eſſe omni gratiæ, & Chriſti, & cuiuſcumque iuſti hominis, ſolumque poſſe differre, ſecūdum magis, & minus, quatenus in Chriſti gratia perfectior eſt gradualiter, & numericè, quam in quacumque alia gratia: imo quam in omni gratia collectiue ſumpta, quæ in Angelis, & in alijs hominibus reperitur, vt in artic. præced. huius quæſt. non infirma ratione probauimus. Cenſeo tamen illam omninò veram eſſe de morali ſpecie. Ita quod ſicut figura tetragonum continet virtualiter trigonum, & trigonū & ſi verè reperiatur in tetragono, non retinet tamen ibi formaliter ſpeciem figuræ trigonæ, quia non proprio concluditur termino, ſed ſub eſſentiali, & formali termino ſuperioris figuræ tetragono continetur, differentia autem ſpecifica ex vltimo formali rei termino deſumitur. Similiter ſenſitiuum realiter reperitur in homine, non vero ſpecie diſtinctum à rationali, quia non continetur ibi ſub termino vltimo ſenſibili, ſed ſub formali termino rationalitatis comprehenditur: prouenit enim à forma rationali, q̃ eminēter cōtinet ſenſitiuum. Ita ergo in præſentia dico, quod dignitas infinita gratiæ Chriſti perſonalis, ideſt, ex coniunctione ad diuinum ſuppoſitum proueniens, propter ſui eminentiam, & celſitudinē, quæ ſumma eſt in toto genere gratiæ, eminenter continet dignitatem aliam moralem finitam, quæ communis eſt omni gratiæ. Et ita ad argumentum dico, quod in opere quocumque meritorio Chriſti reperiebatur ratio meriti infinita correſpondens dignitati perſonali gratiæ, quæ virtualiter, & eminenter continebat, illam finiti meriti rationem, ex infinita morali perfectione, & dignitate habitualis gratię prouenientem. Itaque de gratia Chriſti, & de eius merito proportionabiliter eſt loquendum.

Ad tertium argumentum, negatur quod illa merita eſſent eiuſdem ſpeciei, ſicut neque gloria infinita eiuſdem poteſt eſſe ſpeciei cum finita gloria. Infinita enim gloria eſt ipſa viſio comprehenſiua diuinæ eſſentiæ, quæ pluſquā genere differt à quacumque beata viſione non comprehenſiua.

Ex dictis in hac dubitatione manifeſtum relinquitur, quid ſit dicendum in dubitatione alia ſuperius inſinuata, & quam attigimus in vltimo argumento ex propoſitis à principio huius ſecundi articuli. An videlicet, vnione hypoſtatica per miraculum diſſoluta, ipſa Chriſti humanitate ſuperſtite, habitualis gratia in eadem humanitate permanens eiuſdem eſſet ſpeciei, cuius eſt habitualis Chriſti gratia. Reſpondetur enim conſentaneè ad ea, quæ nunc dicebamus, quod in eſſe phyſico eadem omninò eſſentialem retineret ſpeciem, quam nunc habet in Chriſto. Moralem vero ſpeciem, quæ ex coniunctione ad diuinum verbum gratiæ Chriſti competit, minimè retineret: nam hæc moralis ſpecies ſicut vnione humanitatis ad verbum poſita per modum relationis ſequitur, ita vnione eadem diſſoluta ad modum ſimiliter relationis euaneſceret.

Argumenta omnia, quæ à principio huius ſecundi articuli tertiæ principalis quæſtionis ad diſputādum propoſuimus, ex dictis ſufficienter manent expoſita. Præter illud argumentum in oppoſitum formatum, quod eam difficultatem inſinuat. Num purus homo, vel per abſolutam, vel per ordinariam Dei potentiā ad eum poſſit gradum gratiæ peruenire, quo perfectionem habitualis gratiæ Chriſti, vel exuperet, vel

ſal-

ſaltem adequet. Cui difficultati facile reſpondetur. Et primo dicitur, quod ſi de morali gratiæ perfectione ſermo fiat, conſtat ex doctrina tradita per nullam potentiam fieri poſſe, vt gratia puri hominis accedat ad moralem dignitatem gratiæ Chriſti, & cum hæc moralis perfectio, & dignitas non ſit extranea, vt diximus, à ratione gratiæ, ſed eius naturæ valde proportionata, abſolutè fateri debemus, quod gratia puri hominis nequit pertingere ad perfectionem gratiæ Chriſti.

Dico ſecundo, quod ſi de perfectione gratiæ phyſica loquamur, omnes tenemur fateri, quod in aliquo excellit gratia Chriſti, quod gratiæ puri hominis nequit competere, nimirum, quod Chriſti gratia ex reali coniunctione ad verbum habet, quod poſſit aſſumi ab ipſo verbo, vt forma inſtrumentaria ei coniuncta, ad ſanctificandum, & gratificandum, & homines, & Angelos, cuius Chriſtus eſt caput. Sed hæc inſtrumentaria idoneitas, & aptitudo in ipſa Chriſti gratia, non eſt aliud, quam paſſiua terminatio, qua humanitate mediante à diuino verbo terminatur. Hæc enim paſſiua terminatio, conſtituit gratiam aptum, & idoneum diuinitatis inſtrumentum. Quæ aptitudo incommunicabilis eſt alteri gratiæ. Authores, qui putant modum quendam phyſicæ infinitatis reſultare in Chriſti gratiam ex eius vnione ad verbum, contendunt etiam phyſicum hunc modum nulla potentia communicabilem eſſe gratiæ puri hominis. Verum ego nullam intueor rationem, neque eam Authores prædictæ phyſicæ entitatis aſſignant, ob quam non ſit producibilis ſimilis modus phyſicus in alia quacumque gratia. Nam cum modus ille non ſit relatio, neque modum poſſit habere relationis, ſed ſit quædam abſoluta entitas, nulla vero ſimili poteſt ratione ſuaderi, quod habeat formalem, & intrinſecam dependentiæ habitudinem ad vnionem hypoſtaticam, quam tamen habet illa moralis dignitatis infinitas, quam nos tribuimus gratiæ Chriſti. Nam cum non tam ſit formalis, quam perſonalis dignitas, vt dicebamus, neceſſum eſt intrinſece pendeat à perſonali verbi ad humanitatem vnione.

Quocirca de medio ſublata hac phyſica infinitate, tota huius dubitationis difficultas ad intenſiuam gratiæ perfectionem reuocari debet, quam cum omnes fere Theologi, etiam phyſicæ modalis infinitatis authores, finitam eſſe, & limitatam affirment, ad omnes ſpectat huius difficultatis enodatio. Ac proinde iuxta communem omnium ſententiam dicimus, quod ſi attẽdamus ad principia intrinſeca gratiæ Chriſti phyſica, & ad omnem eius phyſicam diſpoſitionem nulla eſt repugnantia, quod gratia puri hominis ſit æque perfecta, imo & perfectior ipſa gratia Chriſti. Ex quo ſequitur, quod ſecundum potentiam Dei abſolutam, gratia in pura creatura perfectior eſſe poteſt phyſica perfectione, quam ipſa Chriſti gratia. Sed tamen dico, quod ſi Dei prouidentiam, & ſuauem diſpoſitionem attendamus, duo ſunt concedenda. Primum, quod quilibet homo iuſtus quantumcumque fuerit iuſtus, & gratus Deo, poteſt creſcere in gratia, & iuſtitia, & hæc eſt fidei veritas in ſeſſ. 6. Conc. Trident. can. 32. definita. Alterum eſt, quod nullus vnquam iuſtus perueniet ad perfectionem gratiæ, ſiue intenſiuam, & gradualem, ſiue extenſiuam, quam habet gratia Chriſti, cuius ratio ea eſt, quod eius intenſio, & perfectio phyſica tam eſt excellens, quod omnia opera cuiuſcumque iuſti, imo & omnium iuſtorum collectiuè, non poterunt tantam gratiam mereri, vt adequet perfectionem gratiæ Chriſti, quia Deo ita diſponente, neque per tempus, neque per occaſiones operandi benè, licebit alicui, vel omnibus ſimul ſumptis hominibus, & Angelis tantam mereri gratiam, quamuis id fieri poſſet ſecundum abſolutam Dei potentiã. Vnde benè cohærent, quod quilibet viator, quamdiu eſt in ſtatu vitæ poſitus, poſſit ſecundum ordinariam Dei legem in gratiã, & charitate creſcere, & quod ſecundum ordinariam quoque legem, nulla cuiuſpiam aut intellectualis, aut rationalis creaturæ gratia peruenire poſſit ad eum intenſionis gradum, in quo intenſionem gratię Chriſti adequet. Ad ordinẽ enim diuinæ prouidentiæ ſpectat, vt ita viam hatum omniũ creaturarum dirigat, & diſponat, vt non ſit eis locus perueniendi ad illum ſublimem, & excellentem gratiæ habitualis gradum, qui ex ſapientiſſimo, & rectiſſimo diuinæ prouidentiæ decreto ab æterno deſignatus fuit ſupremo omnium earum capiti Chriſto. Et hęc de tota tertia quæſtione.

QVÆSTIO QVARTA.

An Chriſtus aſſequutus fuerit gratiam per propriam diſpoſitionem.

ANtequam proponantur argumenta, duo ſunt pręſupponenda ex doctrina S. Th. 3. par. quæſt. 34. ar. 1. & 2. Alterum eſt, quod Chriſti anima in inſtanti incarnationis fuit ſanctificata per gratiam habitualem, imo & per gratiam conſummatam, quæ dicitur gloria, de qua re nonnulla in 1. quęſt. diximus. Alterum eſt, quod in illo primo inſtanti incarnationis, Chriſtus vt homo, habuit plenè arbitrium liberum, & potuit vti arbitrij libertate, & ob hanc cauſam, dum erat in vtero Virginis appellatur vir in ſacris litteris, iuxta illud Hieremiæ 31. *Fœmina circundabit virum*.

Quibus ſuppoſitis probatur primo pars affirmatiua. Chriſtus accepit gratiam habitualem per actum liberi arbitrij, ſed actus liberi arbitrij quatenus vel procedit à gratia, vel à ſpeciali Dei auxilio, habet rationẽ diſpoſitionis ad ipſam gratiam, ergo, &c. Maior ex fundamento ſecundo pręſuppoſito colligitur, nam Chriſtus in illo primo inſtanti, in quo gratiam ſuſcepit, fuit liber, & potuit habere vſum arbitrij.

Confirmatur ratione inſinuata à S. Thom. loco citato art. 3. & 4. Sanctificari per actum liberi arbitrij multo perfectius eſt, quam ſanctificari per ſolam gratiam habitualem, quia ſanctificatio, quæ eſt per vſum arbitrij, eſt ſimul actualis, & habitualis, actus vero pręſtat habitui: ſed ſatisfactioni animæ Chriſti tribuenda eſt maior, & maxima perfectio: Ergo dicendum eſt quod Chriſtus non fuit ſanctificatus, vt ſanctificantur paruuli per ſolam infuſionem habitualis gratiæ, ſed ſanctificatione adultorum, quę & actu, & habitu conſtat.

Secundum argumentum. Primus parens in ſtatu innocentiæ accepit gratiam ſimul cum natura in primo ſuæ creationis inſtanti, & tamen vt docet S. Tho. 1. p. q. 95. per totam. accepit illam per diſpoſitionem liberi arbitrij, & idipſum fatetur idem S. Tho. de Angelis 1. p. q. 62. ar. 2. ad 3. Ergo eadem ratione, imo & per locum à fortiori, Chriſti anima, & ſi ſuſceperit gratiam in ipſo ſuæ creationis inſtanti, accepit tamen illam per diſpoſitionem liberi arbitrij. Et ratio communis eſt ad Chriſti animam, ad Angelos, & ad primum parentem, quam aſſignat S. Tho. q. 95. citata, videlicet, quod ſatisfactio animæ per gratiam eſt quoddam ſpirituale matrimonium inter animam ſanctificatam, & Deum, iuxta illud. Oſeę 2. *Deſponſabo te mihi in fide*, ſcilicet, viuificata per gratiam, & charitatem: atque adeo requiritur cõſenſus liber ex parte ipſius animæ ſanctificatæ, qui vt ordine naturæ præcedit, habet rationem naturalis diſpoſitionis ad gratiam, & hæc eſt ratio communis pro omni gratia.

Tertium argumentum pro eadem ſententia. Chriſtus in inſtanti ſuæ incarnationis habuit actum ſupernaturalem, & liberum, quo dilexit Deum, & homines, decreuitque patere mandato patris circa redemptionem humani generis, mortem pro hominibus ſubeundo. Igitur ille actus potuit habere rationem diſpoſitionis ad gratiam, quam in eodem inſtanti accepit anima Chriſti. Sicut actus, quem habet is, qui iuſtificatur in inſtanti ſuę iuſtificationis, eſt diſpoſitio ad gratiam, quę in eodem inſtanti infunditur: actus enim contritionis, quem Theologi vocant diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem, in eodem inſtanti eſt cum infuſione ipſius gratiæ. Antecedens patet ex illo Pauli ad Hebr. 10. & Pſ. 39. *Ingrediens in mundum dixit ecce venio, Deus meus volui*, & ſubiunxit Paulus, *qua voluntate ſanctificati ſumus*. Quo in loco duo colligitur ex D. Paulo. Primum, quod ille voluntatis actus, quo Chriſtus voluit obedire patri circa ſubeundam mortem, fuit habitus in ipſo incarnationis inſtanti. Hoc enim deſignant illa verba *ingrediens in mundũ*, ideſt, in ipſa actuali ingreſſione, quæ fuit primum inſtans incarnationis. Secundum, quod ille actus fuit liber, quoniam fuit ſanctificatiuus omnium hominum. Hoc enim denotant illa Pauli verba, *Qua voluntate ſanctificati ſumus*: Ergo verum eſt antecedens propoſitum.

Quarto arguitur ex doctrina S. Thom. 3. p. quæſt. 34. artic. 4. quo loco S. Th. docet Chriſti animam ſanctificatam fuiſſe ſanctificatione adultorum, ſcilicet, per liberum ſuæ voluntatis conſenſum, at liber voluntatis conſenſus in ſanctificatione cuiuſcumque hominis, diſpoſitio eſt ad ipſam ſanctitatem, & gratiam, quod vnanimiter concedunt Theologi. Ergo, vera eſt iſta ſententia.

In hac quæſtiones antiquiores Theologi parum aut nihil dixerunt. Et quidem S. Thom. & ſi in loco nunc citato abſolutè docuerit Chriſtum iuſtificatum fuiſſe ſanctificatione adultorum, ideſt, interueniente libero voluntatis conſenſu, nihil tamen expreſſe docuit de diſpoſitione ad gratiam, imo neque meminit huius nominis, diſpoſitio. Vnde eius diſcipuli in diuerſas abierunt ſententias. Mag. Sotus quem refert Mag. Medina 3. p. q. 7. ar. 13. ſententiam negatiuam fuit amplexatus, at ipſe Med. ibidem, & q. 34. art. 1. affirmantem ſententiam tuetur, quam multi ex iunioribus Thomiſtis ſequuntur, exiſtimantes eam eſſe S. Th. doctrinam.

Sed nota primo, quod diſpoſitio ad aliquam formam duplex eſſe poteſt. Altera præcedens ipſam formam, ſiue tempore, ſiue natura, iuxta quem modum calor ſolet vocari diſpoſitio ad formam ignis, & contritio diſpoſitio ad gratiam: Altera cõcomitans, ideſt quæ nullatenus formam præcedit, neque temporis, neque naturæ prioritate, ſed concomitatur ipſam formam in inſtanti productionis eius, & neceſſaria eſt non vt forma introducatur in ſubiecto, ad quod deſeruit diſpoſitio antecedens, ſed vt forma bene ſe habeat in ſubiecto, in quo ſuſcipitur. Vt potẽtiæ naturales, & proprię paſſiones, quę ſimplici emanatione prodeunt à forma ſubſtantiali, ſolent appellari diſpoſitiones concomitantes propter iſtam cauſam, quia, videlicet, non diſponunt ad introductionem formæ in ſubiecto, ſed ad bené eſſe ipſius formæ in tali ſubiecto, vt ſcilicet, operetur iuxta modũ ſibi proprium, & connaturalem, & ſubiectum habeat in omnibus modum proportionatum ipſi formæ. Superius dicebamus cum S. Thom. quod gratia habitualis iuxta iſtum modum poſteriorem, fuit in Chriſto diſpoſitio ad vnionem hypoſtaticam.

Nota ſecundo, quod ſi in Chriſti anima fuit aliqua diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam, quæ nomen diſpoſitionis verè mereatur, debuit eſſe actus ſupernaturalis, & liber: Supernaturalis quidẽ, vt ipſam Chriſti animam redderet proportionatam, & eiuſdem ordinis cum gratia ſuſcipienda: liber autem vt gratia reciperetur in anima proportionabiliter ad naturam ipſius. In his enim duobus conſiſtit propria ratio diſpoſitionis ad formam, nimirum, quod ſubiectum proportionetur ipſi formę, & quod forma accomodetur ipſi ſubiecto, & ad modum eius recipiatur. His ſuppoſitis ſit.

Prima concluſio.

IN Chriſti anima repetitur vera diſpoſitio ad gratiam habitualem, ſi ſermo fiat de diſpoſitione cõcomitante, per quam bene ſe habeat gratia in anima in qua ſuſcipitur. Hanc concluſionem probant argumenta facta pro ſententia affirmatiua. Et confirmatur, charitas, & cæteræ ſupernaturales virtutes, quæ ſimul fuerunt infuſæ cum gratia in anima Chriſti, potuerunt exire in proprias operationes in eodem inſtanti, quo fuerunt infuſæ, ſicut Sol in eodem inſtãti ſuæ creationis ſe explicuit in illuminationis actũ erga corpus diaphanum: Ergo in inſtanti infuſionis gratiæ Chriſti, ipſa Chriſti anima prodijt in operationes ſupernaturales, & liberas, atque adeo habuit diſpoſitionem concomitantem gratiam: quia ad rationem diſpoſitionis concomitantis gratiam hæc tria ſufficiunt, ſcilicet, quod ſit in eodem inſtanti infuſionis gratię, quod ſit ſupernaturalis, & deniq. qđ ſit operatio libera. Hæc concluſio facilè colligitur ex 3. p. loco nunc citato, nam licet S. Tho. non faciat expreſſam mentionem de diſpoſitione ad gratiã Chriſti, implicitè tamen, & virtualiter illam ſtatuit, quatenus dixit Chriſti animã ſanctificatam fuiſſe per proprium actum, ſicut ſanctificantur adulti.

Se-

Digitized by Google

Secunda concluſio.

IN Chriſti anima nulla fuit diſpoſitio antecedens gratiæ infuſionem, nec tẽporis, nec naturæ prioritate. Hanc concluſionem docuit Mag. Sotus, qui præcedentem non negauit. Et inter Theologos iuniores non deſunt, quibus hæc concluſio placet. Et probatur primo ratione à poſteriori. Ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod Chriſtus meruerit, & quidem de cõdigno, imo de rigore iuſtitiæ ſuam gratiam, & conſequenter gloriam animæ ſuæ. Conſequens non admittitur à Theologis peritioribus, de quo & inferius quæſt. 5. dicemus: ergo, &c. Minor ſupponitur, & probatur ſequela. Actus, quo Chriſti anima diſponeretur ad gratiam diſpoſitione antecedenti eſſet actus ſupernaturalis, liber, & procederet à ſuppoſito infinite grato: Ergo in illo priori naturæ quo antecederet habitualem gratiam, eſſet ſimpliciter meritorius de condignò. Rurſus. Ergo mereretur ipſam gratiam poſterius natura conferendam animæ Chriſti: Prima conſequentia apparet euidẽs, præſertim ſi ſupponamus, id quod quæſt. ſequenti probabitur, videlicet, quod gratia habitualis in Chriſto non fuit ſimpliciter neceſſaria ad merendum, ſed ſatis erat ipſa gratia vnionis. Poſterior conſequẽtia probatur. Nihil deerat illi actui quominus eſſet meritorius gratiæ, & gloriæ animæ, quia habet omnia requiſita ad rationem meriti, vt ex priori conſequentia conſtat, & gratia poſterius natura infundenda, poterat habere rationem præmij: quia ad rationem præmij non eſt neceſſe, quod ſit poſterius tempore merito, ſed ſat fuerit, quod ſit natura poſterius: vt patet in augmento gratiæ, quod meretur homo iuſtus, nam in eodem inſtanti confertur, in quo illud meretur: Ergo nulla veroſimili ratione poſſet negari, quod Chriſtus mereretur ſuam gratiam, ſi admittamus antecedentem diſpoſitionem ad ipſam.

Huic argumento reſpondent quidam Theologi, quod actus ille ſupernaturalis ordine naturę præcedens gratiam, idcirco non mereretur gratiam, aut gloriam animæ Chriſti, quia nõ fuit ordinatus à Deo ad huiuſmodi pręmium: ſed tantum ad gloriam corporis Chriſti, & ad gratiam, & ad gloriam noſtram, & ad reliqua ſupernaturalia bona, quæ nobis per Chriſtum obueniunt. Hæc tamen ſolutio eſt omninò voluntaria, & qua facilitate dicitur eadem reijcitur: Quoniam ſi illa Chriſti operatio habet omnia requiſita, vt poſſit eſſe meritoria gratiæ, & gloriæ animæ Chriſti, qua probabilitate dicitur, quod non fuit ordinata à Deo ad huiuſmodi præmium, præſertim cũ hæc operatio ſit pro illo ſigno naturæ, quo anteceſſit gratiam habitualem fuit meritoria, fuit etiam infinite meritoria, atque adeo non debet excludi à ratione præmij, reſpectu talis operationis, gratia habitualis Chriſti, & gloriæ animæ illius.

Secundo probatur concluſio. Operatio libera Chriſti, quæ potuit habere rationem diſpoſitionis ad gratiam eius habitualem præſupponit in Chriſto ipſam gratiam ſimpliciter, & abſq. vlla limitatione: Ergo non potuit eſſe prior ipſa gratia, atque adeo neque habuit rationem antecedẽtis diſpoſitionis. Probatur antecedens. Solus actus charitatis liber potuit eſſe ſufficiens, & vltima diſpoſitio ad gratiam in anima Chriſti, ſed actus charitatis liber in Chriſti anima præſupponit gratiam iam habitam, neque potuit ad ipſius gratiæ infuſionem, & introductionem ordinari: ergo. Probatur minor. In Chriſti anima actus charitatis potuit eſſe liber dupliciter tãtum. Primo, ſecundum quod regulatur non per viſionem beatã, ſed per ſcientiam infuſam, quæ eſt cognitio extra verbum. Secundo. Idemmet qui regulatur, & quatenus regulatur per ſcientiam beatam, ſed non vt formaliter attingit Deum in ſemetipſo, ſed vt attingit Deum quatenus eſt ratio diligendi creaturas, & obſeruandi ea præcepta, quæ non habent intrinſecam connexionem cum ſtatu beatifico, quale fuit præceptum moriẽdi, itaque idemmet actus charitatis regulatus per viſionem beatã, eſt ſimpliciter neceſſarius, prout fertur in diuinam bonitatem ſecundum ſe ſumptam, & eſt liber, ſaltem quoad exercitium, prout fertur in eãdem diuinam bonitatem, vt eſt ratio amandi creaturas, & implendi prædicta mandata. Tunc ſic. Vterq. iſte actus liber præſupponebat neceſſario gratiam in anima Chriſti, quod ſic explico. Nã ſi erat actus charitatis regulatus per ſcientiam infuſam animæ Chriſti inditam, præſupponebat neceſſario ſecundum ordinariam Dei potẽtiam ſcientiam beatam, quoniam ſcientia infuſa in intellectu beati conſequitur ad ipſã viſionem beatam, vt effectus eius: vt 1.p.q.12. ſolet explicari. Viſio autem beata præſupponit gratiam, non enim confertur hæc diuina operatio .ſ. viſio beata niſi animæ aſſumptæ per gratiam ad participium naturæ diuinæ. Operatio .n. diuina poſtulat in operãte participium diuinæ naturæ. Vnde non reputo probabilem ſentẽtiam, quam refert Mag. Med. 3.p.q.7. art.13. quæ affirmat viſionem beatam animæ Chriſti præceſſiſſe infuſionem habitualis gratiæ. Si vero loquamur de actu charitatis regulato per ſcientiam beatam, quatenus attingit bonitatem diuinam, vt eſt ratio amandi creaturas, talis operatio ſimiliter præſupponebat ipſam ſcientiam beatam, & amorem charitatis, prout attingit diuinam bonitatẽ in ſeipſa: Ergo ſimiliter præſupponebat infuſam gratiam, atque adeo nulla ratione potuit eſſe diſpoſitio antecedens ad ipſam.

Tertio probatur concluſio. Gratia habitualis collata fuit Chriſto ex debito connaturalitatis, vt ſupra expoſuimus: Ergo non fuit illi collata ex vi liberæ diſpoſitionis voluntatis eius. Videtur euidens hæc conſequentia, quia repugnant iſta duo, quod aliquid detur propter debitum naturæ, & ſimiliter propter liberam diſpoſitionem: Quia libertas contraponitur naturæ. Vnde non mihi placet, quod dicit Mag. à Med. 3. par. quæſt. 34. art. 1. videlicet, Chriſti gratiam fuiſſe eius animæ collatam duplici titulo; Et titulo connaturalitatis ad modum propriè paſſionis conſequentis hypoſtaticam vnionem, & titulo liberæ diſpoſitionis. Nam iſti duo tituli habent mutuam repugnantiam; Et quidem improbabiliter quiſpiam diceret, quod riſibilitas, quæ oritur in homine ex naturali eſſentia per modum connaturalis proprietatis, & paſſionis, habet in ſui productione dependentiam ex actu liberæ voluntatis humanæ. Oriri enim per modum naturæ, & per modum libertatis eſt implicatio in adiecto.

Quarto probatur. Multo perfectius fuit Chriſti animæ habere gratiam per modum naturæ, quam

Digitized by Google

per modum liberè diſpoſitionis, nam aſſimilari Deo naturaliter eſt maxima pfectio, quæ poteſt cõcipi in natura creata, ſed animæ Chriſti tribuendus eſt ille modus ſanctificationis, & gratificationis, qui magis eſt perfectus: Ergo tribuenda eſt illi gratia non ex vi diſpoſitionis,ſed ex debito cõnaturalitatis ei collata.

Vltimo probatur concluſio. Iuſtificatio animæ Chriſti facta per gratiam habitualem, non habuit rationem ſpiritualis matrimonij celebrati inter animam Chriſti, & Deum ſi propriè loquamur: Ergo illa ratio, quam retulimus ex S. Thom. propter quã requiritur diſpoſitio antecedens ad gratiam iuſtificantem tam in Angelis, quam in hominibus, quæ deſumitur ex ratione ſpiritualis matrimonij mutuũ expoſcentis conſenſum, non habet locum in Chriſto. Antecedens probatur. Gratia Chriſti fuit quoddam ornamentum quaſi conſequens naturaliter ad matrimonium illud excellens, quod celebratum fuit inter verbum, & humanitatem aſſumptam: Ergo non habuit propriè loquendo rationem ſpiritualis matrimonij ſanctificatio facta per gratiam, neque.n. oportet fingere duo ſpiritualia matrimonia. Fateor libenter, quod actus liberi arbitrij in Chriſto fuit quidam approbationis conſenſus matrimonij per hypoſtaticam vnionem celebrati: ſed ex hoc nullã præcedentis diſpoſitionis rationem induit.

Ex omnibus dictis ſuperſunt ſoluta argumenta facta à principio quæſtionis, quæ vi plurimum probant, gratiam Chriſti ſecum attuliſſe liberum voluntatis conſenſum, qui habuit rationem concomitantis diſpoſitionis, neque S. Tho. quidquam aliud docuit, ſi quando inſinuauit neceſſariam fuiſſe diſpoſitionẽ in Chriſti anima ad eius gratiam habitualem. Eſtque illi ſatis in vſu: concomitantem diſpoſitionem appellare ſimpliciter diſpoſitionem. Et ita quamuis, vt ſupra oſtendimus, ipſe docuerit nullam præceſſiſſe diſpoſitionem in Chriſti humanitate ad gratiam vnionis: quam ſæpius tamen in 3.p.q.6.& 7. docet, gratiã habitualem, & gloriam animæ Chriſti fuiſſe diſpoſitionem ad gratiam vnionis. Quibus in locis loquitur de diſpoſitione concomitante.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum habitualis gratia fuerit ſimpliciter Chriſto neceſſaria ad exequendum ipſa Redemptoris munia, nimirum, ad merendum & ſibi, & nobis, ad ſatisfaciendum Deo pro vniuerſis humani generis peccatis, &c.

Mvlta eaque gratiſſima poſſemus recenſere in præſentia redemptoris officia, quibus verbum caro factum dum mira ſplendeſcens gloria plenum gratiæ, & veritatis habitauit in nobis, ipſam humani generis ſalutem operatum fuit in medio terræ. In cuius conſummatione etiã nunc ad dexteram patris ſedens aſſiduè perſiſtit: *Aduocatum*, inquit S. Ioan. 1.can. c.2.*habemus apud patrem,&c.* Verum tamen in diſputatione præſenti, de gemino tantum redemptoris officio ſatisfactione, ſcilicet, & merito, idcirco meminimus, quia in his potiſſimum infinita Chriſti gratiæ virtus ſeipſam explicuit. Eſſetque præterea operoſum nimis, & penè infinitum opus ſigillatim recenſere vniuerſa Chriſti Saluatoris, & Redẽptoris opera, exactamque omnium eorum tractationem abſoluere. Quoniam autem iſta quæſtio non poterit non eſſe longiuſcula, idcirco tota eius diſputatio ad tres articulos eſt reducenda. In primo diſputabitur id quod in ipſo quintæ quæſtionis titulo prima ſpecie proponitur. In ſecundo, de Chriſti ſatisfactione agendum erit. In tertio denique de ipſius merito tractabitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

De neceſſitate gratiæ ad actiones ſupernaturales, & meritorias Chriſti Domini.

§. 1. *Argumenta pro parte negatiua.*

IN primo igitur articulo priuſquam argumenta præcipua in vtramq. partem proponam, & diuerſa Theologorum referam placita: aduertendum eſſe duxi non defuiſſe Theologos graues, quibus videtur ſubſcribere Mag. Med. 3.p.q.7.ar.1. in fin. qui aſſeruerunt, quod ſi verbum humanitatem aſſumeret omni, & habituali, & actuali ſupernaturali auxilio deſtitutam, poſſet Chriſtus nihilominus per intellectum, & voluntatem, & reliquas humanæ naturæ potentias in eas omnes ſupernaturales actiones prodire, quas nũc de facto operatur: ita quod eſſent ſupernaturales ſimpliciter, quantum ad phyſicam etiam ſubſtantialem ipſarum entitatem.

Fundamentum huius ſententiæ in hoc conſiſtit. Ad exercendum ſupernaturales actiones non ſunt ſimpliciter neceſſarij habitus infuſi, ſed ſufficit auxilium Dei ſpeciale actuale ſecundum communem Theologorum ſententiam: ſed vnio hypoſtatica humanitatis ad verbum multo excellentius principium eſt ſupernaturale, quam auxilium quodcumque ſpeciale, quia ex vi hypoſtaticæ vnionis diuinum verbũ quatenus eſt ſuppoſitum humanæ naturæ, comprincipium eſt omnium operationum ipſius naturæ ſimul cum ipſa elicitiuum: Ergo Chriſtus vt homo, poterat exequi ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis quãcumque ſupernaturalem actionem. Cæterum hæc ſententia merito diſplicet multis Theologis grauiſſimis.

Primo, quia expreſſa eſt doctrina S. Thom. contra hanc ſententiam 3. p. queſt.7. art. 1. ad 2. vbi inquit, quod præter gratiam vnionis neceſſaria fuit habitualis gratia habitualis, vt operatio ipſius humanitatis, eſſet perfecta, id eſt, vt eſſet ſupernaturalis, & diuini ordinis. Quæ explicatio aperte conſtat ex præcedenti ſolutione ad primum, in qua dixerat S. Thom. gratiam habitualem fuiſſe humanitati Chriſti neceſſariam, vt illam conſtitueret diuinam per participationem.

Secundo. Suppoſitum non operatur, niſi iuxta facultatẽ, & vim eius naturæ, cuius eſt ſuppoſitũ: Ergo diuinum verbum, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, non operatur niſi iuxta perfectionem, & virtutẽ humanitatis, & potentiarũ eius: atque adeo ſi humanitas non eſſet perfecta, & eleuata per gratiam, & per ha-

habitus ſupernaturales, aut per auxilia ſupernaturalis ordinis, omnis operatio quam exerceret verbum, prout ſuppoſitum eſt humanitatis, ordinis eſſet naturalis ſimpliciter, & ſecundum ſubſtantiam.

Confirmatur. Subſtantialis ſpecies cuiuſcumque actionis non deſumitur ex ſuppoſito operante, ſed ex principio proximo formali efficienti, v. g. ſpecies calefactionis ſumitur ex calore, qui eſt proximum, & formale principium calefactiuum. Ergo ſpecifica ſubſtantia operationum Chriſti non eſt penſanda ex diuino verbo, quod eſt ſuppoſitum operans, ſed ex proxima, & formali diſpoſitione, ipſius humanitatis, & potentiarum eius, atque adeo ſi ab humanitate ſecludamus omnem formalem diſpoſitionẽ, & vim ſupernaturalem, operationes Chriſti non eſſent ſupernaturales ſimpliciter, etiam quantum ad ſpecificam earum ſubſtantiam.

Hac ergo ſententia de medio exploſa, probatur pars negatiua quæſtionis, videlicet, quod gratia non ſit neceſſaria ſimpliciter in Chriſto ad merendum à Deo ſupernaturalia. cæleſtiaque bona, & ad ſatiſfaciendum ipſimet Deo pro vniuerſis hominum culpis.

Sitque primum argumentum, Chriſtus gratia ſemota eſſet ſimpliciter gratus Deo, non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo, quia infinita gratitudo verbi communicàtur humanæ naturæ in Chriſto communicatione perſonali: Ergo operationes Chriſti eſſent ſimpliciter gratæ Deo, & ex conſequenti eſſent meritoriæ.

Confirmatur ex eo, quod ſuperius quæſtione prima in dubio circa ſolutionem primi argumenti diſputato diximus, & probauimus, gratitudinem, & ſanctitatem perſonalem in Chriſto, vt homine, perfectiorem eſſe & maiorem ſimpliciter in ratione ſanctitatis, & gratitudinis ea ſanctitate, & gratitudine formali, quam ei confert habitualis gratia; ergo ſi ſãctitas, & gratitudo formalis ſufficiens eſt ad meritũ, & ſatisfactionem à fortiori ſufficiens erit in Chriſto ſanctitas, & gratitudo perſonalis.

Secundo arguitur. Probabilis eſt Theologorum opinio, quæ aſſerit, quod opera hominis iuſti bona moraliter quamuis neque actu, neque virtute referantur in ſupernaturalem finem, ſunt ſimpliciter meritoriæ æternæ vitæ, eo ſolum, quia procedunt ab homine grato, & accepto ipſi Deo. Ergo à fortiori hoc eſſet dicendum de Chriſti operationibus moraliter bonis, quia procederet à ſuppoſito infinite grato, & accepto Deo: ergo, &c.

Tertio. Operationes illæ à Chriſto productæ eſſent infiniti valoris coram Deo: Ergo eſſent meritoriæ cuiuſcumque præmij, quantumcumque excellentis, & ſupernaturalis ordinis, conſequentia apparet euidens, quia operatio habens infinitum valorem digna eſt ex propria ſui ratione cuiuſcumque excellentis præmij. Antecedens vero probatur. Modo operationes productæ à Chriſti humanitate, idcirco ſunt infiniti valoris, quia procedunt à ſuppoſito infinitè grato, & non quia eliciuntur ad habitu charitatis, vel habitu gratiæ, vel à quouis alia infuſa virtute, ſed hæc ratio infinitatis ſuppoſiti eadem maneret in illo caſu: Ergo, &c.

§. 2. *Argumenta pro parte affirmatiua.*

PRo contraria vero ſententia arguitur primo. Operationes elicitæ à Chriſti humanitate ſecluſa gratia habituali, & omni ſupernaturali adiutorio eſſent ſimpliciter naturales, & non diuini, & ſupernaturalis ordinis: Ergo nõ eſſent ꝓportionatæ ſupernaturali præmio, atque adeo, neque eſſent meritoriæ talis præmij. Conſequentia eſt manifeſta, quia operatio naturalis improportionata eſt ſupernaturali fini, & præmio. Antecedens vero conſtat ex confutatione ſententiæ, quam à principio huius quintæ quæſtionis efficaciſſimis, ni fallor, rationibus expugnauimus.

Confirmatur ex illo Geneſis 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, quo loco dicitur Deum non ſolum ad dignitatem Abelis offerentis ſacrificium reſpexiſſe, ſed etiam ad munera eius, ideſt, ad qualitatem, & dignitatem ipſorum: Ergo vt opera Chriſti Domini ſint meritoria coram Deo, non ſatis fuerit dignitas ipſius Chriſti operantis, ſed neceſſum eſt, vt eius operationes ſint proportionatæ præmio, & dignæ, quæ accipiantur, & acceptentur à Deo pro tali præmio. Hoc autem non reperitur in operationibus Chriſti, ſi omnem habituſu ſupernaturalem, & omne ſpeciale Dei auxilium ab eius humanitate ſecludamus.

Secundo arguitur. Secluſa habituali gratia à Chriſto, Chriſtus, vt homo non eſſet ſimpliciter gratus Deo: Ergo neque eius opera eſſent ſimpliciter Deo grata, atque adeo neque eſſent meritoria: probatur antecedens. Eſſe gratum Deo eſt formalis effectus habitualis gratiæ: Ergo habituali gratia ſemota à Chriſti humanitate, Chriſtus, vt homo, non eſſet ſimpliciter gratus Deo. Quia effectus formalis alicuius formæ non eſt ab ipſa ſeparabilis, neq. poteſt ſine ipſa reperiri in aliquo ſubiecto.

Tertio arguitur. Charitas Authore S. Thom. 1. 2. quæſt. 114. artic. 3. eſt prima radix totius meriti coram Deo, ſed gratia habituali à Chriſti humanitate ſemota non maneret in ea charitas: Ergo non maneret in Chriſto, prima radix meriti, atque adeo nec poſſet mereri.

Vltimo tandem hæc ſententia probatur authoritate S. Tho. q. 25. de veritate art. 1. ad 4. vbi expreſſe docet, quod præter gratiam vnionis neceſſaria fuit in Chriſto ad merendum gratia habitualis, & idipſũ fere dicit in ſolutione ſequenti ad 5. & inſinuat eandem doctrinam 3. par. quæſt. 7. artic. 1. in ſolutionibus ad 1. & 2.

§. 3. *Referuntur DD. ſententiæ.*

IN hoc dubio diuerſæ ſunt Theologorum ſententiæ. Prima affirmat gratiam habitualem ſimpliciter, & ſecundum omnem potentiam fuiſſe neceſſariam Chriſto ad merendum præmium ſupernaturalis ordinis: Nam de huiuſmodi præmio fit tota præſens diſputatio. Hanc docet Dur. in 3. d. 18. Capreol. diſt 19. Driedo, de captiuitate, & redemptione generis humani tract. 1. c. 2. par. 3. Et inter Theologos iuniores, quibuſdam placuit hæc ſententia.

Eſt alia ſecunda ſententia, quæ in alio extremo docet, habitualem gratiam non fuiſſe Chriſto neceſſariam ad merendum. Vnde inquit hæc ſententia, quod ſi verbum aſſumeret humanitatem in puris naturalibus eius bonæ operationes eſſent meritoriæ gratiæ, & gloriæ, & aliorum ſupernaturalium bonorum, quæ Chriſtus nobis de facto meruit. Hanc docet Soto 3. lib. de natura, & gratia, cap. 6. & in 4. d. 19. q. 1. ar. 2. & Mag. Vega ſuper Conc. Trid. lib. 7. c. 6. & Mag. Medina loco citato. Non negat authores huius ſententiæ, quod ſecundum ſuauem diſpoſitionē Dei, ac proinde ſecundum ordinariam Dei potentiam, ſit neceſſaria gratia habitualis in Chriſto ad merendum, vt eius operatio meritoria ſit vndequaque perfecta, & ex parte ſuppoſiti operantis, & ex parte naturæ humanæ, quæ eſt proximum principiū ipſius operationis. Nam iſtam poſteriorem perfectionem non haberet Chriſti operatio ſecluſa habituali gratia ab eius anima, vt docuit S. Thom. 3. par. quæſtione 7. articulo 1. ad 2. eſſet tamen perfecta perfectione deſumpta ex ſuppoſito operante, quæ perfectio in eſſe moris eſt infinita, ac proinde ſola ipſa ſufficeret ſi rigoroſe loquamur, vt Chriſti operatio eſſet meritoria gloriæ, & aliorum ſupernaturalium bonorum.

Tertia ſententia media eſt, quæ docet duo. Primū eſt, quod ſi loquamur ſecundum potentiam Dei ordinariam, & conſideratis rerum naturis, operatio Chriſti non eſt meritoria ſecluſa habituali gratia ab ipſa Chriſti anima. Secundum eſt, hæc eadem Chriſti operatio poſſet eſſe meritoria ſupernaturalium bonorum, ſecundum potentiam Dei abſolutam. Differt hæc ſententia tertia a præcedenti, quod ſententia præcedens quamuis dicat neceſſariam fuiſſe habitualem gratiam in Chriſto, ad merendum ſecūdum potentiam Dei ordinariam, hanc tamen neceſſitatem dicit fundari tantum in quadam congruentia, ſcilicet, vt opus meritoriū Chriſti eſſet vndequaque perfectum. Non tamen fundatur in intrinſeca diſpoſitione rerum. Fatetur enim illa ſecunda ſententia, quod Chriſti operatio ſecluſa omni habituali gratia, digna eſſet ex ſemetipſa, vt acceptetur a Deo tanquam meritum cœleſtium bonorum, propter dignitatem infinitam moralem, quæ illi conuenit ex ſuppoſito operante. Vnde infert, quod ſi miraculoſè, & præter regularem ordinem gratiæ ſeparemus habitualem gratiam a Chriſti humanitate, operatio Chriſti eſſet nihilominus meritoria ſicuti modo eſt, niſi interueniret aliqua diſpoſitio, ſeu lex diuina, quæ oppoſitum diſponeret, & decerneret.

Cæterum tertia ſententia gratiæ habitualis neceſſitatem ad meritum fundat, non in ſola congruentia maioris perfectionis, neque in aliqua lege extrinſeca Dei, ſed in ipſis naturis rerum. Aſſerit enim, quod operatio Chriſti non procedens ex gratia habituali, non haberet ex ſemetipſa proportionem ſufficientē cum ſupernaturali præmio, atque adeo ex ſeipſa non eſſet digna tali præmio, & ex cōſequenti, neque eſſet eius meritoria. Addit tamen hæc ſententia, quod huiuſmodi Chriſti operatio, propter dignitatem moralem, quæ illi competit ex parte ſuppoſiti, apta nata fuit, vt acceptaretur à Deo acceptatione quadam extrinſeca, vt meritum cœleſtium bonorum. Et ob hāc cauſam dicit, quod ſecundum abſolutam Dei potentiam poſſet Chriſtus mereri æterna bona, omni habituali gratia ab eius humanitate ſemota.

Quarta ſententia eſt, quæ duo dicit. Alterum eſt, quod ſecluſa gratia à Chriſti, humanitate, & ſecluſis vniuerſis ſupernaturalibus donis, & habitualibus, & actualibus, ita quod humanitas Chriſti maneret in puris naturalibus, Chriſti operatio non eſſet meritoria ſupernaturalium bonorum. Alterum eſt, quod ſecluſa habituali gratia ab eſſentia animæ Chriſti, ſi ex parte intellectus, & voluntatis ponerentur ſupernaturalia auxilia ſiue actualia, ſiue habitualia, quæ eſsēt principia ſupernaturalium actionum, quorum virtute humana Chriſti voluntas referret actiones ſuas in Deum finem ſupernaturalem, & obiectum ſupernaturalis charitatis, Chriſti operatio eſſet ſimpliciter meritoria ſupernaturalium bonorum, ſicuti fuit de facto per gratiam habitualem.

§. 4. *Reſolutio quæſtionis cum reſponſione ad argumenta pro vtraque parte.*

PRo deciſione huius dubij. Nota duas conditiones eſſe ſimpliciter neceſſarias, vt aliqua operatio ſit verè, & propriè meritoria alicuius præmij determinati. Prima, quod ſecundum ſe ſit condigna talis præmij, id eſt, quod valeat tantum quantum valet ipſum præmium. Ex quo ſequitur, quod ſi Deus libera ſua voluntate promitteret vitam æternam homini conſtituto in puris naturalibus ſi bene operaretur intra limites rationis naturalis, operatio qua ille homo mereretur æternam vitam, ſi propriè, & rigoroſe loquamur, non eſſet ſimpliciter meritoria æternæ vitæ, ſed abſolutè fatendum eſt, quod illi homini daretur æterna vita gratis, & ſine merito ex ſola Dei libertate. Et quamuis ibi intercederet aliquod debitum inter Denm conferentem vitam æternam, & hominem benè operantem, vernm illud debitum non pertineret ſimpliciter ad rationem meriti, & præmij, eo quod opus, quod non eſſet proportionatū æternę vitæ, non poſſet inducere huiuſmodi debitū, neq. eſſet eius capax, ſed tantum pertineret ad fidelitatem diuinæ promiſſionis, & firmitatem diuinæ legis, ita quod Deus potius deberet ſibi, & ſuæ fidelitati, quia fidelis eſt, & ſeipſum negare non poteſt, quā homini ſic operanti.

Ex illa prima conditione meriti colligo falſam eſſe tertiam ſententiam ex recenſitis à nobis.

Contra quam ſic argumentor.

Vel operatio Chriſti, quæ procederet (omni gratia habituali ſemota) eſſet ſecundum ſe digna cœleſtis præmij, & illi proportionata, vel non. Si primum dicas. Ergo hæc ſententia tenetur admittere cum authoribus ſecundæ opinionis, quod gratia habitualis ſimpliciter, & ex natura rei non erat Chriſto neceſſaria ad merendum, ſed tantum eſt neceſſaria ex quadam congruitate, quam Deus attendit in omnibus rebus, ſecundum ordinariam, & ſuauè diſpoſitionem. Si vero ſecundum dicas, ergo, & ſecundum abſolutam Dei potentiam Chriſti operatio non poſſet eſſe ſimpliciter, & propriè meritoria cęleſtis præmij. Probo conſequentiam, quia tali operationi deeſſet prima conditio aſſignata, quæ neceſſaria eſt ad rationem meriti. Itaque ſi Deus per abſolutam potentiam ſuam vellet Chriſto conferre ſupernaturale

præ-

præmium propter illam operationem, collatio talis premij reuera non reſponderet merito, ſed extrinſecæ legi, & promiſſioni diuinæ, & nullum ibi interueniret debitum meritorium, ſed debitum fidelis promiſſionis diuinæ: atque adeo collatio cæleſtium bonorum propriè nõ habet rationem præmij, ſed cuiuſdã fidelis retributionis.

Secunda conditio ad meritum requiſita eſt, quod operans referat ſuam operationem ſaltem virtualiter, & implicitè ad ipſum præmiantem, & ad præmium ab eo ſuſcipiendum. Nam quamuis operetur quis aliquod opus bonum, & ex ſe dignum magno præmio, nihil tamen merebitur tali opere, niſi illud referat in bonum præmiantis, & velit propter illud opus rependatur præmium aliquod. Ex hac conditione requiſita ad rationẽ meriti, infero falſam eſſe ſecundam ſententiam, quatenus dicit operationem Chriſti ex puris naturalibus procedentẽ omni ſupernaturali principio, & actuali, & habituali ſecluſo, eſſe ſimpliciter meritoriam ſupernaturalis præmij.

Hanc ſententiam ſic impugno. Illa Chriſti operatio cum eſſet ſimpliciter, & ſecundum ſubſtantiam ordinis naturalis non referretur ab operante neque formaliter, neque virtualiter ad Deum Authorem, & præmiatorem ſupernaturalem, neque vero in aliquod ſupernaturale præmium: Ergo deeſt illi neceſſaria conditio, vt eſſet ſimpliciter meritoria præmij ſupernaturalis.

Non deſunt quidam Theologi graues, quibus hæc ſecunda conditio meriti non placet, exiſtimantes ad rationem meriti non eſſe neceſſariam relationem ſiue formalem, ſiue virtualem in Deum præmiatorẽ, & in ſupernaturale præmium, ſed ſatis eſſe quod ipſe operans ſit gratus, & acceptus Deo. Vnde inferũt, quod omnia bona opera moraliter, etiam ſi ſolo affectu bono moraliter abſque vlla ſupernaturali relatione fiant, ſunt meritoria coram Deo, ſi procedant ab homine exiſtente in gratia. Quę planè ſententia valde pia eſt: ſed mihi non apparet vera, quia, vt ſupra dicebam, *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, itaque munera, ideſt, merita præmianda à Deo, debent eſſe ſupernaturalis ordinis, & ſupernaturali proportionata præmio.

Præterea: etſi admittamus hanc piam ſententiam, adhuc inde non colligitur, quod opera bona Chriſti eſſent meritoria, ſi ab ipſa Chriſti humanitate omnem ſupernaturalem habitum, & omne ſupernaturale adiutorium ſecludamus: Quoniam in homine iuſto operante bene moraliter natura humana, quæ eſt principium proximum bonarum operationum per gratiam, & charitatem eſt habitualiter relata in ſupernaturalem finem, quam habitualem relationem participant opera ipſa moraliter bona, at ſi verbum aſſumpſiſſet humanitatem omni ſupernaturali dono deſtitutam, Chriſti humanitas nullam in ſe haberet ſupernaturalem ordinationem in finem ſupernaturalem, atque adeo eius operationes quantum ad ipſarum ſubſtantiam eſſent ſimpliciter ordinis naturalis, & conſequenter non eſſent meritoriæ ſupernaturalis præmij. Neque ſatis fuerit dicere, quod illæ operationes eſſent ſupernaturales, ſupernaturalitate morali, ideſt, morali dignitate ex ſuppoſito diuino participata, quoniam præmium. v.g. vita æterna non ſolum eſt naturale ſecundum entitatem moralem, ſed etiam ſecundum ipſam phyſicam ſubſtantiam. Meritum autem debet eſſe proportionatum pręmio, atque adeo non ſolum moraliter, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam phyſicam debet eſſet ſupernaturalis ordinis.

Ex quatuor Theologorum opinionibus in quarũ expoſitione hactenus verſati ſumus, quartam ſententiam cæteris præferendam eſſe cenſemus, ſecundum quam fatemur, quod ex parte operantis non fuit Chriſto neceſſaria ſimpliciter habitualis gratia ad merendum, ſed ſufficiens erat ipſa gratia vnionis, ſecundum quam Chriſtus verè, & propriè, etiam vt homo, eſt gratus, & acceptus Deo, non gratitudine participata, ideſt, per quam natura humana fit particeps diuinæ naturæ, nam hæc gratitudo eſt formalis effectus habitualis gratiæ, & quidem primarius, ſed gratitudine perſonali, quæ in hoc conſiſtit, quod ipſum eſſe perſonale diuinum ex ineffabili dilectione Dei communicatum fuit humanitati, ita quod eſſe perſonale verbi eſt ipſius humanitatis eſſe, & diuinum verbum eſt verè ſuppoſitum humanum. Vnde hæc perſonalis gratitudo quantum eſt ex parte operantis, ſufficiens erat ad rationem meriti. Cæterum ex parte operationis neceſſaria fuit ſupernaturalis relatio ad Deum ſupernaturalem remuneratorem, & ad ipſum ſupernaturale præmium. Quam relationem operatio Chriſti humana non potuit participare ex ſola gratia vnionis, ſed neceſſum illi fuit aliquod ſupernaturale principium proximum, vel habituale, vel actuale, quod haberet rationem proximi, & formalis principij ipſius operationis effectiui.

Ex hac ſententia ſoluuntur argumenta poſita pro vtraque parte principalis dubii. Priora enim argumenta probant ſufficienter, quod ex parte operantis ſufficiebat ipſa vnionis gratia, & non erat ſimpliciter neceſſaria gratia habitualis, ſed tantum ex ſuaui Dei diſpoſitione.

Poſteriora vero argumẽta videntur conuincere, quod ex parte operationis erat neceſſaria ſupernaturalis relatio in Deum authorem gratiæ, ad quam relationem neceſſaria fuerunt Chriſto, aliqua ſupernaturalia principia ex parte intellectus, & voluntatis humanæ, ſiue actualia, ſiue habitualia.

Sed rogat quis. Num ſi Chriſtus opera ſua retuliſſet in ſupernaturalem quempiam finem quadam humana fide cognitum, & non aliquo ſupernaturali lumine, ita quod ex ſola libera eius voluntate, & non ex aliquo ſpeciali Dei auxilio talis oriretur relatio, ex iuſtitia eſſent meritoria ſupernaturalis præmij? Ratio dubitandi pro affirmante ſententia eſt. Quod cũ Chriſtus ſit infinitè gratus non potuit non pro ſua reuerentia exaudiri, & conſequenter ex iuſtitia meruiſſet illud quodcumque bonum ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis ordinis in quod ſuam operationem referret. Reſpondeo, rem hanc eſſe dubiam: Sed mihi probabilius eſſe, quod ſi attendamus ad vim ipſius operis illud opus non eſſet in tali caſu meritoriũ alicuius ſupernaturalis præmij. Quia non eſſet opus ſupernaturale, niſi ex parte tantum obiecti materialiter ſumpti, atque adeo, neque eſſet ſatis proportionatum cum ſupernaturali præmio, quam proportionem diximus paulo ante neceſſariã fore ad propriã meriti rationem. Dixi, ſi attendamus ad vim operis,

Quo-

Digitized by Google

Quoniam cum voluntas Chriſti humana nihil operari poſſit, niſi quod placitum eſſet diuinæ, ſi Chriſtus abſoluta voluntate ſuam operationem in quodcumque bonum referret, talis relatio non poſſet diuinę voluntati non eſſe accepta, atque adeo obtineret Chriſtus id quod tali operatione intenderet. Verum hoc non pertineret ad rationem meriti, & præmij, ſed ad ipſam voluntatis diuinæ, & humanæ comformitatem. Crediderim tamen, quod ſi Chriſti humanitas nullo ſupernaturali dono perficeretur, Chriſtus per opera bona naturalis ordinis ex toto iuſtitiæ rigore mereretur pręmiũ ordinis naturalis, in quod ipſa ſua referret opera. Quia ibi eſſet proportio inter meritum, & præmium, & perſona operans eſſet infinitè accepta, & grata Deo. Quæ infinitas gratitudinis, & acceptationis, ad omne bonum, & naturæ, & gratiæ propter ſui infinitatem omnimodam ſe extendit, & ad vtrumq. finem naturalem, & ſupernaturalem, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Chriſti Domini ſatisfactione.

IN ſecundo articulo diſſerẽdum eſt de Chriſti Domini ſatisfactione. Quam tractationem tribus complectemur dubitationibus. In prima diſputabimus, an Chriſtus verè, & propriè ſatisfecerit Deo pro humani generis peccatis: ita quod actio Chiſti verã, & propriam ſatisfactionis rationem ſortiretur. In ſecunda diſſeremus, an Chriſti ſatisfactio fuerit infinita in ratione ſatisfactionis. In tertia denique, an fuerit exacta, & ex toto rigore iuſtitię.

SECTIO I. DVBITATIO I.

An Chriſtus vere, & propriè ſatisfecerit Deo pro peccatis humani generis.

§. I. *Argumenta pro parte negatiua.*

IN prima ergo dubitatione, principio proponam argumenta pro parte negatiua. Primum argumentum. Chriſti ſatisfactio non fuit opus veræ, & proprię inſtitiæ: ergo non ſortiebatur veram, & propriam ſatisfactionis rationem. Huius conſequentiæ vis cuicumque conſideranti erit facilè manifeſta: Quoniam ſicut reſtitutio in materia pecuniarum, aut cenſus ſua rõne actus eſt iuſtitiæ, ita ſatisfactio in materia honoris per iniuriam læſi ſua quoque natura eſt vera inſtitiæ operatio: atque adeo ſi Chriſti operationi defuit vera, & propria ratio iuſtitiæ, neceſſum eſt ei quoque defuerit vera, & propria ſatisfactionis eſſentia. Et quidem cum iuſtitiæ ratio ſit generica, & ratio ſatisfactionis ſpecifica, præfata conſequentia vim habet manifeſtiſſimam: nam cui propriè non competit ratio generis, haud propriè conuenire poteſt ratio illius ſpeciei, quę ſub tali genere eſſentialiter collocatur. Vt ſi fingas aliquod ens, quod impropriè eſt animal, conſequenter fateri teneberis, illud nõ ſortiri propriè ſpecificam hominis, aut equi rationem. Quocirca tota huius argumenti, imo, & totius dubij difficultas in antecedentis probatione conſiſtit. Vnde probatur primo antecedens. Ad propriam iuſtitiæ rationẽ pertinet, quod ſit ad alterum, ſed Chriſti ſatisfactio non fuit ad alterum: ergo non fuit propriè iuſtitiæ actus. Maior communiter eſt à Theologis, & moralibus Philoſophis recepta, de qua legatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 58. art. 2. Minor vero probatur. Chriſti ſatisfactio fuit ad Deum, & ad ipſummet Chriſtum, ſatisfecit enim Deo, & ſibi ipſi pro vniuerſis humani generis criminibus: at Deus, vt Deus, non eſt alter à Chriſto, & multo minus ipſe Chriſtus alter eſt à ſe ipſo: ergo, &c. Dices quòd Chriſtus, vt homo, eſt alter à Deo ſaltem ſecundum rationem, imo & eſt alter à ſe ipſo, quia diuinum verbum, vt ſuppoſitum naturæ humanæ, ratione differt à ſe ipſo, prout eſt diuinæ naturæ ſuppoſitum, & iſta rationis diuerſitas, ſeu alteritas ſufficit ad veram iuſtitiam.

Contra hanc ſolutionam duæ ſe offerunt replicæ. Prima. Si ſola rationis diuerſitas ſufficit ad conſtituẽdam veram iuſtitiam, ſequitur, quod inter diuerſa membra eiuſdem humani ſuppoſiti, v. g. inter manus, & caput, vera poſſit reperiri iuſtitiæ ratio, at iſtud conſequens nullus, vel Phyloſophorum, vel Theologorum admittet: ergo, &c. Sequela apparet manifeſta. Quia nihil aliud obſtare videtur, vt inter diuerſa eiuſdem ſuppoſiti membra nequeat vèra iuſtitia reperiri, niſi vnitas ipſorum in eodem ſuppoſito, ſed cũ hac vnitate ſaluatur vera rationis diuerſitas, quæ ad veram, & propriam iuſtitiam, iuxta ſolutionem aſſignatam, ſufficit: ergo, &c.

Secunda. Eſto ad veram, & propriam iuſtitiæ rationem ſufficiat illa rationis alteritas, quam aſſignat ſtatuta ſolutio, non tamen ſufficit ad perfectam iuſtitiam. Nam ſi ad communem iuſtitiæ eſſentiam requiritur quod ſit ad alterum, quanto minor fuerit alteritas inter eos, inter quos verſatur iuſtitiæ actus, tanto minus perfecta erit in ipſo actu ratio iuſtitiæ: Ergo ex aſſignata ſolutione ſaltem ſequitur, Chriſti ſatisfactionem minus perfectam fuiſſe in ratione ſatisfactionis, quam ſit illa ſatisfactio, quę inter duos homines reperitur.

Secundum argumentum, quo itidem probatur primi argumenti antecedens. Chriſti ſatisfactio non fuit verè, & propriè opus iuſtitię legalis, aut iuſtitię diſtributiuæ, aut denique iuſtitię commutatiuę, ſed non ſunt aliæ iuſtitiæ ſpecies pręter has tres commemoratas, vt ex S. Tho. conſtat 2. 2. q. 58. & ſequẽtibus. Probatur maior. Et primo quod non fuerit opus iuſtitię legalis probatione non eget. Iuſtitia nãque legalis, prout ſpecialis virtus eſt à reliquis virtutibus diſtincta, inter ciues, & reſpublicam duntaxat verſatur, neq. cuiuſpiam damni illati reparationem per ſe primo reſpicit, ſed ipſam communis boni promotionem, quæ ſanè ratio ad ſatisfactionem non pertinet, cuius proprium munus eſt illatam iniuriam reparare. Quod vero neque ad diſtributiuam ſpectet iuſtitiam, inde facilè oſtenditur, quod diſtributiua iuſtitia in communium bonorum diſpenſatione eſſentialiter conſiſtit. In ſatisfactione autem Chriſti, qua Deo pro omnibus hominum criminibus ſatisfecit nihil reperitur, quod ad bonorum communium diſtributionem attineat. Denique quod non fuerit actus commutatiuę iuſtitiæ ſic probatur. Commutatiua iuſtitia inter ęquales duntaxat verſatur, nam ſicut legalis iuſtitia eſt partium ad totum,

Digitized by Google

tum, & diſtributiua totius ad partes, ita commutatiua iuſtitia eſt partis ad partem. Sed Chriſtus in quantum ſatisfecit Deo pro vniuerſis hominum peccatis, non fuit ipſi Deo æqualis, quoniã ſatisfecit vt homo, ac proinde vt minor, & inferior Deo; nam vt Deus, neque mereri, neque ſatisfacere potuit: ergo, &c.

Confirmatur primo vis huius argumenti quãtum ad id quod attinet ad commutatiuam iuſtitiam. Si Chriſti ſatisfactio ad iuſtitiam pertinuit commutatiuam, ſequitur quod in Chriſto reperiatur virtus iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum, ſpecie diſtincta ab vniuerſis illis virtutibus moralibus, quæ in puro homine reperiuntur. Conſequens apparet omninò falſum: ergo, &c. Sequela patet, quia in puro homine nulla commutatiua iuſtitia reperitur erga Deum, vt in confeſſo eſt apud vniuerſos Theologos. Minor vero probatur. Nulla virtus fuit in Chriſto, quæ ſecundum ſpeciem non poſſet in puro homine reperiri, nam ſubiectum virtutum in Chriſto non eſt diuinum ſuppoſitum, ſed humanitas, quæ eiuſdem eſt ſpeciei cum humanitate cæterorum hominum, & eiſdem prædita eſt potentijs, quæ eadem formalia reſpiciunt obiecta, & quæ eiſdem proinde virtutibus ſecundum ſpeciem perfici poſſunt: Ergo ſi commutatiua iuſtitia in puro homine reperiri nequit erga Deum: neque illam poſſumus in Chriſti humanitate comminiſci.

Confirmatur ſecundo. Si in Chriſto reperitur cõmutatiuæ iuſtitiæ virtus erga Deum ad quam pertineat ſatisfactionis actus, ſequitur quod ſi diuinum verbum humanitatem relinqueret, hæc virtus permaneret in ipſa humanitate à verbo relicta, atque adeo in homine puro poſſet eſſe iuſtitia commutatiua erga Deum, poſſetque proinde purus homo ſatisfacere Deo pro vniuerſis hominum criminibus ſicut Chriſtus ſatisfecit. Conſequẽs nemo Theologorum debet admittere, cũ huiuſmodi iuſtitia, & operatio ab ipſa procedens, vt dudum dicebam inter æquales dũtaxat reperiatur: ergo, &c. Sequela apparet manifeſta, nam omnes virtutes, quæ modo inſunt humanitati Chriſti perſeuerarent in ipſa à diuino verbo ſeparata, niſi aliud fingamus miraculum ab ipſa ſeparatione verbi diſtinctum, quo habitus humanitati inhærẽtes ab ea ſepararentur: ergo, &c.

Tertio arguitur. Inter Patrem, & Filium, iuxta cõmunem doctrinam ex Ariſ. 5. Ethi. cap. 6. deſumptã, non eſt vera, & propria iuſtitia, eo quod inter ipſos non eſt tanta diſtinctio, quæ ſufficit ad veram iuſtitiæ rationem, ob id quod filius eſt aliquid patris ſed multo minor diſtinctio eſt inter Chriſtum, & Deum, imo & inter Chriſtum, & Patrem: quia licet ſint perſonæ realiter diſtinctæ, ſecundum perſonalem diſtinctionem, ſunt tamen vnum eſſentiali vnitate; Ergo Chriſti ad Deum nulla poteſt eſſe iuſtitia.

Quartum argumentum. Peccatum originis pro quo potiſſimum Chriſtus ſatisfecit, non fuit iniuſtitiæ peccatum, virtuti iuſtitiæ oppoſitum. Ergo ſatiſfactio, qua Chriſtus debitam compenſationem exhibuit Deo pro iſto peccato, non fuit iuſtitiæ actus. Conſequentia apparet manifeſta, nam per actum iuſtitiæ non reparatur, niſi illud damnum, quod fuit per iniuſtitiam illatum. Antecedens vero probatur. Peccatum illud primum, vt conſtat ex hyſtoria, qua Geneſ. 2. primi peccati perpetratio refertur, nõ fuit, niſi vel inobedientiæ, vel ſuperbiæ, vel gulæ: aut certè triplicem hanc malitiam quaſi per modum ſimplicis complexionis in vna ſuperbiæ malitia tamquam in ſuperiori ratione complectebatur, neque vlla ibi iniuſtitiæ ratio interuenit: ergo, &c. Si dixeris illud inobedientiæ, aut ſuperbiæ peccatum implicitam habuiſſe iniuſtitiæ malitiam, quatenus diuinũ læſit honorem. Contra, ſequitur, quod vniuerſa hominum peccata lædãt iuſtitiam debitam Deo, ſintq. proinde omnia iniuſtitiæ peccata, conſequens non eſt admittendum, non enim peccata, in quibus tanta eſt ſpecifica diuerſitas confundi debent, & ad vnum iniuſtitiæ vitium redduci, aliud enim eſt peccatum, quod contra charitatem committitur ab illo, quod temperantiæ aduerſatur, & aliud eſt infidelitatis vitium ab eo, quod committitur contra iuſtitiæ, vel diſtributiuæ, vel commutatiuæ virtutem. Sequela autem eſt euidens, quia omne peccatum mortale lædit diuinum honorem: Sicut de primo Adæ peccato aſfirmat prædicta ſolutio.

Quinto arguitur. Chriſtus ſatisfecit Deo pro peccatis noſtris per actus multarum virtutum, obedientiæ, humilitatis, religionis, abſtinentiæ, &c. vt conſtat ex diuerſis ſtudioſis actionibus, in quibus Chriſtus dum inter nos vixit ſe frequenter exercuit euangelica hyſtoria narrante, quæ omnia ſine dubio Chriſtus in ſatisfactionem, & compenſationem pro humani generis delictis operabatur: ergo Chriſti ſatisfactio non fuit actus ſolius virtutis iuſtitiæ.

§. 2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum autem eſt id quod Paul. 1. Corin. 1. dicit de Chriſto, quod *factus eſt nobis iuſtitia ſanctificatio, & redemptio*. Nam certè non ob aliud Chriſtus nobis fuit iuſtitia factus, niſi quia & iuſtè nobis cęleſtia bona promeruit, & iuſtè pro vniuerſis noſtris peccatis ſatisfecit Deo, promeruit bonum, ſatisfecit pro malo. Et huius diſtinctionis occaſione, & ad hãc totam diſputationem recto ordine inchoandã principio breuiter explicandum erit, quo differant ſecundum communem rationem iſta duo iuſtitiæ opera, puta mereri, & ſatisfacere.

§. 3. *Notabilia pro intelligentia quæſtionis.*

NOtãdum igitur eſt primo. In duobus potiſſimũ meritum, & ſatisfactionem differre. Primo quod meritum per ſe primo reſpicit bonum acquirendum: Satisfactio vero malum repellendum. Meremur enim mercedem, & pręmium, quæ boni, & finis rationem ſortiuntur. Satisfacimus verò pro malo & pro culpa admiſſa, in quo per ſe loquendo ſiſtit ſatiſfactionis ratio. Secundo differunt in eo, quod meritũ per ſe reſpicit bonum ipſius merentis. Eſſentialis namque iuſtitia meriti in eo conſiſtit, vt quis det alteri id, quod ſuum eſt, vt ab eo per modum præmij recipiat aliquid ex bonis ipſius præmiantis. Satisfactio vero, non reſpicit per ſe primo bonum, & commodum ſatisfacientis, ſed eius cui fit ſatisfactio, namque ſatisfactio per ſe primo deſtinatur ad reparandum eam honoris, ſeu famæ læſionem, quæ fuit contra iuſtitiam facta. Quæ ſanè reparatio non eſt per ſe primo bonum ſatisfacientis, ſed eius, cui debetur

ſatisfactio. Non negauerim, quod ex ſatisfactione reſultet quandoque bonum aliquod ſatisfacienti, nã per ſatisfactionem euadit quandoque ſatisfaciens pęnam, cui erat obnoxius propter iniuſtam læſionẽ, quam alieno honori intulerat, ſed hoc accidentariũ eſt ad ſatisfactionis eſſentiam; cum tamen eſſentialiter pertineat ad rationem meriti, quod ius tribuat merenti ad bona eius à quo meretur.

In hac differentia fundatur diuerſus loquendi modus, quo vtimur in ſatisfactione, & merito: ſolet enim dici, quod meremur nobis, & ſatisfacimus alteri, & quod meremur non Deo, ſed nobis à Deo, ſatisfacimus autem non nobis, ſed Deo, pro nobis, idest pro peccatis noſtris. Iuxta quam locutionis phraſim dicimus Chriſtum meruiſſe, & ſibi, & nobis, & ſatisfeciſſe Deo pro peccatis noſtris. Et quidem cum Chriſtus caput ſit, & nos eius membra Chriſtus ita meruit nobis, atque ſi ſibi mereretur, ſic pro noſtris peccatis ſatisfecit, atque ſi pro ſuis ſatisfeciſſet. Vnde innocentiſſimus ipſe Chriſtus quandoque vt ſuperius in prima quæſt. circa ſecundam concluſionem dicebam, noſtra ſcelera ſua peccata vocauit, iuxta illud Pſ. 21. *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum.*

Secundo eſt notandum, quod peccatum (loquamur de mortali, in quo perfecta eſt peccati ratio) duo infert mala, alterum peccanti, quatenus eum priuat Dei amicitia, & gratia, cœleſti lumine, & ſpirituali vita, ipſum ſpoliatum, & multis plagis afflictum, velut illum parabolicum hominem, qui ab Hyeruſalẽ in Hyerico deſcẽdens in latrones incidit, ſemiuiuum reliquit, qui meritò ſemiuiuus appellatur relictus, is enim, qui dum in Dei gratia conſtitutus gemina gaudebat vita naturali, & ſpirituali, humana, & diuina ſpirituali per peccatum priuatus vita, in humana tantum relinquitur poſitus, & ea quidem ſpiritualibus plena plagis, miſerijs, & calamitatibus, quæ vix ei vitæ nomen relinquunt. Alterum malum infert Deo, quia quantum eſt ex affectu peccantis, ipſum Deum totaliter deſtruit, & demolitur, creaturam ſibi loco Dei præſtituens, honori ſoli Deo debitum in ipſam commutans. Qui enim mortaliter delinquit, commutabile bonum bono præfert incommutabili, ipſum vt bonum ſummum, & finem vltimum ſibi affectuoſa inclinatione proponens: & ipſum Deum verum bonum, & finem, vt ſibi incommodum, & perniecioſum auerſatur, eiuſque proinde maieſtatem, & bonitatem iniurioſè lædit. *Duo mala*, inquit Deus per Hierem. c. 2. *fecit populus meus, & me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ aquam non valent continere.* Quibus verbis Propheta, hoc poſterius malum, quod in mortali peccato reperitur in geminam diſtinguit malitiam, quam Theologi in 2 d. 35. conuerſionis, & auerſionis nominibus explicant, ad miſeram enim creaturam peccator cõuertitur, & à Deo ſummo bono affectũ auocat, fruẽdis vtitur, & fruitur vtendis, in quo dicente Auguſtino, omnis conſiſtit morum peruerſitas.

Peccatum igitur, quantum ad primũ, quod infert malum, non eſt ſatisfactionis materia, non enim ſatisfacimus Deo pro peccato, prout malum noſtrum eſt, noſque priuat ſpirituali, & cœleſti animæ vita. Detrimentum enim, quod quis per proprium actum ſibi intulit, non eſt per iuſtitiam compenſabile. Iuſtitia namque ad alterum eſt, & non ad ipſum qui operatur iniuſtè. Eſt autem ſatisfactionis materia ratione poſterioris mali, quatenus videlicet iniurioſum eſt Deo, diuinam quantum eſt ex ſe minuens gloriam ipſumque Dei obſcurans honorem: imo, & eius totaliter imperium deſtituens; intenditque per ſe primo ſatisfactio recompenſare Deo pro iniuria, & offenſa, quam mortale peccatum contra Deum inuoluit. Fateor quidem, quod hæc ſatisfactoria compenſatio redundat ſecundario in deſtructionem totius mali, quod ipſummet peccatum peccatori intulit; namque ſatisfactione placatus Deus, hominem qui peccauit ad ſuam amicitiam admittit, diuinam ei conferens iuſtificantem gratiam, per quam perdita reparatur ſpiritualis animæ vita æternam ei condonat pęnam, quæ iniurioſæ auerſioni, qua per peccatum auerſus erat à Deo, reſpondet, ſed, & pœnam quoque ſenſus, prauæ ad creaturam conuerſioni proportionatam, remittit. Loquor in pręſentia de ſatiſactione in communi, non enim explicare intendo, An peccator ſatisfaciat pro culpa, & pro pęna æterna per contritionis actum, an pro pęna duntaxat temporali, quam ſenſus pęnam appellare ſolent Theologi, hoc enim alienum eſt à noſtra diſputatione definire, in qua de Chriſti ſatisfactione duntaxat ſit ſermo: tantum ergo intendimus in his, quæ diximus ipſam explicare ſatisfactionis vim, quam pleniſſimè aſſecuta fuit Chriſti ſatisfactio, qua Deo pro vniuerſis humani generis peccatis ſatisfecit. His ita præhabitis ſit.

§. 4. *Prima concluſio.*

Abſque figurata, & impropria locutione concedẽdum eſt Chriſtum ex iuſtitia ſatisfeciſſe pro vniuerſis hominum peccatis. Sententiam huic veritati contrariam docuit quidam Petrus Abailardus affirmans diuini verbi incarnationem, valde quidem nobis ad vitæ exemplum profuiſſe, nihil tamen ad redemptionem. Meminit huius erroris inter alios eiuſdem hæretici, S. Bernardus epiſtol. 190. quem errorem confutauit ibi ſatis eruditè, qui & ab Innocentio Tertio in epiſtola ad ipſum Bernardum miſſa, quæ eſt 194. inter Bernardi epiſtolas iuſtam damnationem accepit, & reuera hic fuit etiam Pelagianorum error, qui peccatum originale non penitus cognouerunt, atque adeo exiſtimarunt humanum genus minimè indiguiſſe redemptione à Chriſto facienda: Vnde, & eum redemptorem eſſe negauerunt, etſi legiſlatorem faterentur. Qui planè error contrarius fuit Luteranorum hæreſi, qui è contra Chriſtum redemptorem agnoſcunt, ſed minimè legiſlatorem. Quem errorem S. Synod. Tridentin. ſeſſion. 6. canon. 21. aperta definitione damnauit, & obiter etiam Pelagianorum, & Abaylardi error damnationem ibidem accepit, &c. *Si quis dixerit* (definit ſynodus) *Chriſtum Ieſum à Deo datum hominibus in redemptorem, cui fidant, & non in legiſlatorem, cui obedire teneamur, anathema ſit.* Sed de his erroribus non vacat latius in hoc loco tractare. Vide Alfonſum de Caſtro lib. de hæreſibus. Verbo Chriſtus hæreſi. 8. & Driedon. lib. de captiu. & redemption. gen. human. à principio 2. par. tractat. 1. capit. 2. concluſ. 4. Probatur ergo noſtra concluſio, non ſolum quatenus aduerſus iſtum procedit

er-

errorem, qui Chriſti Domini ſatisfactionem penitus eliminauit, ſed etiam prout aduerſatur quibuſdam Theologis, qui fatentur libenter Chriſtum ſatisfeciſſe Deo pro omnibus humani generis delictis, negant tamen eum ex iuſtitia ſatisfeciſſe, ſi propriè, & abſque metaphora eſt loquendum.

Probatur ergo primo, ex vulgatiſſimis ſacræ paginæ teſtimonijs 1. ad Thimot. ſecundo inquit Paul. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, & 1. Corint. 6. *Empti enim eſtis*, inquit, *prætio magno*. Quod autem fuerit hoc magnum pretium grauiſſimis verbis explicuit S. Pet. 1. can. cap. 1. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento, redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed prætioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* Ad Roman. 3. inquit Paul. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine eius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt, fide ex Ieſu Chriſti.* Quo loco Paulus non ſolum loquitur de oſtenſione veræ, & propriæ iuſtitiæ, quæ in noſtra redēptione per Chriſtum facta ſplenduit, ſed & de manifeſtatione perfectæ, & exactæ iuſtitiæ. Nam imperfecta iuſtitia in puro homine apparere potuit, vt communiter docent Theologi cum S. Thom. 3. par. quæſt. 1. ar. 2. Et quidem ſi iuſtitia, quæ apparuit in Chriſti ſatisfactione, & in redēptione, qua ipſe genus humanū redemit, non perfecta fuit, & exacta, ſed ei ſimilis qualis in ſatisfactione puri hominis poſſet reperiri, non ſine apparenti ratione poſſemus inferre, id quod ad ſimile fere propoſitum inferebat Paul. ad Galat. c. 2. *Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.*

Multa huiuſmodi teſtimonia reperiet Theologus in ſacra pagina, quæ in humani generis redemptione per Chriſtum facta, iuſtitiam interueniſſe apertè demonſtrāt. Cum autem iuxta vulgatam Auguſt. regulam grauiſſimis Patribus, & Theologis probatā, cuius meminimus ſuperius, verba ſcripturæ ſacræ in proprietate ſermonis ſint accipienda, niſi vrgentiſſima cauſa nos ad figuratam acceptionem ducat, neceſſum eſt dicamus, quod redemptio noſtra per Chriſtū facta, & eius ſatisfactio pro peccatis noſtris opus fuit veræ, & propriæ iuſtitiæ. In dubio tertio huius articuli alia ponderabimus ſcripturæ ſacræ teſtimonia ad probandum Chriſti ſatisfactionem exactam fuiſſe, & rigoroſam, quibus per locum à fortiori probari poterit præſens concluſio.

Probatur ſecundo hæc veritas ex Concil. Triden. ſeſſ. 6. c. 7. vbi S. Synod. expreſſè definit Chriſtum pro nobis Deo Patri ſatisfeciſſe.

Probatur tertio concluſio grauiſſimis patrum teſtimonijs, qui paſſim docent Chriſtum ſatisfeciſſe Deo pro vniuerſis hominum peccatis, & quod ex vi iuſtitiæ humanum genus redemit S. Auguſt. 13. de Trinit. cap. 13. inquit diabolum à Chriſto non potentia, ſed iuſtitia victum fuiſſe, & ſuperatum. Et cap. 14. inquit, quod prius iuſtitia, & potentia poſtea diabolum vicit Chriſtus, iuſtitia quidem in humilitate & morte, potentia vero in glorioſa reſurrectione qua reuixit nō iterū moriturus, & dicit ibidem, quod in paſſione Chriſtus pro nobis debitoribus, quod ipſe non debebat exoluit. In quem ſenſum interpretatur illud Pſalm. 68. *Quæ non rapui tunc exoluebam.* Eamdem veritatem inſinuauit ipſe Auguſtin. lib. 10. de ciuitate Dei cap. 20. & ſequentibus, & in Enchyr. cap. 49. Baſil. hom. 25. Cyprian. in expoſitione ſymboli, Athan. lib. de incarnatione, Bernardus loco cit. Anſel. lib. 2. cur Deus homo, Ricard. de Sancto Vict. lib. de incarnatione verbi cap. 3. & alij patres, quamplurimi, quos citabimus in tertio ſequenti dubio. Mag. ſenten. in 3. d. 19. & 20. pro hac veritate refert nonnulla Patrum teſtimonia, & in Conc. Epheſ. 1. reperies aliqua grauiſſima Patrum loca, quæ ad huius veritatis confirmationem non leue momentum habent. S. Leo. in illis vulgatiſſimis, ſed grauiſſimis verbis, quæ in quadam hom. de natiuitate Domini habentur, videlicet, *Si non eſſet verus homo non præberet exēplum. Si non eſſet verus Deus non afferret remedium*, implicitè docuit, humanam redemptionem, iuſtitia, & ea quidem perfecta, factam fuiſſe à Chriſto. Nam ſi huiuſmodi iuſtitia non fuit redemptioni noſtræ ſecundum legem à Deo præſcriptam neceſſaria, potuiſſet Chriſtus verum afferre remedium, quāquam verus Deus non fuiſſet.

Quarto probatur. Sacrificium quo Chriſtus in Cruce ſe ipſum obtulit patri, exoluit Deo pretiū pro redemptione noſtra, at exolutio prætij eſt opus veræ iuſtitiæ, ergo Chriſti ſatisfactio qua Chriſtus per ignominioſam mortem ſuam, honorem diuinum hominum peccatis læſum reparauit, ſatisfactio fuit verè, & propriæ iuſtitiæ. Minor eſt lumine naturali manifeſta: & maior conſtat ex illo Paul. ad Col. 2. *Delens, quod aduerſus nos erat Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus, & poteſtates, &c.* certè non alia ratione Chriſtus Chyrographum decreti nobis contrarium ſua morte deleuit, niſi quatenus mors eius fuit iuſtiſſima quædam prætij debiti ſolutio, Chyrographum enim quo quis obligatur, nō niſi per ſolutionem prætij deletur.

Theologicam huius veritatis rationem aſſignauit S. Thom. 3 p. q. 48. ar. 2. qui omninò eſt legendus in tota illa quæſtione. Et in commentarijs Doctiſſimi Mag. Med. multa reperiet Theologus, quę ad egregiam huius concluſionis amplificationem valde conferre poterunt.

Et tandem ex eo valde iſtius concluſionis veritas confirmatur, quod certa fide tenemur credere quem liber hominem iuſtum ex vera, & propria iuſtitia mereri, & ſatisfacere coram Deo. Vt in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 32 definitur, & conſtat ex illo 2. ad Thim. c. 4. *De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, &c.* ergo à fortiori iuſtitiæ meritū, & ſatisfactionem debemus Chriſto tribuere.

Sed aduertendum eſt, quod in hac concluſione, haudquaquam definire intendimus, Chriſti ſatisfactionem fuiſſe actum elicitum à virtute iuſtitiæ, vel commutatiuæ, vel diſtributiuæ, quia hoc ad fidem non pertinet, ſed in graui Theologorum diſputatione verſatur. Sed id tantum in hac concluſione contendimus, duo eſſe ſecūdum fidem concedenda. Alterū quod Chriſtus verè ſatisfecit pro vniuerſis hominū

Digitized by Google

peccatis. Et alterum, quod ſatisfeci, æquiualentem compenſationem Deo exhibens pro offenſa contra ipſum ab hominibus admiſſa, ex ſoluẽdo iuſtum prætium pro ipſa humani generis redemptione. Quod autem hæc compẽſationis exhibitio, & iuſti prætij ex ſolutio, actus fuerit elicitus à virtute iuſtitiæ, aut ab alia potius virtute, exiſtimo ad fidẽ minimè pertinere. De qua re in ſequẽti cõcluſione nõ nihil dicemus.

§. 5. *Secunda concluſio.*

Actio Chriſti ſatisfactoria in eſſe morali conſiderata continet formaliter rationem iuſtitiæ, non tamen fuit elicita à virtute iuſtitiæ, neque vero ab vnica tantum virtute. Tres partes iſta concluſio complectitur. Prima, quod ſatisfactio Chriſti in eſſe moris conſiderata continet formalem iuſtitiæ rationem, quæ ſic probatur. Vniuerſæ conditiones, quæ ad formalem rationem iuſtitiæ requiruntur, in ipſa actuali Chriſti ſatiſfactione reperiebantur. Ergo vera eſt hæc prima concluſionis pars. Probatur antecedens (nam cõſequentia apparet manifeſta.) Quatuor ſunt præcipuæ conditiones, quæ neceſſariæ ſunt, & ſufficiunt formalem iuſtitiæ rationem conſtituere.

Prima, quod ſit ad alterum. Secunda, quod ſit inter æquales. Tertia, quod id quod loco ſatiſfactionis datur, ſit ex proprijs, & non gratuito acceptis ab eo, cui fit ſatiſfactio. Quarto, quod fiat ex bonis non alio titulo debitis. Sed hæ quatuor conditiones reperiebantur in Chriſti ſatiſfactione. Quod conſtabit. De prima quidem in ſolutione ad primum huius dubij. De ſecunda in ſolutione ad ſecũdum dubiũ eiuſdem. De tertia vero, & quarta in tertio huius articuli dubio: ergo, &c.

Confirmatur. Si in Chriſti ſatiſfactione non reperitur formalis ratio iuſtitiæ, ſequitur quod ſacræ literæ minus propriè illam appellent iuſtitiam, ipſique attribuant nomina, quæ cum proprietate ſumpta iuſtitiæ rationem important, cuiuſmodi ſunt, pretium, emptio, redemptio, &c. hoc autem non eſt admittendum, vera igitur eſt prima noſtræ concluſionis pars.

Secunda pars, quæ affirmat operationem Chriſti ſatiſfactoriam non fuiſſe elicitam à virtute iuſtitiæ, ſi de iuſtitia legali, aut diſtributiua intelligatur, facile admittetur à peritioribus Theologis: nam illam probat efficaciter ſecundum argumentum ex formatis à principio huius dubij. Cæterum ſi intelligatur de iuſtitia commutatiua, neque ab omnibus eſt conceſſa, à multis enim grauiſſimis negatur Theologis, quorũ Princeps eſt Mag Med. 3. p. q. 1. ar. 2. Neque cohærere videtur cum præcedentis concluſionis parte. Nã ſi in illa operatione ſaluatur iuſtitiæ commutatiuæ ratio, vt oſtendunt quatuor illæ conditiones, quas diximus ei competere, qui fieri poterit, vt non per ſe ad virtutem iuſtitiæ commutatiuæ tanquam ad propriam pertineat regulam? Sed hoc non obſtante exiſtimo veriſſimam eſſe hanc ſecundam partem concluſionis noſtræ, quam ſic probo.

Primo. In Chriſti anima non reperitur virtus iuſtitiæ cõmutatiuæ erga Deum: ergo ſatiſfactio Chriſti nequit eſſe actio elicita, aut regulata virtute commutatiuæ iuſtitiæ. Conſequentia eſt manifeſta: antecedens autem dupliciter ſolet probari à peritiſſimis Theologis. Primo. Quia commutatiua iuſtitia nequit reperiri, niſi inter eos, qui ſibi ipſis inuicem ſubijci poſſunt, nam quod quis alicui debitor fiat ex iuſtitiæ commutatiuæ obligatione, eſt quædam vera ſubiectio ad ipſum, cui obligatur: at Deus nulli poteſt ſubici. Ergo neque poteſt alicui iure commutatiuæ iuſtitiæ obligari. Hac ratione vtitur S. Thom. 1. par. q. 21. ar. 1. ad probandum inter puram creaturã, & Deum minimè conſtituendum eſſe debitum commutatiuæ iuſtitię, reputatq. propter iſtam rationem impoſſibile, quod Deus creaturæ quidquam debeat huiuſmodi iuſtitiæ titulo.

Secundo alij probant, ex eo, quod commutatiua iuſtitia fundatur in vero dominio earum rerum, quę ſunt iuſtitiæ materia, at Chriſtus, vt homo, nullius rei habet plenarium dominium, non ſubiectum, & ſubordinatum vniuerſali Dei ipſius dominio. Vnde nihil poteſt dare Deo, quod non pertineat ad ipſum Dei dominium, & ius, atque adeo nulla Chriſti actio ſufficiens eſt fundare debitum in Deo ad iuſtitiam commutatiuam pertinens.

Hæc ratio eſt etiam efficaciſſima ſine dubio ſi de pura creatura procedat, ſicut & præcedens ratio: veruntamen quod ad præſens attinet duæ iſtæ rationes parum efficiunt, quin potius officiunt, & ſunt neceſſariò à nobis diluendæ, ſi ſecundam noſtræ concluſionis partem tueri velimus. Quoniam non ſolum eliminant habitualem commutatiuam iuſtitiam à Chriſti anima, ſed etiam actualem, imo præcipuam vim habent de ipſo iuſtitię actu: ſi bene expendantur. Quare aliæ erunt à nobis ad illius aſſumpti antecedẽtis probationem collimandæ rationes, quæ de habituali tantum iuſtitiæ commutatiuę virtute, & non de actuali iuſtitiæ ratione procedant.

Sit ergo prima ratio, qua probatur in Chriſto nõ repeiri virtutem commutatiuæ iuſtitię. Gratia Chriſti in eſſe phyſico conſiderata, & quatenus ex ipſa effluunt virtutes infuſę, eſt prorſus eiuſdem ſpeciei cũ gratia cuiuſuis hominis iuſti, ſed in alijs hominibus iuſtis ex habituali gratia non oritur virtus commutatiuę iuſtitię erga Deũ, quod vniuerſi graues Theologi libenter concedunt cum S. Tho. loco proxime citato: ergo neque in Chriſti anima ex eſſentia habitualis gratię oritur habitualis commutatiua iuſtitia. Conſequentia apparet euidens ex illa regula philoſophica ſatis vulgari, ſcilicet, idem manens idem, ſemper facit idem. Si ergo gratia in Chriſti anima eandem omnino phyſicam eſſentiam retinet, quam habet in cæteris animabus iuſtis, eædem quoque, & non aliæ ex ipſius eſſentia dimanabunt morales virtutes infuſæ.

Dices forſan, verum eſſe, quod ex eſſentia habitualis gratiæ non profluit in Chriſti anima virtus commutatiuæ iuſtitiæ, ſed tamen Deus noua, & ſpeciali actione hanc virtutem infundit animæ Chriſti, Hæc ſolutio non poterit oſtenſiua expugnatione deſtrui. Sed eſt ſine dubio voluntaria, imo & parum rationabilis; quoniam in Chriſti anima illæ dumtaxat morales virtutes ſunt conſtituendæ, quæ ad ordinem pertinent gratiæ, id eſt, quæ in ipſa gratia, quæ dat ipſam eſſe ſupernaturale radicaliter præhabentur, ſicut in rebus naturalibus illæ tantum potentiæ, & proprietates conſtituuntur, quæ continentur in forma ſubſtantiali tanquam in prima radice.

Sed

Sed iã ſecunda ratione illud met antecedens probo. Si Chriſti animæ infuſa fuit virtus commutatiuæ iuſtitiæ erga Deum, per quam Chriſtus adeo mereretur, & ipſi ſatisfaceret, ſequitur Chriſtum & meruiſſe, & ſatisfeciſſe quatenus operabatur vt æqualis Deo, ideſt, prout ſe gerebat in ſui operatione non vt ſubditum Deo, ſed Deo æqualem. Conſequens & rationi diſſentit, & non videtur conſentire catholicę veritati: ergo, &c. Sequela eſt manifeſta, nam iuſtitia commutatiua ex propria & eſſentiali ſui ratione reſpicit æqualitatem, ergo eius operatio, prout ab ipſa procedit, non eſt inferioris ad ſuperiorem, ſed æqualis ad æqualem. Falſitatem vero conſeqnentis probo. Et primo, quod Theologicæ diſſentiat rationi probatur. Chriſtus quatenus merebatur apud Deum, & ipſi ſatisfaciebat pro nobis, operabatur, vt homo, per voluntatem humanam. Ergo vt minor patre, & inferior illo.

Confirmatur. Potiſſima operatio ſatisfactoria Chriſti fuit eius paſſio volũtariè pro nobis ſuſcepta, ſed Chriſtus in acceptanda paſſione & morte geſſit ſe vt minorem patre, acceptauit enim illam ex obedientia Patris, iuxta illud Ioan. 14. *Vt cognſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio, ſurgite eamus hinc*: ad ſubeundã ſcilicet, videlicet, mortem explicatore Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 14. ergo, &c. Quod vero non videatur ſatis conſentiens fidei veritati, probo ex illo Pauli ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum*, ſcilicet Chriſtus, *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Ecce quemadmodum Chriſtus iuxta Pauli documentum ſui nominis exaltationem, & gloriam, ipſamque corporis immortalitatem promeruit à Deo, non prout ſe illi æqualem geſſit, ſed ex humilitatis, & obedientię actionibus, quibus ſuam humanam voluntatem diuinæ ſubmiſit.

Tertio eandem probo ſententiam. Et ſupponamus in humana Chriſti voluntate iuſtitiam commutatiuam habitualem erga Deum, tunc ſic, habitus ille, ſaltem in eſſe phyſico, eſſet finitus, & limitatus, non enim maiorem in illo perfectionem debemus conſtituere, quam ſuperius q. 3. conſtituimus in habituali Chriſti gratia, & rationes, quæ probant Chriſti gratiam nullam habere phyſicam infinitatem, oſtendunt idipſum de virtute commutatiuæ iuſtitię, & de quauis alia morali virtute ſiue acquiſita, ſiue infuſa: Ergo ſatisfactio Chriſti ab hac virtute iuſtitię elicita finitæ eſſet, & limitatæ perfectionis, quatenus ab hac virtute procederet. Vlterius, Ergo ſatisfactio Chriſti, vt ſic, non eſſet ad æqualitatem, neque eſſet ſufficiens ad compenſandum pro vniuerſis hominum peccatis, atque adeo, vt ſic, non eſſet actio perfectæ iuſtitiæ, & ex conſequenti neque eſſet actio iuſtitiæ commutatiuæ: iuſtitia enim commutatiua eſt perfecta & rigoroſa iuſtitia, omnimodam æqualitatem inuoluens: Ergo talis commutatiuæ iuſtitiæ virtus otioſè, & impertinenter ponitur in Chriſto, cum ex ea nequeat deſumi ius ſtrictum, & rigoroſum inter Deum, & Chriſtum.

Quod ſi dixeris virtutem commutatiuæ iuſtitiæ in Chriſto geminam habere perfectionem, ſicut ſuperius dicebamus de habituali Chriſti gratia, alteram phyſicam, & alteram moralem. Vnde licet ſecundũ perfectionem phyſicam limitata ſit, & finita, eſt tamen infinita ſimpliciter in eſſe iuſtitiæ, ſecundum moralem perfectionem.

Contra hoc ſic arguitur. Illa ratio, qua in articulo ſecundo quæſt. 3. probauimus, quod aliæ omnes virtutes Chriſti non ſunt ſimpliciter infinitæ in ſuo genere, etiam ſecundum perfectionem moralem, eandem vim habet de iuſtitia commutatiua, atque de cæteris virtutibus, quod illam noſtram rationem legenti fiet manifeſtum. Nam ſicut propria aliarum virtutum ratio conſideratur per ordinem ad actum, & obiectum, & non per habitudinem ad dignitatem ſubiecti, in quo ſunt, & ob id dignitas infinita perſonalis Chriſti non ſufficit conſtituere eas infinitas in eſſentialibus ſuis rationibus. Ita propria iuſtitiæ commutatiuæ ratio, & perfectio, non ex dignitate ſubiecti, ſed ex habitudine ad actum, & obiectum penſanda eſt: Ergo cum ex obiecto non ſortiatur infinitatem ſimpliciter, quia non ipſum attingit quantum eſt attingibile, dicẽdum erit, eam infinitam non eſſe in ratione virtutis commutatiuæ iuſtitiæ. Vnde illa moralis dignitas, quæ in Chriſti ſatisfactione reperitur, cuius ratione infinita eſt, & ad æqualitatem, ex diuino Chriſti ſuppoſito penſatur, & non ex virtute iuſtitiæ commutatiuæ. Quia licet in Chriſto eſſet talis virtus, non tamen præhaberet in ſe ipſa infinitam hanc dignitatem, vt illam tribueret actuali ſatisfactioni, atque adeo impertinenter poneretur in Chriſto: eo vel maxime, quod Chriſtus potuit ſatisfacere, imo & ſatisfecit per operationes aliarum virtutũ, humilitatis, obedientiæ, religionis, &c.

Nec quidquam refert dicere, quod licet aliæ virtutes elicerent operationes illas, quibus Chriſtus ſatisfecit, non tamen prout erant ſatisfactoriæ formaliter eliciebantur ab illis virtutibus, ſed hanc vim ſatisfaciendi habuerunt, prout imperabantur à iuſtitia commutatiua. Sicut dicunt Theologi, quod ieiunium, quod à virtute temperantiæ elicitur, habet eſſe ſatisfactorium pro pœnis temporalibus peccatorum in homine iuſto, quatenus imperatur à virtute pœnitentiæ. Hoc inquam, non ſufficit ad euadendam argumenti vim, quoniam commutatiua iuſtitia poſſet quidem imperare actus aliarum virtutum quantum ad ſpecificam eorum ſubſtantiam, qua ratione nequeunt eſſe ſatisfactorij perfectè, & ad æqualitatem, ſunt enim finitæ, & limitatæ perfectionis, nõ vero poteſt imperare actus eoſdem quantum ad dignitatem infinitam moralem, quã ab ipſo Chriſti ſuppoſito, vt à principio primo, & radicali, & ab ipſa habituali gratia, vt proximo principio, & immediato participant, quia in hac ratione non ſubordinantur alicui virtuti, cum nulla virtus hanc tantam in ſua ratione dignitatem præhabeat, ſed immediatè à ſuppoſito diuino Chriſti ad ipſas humanitatis operationes deriuatur: aut ſaltem mediante habituali gratia tãquam à proximo principio, eo quod ipſa apta nata eſt, intra propriam gratiæ rationem infinitam moralem dignitatem ex coniunctione ad verbum participate, vti quæſtione tertia explicuimus.

Et iſta tertia ratio tam diffusè expoſita, præcipuũ eſt fundamentum ſecundæ partis noſtræ concluſionis, quæ cum prima parte eiuſdem aſſertionis in hũc modum cohæret. Quod illa moralis perfectio, &

dignitas, cuius ratione operatio Chriſti ſatisfactoria perfectam, & exactam iuſtitiæ rationem ſortiebatur, à nulla virtute animæ Chriſti infuſa potuit regulari: ſed immediatè reducebatur ad ipſam diuini ſuppoſiti infinitam dignitatem, aut ſaltem ad moralē gratiæ infinitatem ex coniunctione ad ipſum ſuppoſitum participatam. Vnde ſicut moralis gratiæ Chriſti dignitas perſonalis eſt, & non propriè formalis, ideſt, non à forma aliqua, ſed ex ſola ſuppoſiti dignitate deſumpta, neque aliam regulam habet, aut menſuram præter ipſam dignitatem ſuppoſiti, ita moralis perfectio actionis meritoriæ, aut ſatisfactoriæ Chriſti, nullam potuit aliam habere regulam præter ipſam excellentiam, & infinitam diuini ſuppoſiti maieſtatem. Vnde ſuperfluè, & impertinenter poneretur in Chriſto commutatiua iuſtitia, cum ex ipſa non eſſet deſumenda ſatisfactionis æqualitas, & condignitas, neque per ipſam eſſet regulanda. Imo cum talis virtus intra ſe ipſam nullatenus præhaberet huiuſmodi condignitatem, quam operi ſatisfactorio communicaret, nullatenus retinere poſſet veram iuſtitiæ commutatiuæ eſſentiam. Eſſentialis enim iuſtitiæ commutatiuæ ratio conſiſtit in hoc, quod poſſit prodire in actum cui tribuat condignitatem, & æqualitatem ad præmium, ſi actus fuerit meritorius, vel qualitatem ad iniuriam, & offenſam illatam, ſi ſatisfactorius fuerit.

Theologi, qui arbitrantur virtutes Chriſti infuſas infinitam habere perfectionem, & dignitatem moralem in eſſe talium virtutum ex coniunctione ad diuinum verbum, ſicut illam habet gratia in eſſe gratiæ, expedire ſe poterunt ab huius tertię rationis difficultate, ſed illa eorum ſentētia nobis minime probatur propter ſuperius dicta, vnde hanc tertiam noſtram rationem magni ponderis eſſe cenſemus.

Sed poſtquam ſecundam concluſionis partem cū prima conciliauimus, occurrit difficultas illarum duarum rationū, quas ex mente quorundam Theologorum paulo ſuperius adduximus, & ob id nō eas omnino probauimus, quia videbantur aduerſari ipſe ſecundæ parti noſtræ concluſionis, quas proinde diluamus oportet. Sed ne pluries eadem repetantur, earum ſolutionem remittendam eſſe duxi ad tertiū huius articuli dubium, cum explicuerimus, an Deus acceptare debuerit Chriſti Domini ſatisfactionem. Quocirca ad probationem tertiæ partis concluſionis me ipſum conuerto.

In tertia concluſionis parte aſſeritur Chriſti Domini ſatisfactionem non ab vnica tantum virtute elicitam fuiſſe. Quæ pars hunc planiſſimum ſenſum habet, quod ſicut homo iuſtus per diuerſa virtutum opera ſatisfacit Deo pro ſuis peccatis venialibus, & pro reſiduis remiſſorum mortalium pœnis, quādoq; per ieiunium, quod eſt opus virtutis abſtinentiæ, quandoque per orationem, quæ à religionis virtute proficiſcitur, quandoque per eleemoſynam, quæ ad virtutem pertinet miſericordiæ, &c. ita Chriſtus Dominus ſtudioſis diuerſarum virtutū officijs pro vniuerſis hominum peccatis ſatisfecit, quadraginta dierum ieiunio, oratione, in qua pernoctare ſoleuat, humilitate, obedientia, multis laboribus, & Iudæorum contradictionibus, quos magna cum patientia tolerauit, ac paſſione denique ſua, quam & ex amore, & ex obedientia ad Deum propter communem humani generis ſalutem libentiſſimè ſuſtinuit, nam oblatus eſt, quia ipſe voluit.

Sed dicet quiſpiam. Verum eſt hominem iuſtum diuerſis virtutum exercitamentis Deo pro ſuis peccatis ſatisfacere, at omnia procedunt ex directione, & imperio virtutis pœnitentiæ, neq; aliàs ſatisfactionis rationem inducerent: ergo neceſſum eſt conſtituamus in Chriſto virtutem vnam aliquam, cuius interfuerit dirigĕre, & ordinare in ſatisfactorium finem ipſas reliquarum virtutum actiones: quæ virtus cū non ſit pœnitentiæ (Chriſtus enim non fuit capax pœnitentiæ virtutis, vt probari ſolet. 3. p. q. 7. ar. 2.) non potuit eſſe alia virtus, quam commutatiua iuſtitia: cuius proprium munus eſt iuſtam compenſationem, & ſatisfactionem exhibere.

Reſpondetur, neceſſarium quidem eſſe conſtituamus virtutem in Chriſto, quæ aliarum virtutum officia ad ſatisfactionem Deo exhibendam pro hominum peccatis referat, & dirigat. Hæc tamen virtus nequit eſſe commutatiua iuſtitia, quia propter cauſas paulo ſuperius aſſignatas, virtus hæc in Chriſti anima reperiri nequit, neque ibi poſſumus ſaluare formale eius obiectum, quæ eſt æqualitas inter perſonas: nam Chriſtus, vt homo, per nullam virtutem operatur vt æqualis Deo, etſi reipſa æqualis ſit, & eſſet, & ob id in eius actiones magna quaſi conſequēter refundebatur perſonalis dignitas. Igitur duas aſſignabimus virtutes in Chriſto, ad quas ſpectauerit, illa directio, & diſpoſitio, nimirum charitatem, & religionem. Charitas primaria fuit radicalis origo, ex qua omnes Chriſti actiones in noſtrum ſpirituale commodum fuerunt ordinatæ, & ad merendū nobis, & ad ſatisfaciendum pro nobis diſpoſitæ. Vnde dicebat Paul. ad Epheſ. cap. 5. quod *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea.* Et de ſemetipſo, animi gratitudinem, vt par erat, oſtendens ad Galat. 2. dicebat, *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Ex quibus duobus locis conſtat, ꝙ pretioſiſſima Chriſti paſſio quatenus ſatisfactoria fuit ſm̄ ſufficientiam pro omnibus (quæ ſufficientia in primo teſtimonio denotatur) & quantum ad efficaciam pro electis, & prædeſtinatis (ad quā ſm̄ teſtimoniū pertinet) ad ipſam eximiæ charitatis Chriſti directionem & imperium reducenda eſt. Et idipſum colligitur ex illo Apoc. c. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et quod in his locis ſacræ literæ de præcipuo Chriſti opere, nimirū, paſſione ſua, quam in noſtrum cōmodum Chriſtus exhibuit, tam aperta atteſtatione pronuntiatur, idipſū de cæteris Chriſti operationibus, oratione, ieiunio, &c. veriſſimè dici poteſt. Neq. n. tm̄ Chriſtus ex affectuoſo humani generis amore terribilem acceptauit ſubeundam paſſionem & mortem: ſed & ex eodem amore ieiunauit, orauit, & reliqua laborioſa vitæ officia, velut alter Iacob, præ ingenti ſuæ ſpecioſiſſimę Rachelis amore, libentiſſimè ſubijt, & per totum ſuę mortalis vitæ tempus conſtantiſſimè tolerauit.

Religionis autem virtus proxima fuit regula cæterarum virtutum, quę earum actiones in ſatisfactionem pro peccatis noſtris ordinauit, & direxit: ad eū modum, quo pœnitentiæ virtus in quolibet noſtrum, ordinat aliarum virtutum operationes, ſi pœnalitatis quid habeant admixtum (de his tantum pœnalibus ſtudioſis actionibus loquimur) ordinat,

& quaſi

& quaſi quodam imperio dirigit in ſatisfactionem pro peccatis noſtris. Et quidem quod religionis virtuti hanc prærogatiuam in Chriſto tribuamus, Quid mirum? cum non deſint grauiſſimi Theologi, quibus non diſpliceat ſententia Caieta. in 3. par. quæſt. 85. ar. 2. dicentis in nobis virtutem pœnitentiæ non eſſe à virtute religionis diſtinctam: neque id quidem ſine ratione probabili: nam proprium eſt pœnitentiæ placare Deum per internam cordis emollitionẽ, & contritionem, quæ nihil eſt aliud quam quoddã gratiſſimum Deo ſpirituale ſacrificium. *Sacrificium enim*, inquit Propheta Regius Pſal. 50. *Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Cum igitur in nobis tam ſint affines iſtæ duæ virtutes, religio, & pœnitentia, quare formidabimus aſſerere, religionem in Chriſto, in quo virtuti pœnitentiæ non eſt locus, illud præſtare officium, quod in nobis exequitur pœnitentiæ virtus? Et quidem licet Chriſtus noſtrã ſalutem multis modis fuerit operatus, per modum meriti, per modum ſatisfactionis, per modum ſacrificij, per modum efficientiæ, & denique per modum redemptionis, vt S. Thom. 3. par. q. 58. ſumma cum eruditione diſtinxit; exiſtimo tamen, quod ratio ſacrificij, quo Chriſtus ſeipſum obtulit hoſtiam ſanctam, Deoque placentem, præcipuã quandam obtinuit excellentiam, cæteros recenſitos modos quaſi formaliter eminenter complectens, ad eum modum, quo rationalis anima ſenſitiuam continet, & vegetatiuam, Quod fortaſſis innuit Paul. cũ ad Hebr. 10. dixit, *Vna oblatione conſummauit Chriſtus in æternum ſanctificatos*. Ob id quidem illa vnica oblatione cruenta Chriſtus omnem ſanctificationem conſummauit: quia in illa, quadam ſumma complexione continebatur omnis modus, quo Chriſtus noſtram fuit ſanctificationem operatus. Quod etiam ex eodem Paulo in citato capite colligo, ponderando illa verba, *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel*: loquebaturque Paulus de illa voluntate, quam habuit Chriſtus in primo ſuæ incarnationis inſtanti, in quo omnium antiquorum ſacrificiorum, & oblationum infirmitatem conſiderans, & quam parum ſufficerent ad ipſam humani generis ſalutem efficiendam, *Ingrediens in mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, &c. Tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam*, id eſt, vt iuxta tuæ diuinę prouidentiæ perſcriptum, tuæque voluntatis mandatum mihi impoſitum, & in hoc inſtanti denunciatum, meipſum tibi in ſuauiſſimum holocauſtum, & hoſtiam gratiſſimam, pro humani generis ſalute offeram. Ecce quemadmodum totum noſtræ reparationis opus, & in voluntate ad ſacrificij rationem ſpectante primam inchoationem accepit, & eadem voluntate, quam Chriſtus numquam reuocauit, ſed ad finem vſque vitæ continuauit potius, vltimam in cruce conſummationem accepit. Ex quo ſatis vero ſimiliter deducitur id quod dudum affirmabam, nimirum, in opere redemptionis noſtræ, ipſum crucis ſacrificiũ primas obtinuiſſe partes. Quod ſi hoc verum eſt, vt credo eſſe veriſſimum, rationi conſentaneum eſt id, quod paulo ſuperius dicebamus, ad ipſam religionis virtutem pertinuiſſe cæteras virtutes ſua directione mouere, vt in ea ſe ipſas officia exercerent, quæ ad ſatisfaciendum, & compenſandum Deo pro vniuerſis hominum peccatis, magis eſſent proportionata.

Sed vt hæc pateſiant amplius, notandum eſſe duxi, quod ob id totam humani generis ſalutem Chriſtus quatuor illis modis fuit operatus, ſcilicet ſacrificio, ſatisfactione, & ſanctificatione, ac redemptione Quoniam quatuor mala originis peccatum intulerat, quæ omnia ſunt mortali culpæ communia. primum, quod ipſum hominis cor ſuperbè contra Deum exaltauit, dum homo plus nimio ſeipſum dilexit, & ſe vniuerſis etiam diuinis prætulit bonis, & hæc prima eſt & tota mortalis culpæ radix, *amor* enim *proprius ciuitatem ædificat Babilonię*, vt dicebat Aug. & Sapiens prouer. 18. inquit, quod *ante ruinam exaltatur cor*. Secundum, quod diuinam offendit maieſtatem, magnã ei, & infinitam, vt dicemus poſtea, offenſam, & iniuriam inferens. Tertium. Quod ipsũ hominem in diaboli ſeruitutem, & miſeram captiuitatem, Deo id iuſtiſſimè permittẽte, tradidit. Quartum denique, quod ipſius peccatoris animam Dei amicitia, & gratia priuauit, cœleſti luce, ac nitore, diuiniſque ornamentis ſpoliatam conſtituit, ipſamque totam reddidit maculatam, & deformem. Duo priora mala Deum reſpiciunt, ipſumq; iniurioſè offendunt. Alia vero duo poſteriora ipſius peccatoris mala ſunt, ipſique ſoli nociua. Quatuor ergo his malis Chriſtus quatuor eiſdem proportionata in noſtræ ſalutis opere remedia poſuit. Primum fuit ſacrificiũ crucis, quo vice omnium hominum Deum primum omnium bonorum authorem, à quo omnia & naturæ, & gratiæ dona deriuantur, & pendent recognoſcens, non ſolum religioſam & humilem ei qualemcunque obtulit hoſtiam ſeipſum Diuinæ Maieſtati ſubmittens: ſed & contra primũ malum, quod peccatum intulerat, ſemetipſum hoſtiam Deo dicauit, ſe totum conficiens, & conterens, & quaſi in Dei conſpectu annihilans ipſe ſimul Sacerdos, & hoſtia, ſacrificium, & ſacrificans. Et quia ſuperbi amoris proprij malum in peccato primum habuit locum, idcirco ipſa humani generis reparatio à ſacrificio iſto tũ humillimo, tum Deo gratiſſimo inchoationem accepit. Contra ſecundum malum ſummam, atque infinitam ſatisfactionem obtulit, pro iniuria, & offenſa aduerſus infinitam Dei maieſtatem admiſſa, magnã Deo reuerentiam grandi quaſi cuiuſdam ingentis contritionis intrinſeco cordis dolore, grauiſſimiſque totius corporis ſenſibilibus pœnalitatibus aſſociatã, loco ſatisfactionis exhibens. Sed & contra malum tertium, quod homini peccatum attulerat, captiuitatem, nimirũ, & diaboli ſeruitutẽ Chriſtus redemptionem fecit ſeipſum, ſuam vitam, pretioſiſſimũq; proprium ſãguinem pro ipſa humani generis libertate comparanda in exuberantiſſimum pretium obtulit Deo, cuius iuſtiſſima permiſſione Diabolus ſuã omnem tyrannidem ſupra hominẽ exercebat. Tandem contra quartum malum ipſam Dei gratiam, & ſanctitatem eadem ſua pretioſiſſima paſſione hominibus meruit: quam & medijs ſacramentis, quorum virtus tota ex ipſa Chriſti paſſione, & morte emanauit, efficienter in eorum cauſat & efficit animabus, de qua efficientia inferius q. 6. non nihil dicemus.

Conſtat ergo ex his ita breuiter inſinuatis, veriſſimum eſſe, quod diximus, totum noſtrũ ſalutis opus ex ſacrificio exordium accepiſſe, in quo veluti in ra-

dice,& in ratione quadam ſuperiori cætera redemptionis officia continebantur. Sicut omnia peccati mala,in ſuperbo,inordinatoq; amore peccantis tanquam in prima radice præhabentur.

Eſt autem aduertendum ſummoperè,quod huiuſmodi virtutum opera,& ſi quantum ad ſubſtantiam à religionis virtute ad ſatisfaciendum pro peccatis noſtris directa fuerint, & ordinata, minime tamen ab ipſa acceperunt moralem valorem , eamque perfectionem,& dignitatem,cuius ratione ex rigoroſa, & exacta iuſtitia fuerint pro peccatis noſtris ſatisfactoria. Hanc enim tantam dignitatem, & hunc tantum valorem ab ipſa tantum ſuppoſiti operantis infinita dignitate,ipſa,fortaſſis, gratia mediante, participauerunt, ac proinde quantum ad iſtam rationem neque à religione, neque ab alia virtute regulabantur, ſed neceſſario, & inimpedibili morali effluxu ex ipſo operante ſuppoſito in prædicta virtutum opera hæc infinita ſatisfactoria dignitas effluxit,& dimanauit,quod in dubio ſequenti tractabitur vberius.

§.6. *Solutionis argumentorum pro parte negatiua,& ad primum principale.*

DEinceps oportet diſſoluamus argumenta à principio dubij propoſita. Et primo argumento reſpondent nōnulli Theologi Chriſtum, ſaltem per ſe primo, non ſatisfeciſſe Deo communi tribus perſonis,aut ſibi ipſi,ſed Patri,qui eſt alter ab ipſo Chriſto. Probant ex eo, quod in ſacris literis actiones Chriſti ſatisfactoriæ, quæ ad opus noſtræ redemptionis ſpectant ſpecialiter referuntur ad Patrem,ad Eph.2. *Per quem habemus acceſſum ad patrem*, 1. Ioā. 2. *aduocatum habemus apud Patrem Chriſtum Ieſum.* Item remittere, & condonare peccata ipſe Chriſtus Patri attribuebat. Matth.11. *Et Pater veſter, qui eſt in cælis dimittet vobis peccata veſtra.* Luc. 23. *Pater dimitte illis, neſciunt enim quid faciunt.* Similiter præmium æternæ vitæ bene operantibus conferre, ſoli Patri ipſe Chriſtus aſcribit: *Sedere autem ad dexteram, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo*, dixit Chriſtus Matth. 20.& Io. 12. *Si quis miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.* Et his ſimilia habentur quamplurima in litteris ſacris. Cæterum hæc ſententia falſa eſt,& improbabilis, quam communiter proinde reprobant graues Theologi, in cuius confutationem ego dico duo.

Primum,non eſt poſſibile , ꝙ fiat ſatisfactio Deo, aut alicui Trinitatis perſonæ, quin fiat tribus ipſis perſonis diuinis. Probatur, ſatisfactio eſt compenſatio pro offenſa,& iniuria Deo per peccatum illata, qua ſatisfactione placatur Deus, & iniuriam ſibi irrogatam condonat, at impoſſibile eſt Deum placari, & condonare iniuriam, quin omnes, & ſingulæ diuinæ perſonæ eandem iniuriam dimittant, maneantque placatæ omnes,neque vero intelligibile eſt, vnam aliquando perſonam placari,offenſamq; remittere alijs non eandem iniuriam condonantibus,nam cum eadem ſit in tribus perſonis maieſtas, dignitas,& voluntas,intelligi nequit, quod vna perſona ſe offenſam reputet à Petro, ab ipſoq; vindictā velit ſumere,& quòd aliæ perſonæ ſint placatæ,condonauerintque Petro ipſis irrogatam offenſam. Huius aſſerti contrarium nullus Theologorum quē ego legerim affirmauit, ſed neque affirmare poterit integra catholica fide,quæ nos docet in tribus ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis vnicam eſſe ſimpliciſſimā maieſtatem, quæ ſi offenditur in vna perſona,neceſſum eſt offendatur in alijs: vnam & eandem eſſe in tribus perſonis voluntatem, quæ proinde ſi in vna perſona condonat iniuriam diuinæ maieſtati illatā, in tribus etiam perſonis neceſſum eſt illam quoque remittat,& condonet.

Secundum aſſertum eſt. Satisfactio Chriſti, ſiue etiam puri hominis non poteſt per ſe primo reſpicere aliquam vnam Trinitatis perſonam, ſed ipſum Deum tribus perſonis communem per ſe primo reſpiciat neceſſe eſt,& quaſi ſecundario tres ipſas diuinitatis perſonas. Probatur. Satisfactio eo modo debet fieri Deo,quo ipſa offenſa, & iniuria in Deū fuit irrogata,ſed offenſa,& iniuria,quæ in peccato quolibet reperitur: immediatè, & per ſe primo reſpicit hunc Deum tribus perſonis communem,& quaſi ſecundario,& mediatè tres ipſas diuinę Trinitatis perſonas. Ergo & ſatisfactio iuxta hunc modū fieri debet. Maior ex eo conſtat, quod ſatisfactio tollit inæqualitatem,quam inter offenſorem,& offenſum culpa,& offenſa conſtituit,vnde neceſſum eſt fiat iuxta ipſius offenſæ modum, ita quod ei per ſe primo fiat ſatisfactio,cui offenſa primo fuit irrogata,alias enim per ſatisfactionem non fieret perfecta æqualitas,quā ipſa iuſtitiæ ratio poſtulat. Minor vero probatur. Per peccatum offenditur per ſe primo ipſa infinita bonitas,& diuina maieſtas,ſed bonitas, & maieſtas cum ſint perfectiones Dei eſſentiales & communes, per ſe primo conueniunt huic Deo tribus perſonis communi,& quaſi mediatè,& ſecundario ſingulis Trinitatis perſonis: ergo,&c.

Confirmatur. Per peccatum per ſe primo offenditur Deus,prout eſt legiſlator illius legis,quā peccator tranſgreditur. Sed Deus prout eſt vnus, tribus perſonis communis legiſlator eſt,& totius naturæ rationalis gubernator. Nam cum gubernare,& condere leges,ſint operationes Dei ad extra, per ſe primo competunt Deo,& non alicui Trinitatis perſonæ,indiuiſa enim ſunt opera Trinitatis ad extra.

Sed arguit quis. Aliqua ſunt peccata, quæ in particulari committūtur contra aliquam diuinam perſonam,cuiuſmodi eſt illud peccatum in Spiritum ſanctum,quod Chriſtus irremiſſibile eſſe dixit, & ſimiliter peccatum infidelitatis Arianæ ſpecialiter perſonam filij offendit,eius diuinitatem negans. Ergo non eſt certum, id quod diximus offenſam, quæ repetitur in peccato,per ſe primo, & immediatè ad hunc Deum tribus perſonis communem terminari, atque adeo neque verum eſſe poteſt,quod ſatisfactio in vniuerſum per ſe primo fiat huic Deo, ſed bene ſtat,quod fiat quandoq; per ſe primo, & immediatè alicui Trinitatis perſonæ, illi videlicet ad quam per ſe primo offenſa peccati attingit.

Reſpondetur, & primum dico hoc argumentum non habere locum in ipſa Chriſti Domini ſatisfactione,quæ principaliter reſpiciebat originalem culpam, per quam non aliqua perſona Trinitatis in ſpeciali offenſionē accepit,ſed ipſe Deus tribus perſonis communis fuit offenſus.

Secun-

Secundo reſpondetur, quod materialiter quidem aliquot peccata reſpiciunt in particulari vnam, aut alteram Trinitatis perſonam, formaliter tamen, id eſt, prout peccatum importat offenſam, & iniuriam, diuinæque legis contemptum, qua ſola ratione eſt ſatisfactionis materia, immediatè reſpicit ipſum Deum, & non aliquam ſpecialem perſonam. Itaque ſicut illa peccata, quæ ſunt contra proximum, homicidium, furtum, &c. immediatè reſpiciũt ipſum proximum ſecundum proprias, & peculiares ſpecificas differentias, vt obiectum à quo ſpecificantur, at in ratione iniuriæ, & offenſæ per pœnitentiam, & contritionem reparabilis, non proximum, ſed ipſum Deum immediatè reſpiciunt, ita in peccatis, quæ ex proprijs, & eſſentialibus differentijs ad aliquam ſpecialem Trinitatis perſonam terminantur, proportionabiliter eſt dicendum.

Ad argumentum, quod fecimus pro ſententia contraria ex ſacris ſcripturis deſumptum, reſpondetur. Familiare eſſe ſacris litteris illa, quæ communia ſunt toti Trinitati: & per ſe primo conueniunt Deo, vt Deus eſt, ſi pertineant ad maieſtatem, & auctoritatem Dei, tribuere perſonæ patris per accommodationem, eo quod diuinitas reperitur in patre tanquã in principio non habente principium. Et quoniam ſatisfactio per ſe primo reſpicit diuinam maieſtatem offenſam, idcirco ſacræ literæ ſatisfactionem adſcribunt patri, atque ſi illi per ſe primo fieret ſatisfactio. Alia etiam ratione Chriſtus multa noſtræ redemptionis opera in Patrem retulit, nulla vel ſui ipſius, vel Spiritus ſancti mentione facta, quia filius ipſe viſibilis apparuit in carne: *quod vidimus oculis noſtris, quod audiuimus, & quod manus noſtræ contrectauerũt de verbo vitæ annuntiamus vobis*, inquit Ioan. 1. can. c. 1. *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti* à patre mirabili ſignorum, & doctrinæ fulgore coruſcantem. Et Spiritus ſanctus ſimiliter, & in columbæ ſpecie, & in linguis ignis, magno, repentinoque ſono, atque alijs diuerſis modis hominibus apparuit viſibilis: vnde duæ iſtæ perſonæ viſibile de ſemetipſis teſtimonium perhibuere. Perſona autem Patris, quia ſemper manſit inuiſibilis, opus habuit (ſi ita fas eſt loqui) diuini verbi incarnati teſtimonio, quo pater glorioſa atteſtatione in hominum veniret notitiam.

Sed prætereà addo, quod in litteris ſacris apertè etiam affirmatur, ſatisfactionem Deo factam eſſe, & ita Paulus 2. Corint. 5. dixit, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, & paulo ſuperius dixerat, *omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi*. Et quidem in priori loco illud nomen Deus, perſonaliter videtur accipiendum, vt idem polleat, quod diuinum verbum: in poſteriori autem (qui tamen in textu præcedit) eſſentialiter ſumitur pro Deo tribus perſonis communi, vt Chryſoſt. & Theophyl. ibidẽ animaduertunt. In quo ſenſu ſimiliter capitur 1. ad Thimo. 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*, vt ibidem Chryſoſto. Beda, & Anſelmus notarunt: & expreſſiſſime Aug. in prima enarratione Pſal. 29. *Quid eſt mediatorem eſſe*, inquit, *inter Deum, & homines, non inter Patrem, & homines, ſed inter Deum & homines. Quid eſt Deus? Pater, Filius, & Spiritus ſanctus*, Idem Aug. eadem Pauli verſans verba, lib. 10. de ciuit. cap. 20. inquit, *In quantum formam ſerui accipiens, mediator effectus eſt Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus tum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo & vnus eſt Deus.* Fauent Cyrillus libr. 11. in Ioann. cap. 7. & in 5. tom. Actor. Conc. in declaratione anathematiſmi 10. Ambr. lib. 3. de fide cap. 5. Hieron. Pſ. 109. & Fulgent. lib. de incarnatione c. 13. Remittere etiã peccata Deo in ſacris literis quandoque tribuitur, & ita Petrus Act. 8. Symoni Mago dicebat, *Pœnitentiã age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Quandoque etiam ipſi Chriſto tribuitur, & ita Marci 24. dicebat Chriſtus. *Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet in terra poteſtatem dimittendi peccata, &* 1. Coloſſ. 1. *complacuit per eum reconciliare omnia in ipſum.* Pondera illam reciprocationem. *In ipſum*, denotat enim, quod ſatiſfactio egrediens à Chriſto in ipſum reuertebatur. Orig. citatus à S. Tho. in catena ſuper Ioan. c. 19. dicit, quod in omnibus Chriſti operibus glorificatus eſt ipſe filius hominis Deo glorificato in ipſo.

Hac ergo ſolutione prætermiſſa, aliter reſpondere oportet ad illud primum argumentum, in cuius ſolutione multi laborauerunt Theologi, & neſcio planè an ſatis fœliciter.

Sit ergo prima ſolutio, quod iuſtitia eſt ad alterum, & ſimiliter ſatisfactio, quæ eſt inter homines. Verumtamen ſatisfactio ad Deum eſt alterius ordinis, quam Ariſto. non cognouit. Et explicatur hoc in actu obedientiæ, & ſubiectionis perſonalis, quæ profectò ſecundum doctrinam Ariſto. & ea, quæ naturaliter concipimus, ſemper ſunt ad alterum, & tamen ſecundum fidem certum eſt, quod Chriſtus obedit ſibi ipſi, & ſubijcitur Deo, à quo non diſtinguitur realiter.

Hæc tamen ſolutio, quam nonnulli aſſignarunt Theologi, meritò improbatur ab alijs. Quoniam hæc conditio iuſtitiæ, nimirum, quod ſit ad alterum, non ex ſola Ariſto. aut alterius cuiuſpiam philoſophi authoritate ſuam obtinuit certitudinem, ſed ex ipſamet iuſtitiæ natura, quæ duo neceſſario flagitat extrema, neque enim intelligi valet, quod aliquis ſibiipſi iuſtus ſit aut iniuſtus. Et ſimile iudicium ferendum eſt, in virtute obedientiæ: ſtultus enim eſſet, qui diceret, quòd quis eſt ſui ipſius dominus, aut ſibimetipſi ſeruus. Neque quidquam refert, ad prædictam ſolutionem ſtabiliendam, id quod eius authores dicunt, videlicet, iuſtitiam Chriſti erga Deum alterius eſſe rationis à iuſtitia, quæ inter homines verſatur, hoc, inquam, nihil refert. Tum quia licet in eſſe moralis dignitatis alterius ſit rationis Chriſti ſatisfactio, & iuſtitia, ab ea, quæ eſt inter purum hominem, & Deum, non tamen ſpecie differunt, in eſſe phyſico, vt ex ſuperius dictis, & inferius dicendis conſtabit, quòd autem iuſtitia duo requirat extrema non ex morali perfectione, & dignitate, ſed ex phyſica ipſius iuſtitiæ ratione prouenit (totum autem id in præſentia phyſicum vocamus, quod ex intrinſecis principijs oritur, & non ex dignitate operantis ſuppoſiti, etiam ſi quidpiam habeat moralitatis admixtum.) Tum etiam, quia quantumcumque iuſtitia Chriſti ad Deum alterius ſit rationis, & ordinis à iuſtitia humana, manifeſtiſſima ratio dictat, quòd debet inter duo extrema verſari, & oppoſitum

poterit clamoroſa contentione defendi, nulla tamẽ vel apparenti ratione ſuſtentari. Et quidem licet diuerſæ ſint rationis iuſtitia Chriſti,& iuſtitia puri hominis erga Deum,neceſſum eſt tamen, vt analogica ſaltem rationis vnitate conueniant, & quod omnia, quæ eſſentialiter in vna repertuntur, in alia quoque iuſtitia proportionabili ratione inueniamus. Nam ſi hæc veriſſimè dici ſolent de virtutibus,quę Deo sũt, & creaturis communes,ſapientia,miſericordia, charitas,&c. nam infinitate, & increabilitate exceptis, omnes proprietates increatæ ſapientiæ accommodantur ad ſapientiam creatam analogica quadam proportione. Quod ſi hęc de diuinis,humaniſqi virtutibus verè ſentimus, quare de virtutibus Chriſto, vt homini, & alijs hominibus communibus non omni cum veritate,& proprietate dicemus?

Eſt ſecunda ſolutio,quæ aſſerit,dupliciter contingere,eſſe ad alterum,& phyſicè & moraliter. Phyſicè quidem alterum dicitur,quod eſt entitatiuè, & ſuppoſitaliter diuerſum, vt Paulus alter eſt à Petro. Moraliter vero alterum dicitur, quod habet aliætatem, quæ ſufficit ad exercendum operationes, & commutationes morales,ita quod taliter ſunt vnũ,quod poſſent nihilominus has operationes exercere, & terminare,atque ſi eſſent diuerſa ſuppoſita. Afferunt ſolutionis huius authores exemplum in Patre,& Filio in humanis,inter quos,phyſicè loquendo,non eſt perfecta diuerſitas, quæ ad rationem iuſtitiæ ſufficiat, & tamen inter Patrem,& Filium emãcipatum conſtituerunt leges veram iuſtitiæ rationem, conſiderando filium vt extremum moraliter diſtinctum à patre,ideſt idoneum ad exercendum, & terminandum commutationes,& contractus ciuiles,in quibus vera repetiatur iuſtitia.

Hæc etiam ſolutio mihi non ſatis probatur, quia non percipio qua ratione poſſet ſaluari illa diuerſitas extremorum moralis,ſi inter ipſa extrema omnimoda ſit naturalis,& phyſica identitas. Neqi adductum exemplum illam ſolutionem illuſtrat,cum pater,& filius, & ſi phyſicam quandam conuenientiã habeant propter aſſignatam cauſam ex Ariſt. 5. Eth. c. 6. deſumptam, ſunt tamen reuera duo ſuppoſita realiter diſtincta, quæ proinde extrema ſunt aptanata fundare illam moralem diuerſitatem per legẽ introductam, quæ ad rationem iuſtitiæ ſufficit. Quam ſane diuerſitatem nullatenus poſſet lex introducere, niſi prædicta naturali perſonarum diuerſitate inter patrem, & filium ſuppoſita. Non enim poſſet lex veram iuſtitiæ rationem inter Petrum, & ipſummet Petrum ſtatuere. Poſſet quidem fortaſſis fingere,efficere autem nequaquam. Si ergo inter Chriſtum, & Deum nullam veram, & phyſicam diuerſitatem intelligimus,poſſet quidem fictione quadam dici Chriſtum ſatisfeciſſe, & meruiſſe coram Deo, at verè, & propriè id minimè poſſet concedi. Nos autem contendimus ſaluare veram,ac propriã, & meriti,& ſatisfactionis ratione in ſtudiosis Chriſti operationibus. Quocirca alia ſolutione eget prædictum argumentum primum.

Tertia ſolutio aſſerit,ad eſſentialem, imo ad perfectam iuſtitiæ rationem,non eſſe ſimpliciter neceſſariam diſtinctionem ſuppoſitorum, ſed ſatis eſſe diſtinctionem naturarum,& voluntatum. Nam ad hoc tantum neceſſaria eſt extremorum diuerſitas in iuſtitia ſatisfactoria,& meritoria,vt ſint diuerſa iura eius,qui ſatisfacit,& eius cui fit ſatisfactio, diuerſaqi dominia eius,qui meretur,& eius à quo meretur. Ad hoc autem ſufficit ſola naturarum, & voluntatum diſtinctio, nam ad hanc diſtinctionem conſequitur diuerſitas dominij,& iuris. Quoniam autem diuerſæ ſubſtantiales naturæ,diſtinctæque liberæ voluntates, ſecundum naturæ ordinem, totamque ipſius facultatem,nequeunt in vno ſuppoſito,ſed in diuerſis dũtaxat reperiri: idcirco naturalis iuſtitia abſolutè requirit perſonalem diuerſitatem. At ſuppoſito incarnationis myſterio,ſicut in vnica perſona filij Dei duę reperiuntur ſubſtantiales naturæ, duæque liberæ voluntates,humana, ſcilicet, & diuina, ita & reperitur vera iuſtitia abſque perſonarum diuerſitate. Hæc ſolutio fortaſſis poterit ad bonum ſenſum reduci, ſed in prima ſui ſpecie conſiderata falſa apparet omnino. Nam cum actiones ſint ſuppoſitorum, & perſonarum,&nõ naturarũ ſubſtantialium, quæ eſt ſine dubio expreſſa Ariſtot. ſententia lib. 2. de anima. (quidquid Neoterici quidam contendant) dicentis, quod humanitas neque net,neque flet, ſed homo, ſi omnino ſecludimus in Chriſto ſuppoſitorum diſtinctionem, concedendum eſt, quod vnus & idem eſt, qui ſatisfacit, & cui fit ſatisfactio, & quod vnus & idem à ſeipſo meretur præmium: quod certè inintelligibile apparet. Nã quod quis ius habeat iuſtitiæ erga ſemetipſum, & quod eiuſdem ad ſeipſum ſit vera,& realis iuſtitiæ æqualitas, ſitqi vnus ſibi ipſi ſtricto iuſtitiæ commutatiuæ titulo obligatus, recta ratio non patitur. Quare ad aliam tranſeamus veroſimiliorem ſolutionem,per quam tertiam hanc,quã modo impugnabamus ſolutionem, ad verum reuocabimus ſenſum. Imo & ſecundam ſolutionem, quã vt minus probabilem reiecimus,per quartam ſequẽtem ſolutionem poterimus reducere ad probabilem intelligentiam.

Quarta ergo ſolutio eſt,quod diuinum verbum licet ſit ſecundum rem vnum, & ſimpliciſſimum ſuppoſitum,eſt tamen ſecundum rationem duplex, diuinum,ſcilicet,& humanum. Nam qua ratione terminat diuinam naturam, verum eſt & reale diuinũ ſuppoſitum, qua vero ratione naturam humanam ſubſtantialiter terminat, & ſuſtentat, verè quoque, & realiter eſt humanum ſuppoſitum. Quæ realis denominatio,quam verbum in tempore cum factum eſt caro acquiſiuit,non fundatur in aliqua reali mutatione ipſius diuini verbi,ſed in mutatione reali humanitatis à verbo aſſumptæ, & perſonaliter terminatæ: quæ realis humanæ naturæ paſſiua immutatio ſufficit,vt verbum realiter denominetur humanum ſuppoſitum. Quemadmodum Deus realiter denominatur dominus, & realiter denominatur creator, abſque vlla ſui reali mutatione,propter realem mutationem creaturarum. Tunc ergo dicitur ad argumentum,quod propter hanc geminam ſuppoſiti rationem poteſt in Chriſto reperiri iuſtitia, quæ verè dicitur eſſe ad alterum, nam eſt inter duo ſuppoſita ſecundum rationem diſtincta,humanum ſcilicet, & diuinum, ita quod Chriſtus prout eſt ſuppoſitum humanum ſatisfecit ſibi ipſi: prout eſt diuinum ſuppoſitum. Quod Aug. lib. 10. de ciuit. cap. 20. verbis docuit apertiſſimis.

Sed inſurget quis aduerſus hanc ſolutionem in hunc

hunc modum illam impugnans. Iuſtitia importat æqualitatem, quæ eſt realis habitudo tranſcendentalis, quam & concomitatur prædicamentalis relatio vera, & realis, ſed vtraque hæc habitudo poſcit extrema realia, & realiter diſtincta, vt ex Ariſtot. in predic. ad aliquid, & in lib. 5. Meth. ſolent colligere peritiſſimi Metaphyſici, graueſque Philoſophi. Ergo vt in Chriſto reperitur vera ſatisfactoria iuſtitia, qua ipſe, vt humanum ſuppoſitum ſibi ipſi ſatisfaceret, vt ſuppoſito diuino, neceſſaria erat realis duorũ ſuppoſitorum diſtinctio, ita quod non ſatis eſt, quod ſit duplex ſuppoſitum reale, ſed neceſſam erat, vt vnum realiter diſtingueretur ab alio, ſicut inter partes eiuſdem ſuppoſiti nequit reperiri habitudo, & relatio realis, quia licet veram habeant realitatem partialem, non tamen ſunt inter ſe realiter diſtinctę. At diſtinctio realis ſuppoſitorum fidei veritati repugnat, qua credimus vnum, & idem ſimpliciſſimum ſuppoſitum, puta, diuinum verbum, Deum eſſe, & hominem, humanum ſuppoſitum, & diuinum. Imo licet liberè fateamur geminam eſſe in Chriſto rationem ſuppoſiti, quarum altera eſt humanum, & altera diuinum ſuppoſitum; non eadem tamen libertate concedi debet duplex in Chriſto eſſe ſuppoſitum, niſi addamus illam limitationem, ſcilicet ſecundum rationem. Nam in priori locutione importatur diſtinctè ipſa rationis diuerſitas, quia vox illa, ratio, intellectum reſpicit diſtinctionis conſtitutiuum. In poſteriori vero enunciatione nulla vox ponitur, quę ad diſtinctionem per intellectum factam referri poſſit, Et ideo realem denotat ſuppoſitorum diſtinctionẽ. Quam fides non admittit.

Huic replicæ, quæ totam iſtius rei difficultatem attingit. Reſpondeo primum. Quod ad veram & realem iuſtitiæ rationem, realemque eius habitudinem, eſt quidem neceſſaria aliqua ſuppoſitorum diuerſitas, vt poſſimus ſignare perſonam ſatisfacientẽ aliquo modo in ratione perſonę diſtinctam à perſona cui fit ſatisfactio, non tamen oportet, quod ipſa perſonalis diuerſitas ſit realis, ita vt conſtituat duas perſonas realiter diſtinctas. Eſt tamen neceſſarium, vt reperiantur diuerſæ ſubſtantiales naturæ, eſſentialiter diſtinctæ, vt ratione vnius illud vnicum reale ſuppoſitum, prout eſt ſuppoſitum vnius naturæ, & prout exercet officium talis ſuppoſiti, ſatisfaciat ſibi ipſi, prout ſuppoſitum eſt alterius naturæ, & prout talis ſuppoſiti officium exercet. Nam hac diuerſitate naturarum ſubſtantiali conſtituta, illud ſuppoſitum realiter vnum, & duplex ſecundum rationem, capax eſt diuerſi dominij, & diuerſi iuris, poteſtque proinde ibi reperiri vera realis iuſtitiæ æqualitas, & habitudo. Non enim ad huiuſmodi relationem, & habitudinem, requiritur realis ſuppoſitorum diſtinctio, ſed ſatis fuerit ſubſtantialis naturarum diuerſitas, quoniam ipſæ naturæ ſunt proxima fundamenta, & ſubiecta huius relationis. Et quidem licet forſan non ineptè contendat Metaphyſicus, quod vnũ, & idem ſuppoſitum non poteſt ad ſemetipſum referri relatione reali, etiam ſi diuerſis formis ſpecie diſtinctis realiter actuetur, V. G. licet albedo, & dulcedo, quæ ſunt in eodem ſubiecto, V. G. in lacte poſſint mutuo referri relatione reali, vt referuntur forraſſis relatione diſſimilitudinis ſpecificè, ipſum tamen ſubiectum non ad ſemetipſum hac reali relatione refertur. Quamuis, inquam, hoc non irrationabiliter dicatur, id tamen limitandum eſt ad relationes purè phyſicas, nam in moralibus aliud omnino eſt iudicium. Nam ſatis fuerit, quod ſuppoſitum per diuerſas liberas voluntates duplicis ſuppoſiti exequatur officia, vt in ipſo diuerſa iura, diuerſaque dominia conſurgant, poſſitque eſſe ſatisfaciens, & vt ita loquamur, ſatisfactum, ſitque premiator, & meritoriè operans.

Huius rei aliquale habemus exemplum in mercatore, qui pars eſt in duabus ſocietatibus mercatorijs, quarum altera alteri ſocietati deberet mille, nam tunc mercator ille quatenus eſt pars vnius ſocietatis, ex iuſtitia poſſet illud debitum, aut partem eius ſoluere ſibi ipſi, prout eſt alterius ſocietatis pars. Dixi hoc eſſe aliquale exemplum: Quoniam certè non continet ſimilitudinem exactam, cum mercator ille vt eſt debitricis ſocietatis pars, non tam ſibi ipſi, quã alteri ſocietati ſoluat, quæ ſocietas realiter ab ipſo ſimpliciter differt, & ſi ſolutio mediatè, & inadequatè ad ipſum quoque pertineat tanquam ad huius creditricis ſocietatis partem. Eſſet quidẽ hoc exemplum ſatis accommodum, ſi Deus vt Deus, quem per ſe primo Chriſti ſatisfactio reſpicit, realiter diſtingueretur à diuinis perſonis, nam tunc ſicut ille mercator per ſe primo ſoluit ſocietati realiter diſtinctæ ab ipſo, quæ diſtinctio in primario termino ſufficit fundare rationem iuſtitiæ, ita Chriſtus per ſe primo ſatisfaceret Deo à ſe realiter diſtincto, tanquam primario termino quem ipſa reſpicit ſatisfactio, & ſecundario, mediatè, & inadęquatè ſibi ipſi, vt diuinitatis ſuppoſito, ſatisfaceret, ſicut mercator prædictus mediatè, & inadęquatè ſibi ipſi ſoluit. Verum cum Deus à perſona verbi nulla reali diſtinctione ſecernatur, prædictum exemplum magna ex parte deficit. Nec quidem mirum, nam mirabilius eſſet ſi omni ex parte quadraret, cum de incarnationis myſterio veriſſimè dictum ſit ab Auguſt. in epiſt. ad Voluſianum, quod ſi exemplum haberet non eſſet ſingulare, quod ſimiliter ijs, quæ per ſe indicibilem ipſam verbi incarnationem ſequuntur, rationabiliter eſt accommodandum.

Ex his, quæ in noſtra hac prima ſolutione diximus, poſſent ſolutiones ſecunda & tertia ſuperius aſſignatæ, ad probabilem reduci intelligentiam, & ſenſum. Vtraque in eo tãtum deficere videtur, quod nullam in Chriſto conſiderat ſuppoſitorum diſtinctionem, ad rationem iuſtitiæ fundandam, ſed ad ſolam diuerſitatem naturarum confugit, redduceturque vtraq; ad legitimum ſenſum, ſi dicamus, neceſſariam fuiſſe eſſentialem naturarum diuerſitatẽ, non autem realem diſtinctionem ſuppoſitorum, ſed quod fuit tamen neceſſarium, vt eſſent duo ſuppoſita ſecundum rationem diſtincta, exerceretque illud vnum ſuppoſitum duorum ſuppoſitorum officia. Quod ita in præſentia contingere, facillimum erit fide ſuppoſita ſuadere: nam verbum eatenus pro hominum peccatis ſatisfecit, quatenus erat verus homo, ſeu vt verius dicam, Deus homo, ideſt, prout verbum humana natura, humanis quæ eius vtebatur potentijs, Deo ſe ſubijciens, & humilians, in quo certè verbum non tam ſe geſſit vt Deum, quam vt verum humanitatis ſuppoſitum, & vt ex inferius dicendis, conſtabit: ita ſe geſſit (quod attinet ad ipſam ſatisfa-

ctionis

ctionis rationem, & vim) atque ſi neque intellectu diuino, neque diuina voluntate polleret. Cæterum ſatisfactionem eamdem eatenus acceptauit duntaxat, quatenus verus Deus eſt Patri diuino coæqualis. Neque in acceptatione iſta humanis fuit vſus potentijs, ſed tantum diuinis toti Trinitati communibus, intellectu, voluntatē, omnipotentia, &c. Vnde, prout acceptandi ſatisfactionem diuinum perſonæ offenſæ exercuit officium, per accidens ei ſe habuit humanitas cum ſuis omnibus humanis potentijs, &c.

Ad primam confirmationem neganda eſt ſequela, nam ad rationem ſatisfactionis duo ſaltem ſunt neceſſaria in extremis, inter quæ fit. Alterum eſt ſubſtantialis duarum naturarum diuerſitas, vt diuerſitas dominij, & iuris conſtare poſſit. Et alterum diſtinctio ſuppoſitorum ſaltem ſecundum rationem, iuxta modum paulo ante à nobis expoſitum, vt nō ſint omnibus modis idem ſatisfaciens, & cui fit ſatisfactio, quorum vtrumque deeſt in partibus eiuſdem ſuppoſiti.

Ad ſecundam confirmationem primo reſpondetur, quod ad rationem iuſtitiæ, requiritur quidem, quod ſit ad alterum, non tamen ſatisfactionis, aut cuiuſuis alterius actus iuſtitiæ perfectio ſumitur ex eo, quod eſt eſſe ad alterum, ſed ex ratione obiecti, & materię circa quam verſatur. Vnde cum in ſatisfactione Chriſti ſaluetur ea extremorum diuerſitas, quæ ſatis eſt ad eſſentialem ſatisfactionis rationem, parum retulerit ad eius perfectionem, quod ſit minor diuerſitas inter huius ſatisfactionis extrema, quā in ea ſatisfactione quam Petrus exhibet Paulo. Nā quid obſecro diſtinctio extremorum poteſt ad dignitatem conferre? Hæc ſolutio mihi ſufficiens apparet, & legitima. Sed poteſt reſpōderi ſecundo. Quod ſatisfactio Chriſti non habet perfectam rationem iuſtitiæ, ſi attendamus rationem genericam iuſtitiæ, quæ eſt communis omnibus partibus iuſtitiæ, ſcilicet, religioni, obedientiæ, iuſtitiæ commutatiuæ, diſtributiuæ, & legali, pœnitentiæ, & liberalitati, &c. quæ omnes conueniunt in hoc, quod eſt eſſe ad alterum, vt in ratione generica. Cæterum in ratione particulari, & ſpecifica, quæ deſumitur ex ratione debiti, & ex æqualitate, Chriſti ſatisfactio fuit perfecta, & conſummata. Et quidem non eſt inconſuetum, quod aliquid excedat in ratione ſpecifica: & quod in ratione generica minorem habeat perfectionem, vel e contra, V.G. Theologia in ratione generica ſcientiæ exceditur à Mathematicis, at in ratione ſpecifica ipſa Theologia quamplurimum Mathematicis pręſtat. Similiter cœlum in ratione generica corporis forte præſtat homini, in ratione vero ſpecifica excedit homo.

§.7. *Ad ſecundum principale argumentum.*

AD ſecundum argumentum reſpondeo, Chriſti ſatisfactionem neque legalis, neque diſtributiuæ iuſtitiæ fuiſſe opus, vt hoc ſecundo argumento conuincitur: fuit autem operatio ſecundum ſubſtātiam à virtute religionis elicita. Formaliſſime tamen conſiderata, id eſt, ſecundum eam moralem dignitatem, quam ab operante deſumebat, quandam excellentis iuſtitiæ commutatiuę rationem induebat, iuxta doctrinam à nobis in ſecunda concluſione traditam. Sed tunc vrget argumentum iſtud ſecundū quatenus inæqualitatem inter ſatisfacientem, & eum cui ſatisfactio fiebat, nobis opponit.

Cui reſpōdeo, & eſt ſummoperé pro tota hac materia notanda ſolutio, quod formaliter, & ex primaria tū operis, tū operantis intētione omnis humana Chriſti operatio erga Deum cuiuſcumq; eſſet virtutis, procedebat, vt ab inæquali, & inferiori, nā procedebat à Chriſto, vt homine, & à diuino ſuppoſito non vt diuino, ſed vt humano, id eſt, vt exercente officium humani ſuppoſiti accommodādo ſe ad modum operandi humanitatis, & potentiarum, ac virtutum eius, iuxta id, quod dicebamus paulo ſuperius. Et hoc conſtat manifeſtè in vniuerſis virtutum, ſiue infuſarum, ſiue acquiſitarum actionibus, nam humilitas, obedientia, religio, & virtutes reliquæ cum ſuis actionibus intrinſecè, & eſſentialiter important inferioritatem in operante reſpectu Dei. Sed tamen quaſi ſecundario, & concomitanter inſurgebat quędam æqualitatis ratio in huiuſmodi operationibus, eo quod licet procederent à ſuppoſito, prout humano, & ex conſequenti prout inferiori, tamen erat re ipſa ſuppoſitum diuinum Deo æquale, & tota ratio iuſtitiæ quam agnoſcimus in Chriſti ſatisfactione, & merito ad hanc æqualitatem pertinet, & ad hanc quaſi ſecundariam, & conſequentem operationis dignitatem. Et quidem ex eo, quod Chriſtus ex primaria intentione operabatur vt inferior, & minor Deo, nihil diminuebatur ab huiuſmodi operationis valore, qui ex perſonali dignitate ad ipſam humanā operationem deriuabatur, quin potius ratione quadam ipſum augebat valorem, & ſpeciali quadam æſtimatione ipſam Chriſti operationem dignam coram Deo reddebat. Nam quod perſona tantæ dignitatis qualis eſt Chriſtus humilis eſſet, & obediens, ſicut ad excellentiam maieſtatis Dei, eiuſque gloriam ſpectabat, ita & ſpeciali ratione ipſam operationem Deo gratiorem, & magis acceptam reddebat.

Cui doctrinæ atteſtatur apertè, & id quod habetur Eccle. 3. *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Et id quod Chriſtus ipſe Ioan. cap. 8. ait, *Ego gloriam meam non quæro, eſt qui quærat, & iudicet.* Et id tandem, quod dicit Paul. ad Philip. 2. de Chriſto, quod *cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Et mox ſubiunxit, *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Expendantur bene hæc teſtimonia, & eorum verba, & conſtabit, quod Chriſti humiliatio valde contulit ad glorioſam eius exaltationem, cui non diſſentit id, quod Paulus ad Hebr. cap. 5. dicebat, *Chriſtum Exauditum fuiſſe à Deo pro ſui reuerentia.*

Hunc locum in duplici ſenſu intelligunt graues ſacrorum Bibliorum interpretes. Quorum primus, qui directè noſtro intento deſeruit, is eſt, quod quia Chriſtus Deo humilem reuerentiam exhibuit, idcirco ab ipſo fuit exauditus. Voluit enim Deus, vt Chriſtus prius coram ipſo humilem & reuerentem ſe gereret, quam ipſum exaudiret, quod, ni fallor, inſinuauit ipſe Chriſtus cum Ioanni Baptiſtæ eum bapti-

ptizari prohibenti, & exiſtimanti dedecere Chriſti maieſtatem, vt tam ſe exhiberet humilẽ, quod quaſi vnus ex peccatoribus, cum eſſet ipſe innocentiæ candor, baptiſmali aquæ ſubijceretur, reſpondit; *Sine modo: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Itaque iuſtitia Chriſti coram Deo, in eius humilitate fundamentum habuit. Neque refragatur huic doctrinæ, id quod ipſe Chriſtus, pſal. 2. dicebat, *Dominus dixit ad me, &c. Poſtula me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Humilis debuit Chriſti petitio præcedere ipſam ditiſſimæ hæreditatis traditionem, noo ſecundum æqualitatem fuit agendum cũ Deo, ſed humili oratione impetrandum. Alter ſenſus Paulini teſtimonij eſt, Chriſti dignitati quaſi debitam ex iuſtitia reuerentiam exhibitam fuiſſe à Deo. Qui poſterior ſenſus priori minime contradicit, quia, vt ex dictis conſtat, ipſa humilis Chriſti deprecatio ſpeciali quodam iuſtitiæ titulo debitam ipſi effecit prædictam reuerentialem Dei exauditionem. Chryſoſt. Theophil. & alii non pauci ſecundam iſtam adhibent expoſitionem.

Ad primam ſecundi argumeoti confirmationem, neganda eſt ſequela. Non enim ponenda eſt in Chriſto virtus commutatiuæ iuſtitiæ erga Deum: tum quia, vt dicebamus, circa ſecundam concluſionem, ſi hæc virtus reperiretur in Chriſti anima, quoties Chriſtus illa vteretur, per ſe primo, & ex intentione operantis, & operis, operaretur vt æqualis Deo, quia virtutis iuſtitiæ commutatiuæ ratio id expoſtulat, eſt enim virtus æqualis ad æquale. Quam vero ſit falſum Chriſtum tali modo fuiſſe operatum, ex multis, quæ diximus, ſatis conſtat. Tum etiam cum illa æqualitatis ratio, & infinitæ dignitatis ſe haberet in Chriſti operationibus, quaſi ſecundario, & conſequenter, & veluti ex materiali dignitate ſuppoſiti operantis ortum habens, nulla debuit virtus in Chriſti anima cõſtitui, ad quam pertineret hæc æqualitas, & dignitas operationum Chriſti tanquam ad propriam regulam: non enim conſtituenda eſt regula, & menſura alicuius operationis, reſpectu eius perfectionis, & dignitatis, quam prædicto modo, id eſt, concomitãter, & ex materiali dignitate ſuppoſiti operantis participat. Et quidem ſi poneretur in Chriſto virtus commutatiuæ iuſtitiæ, reſpiceret per ſe primo Chriſti operationem ſecundum prædictam moralem perfectionem, & æqualitatem à diuino ſuppoſito deriuatam, quia æqualitas pertinet ad eſſentialem, & primariam huius virtutis rationem. At nulla virtus pertinens ad Chriſtum, prout eſt homo, & humanum ſuppoſitum, potuit per ſe primo hanc cum Deo æqualitatem attendere, nam Chriſtus hac ratione minor eſt patre, vt ipſe ſponte fatſus eſt Ioan. cap. 14. *Pater*, inquiens, *maior me eſt.*

Quod ſi quis ita arguat contra hanc ſolutionem, & contra doctrinam ſuperius traditam. In omni ſatisfactione, qua offenſor ſatisfacit, & compenſat offenſo pro iniuria, & offenſa, quam ipſi intulit, reperitur humiliatio, & ſubiectio offenſoris ad offenſum: & ſaluatur nihilominus ibi iuſtitia commutatiuę æqualitas, & dicitur illa ſatisfactio inter æquales verſari. Ergo humiliatio, & ſubiectio, qua Chriſtus pro nobis ſatisfaciens Deo ſe humiliauit, & ſubmiſit, neque æqualitatem iuſtitiæ commutatiuæ debitam, neque vero ipſam commutatiuæ iuſtitiæ virtutem abſtulit.

Reſpondetur. Quod is qui inter homines pro offenſa, qua alterum offendit, ſatisfacit, humiliatur quidem coram eo, ipſique ſubijcitur, ſecundum quid duntaxat, nimirum ratione iniuriæ, & offenſæ, per quam ſecundum iuſtitiæ leges relictus fuit ipſi ſubiectus, contraxitque debitũ ad ſe humiliandum, & ſubijciendum ei, offerens loco ſufficiẽtis ſatisfactionis ſubiectionem hanc, & humilitatem. At in omnibus alijs, vt æqualem ſe gerit: & ob id ex iuſtitia cõmutatiua ſatisfacit. At Chriſtus non ſolum ratione offenſæ, & iniuriæ, quæ fuit in humani generis peccato Deo ſubijciebatur, debitum reddens honorem: ſed etiam ratione humanitatis, propter quam & vt exercebat humani ſuppoſiti officium, ſeruus erat, & inferior.

Secunda confirmatio nulla nos difficultate premit, cum conſtat ex dictis in Chriſto virtutem commutatiuæ iuſtitiæ locum non habuiſſe. Sed præterea dico, quod authores, qui virtutem commutatiuæ iuſtitiæ in Chriſti humanitate conſtituunt, ita poterunt hanc confirmationem diluere, nimirum, quod humanitate Chriſti à diuino verbo ſeparata, non maneret formalis ratio commutatiuæ iuſtitię, & proprij eius obiecti, quia non maneret æqualitas inter ipſam humanitatem, eiuſque naturale ſuppoſitum, & Deũ, imo talis æqualitas eſſet impoſſibilis, vnde neque permanere poſſet ipſa iuſtitiæ commutatiuæ virtus, neque vero mirum eſſe debet alicui, quod gratia in Chriſti humanitate verbo vnita explicet ſe per naturalem reſultantiam in hanc iuſtitiæ commutatiuæ virtutem, quem tamen effluxum ſubtrahat ſoluta vnione verbi cum humanitate propter incapacitatẽ ſubiecti: humanitas namque à verbo ſeparata eſt huius virtutis incapax. Quemadmodum omnes, qui benè ſapiunt, fateri tenentur, quod gratia in Chriſti humanitate non ſe explicuit in virtutem pęnitentiæ, eo quod humanitas coniuncta verbo, ſicut eſt peccati incapax, ita & pœnitentiæ virtutis, ſi tamen verbum humanitatem relinqueret, mox eadem habitualis gratia naturali quodam effluxu exprimeret pœnitentiæ virtutem, eamque cauſaret in ipſa relicta humanitate.

§.8. *Ad tertium, quartum, & quintum argumentum principale.*

AD tertium reſpondetur, quod licet pater, & filius in humanis duo ſint realiter diſtincta ſuppoſita, ob quam cauſam ciuilis lex veram potuit iuſtitiam introducere inter patrem, & adoptatum filium, quod animaduerti ſuperius: non tamen eſt totalis & completa naturarum inter eos diuerſitas etiã numerica, eo quod filius eſt aliquid patris, & ob hanc cauſam nõ reperitur naturalis iuſtitia inter patrem, & filium. At in Chriſto diuerſitas totalis reperitur naturarum, & cum ratio iuris, & dominij in ipſa fundetur natura, licet non realis, ſed rationis ſuppoſitorum ſit in Chriſto diuerſitas, bene intelligitur reperiri poſſe ius commutatiuæ iuſtitiæ, inter Chriſtũ vt ſuppoſitum humanum, & ſemetipſum, vt eſt diuinum ſuppoſitum, & eadem ratione huiuſmodi commutatiuæ iuſtitiæ ius reperitur inter Chriſtum, & Deum, & à fortiori eſſe poteſt inter Chriſtum, & Patrem, cum ſint duo ſuppoſita diſtincta realiter. Cau-

Cauſa

Digitized by Google

ſa breuitatis alios prætermitto titulos, qui iuſtitiam commutatiuam inter patrem & filium in humanis impediunt, quorum princeps fortaſſis eſt titulus gratitudinis, nam omnia, quę filius habet, hoc titulo ſuis debet parentibus. Vnde vulgatū eſt illud, quod dijs, & parentibus par gratia referri nequit.

Quartum argumentum diluit ſufficienter ſolutio inter arguendum aſſignata. Ad replicam vero quam ei obiecimus, reſpondeo, quod cum ſpecifica peccatorum mortalium diuerſitate, quæ ex diuerſis formalibus obiectis deſumitur, ſaluatur illa ratio vniuerſis mortalibus peccatis communis, puta, quod omnia ſunt iniurioſa Deo, & quantum in ipſis eſt totaliter demoliuntur ipſam Dei maieſtatem, & excellentiam, diuinumque eius lædunt honorem: itaque ſi non effectiuè, affectiuè tamen mortale peccatum ipſam veri Dei totam machinatur deſtructionem, quæ proinde iniuria contra diuinum, & incommutabile bonum admiſſa iuſta fuit Christi ſatiſfactione reparanda.

Quintum argumentum, & vltimum, ex his, quæ dicebamus circa ſecundam concluſionem manet ſufficienter ſolutum, breuiterq; reſpondeo illi: quod in Chriſti ſatisfactione Deo pro noſtris peccatis exhibita, multa interuenerunt diuerſarum virtutum opera, quæ licet ſecundum peculiares formales rationes à diuerſis regularentur, & elicerentur virtutibus, in ea tamen ratione formali ſub qua ſatisfactoria fuere, ab vnica religionis virtute imperabantur, & regulabantur. Habuit enim virtus religionis in Chriſto ad noſtra expiandum peccata, eum locum quem habet in nobis pœnitentiæ virtus, per quam à proprijs mundamur peccatis, & à ſtatu iniuſtitię, ad iuſtitiæ ſtatum reducimur.

Quo loco obiter aduertat Theologus, quod ſi per actum pœnitentiæ is qui iuſtificatur nihil intenderet aliud, quam Deo pro offenſa, & iniuria in ipſum irrogata ſatisfacere, non oporteret conſtituere in illo virtutem pœnitentiæ à virtute religionis diſtinctam, vt Caietan. & alij non pauci cenſuerunt Theologi, eiuſdem namque virtutis religionis intereſt, reparationem facere in honore Dei læſo per iniuriam diuinæ maieſtati irrogatam, cuius intereſt ipſam Dei excellentiam religioſo affectu colere & venerari, nam eadem eſt contrariorum ratio, & eiuſdem virtutis eſt promouere bonum, & eius contrarium impedire & repellere. At quia pœnitentiæ actus, vt author eſt S. Tho. 3. p. q. 85. ar. 2. ſimul intēdit duo, & ſatisfactionem proportionabilem Deo pro offenſa peccati offerre, & ipſum peccatum per modum cuiuſdam emendationis, & correctionis ab anima profligare, idcirco non ſufficit religionis virtus, ad quam totalis iſte effectus non pertinet. Vnde neceſſariò fuit conſtituenda in nobis pœnitentiæ virtus, quæ per ſe primo hunc reſpiciat effectum, & finem. Quoniam vero in Chriſto non habuit locum illa poſterior ratio, quæ ad emendationem, & correctionem, ad expulſionemque peccati ab anima pertinet, ſed prior ratio duntaxat, quæ conſiſtit in compenſatione pro offenſa, & iniuria Diuinæ maieſtati irrogata, idcirco non ad pœnitentiæ virtutem, ſed ad religionem ſpectauit, & ad proprium actum, & multa aliarum virtutum opera in hanc compenſationē referre: ac proinde Chriſti ſatisfactio fuit formaliter religionis actus quantum ad ſubſtantiam, nam quantum ad moralem perfectionem ex dignitate ſuppoſiti operantis prouenientē iuſtitię potius commutatiuæ, quam religionis rationem induit, vt dicebam ſuperius. Religionis enim virtus non æqualitatem inter operantem, & Deum conſtituit, fundatur enim eius eſſentialis ratio in titulo inferioritatis, & ſubiectionis, qua creatura ſuum tenetur recognoſcere creatorem. Vnde in Chriſti ſatisfactione, geminam debemus ſpeciem comentari: Alteram religionis, & alteram commutatiuæ iuſtitiæ. Et prior quidem ſpecifica ratio poſteriori ſubijcitur, & quaſi materialiter ſubſternitur. Et hæc de prima dubitatione ſufficiant.

SECTIO II.

DVBITATIO SECVNDA.

An Chriſti Domini ſatisfactio fuerit infinita.

SEcunda dubitatio in hoc articulo diſputanda eſt, Num Chriſti ſatisfactio fuerit ſimpliciter infinita. In dubitatione præcedenti explicuimus qua ratione Chriſti ſatisfactio fuerit ad alterū, fueritq; inter æquales, quæ ſunt duæ conditiones ad iuſtitiam ſecundum communem rationem requiſitæ. Quibus bene penſatis definiuimus Chriſti ſatisfactionem ad commutatiuam iuſtitiam pertinuiſſe. Deinceps vero explicandum erit, an commutatiuæ iuſtitiæ ratio in Chriſti ſatisfactione perfecta fuerit, & exacta. Ita vt non ſolam prædictæ iuſtitiæ eſſentiam ſed & ſummum etiam perfectionis gradum attigerit, quod duabus ſequentibus dubijs eſt à nobis exponendum. In quorum primo, quod eſt in huius articuli ordine ſecundum, explicare conabimur Chriſti ſatisfactionem in ratione ſatisfactionis infinitam fuiſſe, & radicem ex qua huiuſmodi infinitas ad Chriſti fuit ſatisfactionem deriuata.

Dubitatio igitur eſt à nobis examinanda. Num Chriſti ſatisfactio infiniti fuerit valoris. Quæ dubitatio, alterum videtur præſupponere, & alterum inquirit. Inquirit ſane id, quod in ſpecie propoſuimus, num, videlicet, valorem habuerit infinitum ipſa Chriſti ſatisfactio. Id autem præſupponere videtur, quod ſi Chriſti ſatisfactio non fuit infinito valore prædita, minime eſſe potuerit perfecta, & æquiualēs ſatisfactio. Quocirca vtrumque ſub eadem diſputationis ſerie in præſenti dubitatione explicabimus.

§. 1. *Pro parte negatiua.*

SIt ergo primum argumentum, quo probatur infinitum valorem nō fuiſſe in Chriſti ſatisfactione neceſſarium, vt eſſet æquiualens, & perfecta ſatiſfactio. Offenſa, quæ in peccato primi parentis, pro quo potiſſimum Chriſtus ſatisfecit, non fuit infinita in ratione offenſę, ergo neque fuit neceſſarius infinitus valor in ſatisfactione Chriſti, vt eſſet æquiualens, & perfecta ſatisfactio. Conſequentia apparet euidens. Nam perfectio, & æquiualentia ſatisfactionis penſanda eſt penes habitudinem, & proportionem ad offenſam. Vnde ſi offenſa pro qua fit ſatisfactio

infi-

infinita non eſt in ratione offenſæ, vt ſatisfactio perfecta ſit, & æquiualens, non indigebit infinito valore.

Sed antecedens probatur. Offenſa, quæ inerat illi peccato, non ex eo fuit infinita, quia erat contra Deum infinitum bonum, ſed ex nulla alia radice oriri potuit eius infinitas: ergo, &c. Probatur maior, infinitas obiecti nõ ſufficit tribuere infinitatem actui, niſi cum actus eſt adęquatus ipſi obiecto, quod ſimul ſic explicatur, & probatur. Quamuis Dei bonitas infinita ſimpliciter ſit, non tamen quilibet charitatis actus, qui eſt huius infinitę charitatis dilectio, eſt ſimpliciter infinitè bonus in ratione charitatis, & dilectionis, ſed ille tantum charitatis actus, quo diligitur ſummum bonum quantum diligibile eſt, qualis eſt ſolus ille actus, quo Deus ſuam diligit bonitatem. Et in viſione beatifica proportionabile poteſt afferri exemplum. Nam illa ſola infinita eſt ſimpliciter in ratione beatificæ viſionis, qua videtur Deus & cognoſcitur quantum eſt viſibilis, & cognoſcibilis. Sed per peccatum primi parentis diuina bonitas nõ fuit offenſa quantum eſt offendibilis, nam alio grauiori peccato potuit magis offendi, grauius enim offenſa fuit diuina bonitas per peccatum traditionis, quo Iudas tradidit Chriſtum, & peccatis eorum, qui ipſum Chriſtum crucifixerunt. Et ratio huius rei etiã eſt manifeſta, quia ſumma bonitas eo actu duntaxat ſummè poteſt offendi, & quantum eſt offendibilis, quo ſummè odio habetur tanquam ſummum malum: quæ ſumma odij ratio non reperta fuit in illo Adæ peccato: ergo, &c.

Confirmatur. Ex contraria ſententia ſequeretur omnia peccata mortalia æqualis eſſe grauitatis, nam in omni peccato erit infinitas offenſionis Dei: quia per quodcunque mortale peccatum infinita Dei bonitas offenditur. Conſequentis autem falſitatem nõ eſt huius loci oſtendere, ſed præſupponere ex communi Theologorum doctrina in 2.d.42. legatur ibidem S.Th.q.2.ar.5. & 1.2.q.73.ar.2.

Secundum argumentum quo directè probatur pars negatiua huius dubij. Valor ſimpliciter infinitus ille tantum eſſe poteſt, qui eſt ſummus, & maximus in genere valoris, & qui eminenter ſaltem omnem alium valorem inferiorem cõtineat. Sed Chriſti ſatisfactio non habuit hunc ſummum, & maximum valorem, non ergo fuit valoris infiniti, atque adeo neque infinita ſatisfactio. Minor probatur. Diuina bonitas multo maioris eſt valoris, & dignitatis, quam quælibet Chriſti operatio, imo actiones ipſæ Dei ad intra, generatio verbi, proceſſio Spiritus ſancti infinito valore exuperant quamcumque humanam Chriſti operationem, imo & omnes eius actiones collectiuè ſumptas. Similiter ipſe Chriſtus multo dignior eſt, multo pretioſior, multoque maioris valoris, quã quælibet humana ipſius Chriſti actio: imo & ipſa habitualis Chriſti gratia, maiorem habuit valorem, quam ſatisfactoria operatio, cum ex ipſa gratia totus ſatisfactionis valor emanarit. Eſtq; etiam certiſſimum, quod hæc omnia, & alia quæ poſſemus referre non continebantur eminenter in ipſa Chriſti ſatisfactione: ergo, &c.

Tertio arguitur. Si ſatisfactio Chriſti fuit infiniti valoris, ſequitur Chriſtum vnicam tantum habuiſſe ſatisfactoriam operationem, in toto vitæ ſuæ decurſu. Conſequens eſt falſiſſimum, ergo. Probatur ſequela dupliciter. Primo id, quod eſt infinitum in aliquo genere, continet totum quod pertinet ad illud genus, nam extra infinitum non eſt aliud accipere, vt habetur 3. phyſ. & lib. 1. de cœlo tex. 2. Ariſt. dicebat, quod ſi daretur aliquod infinitum corpus, non poſſent eſſe alia corpora prçter illud vnum infinitũ. Ergo ſi vna operatio Chriſti ſatisfactoria infinitum haberet valorẽ in genere ſatisfactionis, non potuit Chriſtus aliam operationem exercere, quæ alicuius eſſet valoris intra ſatisfactionis rationem, & genus.

Secundo probatur eadem ſequela, nam alias darentur plura infinita ſecundum eamdem rationem, & intra idem genus. Conſequens non admitteretur ab Ariſt. loco proximè cit. neque rationi videtur cõſentire, quia ſi vt paulo ante dicebamus, extra infinitum non eſt aliud accipere in eodem genere, multo minus erit aliud infinitum intra idem genus accipere. Sequela probatur, quælibet operatio Chriſti ſatisfactoria fuit infiniti valoris ſimpliciter intra genus ſatisfactionis, ſi ergo plures habuit Chriſtus operationes ſatisfactorias, plura fuerunt infinita ſimpliciter in eodem ſatisfactionis genere.

Quartum argumentum. Si quælibet Chriſti ſatisfactio fuit infiniti valoris, ſequitur, quod per primam operationem, quam Chriſtus habuit ad genus ſatisfactionis pertinentem, ideſt, operationem pœnalem, qualis fuit illa voluntas, qua Chriſtus ingrediens mundum, ideſt, in primo incarnationis inſtanti, Patris præcepto obtemperans mortem obeundam pro hominibus acceptauit, cuius voluntatis meminerunt Propheta Regius, pſalm. 39. & Paulus ad Hebr. 10. ſequitur, inquam, quod per hanc primam operationem Chriſtus totum humanum genus redemit, & quod illa vnica operatione tota humani generis redemptio fuit abſoluta, & conſummata. Conſequens aduerſari videtur catholicæ fidei, qua credimus Chriſtum ſua paſſione, & morte humanum genus redemiſſe, & pro vniuerſis hominum peccatis pretioſiſſimum exoluiſſe pretium, propriũ, videlicet, ſanguinem quo nos emit, redemit, & abluit, vt paſſim ſacræ teſtantur literæ: ſufficiat referre id, quod Chriſtus in calicis conſecratione Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. dixit, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur*: ergo, &c. Sequela probatur. Prima illa Chriſti operatio fuit ſatisfactio infinita, infinitique valoris ſatisfactorij ſufficiens ergo fuit ad conſummandam humani generis redemptionem, & ex conſequenti ipſam de facto conſummauit, & abſoluit. Neque enim aſſignari ratio poteſt, propter quam id non effecerit, cum poſſet.

Confirmatur. Vel Chriſtus primam illam operationem obtulit patri in ſatisfactionem pro peccatis noſtris, vel non obtulit. Horum poſterius dici nequit, cum Chriſtus omnia ſuæ vitæ opera, omnemque ipſorum rationem, & vim, in humani generis reparationem, & vtilitatem contulerit. Si vero prius dicatur, manifeſtè ſequitur, illa vnica operatione conſummatam fuiſſe ipſam hominũ redemptionem, quoniam Deus ſaltem ſecundum ordinariam potentiam, & legem, non potuit nõ acceptare illam operationem a Chriſto oblatam ſecundum totum eius valorem: ergo ſi valoris fuit infiniti, totam ipſam

ſam

ſam redemptionem abſoluit, & conſummauit, cum ſufficientiſſimum eſſet, & exuberantiſſimum pretiũ, vtpote infinitum.

Quinto arguitur. Si valor ſatisfactionis Chriſti fuit ſimpliciter infinitus, & ipſa ſatisfactio in ratione ſatisfactionis infinita, ſequitur diuinam omnipotentiam exhauſtam mãſiſſe in genere ſatisfactionis. Conſequens ſuperius fuit à nobis efficaciſſimis rationibus expugnatum: ergo, &c. Sequela probatur. Satisfactio Chriſti habuit infinitum valorem in genere ſatisfactorio. Ergo diuina omnipotentia nequit maiorem valorem in eodem genere alicui operationi conferre, non enim dabile eſt maius infinito, in illo genere, in quo eſt infinitum, atque adeo exhauſta permanſit ipſa Dei omnipotentia, effecit enim in illo genere totum, quod efficere potuit.

Sexto arguitur. Operatio Chriſti neque fuit ſatisfactoria per modum cauſæ principalis, neque per modum cauſæ inſtrumentalis, ergo nullo modo fuit infinitè ſatisfactoria, atque adeo neque habuit infinitum valorem. Conſequentia ex ſufficienti diuiſione patet. Antecedens vero probatur, & primo quoad priorem partem ſic probo. Operationi humanæ Chriſti. V. G. ieiunio, non competit infinitus valor ex propria forma, & ex virtute ſibi connaturali, nam Chriſti ieiunium eiuſdem erat ſpeciei cum ieiunio cuiuslibet hominis iuſti. Ergo huiuſmodi Chriſti operatio non potuit eſſe infinitè ſatisfactoria per modum cauſæ principalis, euidens eſt iſta conſequutio. Nam illa duntaxat cauſa eſt principalis, quæ per propriam formam, & virtutem effectum operatur. Probo vero illud met antecedens quoad poſteriorem eius partem. Prædicta Chriſti operatio, videlicet, ieiunium, non fuit infinitè ſatiſfactoria tamquam inſtrumentum verbi, neque tamquam inſtrumentum humanitatis Chriſti, & non poſſumus aliam cauſam principalem aſſignare cuius eſſet inſtrumentum; ergo, &c.

Probo ſingulas antecedentis partes. Et primo, quod non eſſet inſtrumentum verbi, ſic demonſtro. Verbum non ſatisfaciebat vt cauſa principalis, repugnat enim diuino verbo ſecundum propriam, & diuinam formam ſatisfacere, & mereri, quod tam eſt manifeſtum cunctis Theologis, vt noſtra probatione non indigeat: Ergo operatio Chriſti in quantum ſatisfactoria non potuit eſſe inſtrumentum diuini verbi, patet conſequentia. Quia idem effectus, quem inſtrumentum exequitur per modum cauſæ inſtrumentariæ, neceſſe eſt fiat ſecundum eandem rationem à cauſa principali; Ergo vt operatio Chriſti ſatisfaceret infinitè vt inſtrumentum verbi, neceſſum erat, quod ipſum verbum principaliter ſatisfaceret, quod nulla potuit ratione fieri. Probatur itidem, quod Chriſti operatio non ſatisfecerit vt Chriſti humanitatis inſtrumentum. Humanitas non potuit eſſe cauſa principalis infinitæ ſatisfactionis, quia huiuſmodi ſatisfactio totam ipſius humanitatis vim, & naturalem facultatem tranſcendit, non ergo Chriſti operatio potuit eſſe infinitè ſatisfactoria, vt humanitatis inſtrumentum.

Septimum argumentum. Chriſti ſatisfactio non accepit infinitum valorem à diuino verbo, ſed non eſt ſignabile aliud principium huius infiniti valoris: ergo nullum habuit. Minor eſt manifeſta, vel qui negauerit, ſignet principium aliud prædicti ſatisfactorij valoris. Maior vero probatur. Non ſumebatur ille valor à diuino verbo, prout erat ſuppoſitum humanum, quia vt ſic diuinum verbum eſt homo, eſtq; proinde inferius Deo, & conſequenter non eſſe poteſt radicale principium infiniti valoris. Neque vero prout eſt diuinum ſuppoſitum, nam hac ratione non ex parte hominis ſatisfacientis ſe tenebat, ſed ex parte alterius extremi, nempè, Dei ſatisfactionem acceptantis: nullo ergo modo diuinum verbum ſatisfactioni Chriſti infinitum valorem cõmunicauit.

Confirmatur. Verbum diuinum non contulit ſatisfactioni Chriſti hunc valorem infinitum, prout diuina voluntate dirigebat, & moderabatur actiones voluntatis humanæ. Neque vero quatenus ſimul cũ ipſis humanitatis potentijs, intellectu ſcilicet, & voluntate elicitiuè operabatur humanas Chriſti actiones, eo modo atque ſi eſſet proprium humanitatis ſuppoſitum: ergo nullo modo prædictũ valorem ſatiſfactioni Chriſti cõmunicauit. Probatur antecedẽa quoad primam partem. Diuina verbi voluntas non eſt capax ſatisfactionis, aut meriti: ergo eius diuina operatio nequit conferre valorem ſatisfactorium, & meritorium Chriſti operationi, cum ipſa neque ſatisfactoria ſit, neque meritoria. Præterea illa operatio diuinæ voluntatis, qua verbum humanã Chriſti voluntatem in ſuis operationibus dirigebat, & moderabatur, toti ipſi eſt Trinitati communis, at nullus Theologorum hactenus dixit, quod ex operatione toti Trinitati communi valor ſatisfactorius in Chriſti operatione deſumatur: ergo, &c.

Probatur idem antecedens quantum ad aliam partem ſecundam. Diuinum verbum hac ſecunda ratione conſideratum, non erat ſecundum ſe moralis cauſa ſatisfactionis, & meriti, ſed quatenus veluti determinabatur per libertatem humanæ voluntatis, & per liberam eius actionem, ſed hac ratione non potuit eſſe principium ſatisfactionis infinitæ, quia ex ipſa humana voluntate, etiam ſi conſideretur vt eleuata per quemcunque ſupernaturalem habitum, nequit deſumi infinitus meritorius, aut ſatisfactorius valor: ergo, &c.

Dices forſan, valoris infinitatem in Chriſti operatione non deſumendam eſſe ex voluntate verbi diuina, aut ex humana voluntate Chriſti, ſed ex perſonali diuini verbi valore infinito. Contra ſi animo fingamus, diuinum verbum nulla pollere libertate, quantumcumque eſſet infiniti perſonalis valoris, non tribueret huiuſmodi infinitum ſatisfactorium, aut meritorium valorem humanis Chriſti actionibus: oportet ergo ad voluntatem, vel ipſius verbi diuinam, vel Chriſti humanam recurramus.

Antecedens probatur. Diuinum verbum libertate ab eo ſemota, non poſſet eſſe alicuius moralitatis principium, quia tota moralitatis ratio in libertate fundatur, ergo neque cuiuſpiam infiniti valoris meritorij aut ſatisfactorij: Patet hæc conſequentia, quoniam infinitus hic valor cum ſit modus meriti, & ſatisfactionis ad moralem ſpectat ordinem.

Octauo arguitur. Quantitas ſatisfactionis, & meriti in actuali charitatis affectu fundatur, ſed affectus chari-

charitatis Chriſti ad humanã pertinens voluntatem non fuit infinitus ſecundum formalem, & propriam ſui rationem, vt conſtat ex art. 2. quæſt. 3. in ſolutione ad 4. arg. vbi oſtendimus, nec charitatem, neque aliã humanitatis Chriſti virtutem ſiue acquiſitam, ſiue infuſam infinitam ſimpliciter fuiſſe ſecundum formalem, & propriam rationem, neque in eſſe phyſico, neque in eſſe morali: Ergo Chriſti ſatisfactio non fuit valoris infiniti.

Nono arguitur. Valor ſatisfactionis non ex ſola operantis dignitate penſatur, ſed ex alijs etiam multis circumſtantijs conſurgit, nam moralis dignitas in quacumque actione penſanda eſt ex his omnibus, quæ ad ipſam actionem moraliter concurrunt, ſed quãdo multa concurrunt ad valorem cuiuſpiã actionis, & ſi eorum vnum ſit infinitum, ſi tamen alia finita ſint, & limitata, ipſe actionis valor finitæ quoque quantitatis erit, v. g. ad valorem actualis dilectionis Dei concurrunt obiectum, nimirum, ſummũ bonũ, & aliæ multæ circumſtantiæ intenſio, extenſio, &c. & quoniam actus charitatis ex circumſtantijs nequit habere perfectionem infinitã, idcirco quamuis obiectum infinitum ſit, eius tamen valor ſimpliciter eſt finitus: ergo quamuis perſona operans ſit infinita ſimpliciter, non tñ ob id Chriſti ſatisfactio infinitũ ſimpliciter habet valorem, cum ex alijs circumſtantijs limitationem accipiat.

Aliud exemplum afferre poſſumus ex doctrina ſatis apud Theologos vulgata in materia peccatorũ. Conſtat enim aliquod peccatum ex proprio obiecto grauius eſſe quandoq. peccato alio, & tamen quod propter circumſtantias, quæ vel ipſius grauitatem minuunt, vel alterius peccati augent, leuius reddatur, v. g. blaſfemia contra Deum ex obiecto grauius peccatum eſt, quam quodlibet homicidium, at certum eſt grauius eum peccare, qui data opera regem reipublicæ valde neceſſarium interimeret, quã qui ex quadam celeri, & ſubitanea ira per Dei vitam deieraret. Vt ergo quantitatem ſatisfactionis Chriſti perſpectã habeamus, non ſatis fuerit operantem perſonã eiuſq. dignitatem aſpicere, ſed aliæ ſunt etiam circumſtantiæ conſiderandæ.

Confirmatur, magis pertinet ad dignitatem, & valorem operationis obiectum formale, quam perſona operans: ergo ſi valor ex obiecto deſumptus ex circumſtantijs limitatur, multo maiorem ex circunſtantijs limitationem accipiet valor ille, qui ex dignitate perſonæ operantis prouenit. Antecedens probatur, tum ex eo quod obiectum ſpecificat actionem, quam ſpecificationem perſona operans actioni non tribuit. Tum ratione ſpecialiori noſtro intento magis accomodata, Diuinum verbum non aliter concurrit ad operationes humanitatis Chriſti, quam ipſam humanitatem, & eius potẽtias ſuſtentando, ad eum ferè modum, quod aqua ſuſtentat calorem in ipſa cauſatum ab igne: ergo quantitas ſatisfactionis non ex ipſo verbo, ſed ex perfectione humanitatis, & potentiarum eius deſumenda eſt, ſicut illius calefactionis quantitas, qua aqua calefacta aliud ſubiectum calefacit, non aquæ ſed calori tantum tribuitur.

Et augeo huius argumenti difficultatem. Ob id charitatis obiectum, quamuis ſit infinitum, nequit actuali dilectioni humanæ voluntatis infinitam tribuere perfectionem, quia voluntas à qua procedit, potentia eſt limitata, & ob id eius operatio tantæ perfectionis eſt incapax, ſed hæc eadem ratio militat in operatione Chriſti ſatisfactoria, nam propter limitationem eius intrinſecam ex potentia à qua procedit deriuatam, non eſt capax eius infiniti valoris, quẽ illi præſtare poſſet infinita operantis perſonæ dignitas: ergo, &c.

Decimo tandem arguitur. Si ſatisfactio Chriſti fuit ſimpliciter in ratione ſatisfactionis infinita, infinitique valoris, ſequitur Chriſtum tam perfectè, & exactè pro vniuerſis hominis peccatis ſatisfeciſſe, vt nos qualecumque admiſerimus peccatum nullis noſtris egeamus ſatisfactionibus. Conſequens eſt ipſa Lutheranorum hæreſis, fidei veritati contraria: ergo illa ſententia non eſt admittenda. Sequela probatur. Nam ſi Chriſti ſatisfactio fuit infinita, Chriſtus perfectiſſimè ſatisfecit pro omnibus, & ſingulis peccatis noſtris, atque adeo ſuperuacaneæ erunt omnes noſtræ ſatisfactiones.

§. 2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum autem eſt quod Chriſti ſatisfactio copioſa vocatur redemptio Pſ. 129. at niſi infiniti fuiſſet valoris, non modo non copioſa, ſed & vix poſſet adæquata redemptio vocari. Nam cum tot tantaque ſint, & tam grauia hominum ſcelera, quamcũq. ſatisfactionem citra infinitam adæquarent, & forſã excederent; vel ſaltem ſi de facto non adæquant, poſſent adeo creſcere in malitia, & in numero multiplicari, vt tandem adæquarent, imò & totam Chriſti ſatisfactionem vincerent, atque adeo impropriiſſime copioſa vocaretur redemptio.

§. 3. *Reſolutio dubij.*

HVius propoſiti dubij reſolutionem in duas partes ſecare decreui. In priori breuiter explicabo eam difficultatem, quam in primo quæſtionis argumento inſinuaui. Num videlicet in Chriſti Domini ſatisfactione, quam pro vniuerſis hominum peccatis Deo exhibuit, neceſſaria fuerit infinitas. In poſteriori vero parte ipſam Chriſti ſatisfactionis infinitatem exponam propriiſque radicibus eruam.

Prima pars deciſionis dubij.

DEuenio igitur ad primam partẽ: Cuius difficultas ad duo potiſſimum reducitur. Primum eſt, an peccatum primi parentis infinitum fuerit in ratione mali, & offenſiue Dei, ita quod vel ex hac rõne neceſſaria fuerit infinitas in Chriſti ſatisfactione, vt eſſet æquiualens compenſatio: & eadem fere eſt ratio de quocũq. mortali peccato. Nam licet originale peccatum, eo quod totam Adæ poſteritatem infecit, ſpecialem quandam habuerit grauitatem inter omnia mortalia peccata, tamen ſimpliciter, & ſecundum eſſentialem ſpeciem non fuit omnium mortalium grauiſſimum, vt magna cum eruditione S. Tho. aduertit 2. 2. q. 63. a. 3. Secundum, an ſuppoſito quod peccatum ſiue originale, ſiue quodcumque aliud mortale non haberet grauitatẽ, & malitiam infinitam, neceſſaria nihilominus fuerit infinitas in Chriſti ſatisfactione,

Digitized by Google

vt eſſet æquiualens perfecta, & ex toto iuſtitiæ rigore pro vniuerſis hominum peccatis. Vtramq. iſtam breuiter abſoluemus difficultatem.

PRIMA DIFFICVLTAS APPENDIX.

An peccatum ſi habuerit infinitam malitiam ſimpliciter.

§. 1. Referri ſententia negatiua.

CIrcam primam difficultatem diuerſa ſenſerunt graues Theologi. Quidam enim dixerunt nulli mortali peccato ineſſe formaliter malitiam, & grauitatem ſimpliciter infinitam, ſed omne mortale peccatum extrinſeca quadam ratione infinitæ eſſe malitiæ, eo quod committitur contra Deum infinitum bonum, & eſt quædam elongatio, & auerſio ab ipſo bono infinito, iuxta illud Iſa. 59. *Peccata veſtra diuiſerūt inter vos, & Deum veſtrum*. Quæ plane ſententia in ſubſtantia ad hoc reducitur, quod malitia mortalis peccati eſt ſimpliciter finita, & ſecundum quid infinita. Ita docuerunt Scotus in 3. d. 20. q. 2. §. contra ea, quæ dicuntur Palud. ead. d. q. 2. ar. 2. Fauet huic opinioni S. Th. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. dicens peccatum cōtra Deum commiſſum quamdam habere infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis. Certè hic modus loquēdi infinitatem ſecundum quid in peccato denotat. Si enim peccatum ſimpliciter eſſet infinitæ malitiæ, & grauitatis, non diceret S. Th. quamdam infinitatem habere, ſed abſolutè doceret peccatum eſſe infinitum malum, aut infinitam habere malitiam. Eundem modū loquendi ſeruat Mag. Sot. in 4. d. 19. q. 1. a. 2. ad 1. Ex nouioribus Theologis nō nulli iſtā cōplectūtur ſētētiā. Præcipua quæ pro hac opinione poſſunt fieri argumenta inſinuantur in primo huius dubitationis argumento, eiuſque confirmatione.

Et præterea eadem opinio ſic probatur. Duo ſunt in peccato, quæ ad eius eſſentiam pertinent, ſcilicet, conuerſio ad cōmutabile bonum, ad quam pertinent poſitiua contrarietas peccati ad rationem, & ad legē Dei: & auerſio ab incommutabili bono, ſub qua comprehendimus priuationem rectitudinis debitæ ineſſe actui peccati, Nam ſi quæ alia in peccato reperimus, cuiuſmodi ſunt priuatio gratiæ, charitatis, donorum Spiritus ſancti &c. non tam ad peccati eſſentiam quā ad eius poteſtatem, vel effectiuam, vel demeritoriā, vel ad vtramq. ſimul pertinent, de qua re 1. 2. q. 71. a. 6. ſolet à S. Th. diſcipulis diſputari. Sed neque ratione conuerſionis ad commutabile bonum, neque ratione auerſionis à bono incommutabili, peccatum mortale habet ſimpliciter infinitam grauitatem, & malitiam, ergo vera eſt Scoti, & Paludani ſententia. Minor probatur. Et primo de conuerſione, communis eſſe apparet Theologorum doctrina id indubitāter affirmans in 4. d. 15. & alijs in locis, cuius doctrinę communis meminit. Mag. Sot. loco citato, & S. Th. 1. 2. q. 87. ar. 4. in corp. & ad. 3. Communiterq. dicūt Theologi, quod peccatum ratione cōuerſionis, quia non eſt hac ratione infinitum, non meretur pœnam damni, ſed pęna tantum ſenſus punitur. Quod verò ex parte auerſionis, quæ eſt, vt diximus, priuatio rectitudinis debitæ in eſſe actui, non habeat malitiam, & grauitatem ſimpliciter infinita probatur. Tanta, & non maior eſt malitia priuationis, quāta eſt bonitas eius habitus, ſeu perfectionis, qua priuat, per habitū enim cognoſcitur priuatio, vt habet Philoſophorum axioma, & tota priuationis ratio ex habitu penſanda eſt; ſed bonitas, qua priuat auerſio mortalis peccati, non eſt bonitas infinita, ſed finita, & limitata. Nam rectitudo, quæ debita erat ineſſe actui peccati, quę eſt conformitas ad rationem, & ad diuinam legem, & affectuoſa quædam ad Deum coniunctio, bonum quoddam finitum eſt, & limitatum ſimpliciter: ergo malitia, & grauitas auerſionis peccati, nō eſt infinita ſimpliciter in ratione mali.

Dices forsā auerſionē peccati inde infinitā habere malitiæ grauitatē, quia priuat animā Deo, qui eſt infinitū bonū, vnde ipſa eſt infinitū malū. Contra, Deus nō eſt bonu intrinſecū animæ, neq. ſe habet, vt habitus, cui opponitur auerſio, prout eſt priuatio, ſed eſt bonū extrinſecū habens rationem obiecti, & finis; ergo hac ratione auerſio ſecundum quid, & extrinſeca quadam denominatione erit infinitè mala, & nō ſimpliciter. Nam ſicut in entitate poſitiua perfectio, aut imperfectio ſimpliciter non eſt penſanda ex aliquo extrinſeco principio, ſed ex principiis intrinſecis, ita in priuatione, malitia, & imperfectio ſimpliciter ex intrinſeco habitu, quo priuat ſubiectum, & non ex aliquo extrinſeco penſanda eſt.

§. 2. Refertur ſententia affirmatiua, quam ſequitur Author, & probat.

COntrariā tamen ſententiā, videlicet, quod mortale peccatū habeat ſimpliciter infinitam malitiæ grauitatem, ſitq. proinde malum ſimpliciter in genere mali moralis (non enim de malo in cōmuni, vt malū naturæ cōprehendit in præſentia loquimur) docent alij grauiſſimi Theologi Alex. Alen. 3. p. q. 1. memb. 6. ad 1. S. Bon. in 3. d. 20. q. 4. Ricard. ead. d. Et Io. à Med. in codice de pęniten. q. 1. de ſatisfact. Caie. & Med. interpretantes S. Th. 3. p. q. 1. ar. 2. Fateor hos duos Authores lubricè tantiſper procedere, ſed crediderim eos huius eſſe poſterioris ſententiæ, cuius meo iudicio fuit etiam ipſe S. Tho. in illa ſolutione ad 2. pro contraria ſententia citata. Nam poſtquam dixit peccatum quamdam habere infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis, mox ſubiunxit. *Tanto enim offenſa eſt grauior, quanto maior eſt ille, in quem delinquitur, vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei, & hominis exiſtens*. Hæc S. Tho. quæ certè vix poſſent verificari, ſi malitia peccati ſm̄ qd tm̄ eſſet infinita. Non. n. verū eſſet ſimpliciter, quod tanto grauior eſt offenſa, quanto dignior eſt perſona quæ offenditur, neque ex infinitate offenſi colligeret benè S. Th. neceſſariam eſſe in ſatisfactione pro peccato efficaciam infinitam.

Hęc poſterior ſentētia mihi vero ſimilior apparet. Tū quia authorū Authoritate fulcitur, accedēte pſertim S. Tho. qui vt animaduertit hanc ſine dubio docuit ſentētiā. Tū ēt quia illa vulgata rō quā D. Th. inſinuauit, & latè proſequuntur Alex. Alen. & alij, nimirū, quod tanto creſcit offenſa in grauitate quanto perſona, quæ offenditur in dignitate augeſcit, v. g. tāto maior eſt offenſa, quæ fit Regi, illa qua offenditur miles, quāto dignitas regia militare excellet officiū. Vnde cum dignitas Dei in infinitum exuperet oēm dignitatem cuiuſcumq. perſonæ, cui poteſt irrogari offen-

Digitized by Google

offenſa, manifeſtè ſequitur, quod grauitas offenſæ cõtra Deum factę, in infinitum excedit in ratione offenſæ, omnem offenſam, quæ irrogari poteſt alicui creaturæ.

Sed eſt aduertendum ad exactiorem huius rei intelligentiam, quod peccatum poteſt in ratione mali dupliciter conſiderari, vno modo vt eſt malum morale, ideſt, contrarium bono rationalis creaturæ, alio modo prout eſt malum Dei, ideſt, offenſiuum maieſtatis diuinæ: Cum ergo dicimus, quod peccatum mortale eſt infinitum malum in ratione mali, poteſt hæc ſententia verificari de peccato, ſecundum vtramque malitiæ rationem. Etenim quatenus eſt malum morale deſtructiuum moralis rectitudinis, & cõtrarium proinde bonę creaturæ rationalis, duplici titulo poteſt infinitum appellari malum, altero, quia priuat rationalem creaturam ſuo maximo bono, & fine vltimo, nimirum Deo, qui eſt vltimum bonum, ideſt, priuat creaturam rationalem coniunctione ad hoc ſummum bonum, altero vero, quia quantum eſt ex ſe deſtruit potiſſimum bonum totius naturæ intellectualis, non ſolum vt eſt in homine, aut in Angelo, ſed etiam vt eſt in Deo, in quo habet eſſe ſimpliciter infinitum: Et ipſum bonum, quo peccatum quantũ eſt ex ſe priuat, eſt ſimiliter infinitum ſimpliciter. Nam cum tota intellectualis natura ſiue creata ſit, ſiue increata, ad eumdem pertineat entitatis gradũ, puta, intellectualem, in vna ſimiliter rectitudine, & perfectione conuenit conuenientia ſaltem analogica. Quocirca malum illud, quod deſtructiuum eſt rectitudinis, & perfectionis moralis in vno intellectuali, ſeu rationali ſubiecto, opponitur ex ſua formali ratione implicitè, & virtualiter toti ipſi naturæ intellectuali, & eſt ſecundum ſe deſtructiuum moralis rectitudinis, & perfectionis, qua ratione communis eſt toti intellectuali naturæ.

Hic poſterior titulus priori mea ſententia eſt præferendus, nam ex priori illo titulo tantũ videtur colligi quædam grauitatis infinitas ſecundum quid in malo morali. Nam licet bonum extrinſecũ quo hoc malum hominem priuat, ſit infinitum ſimpliciter, ea tamen perfectio quam intellectualis creatura ex coniunctione ad ipſum conſequitur, ſimpliciter eſt finita, & limitata: atque adeo ex illo priori titulo infinitas moralis malitiæ in peccato ab extrinſeco deſumitur, & nõ videtur eſſe infinitas ſimpliciter. Quia vt argumentum, quod pro contraria ſententia paulo ante formauimus, contendebat, priuationis grauitas, & malitia ſimpliciter non eſt attendenda penes extrinſecum bonum, à quo ipſa priuatio ſubiectum priuat, ſed penes intrinſecam perfectionem quam ex coniunctione ad illud extrinſecum bonum ipſum ſubiectum cõſequeretur, niſi illa interueniret priuatio. At poſterior alius grauitatis titulus infinitam ſimpliciter malitiam in malo morali inducit. Qua ratione ad totum intellectualem extenditur gradum. Legantur quæ dixi ſuperius in q.1. circa 1. concluſionẽ, cum conabar omne iudicium erroneum ab humano Chriſti intellectu repellere, deſeruient enim illa quamplurimum ad exactiorem huius ſecundi tituli intelligentiam.

Verificatur itidem iſta ſententia de peccato, prout eſt malum Dei, puta, prout eſt diuinæ maieſtatis offenſiuum, eique iniurioſum. Nam præter illam explicatam rationem mali moralis, quam explicuimus in peccato, prout rationi, & legi Dei contrariatur, & animam à Deo ſummo bono, vltimoque rationalis creaturæ fine auertit, & ſeparat, reperitur in peccato iniurię, & offenſæ contra Deum malitia, & grauitas, quæ in prædicta morali malitia quaſi fundatur, vel ſi mauis dicere, in ipſa eſſentialiter, & intrinſecè clauditur ſolaque ratione ab ea diſtinguitur. Cõſiſtitque iſta iniuriæ, & offenſæ diuinæ grauitas in eo, quod peccatum qua ratione contrariatur diuinæ legi, auocatque animum peccantis ab eo, vt à ſummo, & maximo bono, creatum, & incommutabile bonum illi præferens, ipſum contemnit Deum, debitumque illi honorem ſubtrahit, & quod eſt ex ipſo peccantis affectu, mortale peccatum deſtructiuum eſt totius diuini eſſe, & ſi id, & peccati, & peccantis poteſtati ſubeſſet, Deum à regno ſuo deturbare, à ſupremaque eius maieſtate deijcere, ac ipſius loco ſufficeret creaturam. Vnde & magna Deum triſtitia ingentique merore peccatum conficeret, ſi huiuſmodi affectionibus diuina ſubiaceret natura. Cum ergo mortale peccatum in ſua formali ratione tãtam contra Deum inuoluat iniuriam, & offenſam, merito graues Theologi infinitam in ipſo malitiam, diuinæque offenſæ grauitatem commentantur. Eſt enim hæc iniurioſa, & offenſiua peccati ratio cuicumque offenſæ, & iniuriæ cuiuis creaturæ factæ incomparabilis, & improportionata, atque adeo eam exuperat in infinitum, ac infinito ab ea interuallo diſtat. Nam ſicut nulla eſt proportio diuini honoris, diuinęque maieſtatis ad ipſum creaturarum bonum, ſed infinita potius diſtantia, & improportio, ita & offenſa diuini honoris, & iniuria diuinæ maieſtati irrogata improportionabilis eſt, & incomparabilis cuicumq. iniuriæ, & offenſæ, quæ contra honorem, & auctoritatem cuiuſuis creaturæ poteſt irrogari.

Ex iſta doctrina facilè poterit Theologus eas potiſſimum rationes colligere, ex quibus infinitas malitiæ, & grauitatis efficacius probari poteſt. Alia præterea ratione à poſteriori, & quaſi ab effectu poſſumus eamdem ſententiam confirmare. Peccator punitur pœna infinita non ſolum infinitate extenſiua, ſed etiã intenſiua, nam talis infinitas in pęna damni reperitur, quæ conſiſtit in perpetua Dei priuatione, diuinęque viſionis carentia. pęna autem proportionatur culpæ: Ergo ex grauitate pœnæ, non inepte colligere poterimus infinitam malitiæ in mortali peccato grauitatem.

Conſulatur de hac ratione S. Th. 1.2 q.86. artic.4. Non curo in hac parte de quibuſdam alijs rationibus quibus vti ſolent nonnulli Theologi, an efficaces ſint nec ne? improbabile aliquod aſſumant, an verò bona cum probabilitate procedant? nam in veritate inquirenda, & non in Theologorum ſentẽtijs examinandis, aut improbandis, noſter hic tractatus inſudat, probe enim noui. Ioan. à Medina loco citato, & quoſdam alios Theologos, quibus hæc noſtra probatur ſententia, nonnullis vti rationibus, quæ non immeritò Theologis alijs diſplicuerunt. Quibus tamen omiſſis, noſtra vlterius inde non leuiter confirmatur ſententia, quod ſancti Patres grauiſſimiq. authores cum diuini verbi incarnationis conuenientiam ad humani generis redemptionem magnificis verbis, & rationibus perſuadent, apertè dicunt, quod

vt genus humanum non potentia, ſed iuſtitia à ſeruitute dęmonis, qua per peccatum detinebatur, eriperetur, neceſſaria fuit ſimpliciter incarnati verbi ſatisfactio, inſinuantque tantam fuiſſe peccati grauitatem, & malitiam, vt infinita egeret ſatisfactione, quã ſatisfactoriam infinitatem, quia ſola Chriſti ſatisfactio potuit exhibere, ideo ipſa ſola ſufficiens fuit ad humani generis redemptionem efficiendam. In qua doctrina Sancti Patres præſupponere videntur, peccatũ humani generis infinitam habuiſſe grauitatem, nõ ſolũ illã extẽſiuã, quã in originis peccato ipſa agnoſcit Catholica fides, quatenus oẽs in vno Adam peccauimus, etſi infiniti homines naturali generatione ex ipſo primo parẽte deriuati generarentur, illud vnicũ contraxiſſent peccatum. Nam hæc infinitas extenſiua tantum apparet, & pure materialis, & non intenſiua, eo quod iſtud originis peccatum, & eodem modo, ac ordine, & in eadẽ grauitate ad oẽs deriuatur.

Quare ſancti Patres in commemorata doctrina non ſolam hanc extenſiuam peccati infinitatem inſinuant, ſed illam quæ in intenſiua malitiæ grauitate conſiſtit. Malitia enim quæ tantum extenſiuè infinita eſt, non videtur expoſcere infinitam compenſationem. Nonnulla Patrum teſtimonia dubio tertio ſequenti afferemus, quæ ad huius rei comprobationem aſciſci poterunt. Sufficiat nunc vnus pro omnibus Athanaſius, qui in ſermone de paſſione, & Cruce Domini ſic ait. *Cum videret malitiam intolerabilem, neq. mortale genus idoneum eſſe, quod morti reſiſteret, neque pœnam ſuorum malorum perſolueret: nam exceſſus malitiæ traſcendebat omne ſupplicium, videnſque ſimul patris bonitatem, & quam ipſe idoneus eſſet, & potens (Chriſtus enim Dei potentia, ac Dei ſapientia) commotus fuit ſua humanitate, & miſertus noſtræ imbecillitatis &c.* Expendantur verba. Nam qua obiecto ratione malitię exceſſus omne ſupplitiũ excederet, niſi infinitæ eſſet grauitatis. Hanc noſtram ſententiam inſinuarunt Ricard. de ſancto Vict. in libro de incarnatione verbi c. 8. & Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 20.

§. 3. *Soluuntur obiectiones oppoſitæ ſententiæ.*

SEd quoniã argumẽta, quæ pro contraria ſentẽtia ſunt poſita, nos vehementer vrgent, eis prius occurramus oportet, quam noſtra vlterius progrediatur diſputatio.

Igitur ad primum argumentum in fronte huius ſecundi dubij principalis propoſitum, negandum eſt antecedens, eius probationis negatur maior, & ad ipſius maioris probationem dicitur, quod diuina bonitas per peccatum quodcumque mortale conſideratum in ratione offenſæ, & iniuriæ, ſeu offenſiuæ, & iniurioſæ auerſionis offenditur quantum offendibilis eſt, quia quodcumque peccatum mortale, ſi iam valeret effectu, & efficacia, quam valet affectu, totum ipſum diuinum bonum totaliter deſtrueret, & demoliretur, & ſufficeret loco eius creatum, & commutabile bonum. Et hoc quidem dupli ci ratione ſuperius expoſita, nimirum, quatenus eſt deſtructiuum moralis rectitudinis, & perfectionis totius intellectualis naturæ, & quatenus eſt contemptiuum Dei, diuinæque maieſtatis offenſiuum. Et quidem cum multo facilior ſit deſtructio, quam ædificatio, ex eo, quod peccatum mortale Deum offendit quantum eſt offendibilis, oditque diuinam bonitatẽ quanto poteſt odio haberi, non inde licebit colligere, quod quilibet charitatis actus, qui peccato cõtrariatur, Deum amat quantum eſt amabilis. Diuina enim bonitas à ſola ipſius Dei voluntate amari poteſt quantum amabilis eſt.

Huius rei in his, quæ contingunt apud homines, aliquale fortaſſis reperiemus exemplum. Nam ſi plebeius homo, & infima ſorte natus totis viribus conaretur honorem Regium obſcurare, & à Regia maieſtate eum deicere, & in ſeruili loco reponere, quamuis propter virium, & poteſtatis defectum non efficeret, verè diceretur Regem offendere quantum offendibilis eſt, quia ſi de facto læderetur Regia maieſtas non alia maior illi poſſet inferri iniuria, & offenſa, neque maiori inhonoratione affici. Vnde qui hanc iniuriam tentaret inferre dignitati regiæ, non minori eſſet pœna, ſi ad grauitatem malitiæ attendamus, quam ſi de facto intuliſſet. At humilis ille homo, minimè poſſet regiam maieſtatem honorare, & venerari, quãtum ipſa honorabilis & venerabilis eſt, qualecumque, & quantumcumq. ei exhiberet obſequium. Quoniam vilis perſona nequit attingere ad præſtandum regi eum honorem, cuius digna eſt ipſa Regia maieſtas. Ita creatura, quæ Deo comparata, viliſſima eſt, & infimæ ſortis, non valet eum Deo exhibere honorem, eóq. amore proſequi, qui Deũ attingat quantũ eſt honorabilis, & amabilis, nam excellens Dei maieſtas, infinitaq. bonitas multo altiori modo ab ipſomet Deo laudari, & amari poteſt quã à creatura quacumq. atq. adeo laus, & creaturæ amor cum nulla ratione, neq. effectu, neq. affectu attingere valeat hunc excellentem, & infinitum laudis, & amoris gradum, nullo modo neque effectu, neque affectu poteſt dici, vel laudare, vel diligere diuinam bonitatem quantum eſt laudabilis, & diligibilis. Quod effectu non attingat creatura ſublimem illum laudis, & dilectionis gradum, ex rę ipſa conſtat. Quod vero neque affectu, facile probatur, quoniam ſi creatura quantumcumque dignitatis excellentis, ita eſſet affecta, quod conaretur, aut vellet, aut ſaltem leuiter deſideraret Deum amare quantum amabilis eſt, tantumque diuinæ maieſtati honorem deferre, quanto ipſa digna eſt; eo ipſo in ſtultiſſimam elationem, & ſuperbiam incideret, ipſamque diuinam contemneret maieſtatem, dum puſillum humanæ voluntatis amorem infinitæ Dei bonitati vellet æquare. Et ipſam diuini honoris excellentiam digna equalique honoratione contingere. At in odio, & dehonóratione bonitatis, & maieſtatis Dei non ita res ſe habet: nam licet peccator effectu, & efficacia nihil poſſit incommodare Deo, eiuſque diuino honori, inordinato tamen, præſumptuoſo, ac ſuperbo affectu id intendit, & conatur, ac proinde offendit Deum quantum offendibilis eſt, quia inordinato ſuo affectu illum ſummum attingit modum, quo diuina maieſtas poteſt offendi.

Ex hac doctrina diluitur facilè illud argumentum, quo quidam Theologi putant ſe conuincere falſitatis ſententiam noſtram. Eſtque tale argumentum. Effectu neque peccator offendit Deum quantum offendibilis eſt, neque iuſtus Deum diligit quantum eſt diligibilis, affectu autem ſicut peccator

vellet

Digitized by Google

velleт deſtruere Deum, totamque Dei maieſtatem obſcurare, commutabile bonum bono incommutabile anteponens, ſic homo iuſtus ita diuinum bonum proſequitur, iamque ſibi complacet in ipſa Dei bonitate, excellentique maieſtati ipſius, vt ſi poſſet augere diuinum bonum, ipſamque Dei maieſtatem ad altiorem gradum euehere, id totum ex vi prędicti effectus exequeretur: Ergo proportionabiliter ſe habēt peccator, & iuſtus, alter ad Dei offenſam, & alter ad gloriam: atq. adeo ſi iuſtus non diligit, nec affectu honora Deum quantum honorabilis eſt, neque peccator ipſum offendit, & in honorat affectu, quantū eſt offendibilis, & in honorabilis.

Huic argumento manifeſtam ex dictis ſolutionem accomodo, & nego prædictam proportionem reperiri inter peccatorem, & iuſtum. Iuſtus enim intra ſuos ſe limites continens, non eo animatur affectu, vt Dem vellet honorare, & amare, quantum ipſe honorabilis, & amabilis eſt, quantoque ipſe eſt amore, & honore dignus; ſcit enim Deum omni laude eſſe maiorem: Sed quantum ad humana potentiā diuinam adiutorij ſuffulta, amari poteſt, & honorari, nam maiorem alium honorem, excellentiorem quæ dilectionem ſoli Deo reſeruatum eſſe nouit. At peccator quaſi alterum ſe Deum proprio amore cōſtituens, contra verum ipſum inſurgit Deum tantum malum ei cupiens inferre, quantum ipſi inferretur ab alio Deo, qui ipſo vero Deo altior eſſet, & potentior, & qui cum eo ſupra regni ius hoſtili bello contenderet. Vnde ſicut fictus Deus potentior, & altior affectu læderet, & offenderet ipſam veri Dei maieſtatem quantum eſt offendibilis, ita peccator prauo, & inordinato effectu ſimili affectiua iniuria Deum offendit, diuinumque eius lædit honorem. Et hæc de primi argumenti ſolutione.

Confirmatio eidem argumento ſuppoſita non leui nos difficultate premit, nam vix poſſumus effugere omnium peccatorum æqualitatem, ſi in quolibet mortali peccato infinitam ſimpliciter malitiæ grauitatem admittimus. Pro cuius tamen ſulutione notandum eſt primo, quod in his, quæ ſunt infinita non ſimpliciter, & in ratione entis, ſed in certo genere, aut determinata ſpecie, bene ſtat, quod res aliqua ex vna parte infinitatem habeat totalem in illo genere, aut in illa ſpecie, ex alia vero parte finita ſit, & in eodem genere limitata. v. g. poſſumus fingere lineam, quæ verſus vnum extremum, nimirum, verſus oriens, ſit infinitæ longitudinis, ſit autem longitudinis finitæ, & limitatæ verſus aliud extremum, puta, verſus occidens. Et in rationibus reſpectiuis, quæ diuerſa reſpiciunt extrema, facile erit inuenire huiuſmodi infinitatem verſus vnum extremum, cum adiuncta limitatione, & finitate verſus extremum aliud. Qua reſpectiua ratione in rerum natura poſita, ita eſſet conſequenter dicendum, quod verſus illud extremum reſpectu, cuius ratio illa infinitatem habet, neque poteſt creſcere, neque inter ipſam, & aliam, conſimilem habentem infinitatem, aliqua poſſet dari inæqualitas, ſicut linea verſus oriens infinita creſcere minimè poſſet reſpectu eiuſdem extremi, & ſi aliam lineam verſus illud extremum infinitam conſtituamus, nulla inter ipſas verſus extremum idem reperietur inæqualitas. Cæterum reſpectu alterius extremi poſſet illa ratio augeri, & poterit ſimiliter inęqualitas reperiri inter ipſam, & aliam, ſicut prędicta linea verſus occidens creſceret, & cum alijs lineis æqualitatem, & inæqualitatē admitteret.

Secundo eſt notandum poſſe facile contingere, quod aliqua priuatio ſit totalis reſpectu formæ, quam priuat, neque ex illa parte poſſet magis, aut minus ſuſcipere, ſed quaſi in puncto indiuiſibili conſiſtat: & tamen quod ex parte cauſæ vnde prouenit illa priuatio, neque totalis ſit, neque indiuiſibilis, ſed magis, & minus poſſit ſuſcipere, ſitque vna reſpectu eiuſdem formæ maior priuatio altera per reſpectum ad cauſam extrinſecam vnde ipſa priuatio prouenit. Verbi cauſa, tenebræ totalem important lucis priuationem, eo quod nihil lucis in corpore diaphano relinquunt, ſunt tamen tenebræ tenebris maiores quandoque, per reſpectum ad cauſas extrinſecas, quæ lucis influxum impediunt, & lucem ipſam per modum impedimenti à diaphano corpore remouent, tenebræ enim, quæ per interpoſitionem denſioris corporis, & magis opaci inter Solem, & aerem proueniunt, maiores ſunt, & quaſi denſiores illis, quæ ex impedimento rarioris, & minus opaci corporis originem trahunt.

His ita adnotatis, ad primi argumenti confirmationem neganda eſt ſequela, ad cuius probationem primo dicitur coſentaneę ad primum notabile, quod peccatum duo extrema reſpicit Deum, ſcilicet, & creaturam, vel vt alijs ſatis etiam vulgatiſſimus viamur terminis, incommutabile bonum, & bonum commutabile. Auertit quidem peccatis animum ob incommutabili bono, & ad commutabile bonum conuertit. Quatenus ergo ad prius comparatur extremum, & ab illo auocat animum, quodlibet peccatum mortale infinitum eſt in genere peccati, & moralis mali. Vnde comparatione ad hoc extremum nulla ad extremum aliud ratione habita, omnia peccata mortalia paria ſunt, quoniam omnia priuant animum rectitudine morali, & coniunctione ad incommutabile bonum, vt ad ſummum, & vltimum finem: ipſumque Deum maximum offendunt, & inhonorant, quantum eſt offendibilis, & inhonorabilis, & ita in quolibet peccato ex hac parte includitur omnis illa malitia, quæ in ſingulis, & in omnibus peccatis reperiri poteſt. Et ob id Iacobus in ſua Canonica cap. 1. dicebat, *Qui offendit in vno factus eſt omnium reus*. Cęterum quodlibet mortale peccatum comparatione ad commutabile bonum ad quod peccatis animum conuertit, finitam habet, & limitatam malitiæ grauitatem vt S. Th. 12. loco citato nos docuit, cuius ſententia cunctis eſt probata Theologis, & hac parte inequalitas eſt in peccatis, & vnum grauius cenſetur alio, & vnum, & idem ſecundum ſpeciem poteſt quandoque eſſe grauius, quandoque minus graue. Et quoniam peccatum ſpecificatur a commutabili bono ad quod conuertitur peccantis animus, & non ex bono incommutabili à quo auertitur, vt 1. 2. q. 72. a. 1. docuit S. Th. idcirco abſolutè concedendum eſt, mortalia peccata non eſſe æqualia in grauitate, & malitia.

Sed dicet quiſpiam, peccati grauitas & malitia cōſiſtit formaliter in hoc quod eſt offenſiuum Dei, & in eo quod rationalem creaturam priuat ſua morali rectitudine debita ei ineſſe: Ergo ſi hac parte omnia

Digitized by Google

ſunt paria, abſolutè concedendum eſt, vniuerſa mortalia delicta ſimpliciter eſſe paria, æqualiſque grauitatis. Et ſecundum quid dumtaxat neganda, eſt eorum æqualitas, ſcilicet cum illo addito, ex conuerſione ad commutabile bonum. At conſequens ſanæ doctrinæ non conſentit, nam in ſcriptura ſacra paſſim vnum peccatum abſolutè præfertur alteri ſecundum grauitatem, & malitiam. Sufficiat nobis pronunc Chriſti Domini teſtimonium Pilato dicentis Io. 19. qui me tradidit tibi, maius peccatum habet: ergo non ſubſiſtit aſſignata ſolutio.

Reſpondetur nos in ſtatuta ſolutiône non abſolutè dixiſſe, peccata ex parte auerſionis ab incommutabili bono æqualis eſſe grauitatis, ſed cum limitatione, ſcilicet, ſolitariè, & præciſè conſiderata ipſa auerſione. Vnde ita meam nunc explico ſolutionem. Quod ſi illa iniurioſa, & offenſiua auerſio peccati à Deo incommutabili bono ſeorſum conſideretur, nō eſt maior, aut minor in peccatis, ſed æqualis in omnibus, quia eſt totalis priuatio affectiua diuini honoris, & totalis priuatio ſubſtantialis rectitudinis moralis: quæ conſiſtit in coniunctione ad ſummum, & incommutabile bonum. Neque poteſt ſic conſiderata creſcere, quia eſt in ratione offenſæ, & moralis malitiæ, ſimpliciter infinita. Cæterum comparata eadem met iniurioſa Dei auerſio ad commutabile bonum, ad quod peccans per peccatum mortale conuertitur, ex qua conuerſione ipſa auerſio ſequitur, minorem poteſt, & maiorem grauitatem habere, neque hac ratione eſt cenſenda infinita: nam quanto bonum commutabile, in quo tendit peccati conuerſio, magis contrariatur rationi, & legi æternæ, tanto grauior eſt auerſio, quæ inde conſequitur, vel quæ ibi eſſentialiter inuoluitur (nam quod ad præſens attinet parum retulerit ſic vel aliter loqui.) Quod vero nulla ſit contradictio in hac doctrina, qua dicimus auerſionem peccati ſecundū ſe conſideratam, eſſe totalem priuationem ſubſtantialis rectitudinis moralis, & infinite offenſiuam Dei, & quod ad aliud extremum, ſcilicet, bonum commutabile comparatam magis, & minus ſuſcipiat, manifeſtat nobis exemplum illud locis paulo ſuperius adnotatum.

Etenim negari nequit quin tenebra (vtamur ſingulari pro plurali) per ſemetipſam conſiderante abſque reſpectu ad cauſam lucis impeditiuam, eſt totalis priuatio lucis, & ſi lux eſſet infinitum bonum, tenebra infinitum eſſet malum. Et ſi luminoſum lucem cauſans in corpore diaphano ex tali priuatione offenderetur, & iniuriam acciperet, tenebra citra dubium eſſet infinita offenſa, & iniuria. Cum hoc tamen ſtat, quod ad cauſas extrinſecas lucis impeditiuas comparata magis, ac minus recipiat, quatenus vna cauſa impediens, verbi gratia, corpus valde denſum, & opacum magis remouet, & elongat diaphanum corpus ab influxu ſolis, & ab eius luce percipienda, quam alia cauſa, videlicet, corpus minus denſum, & rarioris quantitatis: Quamuis vtraque cauſa ſufficiens ſit inducere priuationem totalem lucis. Itaque tenebra comparata ad cauſas vnde prouenit, induit quendam modum ipſarum, ſic adeo vt tenebra, quæ ſecundum ſe eſt totalis priuatio lucis, per comparationem ad cauſas redditur non totalis, ſuſcipitque proinde magis, ac minus.

Proportionabiliter ergo de iniurioſa peccati auerſione dicendum arbitror, quod ſecundum ſe eſt totalis priuatio rectitudinis moralis, & infinita malitia, vt autem ſe tenet ex parte conuerſionis, neque totalis priuatio eſt neque ſimpliciter infinita malitia, ſed magis, & minus ſuſcipit induens ipſius conuerſionis modum. Quoniam verò peccatum, vt dixi, ex conuerſione ad commutabile bonum ſpecificatur, idcirco cum abſolutè de peccato loquimur, conſideramus auerſionem eius non ſeorſum ſumptam, ſed vt conuerſioni annexam, & idcirco abſolutè fatemur non omnia peccata æqualia eſſe, ſed vnum grauioris eſſe malitiæ altero. At cum ſolam eius auerſionem ſeorſum contemplamur, veriſſimè aſſerimus, quodcumque mortale peccatum infinitam habere malitiam, & ex hac parte non eſſe vnum peccatum mortale grauius altero. Et quoniam iſta conſideratio auerſionis peccati eſt veluti ſecundum quid, quia ſimpliciter auerſio debet conſiderari in peccato, vt conuerſioni annexa, propter cauſam aſſignatam. idcirco S. Tho. 3. par. loco citato non dixit peccatum eſſe ſimpliciter infinitum in ratione mali, ſed quod habet quã. dã infinitatem ex infinitate diuinæ maieſtatis. Quem loquendi modum ſeruauit Mag. Sot. ſupra citatus, & ſeruauerunt alij graues Theologi, & eſt ſine dubio ab omnibus ſeruandus. Cum quo tamen ſtat, quod in quolibet peccato mortali intrinſeca reperitur offenſæ, & malitiæ infinitas, quæ etſi nulla alia extaret cauſa, ob quam neceſſaria eſſet diuini verbi incarnatio ad ipſam humani generis redemptionē, non potentia, & vi ſed iuſta ſatisfactione, & compenſatione efficiendam, hæc moralis peccati infinitas ſufficientiſſima eſſet huius tantæ neceſſitatis cauſa. Eſt enim ſufficiēs ratio, ob quam verè dicamus, quod nullius puræ creaturæ ſatisfactio reſpondere poſſet offenſæ in Deum admiſſæ ſecundum æqualitatem, & ex omni iuſtitiæ rigore.

Sed adhuc ſupereſt ſoluendum argumentum illud quod à principio huius primæ partes deciſionis ſecundi principalis dubij formauimus pro ſententia Scoti. Cui non difficulter ex dictis reſpondetur. Et dico, peccato conuenire infinitatem malitiæ ex parte auerſionis ab incommutabili bono. Ad cuius impugnationem primum aſſero, quod quantitas malitiæ auerſionis non ſolum eſt conſideranda penes illam rectitudinem interinſecam, qua priuat & actum peccati, & ipſam peccantis animam: ſed potiſſimum penſanda eſt ex ipſo ſummo bono Deo, à quo animam peccantis auertit. Et hoc prouenit ex eo, quod illa auerſio non eſt qualiſcumque priuatio, ſed priuatio iniurioſa Deo, & ipſius Dei offenſiua. In ſtatuenda autem offenſæ, & iniuriæ grauitate potiſſimum eſt attendenda perſona, cui fit offenſa, & eius qualitas ac dignitas. Vnde non mirum, quod nonnulli Theologi in hac tractatione cum Scoto defecerint, quia tantum conſiderarunt auerſionem, quæ eſt in peccato mortali per modum ſimplicis priuationis, cum tamen eſſet conſideranda, vt priuatio offenſiua, & iniurioſa Deo. Sed addo præterea, quod & ſi auerſio mortalis peccati non conſideretur explicitè per modum offenſæ, & iniuriæ, quæ irrogatur Deo, adhuc conſiderabilis eſt in ipſa quædam malitiæ moralis infinitas, quatenus eſt priuatio totius rectitudinis ſubſtantialis moralis. Nam, vt retro dicebam omnis

Digitized by Google

nis mortalis culpa ratione auerſionis priuat quãtum eſt ex ſe naturam totam intellectualem ſuo vero ſine vltimo, ſummoque bono, ex quo tota oritur moralis rectitudo, & bonitas. Deſtruit namque affectiuè hũc finem verum, falſumque ſuppoſititium ſtatuit. Tota verò intellectualis natura vnum, & eumdem habet finem, vnaque proinde morali rectitudine pollet, vnitate proportionabili, & analogica, vt ſuperius dicebam: atque adeo malitia moralis peccati ex ſe ipſa tendit ad hanc vnam rectitudinem toti intellectuali naturæ communem deſtruendam, & diſſipandam, & non ſolum in illo particulari actu, quo peccatur, & cui hæc mortalis malitia ineſt, ſed & abſoluiè in omni morali actu, qui ex vero ſine vltimo per ſe pendet. Deficiũt enim etiam quamplurimi illi Theologi, quatenus putant per mortale peccatum nullam aliam moralem induci priuationem, præter priuationem illius rectitudinis, quæ debita erat in eſſe ipſi actui, qui eſt mortale peccatum.

Valde enim in hoc errant, non aduertentes, quod mortale peccatum non ſolum priuat hac rectitudine, ſed ipſummet etiam peccantem priuat ſubſtantiali rectitudine morali, quæ conſiſtit in affectiua conuerſione ad vltimum finem, ſummumque verum bonum, videlicet, Deum. Tota enim moralis rectitudo ex vltimo vero fine, & ex rectitudine conuerſionis ad ipſum eſſentialiter pendet. Vnde peccatum mortale relinquit hominem auerſum à Deo tanquam ab vltimo fine, & ad creaturam tanquam ad finem vltimum quaſi per modum habitus conuerſum, ita quod creatura non eſt tantum finis operis, ſed & ipſius operantis, & implicitè eſt finis omnium eiuſdem operantis actionum. Nam per ſe eſt, quod finis vltimus operantis, & in quem operans ſe totum, ſuamque voluntatem retulit; in omni morali talis operantis actione locum habeat finis principaliter, & vltimatè intenti, & per accidens eſt, quod ita non contingat: atque adeo mortale peccatum, quantum eſt ex ſe, eſt totalis diſſipatio, & demollitio moralis rectitudinis, non ſolum in ipſo actu peccati, verum & in ipſo peccante, imò implicitè, & virtualiter etiam in tota intellectuali natura. Et idcirco malum, quod inter peccatum mortale irreparabile eſt per vires naturæ, vt S. Thom. 12. in ſolutione citata, & alijs in locis dicit non ſemel.

Scio oppoſitum ſenſiſſe Caietanum de mortali peccato, prout priuat rectitudine morali, non conſiderãdo eleuationem ad ordinem gratia; exiſtimauit enim 1. 2. q. 109. ar. 7. & 8. quod ſicut viribus naturę poteſt quis retractare voluntatem, qua voluit intemperatè agere, & temperatum fieri, ita poteſt naturæ viribus repellere à ſe auerſionem ab vltimo fine naturali, quam ſibi peccando intulerat. Ceterum poſteriores Thomiſtæ expreſſam S. Thom. doctrinam ſequentes oppoſitum aſſeruerunt, & communiter aſſerunt, & id quidem meritò, nam finis vltimus in moralibus eum tenet locum, quẽ prima principia tenent in ſpeculatiuis. Vnde ſicut is qui errat circa principia, non poteſt à ſe ipſo corrigi, quia deeſt ei primũ correctionis principium, ſed extrinſeco eget corrigente, ita qui deordinatus eſt à fine vltimo, nequit ſemetipſum in ordine morali reordinare, & reparare, quia deeſt illi primum principium totius reparationis, & moralis rectitudinis, quod eſt finis vltimus, vt ait S. Thom. 1. 2. q. 102. ar. 1. ſed de hoc alias, nam ad noſtrum intentum ſatis fuerit ſtatuiſſe, id quod nullus Theologorum, ex his quæ rectè ſapiunt, inficiabitur, nimirum, peccatum mortale priuare non ſolum ipſum actum peccati debito ordine ad vltimũ finem, ſed ipſummet etiam peccantem. Neſcio planè an hoc negaret Scotus, qui tranſacto actuali peccato ſolum reatum agnoſcit in anima, quem ipſe putat nõ eſſe priuationem, ſed relationem quamdam rationis animæ ordinatæ ad pœnam ſecundum diuinam legẽ, & voluntatem, neque aliam deformitatem, & maculam, in eo qui peccauit, admittit. Verum Scoti ſentẽtiam confutat eruditè Caiet. 1. 2. q. 89. ar. 1. vbi & eius argumenta diſſoluit. Et actenus de prima parte deciſionis ſecundi principalis dubij.

SECVNDA DIFFICVLTAS APPENDIX.

An ſuppoſita malitia peccati infinita fuerit neceſſaria Chriſti ſatisfactio de rigore iuſtitiæ.

SEcunda difficultas accedit in eadem hac prima parte deciſionis dubij principalis explicanda. Vtrum ſi vera eſſet Scoti ſententia, & eorum Theologorum, qui negant infinitatem malitiæ reperiri in peccato mortali, conſequenter dicendum foret non fuiſſe neceſſariam infinitatem in Chriſti ſatisfactione, vt exacta eſſet, & ad æqualitatem compenſatio pro vniuerſis hominum peccatis. Eaque eſt dubitandi ratio pro affirmatiua ſententia. Quoniam ſi peccatum non eſt infinitum in ratione mali, & offenſiui Dei, ſed finitè ſimpliciter grauitatis nulla eſt cauſa propter quam ad exactam eius compenſationem, ipſa Dei iuſtitia expoſcat ſatisfactionem ſimpliciter infinitam: ergo, &c.

Sed pro altera parte militat, quod Sancti Patres locis in tertio dubio citandis, abſolutè definiunt neceſſariam fuiſſe Chriſti ſatisfactionem, ideſt, ſatisfactionem Dei, & hominis, quę non poteſt non eſſe infinita ſatisfactio, ſuppoſito quod decreuerit Deus humanum genus non tam potentia, quam iuſtitia redimere, & ad diaboli ſeruitute eripere. Nullam autem mentionem faciunt patres de infinitate peccati: ergo etiam non ſtante peccati infinitate neceſſaria eſſet infinitas in Chriſti ſatisfactione, iuxta mentem ſanctorum Patrum.

Non defuere Theologi, qui exiſtimarent illam infinitatem extenſiuam, quæ reperitur in originis peccato: quatenus potens eſt humanum totum genus inficere, ſufficientem eſſe cauſam, vt dicamus neceſſariam fuiſſe infinitatem in Chriſti ſatisfactione, ita quod alias etſi Chriſti ſatisfactio pro alijs peccatis mortalibus poſſet eſſe æquiualens, & ſecundum iuſtitiæ rigorem ſufficiens: non tamen pro ipſa originis culpa. Et vt hanc ſententiam probabiliorem efficerent, conati ſunt fundare infinitatem, quæ eſt in originis culpa non eſſe purè extenſiuam, ſed aliquam infinitatis intẽſiuæ ratione vigere. Hanc opinionem ego improbabilem minimè cenſeo, neque in eius impugnatione immorari decreui, nam totum, quod verò ſimili ratione iuuat ad ſuadendam incarnationis diuini verbi neceſſitatem, aut congruitatem libentiſſima amplector. Verum enimuero non poſſum

non

Digitized by Google

non fateri, me non ſatis benè percipere illam intenſiuam grauitatis, & malitiæ infinitatem, quam illi Theologi in originali culpa commentantur. Quod ſi extenſiua tantum in eo reperitur infinitas, vix poteſt probabili ſuaderi ratione, quod ad iuſtam pro hac culpa compenſationem neceſſaria fuerit intenſiua ſatisfactionis infinitas, cuius neceſſitas ex ipſa originis peccati extenſiua infinitate deſumatur. Hanc ergo prætermitto ſententiam, quam neque improbo, neque approbo, ſed eius authoribus defendendam committo. Et pro reſolutione huius difficultatis vnicam aſſertionem ſtatuo.

ASSERTIO.

QVamquam in peccato mortali ſiue originali, ſiue actuali non reperiretur malitiæ grauitas infinita ſimpliciter, ſed ſecundum quid dũtaxat, vt Scot. & Paul. cenſuerunt, adhuc neceſſaria erat infinitas ſimpliciter in Chriſti ſatisfactione, vt exactè, & ad æqualitatem, & ex toto iuſtitiæ rigore pro vniuerſis hominum colpis ſatisfaceret: Hæc concluſio probanda eſt aſſignando rationes huius neceſſitatis. Sitque prima ratio. Chriſti ſatisfactio generalis debuit eſſe compenſatio pro vniuerſis hominum peccatis, & commiſſis, & committendis, imo & poſſibilibus cõmitti, alias redemptio per Chriſtum facta impropriè copioſa diceretur, ſed niſi Chriſti ſatisfactio infinitatem haberet intenſiuam, non eſſet ſufficiens compenſatio, & æquiualens pro vniuerſis huiuſmodi peccatis: nam in ipſa tota collectione peccatorum poſſibili intenſiua reperitur infinitas, quam proinde non poterit adæquare, niſi illa ſatisfactio, quæ in ratione ſatisfactionis ſimpliciter fuerit infinita: ergo, &c.

Secunda ratio. Et Scot. & Paludan. & vniuerſi fatentur Theologi, quod licet peccatum mortale non habeat malitiam ſimpliciter infinitam in eſſe mali moralis, & in ratione offenſæ Dei, habet tamen infinitatem quamdam ab extrinſeco deſumptam, quam appellant ſecundum quid, ex infinitate diuinæ maieſtatis, quæ per peccatum offenditur, deſumptam: ſed hanc malitiæ, & offenſę infinitatem, quamlibet minimam, & ſecundum quid, nulla poterit ſatisfactio adęquare, quæ non proceſſerit à perſona tantæ authoritatis, & maieſtatis, quantæ dignitatis eſt, & excellentiæ ipſe Deus per peccatum offenſus. Nam illa grauitas, quæ ex maieſtate perſonæ læſæ, & offenſæ prouenit, non aliunde quam ex dignitate perſonæ ſatisfacientis compenſationem admittit, nam quantacunque fuerit ſatisfactio, ſi non habet valorem aliqualiter infinitum infinitate perſonali, ideſt, ex dignitate perſonæ ſatisfacientis deſumpta, non compenſabit pro offenſa, quatenus includit illam infinitatem ſecundum quid, & extrinſecam, ex maieſtate perſonę læſæ ad peccatum deriuata: neque ita ſatisfactionis neceſſaria infinitas aliunde poterit compenſari, quia eſt alterius rationis à quacunque alia perfectione, & dignitate quam in opere, quouis ſatisfactorio comminiſci poſſumus: Ergo, vt ſatisfactio pro hominum peccatis, imo pro quocumque mortali peccato fuerit æquiualẽs, & ex perfecta iuſtitia, neceſſum fuit: quod perſona ſatisfaciens eſſet infiniti valoris, & ante maieſtatis, quanta eſt Dei maieſtas, quam mortale peccatum offendit, atque adeo neceſſaria fuit ipſa ſatisfactionis infinitas.

Ex hac ratione infero contritionem gratia, & charitate formatam, quam purus homo offert Deo pro ſuis peccatis, non eſſe æquiualentem ſatisfactionem pro ipſis peccatis mortalibus, aut pro eorum aliquo. Non intendo in hoc corollario aliquid ſtatuere aduerſus illam grauiſſimorum quorundam Theologo gorum ſententiam, quæ affirmat, quod in iuſtificatione impii ipſe pęnitens per actum contritionis ſatisfacit pro culpa, & offenſa, qua Deum offendit. Nam de hac re nihil in præſentia definio Sap. Mag. Bañes noſtræ vniuerſitatis Salmatinæ in Theologia primarius: Quæſtionẽ iſtam ſumma cum eruditione pertractauit in ſuis doctiſſimis commentarijs ad 1. par. D. Thom. q. 21. Sed noſtrum corollarium proponitur contra Caiet. ſententiam, cui nonnulli ſubſcribunt Theologi, qui in 3. p. q. 1. a. 2. docuit, contritionem puri hominis iuſti, quatenus gratia, & charitate formatur, æquiualentem eſſe ſatisfactionem pro culpa mortali: Videturque Caiet. ſentire, quod ſi huiuſmodi contritio non præſupponeret ſaltem naturæ ordine mortale peccatum ex Dei gratia remiſſum, & miſericorditer condonatum, æquiualens eſſet pro ipſo peccato ſatisfactio, & ex vi huius æquiualentis ſatisfactionis, peccatum prout eſt offenſa Dei remitteretur. In hanc ſententiam inducitur Caiet. ex eo, quod putat, quod iſthæc formata contritio tantum bonum reddit Deo, quantum ipſa culpa mortalis abſtulerat. Ex quo infert, quod ſi aliqua fuiſſet pura creatura cui contritionis, & charitatis actus proprij eſſent, & cõnaturales, talis creatura potuiſſet ex proprijs viribus Deo pro mortali culpa ex rigore iuſtitiæ, & ad æqualitatem ſatisfacere.

Verum cum bona venia in prædicta ratione aſſignanda defecit Caietanus, non aduertens, quod illa peccati grauitas, & qualiſcumque fuerit offenſæ infinitas, quæ ex dignitate perſonæ offenſæ in mortali culpa participatur, nullatenus compenſatur per huiuſmodi contritionem, quia deeſt ei infinitas illa ſatiſfactoria ex perſona ſatisfaciente deſumpta. Vnde falſa eſt ſententia, quam ex prædicta ratione infert, nimirum, quod contritio ſit æquiualens pro mortali culpæ ſatisfactio. Neque quidquam efficit dicere, quod contritio habet illam infinitatem, quatenus procedit ab Spiritu ſancto per charitatem animam inhabitante, imo & ſatisfaciente pro nobis per illam formatam contritionem: ad eum modum quo Paulus Rom. 8. dicit Spiritum ſanctum poſtulare: *pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Hoc inquam nihil efficit ad fundandam prædictæ ſententiæ veritatem, quoniam Spiritus ſanctus non eſt perſona ſatisfaciẽs, ſed ipſe pænitens qui conteritur: Et cum dicitur Spiritus ſanctus poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, metaphorica locutio eſt, & figurata, qua nomen effectu principali eius cauſæ tribuimus, diciturque poſtulare pro nobis quatenus non facit Deũ obnixe poſtulare: & ita ſimiliter dat nobis virtutem ſatisfaciendi Deo per contritionẽ, & nõ ipſe ſatisfacit. Quare perſona ſatisfaciens eſt ſimpliciter finitæ dignitatis, atque à Deo contritioni deeſt valor ſatiſfacientis perſonæ, qui neceſſarius erat ad conſtituendam æquiualentem ſatisfactionem pro offenſa infinitæ Dei maieſtati irrogata.

Sed

Digitized by Google

Sed hoc loco aduertendum, quoſdam S. Thom. interpretes falſo impoſuiſſe Caietano, quod aſſeruerit contritionem prædictam eſſe perfectæ, & exactæ iuſtitiæ ſatisfactionem pro mortali culpa, quod Caietan. minimè docuit, ſed apertè ſatisfactionem imperfectam appellauit. Decepti ſunt fortaſſis ij Thomiſtæ, quia exiſtimarunt idem prorſus deſignare, ſatisfactio æquiualens, quod ſatisfactio perfecta, quod tamen verum non eſt. Nam, vt ſatisfactio aliqua ſit re ipſa æquiualens, ſatis fuerit quod tantum bonum reddat, quantum peccatum abſtulerat. Ceterum vt ſit perfecta ſatisfactio, requiritur præterea quod non fundetur in gratia eius, cui facta eſt offenſa, & quod fiat ex proprijs, & ex aliàs non debitis, quæ omnia contritioni deſunt, nam in gratia Dei totus eius valor fundatur, neque ex proprijs eſt ipſius ſatisfacientis, ſed ex acceptis à Deo per gratiam, imo & forſan eſt alijs titulis debita. Vnde licet cenſeretur æquiualens, nullo tamen modo appellari debet perfecta.

Ex his rationibus, & alijs, quę cauſa breuitatis omitto, diſſoluitur illud argumentum factum pro ratione dubitandi, videlicet, quod pro culpa finita ſufficeret finita ſatisfactio. Reſpondetur enim iuxta primam rationem noſtram aſſignatam, quod ſi tota poſſibilis peccatorum collectio ſumatur, infinitam moralem importat malitiam, & ſi cuiuslibet particularis peccati malitia ſit modis omnibus finita. Quocirca, vt Chriſti ſatisfactio eam haberet vim, quam habet de facto, videlicet, quod ſit ſufficiens cōpenſatio pro ſingulis, & omnibus peccatis, ita vt quocumque dato peccato ſatisfactio Chriſti pro illo ſufficienter compenſauerit, & quod non tot poſſint dari peccata, quæ ſufficientiam ſatisfactionis Chriſti exhauriant: ſed quod quibuſcumque peccatis deſignatis vlterius progrediatur virtus ſatisfactionis Chriſti, vt hanc, inquam, tantam haberet ſatisfactoriam virtutem, neceſſaria ei fuit infinita virtus. Si Chriſti ſatisfactio ad determinatum peccatorum numerum eſſet limitata, tunc fateor primam illam noſtram rationem inefficacem eſſe ad eius infinitatem ſuadendam. Verum res eſt in Theologia conſtans nullam ſignabilem eſſe peccati ſpeciem, grauitatem, aut numerum, ad quem ſatisfactionis Chriſti virtus non ſe valeat extendere. Quod ſi hoc verum eſt, vt eſt planè veriſſimum, neceſſaria conſequutione deducitur, Chriſti ſatisfactionem ſimpliciter eſſe in ratione ſatisfactionis infinitam.

Præterea dico iuxta ſecundam noſtram rationem, quod cum in quolibet peccato mortali ſecundum communem Theologorum cuiuſcumque ſcholæ ſententiam, aliqua reperiatur grauitatis infinitas ex infinita Dei maieſtate, quæ per peccatum offenditur deſumpta, neceſsū fuit, quod Chriſti ſatisfactio aliquā etiam valoris infinitatem ex dignitate perſonæ ſatiſfacientis participatam haberet. At ſi perſona ſatisfaciens valoris eſt, & dignitatis infinitæ, nō poterit eius operatio ſatisfactoria non participare infinitum ſatisfactorium valorem. Fateor quidem ſecundam hanc noſtram rationem efficacius quidem ſuadere neceſſitatem infinitatis in perſona ſatisfaciente, quam in ipſa ſatisfactione. Nam diceret quis, neceſſarium quidem eſſe, vt perſona ſatisfaciens ſit tantæ maieſtatis, atque fuit ipſe Deus offenſus. Veruntamen ſicut ex infinita maieſtate Dei offenſi, non redundauit in peccato infinitas ſimpliciter malitiæ, & offenſæ grauitas, ſed infinitas tantum ſecundum quid, vt cenſuerunt Scotus, & Palud. ita ex infinita perſonæ ſatisfacientis maieſtate, non reſultat in operatione ſatisfactoria valor ſimpliciter infinitus, ſed quædam tantum valoris infinitas ſecundum quid, per quā ſit proportio, imo & adæquatio inter ipſam ſatisfactionem, & offenſam. Sed quidquid de hac ſolutione fuerit, de qua Paulo inferius in hoc dubio eſt amplius dicendum, ſatis id nobis fuerit probaſſe, quod etiam ſi peccatum non haberet ſimpliciter infinitam grauitatem, neceſſarium tamen fuerit ad æquiualentem pro ipſo ſatisfactionem, quod perſona ſatisfaciens eſſet ſimpliciter infinitæ dignitatis, & excellentiæ. Et iſta ſufficiant de prima parte huius ſecundi dubij.

Secunda pars deciſionis dubij ſecundi principalis.

Vbi examinatur an ſatisfactio Chriſti fuerit valoris infiniti.

§. 1. Referuntur variæ ſententiæ.

AD ſecundam partem deciſionis huius ſecundi dubij noſtra deinceps perueniat diſputatio, in qua examinare oportet. Num Chriſti ſatisfactio valoris fuerit ſimpliciter infiniti, & vnde hic tantus ſatisfactorius valor ad ipſam Chriſti operationem deſcenderit? Qua in re duæ extremæ inter Theologos graues ſententiæ verſantur, inter quas & aliam mediam quidam alij Doctores iuniores confinxerunt.

Prima ſententia in vno extremo affirmat Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſimpliciter valoris finiti, imo inſinuat iſta ſententia, quod Chriſti ſatisfactio ex natura ſua non fuit æqualis grauitati peccatorum, ſed hanc æqualitatem habuit ex Dei beneuolentia, & extrinſeca eius acceptione, & quod operatio puræ creaturæ, tam potuit eſſe in ordine ſupernaturali perfecta ex Dei adiutorio, & gratia, vt ad tantum ſatisfactorium valorē accederet quantū habuit de facto ipſa Chriſti ſatisfactio. Nā potuit Deus ſua beneuolentia, & gratia ipsā acceptare ad eoſdē effectus, ad quos Chriſti ſatisfactionē acceptauit. Hanc ſententiam docuerunt Scot. in 3. d. 20. q. 1. & Gabr. d. 19. q. 1. & in 4. d. 15. q. 2. Dur. in 3. d. 20. q. 2. Ioann. à Med. loc. cit. & alij quidam Scholaſtici in citatis diſt.

In alio extremo alia ſententia docet Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſimpliciter infinitam in ratione ſatiſfactionis. Et hoc quidem non ex ſpeciali Dei beneuolentia, & extrinſeca acceptatione, ſed ex intrinſeca ipſius ſatisfactoriæ operationis ratione. Ita docent S. Tho. 3. p. q. 1. ar. 2. & q. 48. ar. 2. & 4. contra gent. cap. 54. Alex. Alen. 3. p. q. 1. memb. 4. 5. & 6. & q. 17. per totam S. Bon. in 3. d. 10. q. 3. Ricar. ead. d. q. 4. Paul. q. 2. Marſ. in 3. q. 12. a. 2. Andreas à Vega lib. 7. in Cōc. Tri. c. 8. Hoſius in cōfeſſione fidei c. 11. Mag. Sot. in 4. d. 19. q. 1. & 3. lib. de nat. & grat. c. 6. Driedo lib. de capt. & redempt. à principio. Et oēs ij auctores in hoc cōueniunt; quod nulli operationi cuiuſpiā puræ creaturæ hæc talis, & tanta potuit infinitas, etiā per abſolutam Dei potentiam communicari.

Media

Media vero ſententia à quibuſdam excogitata, admittit quidem infinitatem ſimpliciter in Chriſti ſatiſfactione, dicit tamen eam non ob id infinitam fuiſſe, quia erat actio à diuino verbo effecta, ſed ob id, quod Chriſtus ſe ipſum, ſuam vitam, propriumque ſanguinẽ Deo in compenſationem pro vniuerſis hominum peccatis obtulit, nam quia iſtud pretium infiniti valoris eſt propter diuini ſuppoſiti infinitatem, idcirco ſatiſfactionem Chriſti infinitam conſtituit ſimpliciter in ratione ſatiſfactionis. Hæc ſententia, ni fallor, non omnem operationem Chriſti ſatiſfactoriam infinitam fuiſſe cenſet, ſed eam duntaxat, qua Chriſtus ſeipſum, ſuamque vitam, & ſanguinem Deo obtulit qualis fuit ipſa prætioſiſſima Chriſti paſſio. Et illa ſimiliter voluntas, qua ingrediens in mundum moriendi pro hominum ſalute præceptum ſpõtaneus acceptauit, ſeq. ipſum habuit ad crucis mortem deſtinatum. In alijs enim etiam laborioſis Chriſti actionibus, abſtinentia, ieiunio, oratione, &c. Chriſtus non ſemetipſum Deo offerebat, ſed illam præciſe ſtudioſam actionem quam operabatur, atque adeo iuxta ſententiam prædictam eiuſmodi actiones non fuerunt infinitè ſatisfactoriæ.

§. 2. *Deciſio dubij.*

PRo deciſione quæſtionis notandum eſt primo, quod cum inquirimus de ſatiſfactionis Chriſti valore, eiusque infinitate, non in dubium vertimus: An Chriſti ſatiſfactio fuerit ſimpliciter infinita ſeu dum omnem rationem valoris, certum eſt enim eã non tanto valore præditam fuiſſe, quanta eſt ipſa Dei bonitas, & maieſtas, non enim de infinitate valoris in eſſe entis abſolutè diſſerimus. Neque vero quærimus, an omnem valoris moralis infinitatem habuerit, certum eſt enim, quod ſatiſfactio Chriſti in ratione ſatiſfactionis non habuit formalem meriti valorem, nam alia eſt ratio meriti, & alia ſatiſfactionis: ſed in limitation ſenſu noſtra diſputatio procedit, idque tantum inueſtigamus. Num Chriſti ſatiſfactio infinitam habuerit ſatiſfactoriam virtutem, ita vt nulla maior, nullaque perfectior, aut æquiualentior fieri poſſet, aut excogitari ſatiſfactio. Sed & obiter diſputabimus, an etiam infinitatem valoris meritorij habuerit ipſa Chriſti operatio, nam ex eiſdem fere principijs vterque iſte valor deſumitur.

Notandum eſt ſecundo, quod iuxta communem Theologorum doctrinam in 4. d. 15. 19. & 20. inter alias conditiones ad rationem ſatiſfactionis requiſitas, vna eſt quod ſit operatio pœnalis, ita quod dolor, & voluntas pœna offeratur Deo in compenſationẽ offenſæ contra ipſum irrogatæ. Hæc autem pœnalitas præcipuè conſiſtit in diſplicentia qua ſatiſfacienti diſplicet de offenſa in Deum commiſſa, ex cuius diſplicentiæ virtute oritur, quæcumque alia pœnalitas ſiue interior, ſiue exterior, quam pœnitens aſſumit quaſi in vindictam pro peccato commiſſo, ſiue à ſe, ſi pro peccato proprio ſatiſfacit, ſiue ab eo, pro cuius ſatiſfacit culpa, quam pœnalitatem, & vindictam Deo in compenſationem tribuit. Ex quo ſequitur, quod non omnis actus bonus ea ratione, qua bonus eſt, & laudabilis, imo & à virtute charitatis perfectus, ſatiſfactorius eſt pro peccato, ſiue proprio, ſiue alieno, ſed præter bonitatem prædictam neceſſaria eſt pœnalitas aliqua præſertim interior: eſtque ſatis conueniens, quod interior animę dolor in ſeſibilẽ aliquam ſe explicet pęnalitatem.

Ad propoſitum ergo dico, quod cum his, quæ in hoc ſecundo notabili habentur etiam veriſſimũ eſſe crediderim, quod in nulla Chriſtus in toto ſuæ mortalis vitæ decurſu operationem prodiuit, quæ non fuerit pro noſtris peccatis ſatiſfactoria. Cenſeo năq. Chriſtum Dominum omne ſuæ mortalis vitæ momentum, omnemque operationem cuiuſcumque fuiſſet virtutis opus, in ipſam humani generis redemptionem, & in ſatiſfactione pro cunctis noſtrorũ omnium peccatis contuliſſe. Quod ex tribus colligo. Primo, ex eo, quod nihil magis ſibi proprium, nihil dignius, nihilque auguſtius, & antiquius ſibi fore Chriſtus iudicauit, quam noſtris vtilitatibus, noſtræque redẽptioni ſe totum tradere, vt Paul. Epheſ. 5. vtamur verbis, qui, & pro Eccleſia, & pro tpſomet Paulo Chriſtum ſe ipſum tradidiſſe, ſicut, & eum pro nobis omnibus tradidit pater, aperta atteſtatione prædicauit; quod vel ipſum Chriſti ab Angelo prænuntiatũ nomen, Ieſus, manifeſtè nobis declarat. Nam quia ſaluum facturus erat populum ſuum ab eorum peccatis, hoc nomen ſibi à patre datum accepit. Et hinc factum eſt, vt redemptio per Chriſtum facta meritò à regio vate Pſ. 129. appellatur copioſa, & ab Iſai. c. 20. exuberans iuſtitia. Sic enim illa verba, *Cõſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam*, Irenæus ad mentem ſeptuaginta interpretum, expoſuit. Et quidem quod per cõſummationem abbreuiatã ipſum incarnatum verbum intellexerit Propheta, non ſolus Irenęus, ſed & alij quamplures grauiſſimi intellexerunt Patres, neq. à mẽte Paul. ad Rom. 9. recedentes qui hoc Iſai. vaticinium ad Chriſtum retulit. Anacletus Pont. in 1. epiſt. quæ in tom. 1. Conc. habetur, Augu. lib. 1. ad Simpl. q. 2. Cypr. lib. 1. contra Iudæos, & concione 6. in orat. dominicam.

Fateor, quod iuſtitia in hoc loco poſſet non tam ſtrictè accipi, vt pro ſatiſfactione, & pro iuſta redemptione ſumatur, ſed pro effectu ipſius redemptionis, qui eſt ipſa animæ ſanctitas omnium virtutum perfectionem complectens, in quo ſenſu Chriſtus iuſtitiã accepit cum dicebat Mat. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius*, & c. 5. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*. Et quidem iuſtitia hæc exhuberans effectus fuit iuſtæ redemptionis noſtræ per Chriſtum factę, iux illud Pau. Rom. 5 *Vbi abundauit iniquitas, ſuperabundauit, & gratia.*

Verum & ſi ſenſus hic non ſit contemnendus, quin & magna approbatione dignus, cum intentus eſſe videatur à prędictis patribus, atque etiam ab Orig. & Ambroſ. ſatis tamen veroſimilis eſt ſenſus, quẽ prius inſinuauimus, ita vt exuberantia, & inundatio iuſtitię ad eam referatur iuſtitiam, quam in opere noſtræ redẽptionis, & ſalutis Chriſtus fuit operatus, cuius effectus fuit ipſa iuſtitia, quam præcedenti explicatione retulimus. Colligo ſecundo prædictam ſententiam, ex eo quod plurimum refert ad excellentiam humanitatis Chriſti (quam ſummo opere extollere, & venerari debemus) quod in nullum vnquam morale opus exierit, quod ex feruoroſo Dei amore, eximiaq. dilectione primam ſui non traxiſſet originem. Charitas autem qua Chriſtus humana voluntate Deum amauit, ad homines ẽt voluit quadã reflexiua reuerbera-

beratione terminabatur, recto namque in Deo tendebat, & quia ipſa amoris vis vlterius nequibat prodire, ad homines reuertebatur. Sicut fortiſſimus lucis radius dum corpus denſum, & opacum ferit, quia vlterius tranſire nequit ad diaphanum corpus circũſtans feruida quadam reflexione reuertitur.

Quam ſanè diuini amoris reflexionem fortaſſis nobis inſinuauit Chriſtus Io. 14. *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio, ſurgite eamus hinc*, nimirum ad ſpõtaneã mortem pro hominum ſalute ſubeundam. Vt videlicet, in tanto amore per voluntariam paſſionem hominibus demonſtrato (quo maiorem nullus vnquam habuit, ſed nec habere poterit) veluti in terſo quodã, & limpidiſſimo ſpeculo ipſum diuini amoris radium quo Chriſtus feruentiſſime Patrem diligebat, mundus ipſe (quamlibet ad diuina intuenda cęcus) vel inuitus, & repugnans conſpiceret. Hunc verò tantum humanæ voluntatis Chriſti amorem, duplex neceſsũ erat comitaretur doloris pęna. Altera qua Chriſtus de offenſa ab hominibus in ipſam Dei maieſtatem irrogata doleret vehementer, & altera qua ſuper ipsã humani generis calamitoſam ſortem quaſi flebili compaſſione moueretur. Ad eum modum quo florẽtiſſimam olim ciuitatem Hyeroſolimam proprijs oculis intuens, & futuram ipſius miſeram calamitatem præuidens, grandi compaſſione ductus, *Fleuit ſuper illam dicens, ſi cognouiſſes, & tu, &c.* Et quidem non minus eſt ipſa iuſtæ animæ ruina deploranda, & lachrimis digna, quã Hyeroſolimæ ciuitatis, Salomoniſq. templum excidium olim fuit deplorandum, vt verbis grauiſſimis dixit S. Hyeron. in prologo ſuper Trenos Hieremiæ.

Denique tertio id ipſum colligo, ex eo quod Chriſtus ab illo primo ſuæ incarnationis inſtanti, quo ingrediens in mundum dixit, *Ecce venio*, vt me. ſ. in hoſtiam Deo placentem, & ſuauiſſimam in cruce pro toto humano genere offeram, ſemper ante oculos habuit ſibi poſitam ipſam, quam erat in cruce mortẽ ſubiturus, ita vt etiam in monte Thabor, cum quãdã ſuæ gloriæ, & maieſtatis manifeſtationem feciſſet nõ eius excideret memoriam exceſſus ille mortis, & crucis quem completurus erat in Ieruſalem: cui veritati atteſtatur illud, quod ipſe dicebat Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud.* Coarctabat enim Chriſtum deſiderium pro hominum ſalute moriendi, coarctabatq. & eum ipſa mortis terribilitas, quam ob oculos poſitam aſſiduè gerebat.

Ex his ergo conſtat omnem Chriſti actionẽ, præſertim, ſupernaturalis ordinis (non enim in præſentia definio, an humana Chriſti voluntas in aliquam exierit quandoq. moralẽ actionem in naturalẽ tantũ rationis finem ordinatam, de qua re q. 1. dixi) quidpiam pęnalitatis annexum habuiſſe, & eam quidem pœnalitatem pro humana ſalute fuiſſe ſuſceptã, atque adeo conſtat, omnem huiuſmodi humanam Chriſti actionem ſatisfactoriam fuiſſe pro ipſis hominũ peccatis. Quantum autem habuerit valorem, finitũ, aut infinitum potius, paucis interpoſitis, explicabimus.

Notandum eſt tertio, in gemino poſſe ſenſu verſari iſta præsẽs quæſtio de infinitate ſatisfactionis Chriſti. Alter eſt, an Chriſti ſatisfactio intrinſecum habuerit infinitum ſatisfactorium valorem, ob quem ſatiſfactio eſſet ſecundum ſe æquiualens pro vniuerſis hominum peccatis, & ſi infinita fuiſſent, & infinitæ grauitatis, ac malitiæ. Alter verò ſenſus eſt, vtrum fuerit infinita per extrinſecam quandam deputationem, & acceptationem Dei, cui placuit eam acceptare in ſufficientem compenſationem pro vniuerſis hominum offenſis aduerſus Deum commiſſis, & in poſterum cõmittendis. Prior ſenſus eſt, quem intendit noſtra diſputatio. De extrinſeca enim infinitate parum ſolicitus debet eſſe Theologus. Nam hæc infinitas non ad valorem operis pertinet, ſed ad liberalem, & gratioſam Dei acceptationem, quam neque Scotus negauit. Neque vero negari poteſt Chriſti operationem acceptatam fuiſſe à Deo in compenſationem pro peccatis omnibus totius humani generis, ſiue acceptatione gratuita, ſiue ad ordinem iuſtitiæ pertinente. Cõſtat enim ex litteris ſacris, & ex grauiſſimis Patrum monumentis, & communis totius Eccleſiæ conſenſu, Chriſti Domini ſatisfactionem acceptatam à Deo fuiſſe pro vniuerſis hominum peccatis, ſecundum eorum numerum ſpeciem, & malitiæ grauitatem qualiſcumque, & quantacumque fuerit eorum grauitas. Exauditumque eſſe Chriſtum à Deo pro ſua reuerentia.

Sed hoc loco non poſſum non ſuccenſere quorundam Doctiſſimorum virorum (qui apud me magnæ ſunt authoritatis) ſententiam, quæ affirmat, quod vt aliqua operatio cenſeatur ſufficiens, æquiualens, & iuſta ſatisfactio, non eſt neceſſe, quod habeat ſecũdũ ſe æquiualentem proportionẽ cũ grauitate offenſæ, neq. ſit ſm̃ ſe digna, & æquiualens compenſatio pro culpa, & offenſa peccati, ſed ſatis fuerit ſit proportionata legi, & voluntati eius, cui ſit ſatisfactio. Itaq. nõ eſt neceſſe, quod ſatisfaciens, tantum bonum operatione ſatisfactoria reddat, quantum fuit malum offenſæ, & irrogatæ iniuriæ, ſed quod reddat illud bonum, quod expoſcit is, cui eſt facienda ſatisfactio, & quo ipſe eſt contentus, ſiue hoc communi lege, ſiue priuata ſuæ voluntatis manifeſtatione expoſcat.

Hæc inquam ſententia nunquam mihi placere potuit, quoniam huiuſmodi ſatisfactio legi quidem, aut voluntati perſonæ læſæ, æquiualens poterit cenſeri, offenſæ autem, & iniuriæ nequaquam. Vnde totũ quod illi deeſt condignitatis, & æquiualentiæ comparatione ad offenſam, & culpam, ſuppletur ex gratia, & beneuolentia acceptantis, quæ reuera eſt liberalis, & gratuita condonatio, ſiue hoc fiat priuata voluntate, ſiue communi lege. Neque quidquam detrahit à ratione gratuitę condonationis, quod hæc acceptatio ſiue per modum legis, ſiue alio modo pręcedat ſatiſfactoriam operationem, vel quod ſit ipſa poſterior.

Mitto facio, quod ex contraria ſententia non difficulter inferri poſſet (quod & eius authores libenter admittunt) quod contritio, qua ratione in actu pœnitentiæ, ordine naturæ gratiam, & charitatem antecedit, ſit de iuſtitia æquiualens pro offenſa, & culpa mortali ſatisfactio. In cuius ſententiæ confutationem, non libet in præſentia immorari, ſed neque libet eam vt gratam, & probatam acceptare. Nam vt cętera prętermittam, dutiſſimum mihi apparet verã aliquam iuſtitiam inter hominem, & Deum admittere, quæ in gratia, & charitate in animam infuſis nõ ſuum habeat intrinſecum fundamentum. Vnde apud me nulla eſt verè æquiualẽs, & condigna ſatisfactio

quæ

quæ ſecundum ſeipſam non fuerit digna acceptari, vt ſufficiens compenſatio pro iniuria, & offenſa, ita quod tantum reddat bonum, quantum fuerat ipſius offenſæ malum.

§. 3. *Prima concluſio.*

His ita ſuppoſitis. Prima ſtatuitur cõcluſio. Chriſti ſatisfactio infinitum habuit ſatisfactoriũ valorem, fuitq. proinde infinita ſimpliciter ſatisfactio in ratione ſatisfactionis. Probatur primo ex ſcripturis ſacris, & in primis ponderentur illa teſtimonia, quibus præcedẽti dubio oſtendimus in Chriſti ſatiſfactione veram, & propriam fuiſſe iuſtitiam. Omnia enim, ſi benè expendantur, denotant Chriſtum eam tantam patri compenſationem pro vniuerſis hominum peccatis obtuliſſe, qua maior neq. exigi potuit, neq. vero excogitari. Iſtam enim emphaſim habent illa verba Pauli. *Empti eſtis pretio magno*, & illa Petri. *Non corruptibilibus argento, & auro, &c. ſed pretioſo ſanguine immaculati, &c.* Et quid enim aliud ij duo Apoſtolorum Principes his tam magnificis verbis explicare voluerunt, quam quod pretium à Chriſto in hominum redemptionem Patri oblatũ, incomparabile fuit omni alij excogitabili pretio, ſiue argento, ſiue auro, ſiue lapidibus pretioſiſſimis, ſiue quouis alio modo fiat? Quod ſi pretium fuit cuicumque alij pretio incomparabile, neceſſum eſt, vt illud infinitum in ratione pretij fateemur: nam inter ea quæ finita ſunt admittenda eſt comparatio, ſi ad idem præſertim genus pertineant, vt pertinet omnis ſatisfactio, & omne ſatisſactorium pretium: ad ordinem enim eundem iuſtitiæ ſatisfactoriæ pertinent. Præterea quo pacto verificabuntur illa Pauli verba, *ad oſtẽſionem iuſtitiæ ſuæ*, ſi ſatisfactio finita fuit, & limitati valoris, indiguitque extrinſeca Dei liberali acceptatione, vt cenſeretur æquiualens. Neque vero Chriſtus multa cum proprietate dici poſſet à Paulo, factus nobis iuſtitia, ſi ſatisfactio pro nobis exhibita ipſa indignit Dei gratia, & acceptatione liberali. Id prætærea, quod in teſtimonio ibidem citato ad Coloſ. 2. dicitur, ſcilicet, *traduxit confidenter palam, &c.* Illud. n. verbum, *confidenter*, ſatisfactionem denotat ex toto rigore iuſtitiæ factam per æquiualentem, & infinitã ſatisfactionem. Præterea ad Roman. c. 5. multus eſt S. Paul. in explicanda ſatisſactionis Chriſti abundantia. Cuius verba referam, & expendam dub. ſequenti, cum explicabitur Chriſtum ſatisfeciſſe de toto iuſtitiæ rigore. Fauet etiam quamplurimum illud quod dudũ referebamus ex c. 10. Iſa. *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam*, inundatio enim iuſtitiæ Chriſti, quid aliud deſignat, quã immenſitatẽ eius, & infinitatẽ? Diximus iã iſtũ locũ de Chriſto eſſe intelligẽdũ: ipſe. n. Chriſtus verbũ eſt abbreuiatũ, vt 70. interpretes tranſtulerunt, vel vt noſtræ vulgatæ interpres vertit, *conſummatio abbreuiata* dicitur, nã ipſo quaſi breui quodã compendio, & epilogo cõſũmauit Deus omnem ſuorum operum ſummam, cum verbum caro factum eſt, ac plenum gratię, & veritatis habitauit in nobis: In vno nãq. Chriſto Deum reperies, & hominem; cęleſtia, & terreſtria in vno coeũt ſuppoſito, imo & ſimul in vnum diues, & pauper. Nã in ipſo sũt oẽs theſauri ſapientiæ, & ſciẽtiæ Dei, & vno peccato excepto omnibus ipſe humanis miſerijs, & calamitatibus, pro nobis egenus factus, ſuccubuit. Hæc ergo abbreuiata conſũmatio ſuis meritis, & ſatisfactionibus tm̃ extulit corã Deo iuſtitiæ vexillum, vt altius eleuari minimè poſſit, Et ob id dicitur inundaſſe iuſtitiã. Qua iridẽ ex cauſa Pſ. 129. dicitur. *Copioſa apud eũ redemptio*, ſuper quem locum legendus eſt omninò Aug. & videnda ea Patrum teſtimonia, quæ dub. 3. ad probandum iuſtitiæ rigorem in Chriſti ſatisfactione aſſeremus; eamdem enim ferè vim habent ad ſatiſfactionis infinitatem probandam.

Sufficiat nunc in huius veritatis confirmationem vnum Clementem VI. Pont. Max. in medium afferre, qui in extrauag. vnigenitus de pœnitentiis, & remiſſionibus multa decernit in huius noſtræ concluſionis confirmationem; ſed tria potiſſimum dicit quę ſummopere ſunt ponderanda. Primum, quod non ſolum Chriſtus, quia Deus erat, ſufficiens fuit ad ſatisfaciendum pro vniuerſis hominum peccatis, verũ quod & vnica gutta ſanguinis eius, propter coniunctionem ad verbum, ad hoc ipſum erat ſufficientiſſima. Secundum quod theſaurus Eccleſiæ ex meritis, & Chriſti ſatisfactionibus conſtans infinitus eſt, & quod ob id exhauriri minimè poteſt. Tertium denique, quod merita Chriſti fuerunt infinita. Et quod idipſum ſit de Chriſti ſatisfactionibus cenſendum conſtat, tum ex paritate rationis, cum ex ipſo prædictæ extrauag. contextu, indifferenter enim Pont. ibi de ſatisfactionibus, & de meritis Chriſti loquebatur.

Sed quid obſecro dicent ad hanc tam apertam Pont. definitionem Authores, qui ſatisfactionum & meritorum Chriſti infinitatem negant, recurrent fortaſſis ad extrinſecam illam Dei acceptationem, qua Deus, inquiunt, Chriſti ſatisfactiones, & merita pro vniuerſis hominibus, imo pro infinitis ſi eſſent ſuſcepit, & acceptauit? Verum hæc acceptatio præter quã quod in tertio notabili dicebamus, ad Dei gratiã & miſericordiam potius pertinet, quã ad iuſtitiam, cuius actus ſunt ſatisfacere, & mereri, ac proinde impertinens eſt ad conſtituandam meriti, & ſatiſfactionis infinitatem, præſertim cum ſit prorſus extrinſeca, quæ nihil vel in ſatisfaciente, & merente, vel in ſatisfactione, & merito ponit. Præter hanc, inquam, rationem, quæ eſt efficaciſſima ad prædictam ſolutionem expugnandam, ex ipſo extrauagantis textu liquet huius ſolutionis debilitas. Etenim Pont. ibi ad infinitum ſatisfactionum, & meritorum Chriſti valorem ſtatuendũ minimè recurrit ad illam Dei acceptationem extrinſecã, ſed ad ipſam verbi cũ humanitate ſubſtantialem coniunctionem, inquit. n. quod Chriſtus, quia Deus erat, potuit humanum genus redimere, & pro illo ſatisfacere, & mereri. Certe ego vix reperio ſolutionẽ, quæ probabiliter poſſit hoc argumentum ex auctoritate Pontificia deſumptum diluere.

Scio dices hanc doctrinam non eſſe habendam, vt definitionem pontificiam, quia non id ex primaria intentione Pontifex definire intendebat, ſed de auctoritate concedendi indulgentias, quæ in Romano Pontifice reſidet ex intentione tractabatur, atque adeo doctrina de infinitate ſatisfactionum, & meritorum Chriſti non definitionis loco habenda eſt, ſed rationis adductæ ad explicandam definitionis veritatem. Rationes autem quibus Pontifices, & generalia etiam Concilia pro ſuis explicandis definitionibus

bus

Digitized by Google

bus afferre ſolent, non ſolidam ſemper auctoritatem obtinent, vt plerique Theologi varijs in locis adnotarunt. Bene quidem hæc ſe habent. Verum aduertat Theologus quam ex profeſſo, quamque de articulatim doctrinam iſtam de valore ſatisfactionum, & meritorum Chriſti Pont. in citata extrauaganti tradiderit, imò aduertat, quod non ſolum ibi Pont. definit poteſtatem Eccleſiæ ad concedendum indulgentias, verum etiam voluit ſtabilire theſaurum Eccleſiæ ex meritis & ſatisfactione Chriſti potiſſimum conſtare, ac minus principaliter ex Sanctorum ſatiſfactionibus, ad cuius theſauri indeficientiam explicandam, ad meritorum, & ſatisfactionum Chriſti infinitatem recurrit. Et cum communi loquendi modo ſcripturæ ſacræ, & Sanctor. Patrum hæc ſummi Pont. doctrina conueniat, non poteſt non eſſe certiſſima, & quæ in contraria ſententia plus temeritatis, quam probabilitatis relinquat. Mitum facio, quod Scot. adhuc non videtur admittere Chriſti ſatiſfactionē actu eſſe infinitam per extrinſecam Dei acceptationem. Nam dicere apparet, quod ſolum fuit acceptata actu pro ijs hominibus, qui de facto erunt, aut fuerunt in mundo, & pro eorum peccatis, quæ infinita non ſunt, & ſi congruentiam habuerit, vt poſſet pro pluribus acceptari.

Sed iam rationibus probatur iſta concluſio. Prima Chriſtus obtulit vitam ſuam, & ſanguinem ſuum Deo, imo & ſemetipſum in ſatisfactionem pro peccatis noſtris ad Eph. 5. *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo*, ſed res iſtæ ſunt infiniti valoris, & æſtimationis coram Deo: ergo Chriſtus obtulit Deo infinitum pretium pro redemptione noſtra, atque adeo exhibuit ſatisfactionem infinitam. Conſonat huic rationi id quod retulimus paulo ante ex Clement. 6. in extrauag. Vnigenitus, dicente, quod *qualibet gutta ſanguinis Chriſti, propter coniunctionem ad verbum ſufficiens erat ad redemptionem totius mundi*: conſentit etiam id quod Ambr. ait in præfatione in Pſ. 35. *bonum aurum ſanguis Chriſti, diues ad pretium, profluens ad lauandum omne peccatum*. Expendendum eſt illud verbum, *profluens*, denotat enim ſuperabundantiam ſuper omnia peccata, ſupra omnemque eorum poſſibilem malitiam, & grauitatem, atque adeo vim quandam ſatisfactoriam infinitam denotat. Sed de hac ratione, quæ in particulari videtur procedere, de quibuſdam Chriſti actionibus, videlicet, de circunciſione, in qua Chriſtus primitias ſui pretioſi ſanguinis pro nobis dedit Deo, de prolixa, & anxia in horto oratione cum ſanguineas Chriſti caro ſudauit guttas, de ipſa denique Chriſti paſſione, quæ tot, tantiſque tormentorum generibus fuit conſummata, in ſequenti cōcluſione dicemus latius, & nunc in communi probemus omnem Chriſti ſatisfactoriam operationem infiniti fuiſſe valoris.

Sit ergo ſecunda ratio. Operationes ſatisfactoriæ, atque etidem meritoriæ Chriſti Domini tantum proportionabiliter excedebant in valore ſatisfactionis, & meriti operationes noſtras, quantum perſona Chriſti in ratione perſonæ, excedit quamcumque perſonam creatam; ſed perſona Chriſti, in ratione perſonæ, excedit in infinitum omnem creatam perſonam: Ergo eius operationes in ratione meriti, & ſatisfactionis excedebant in infinitum omnes operationes elicitas à creata perſona. Maior probatur. Non poteſt negari quin valor moralis operationum proportionetur dignitati perſonæ operantis, nam quis negare poterit quin morali extimatione pluris debeat fieri operatio Regis. V. G. Genuflexio, quam operatio alterius hominis minoris dignitatis? Ergo valor operationis creſcit in ſuo genere proportionabiliter ad valorem perſonæ operantis: nam in qua, obſecro, alia proportione creſcere poteſt? Ergo ſi perſonæ ad perſonam fuerit infinita diſtantia in ratione perſonali, erit & ſimilis diſtantia inter earum operationes in valore morali ſatisfactionis, & meriti.

Confirmatur. Si quis, ex homine infimæ ſortis, & de media plebe, aſcendat ad nobilitatem, aut ad dignitatem grandem, continuo eius actiones in multo maiori habentur pretio, & quo altior fuerit dignitas, ad quam euehitur, eo pluris eius operationis etiā à prudentiſſimis, & grauiſſimis Reipublicæ viris æſtimantur. Manifeſtum ergo ſignum eſt, moralem operationum dignitatem, & valorem creſcere proportionabiliter ad perſonæ operantis dignitatē. Sed huius rei, quæ vel ſenſibus patet, & à nullo bene compoſito ingenio negari vix poteſt, rationem à priori reddere non eſt admodum facile.

Dicunt cōmuniter ſapientes Theologi, quod perſonæ qualitas, ſeu dignitas, etſi ſecundum ſe ſit circūſtantia in morali ordine conſideranda, tranſit tamē in rationem obiecti operationis: & idcirco tribuit ei valorem iuxta proportionem ſuæ perſonalis dignitatis. Verum hæc ratio non videtur huius rei punctū attigiſſe. Primo, quia non eſt certum, quod perſonæ qualitas tranſeat in rationem obiecti operationis, imo oppoſitum eſt certiſſimum, ſi ex ipſa non deſumatur ſpecifica operationis diuerſitas, de qua re 1. 2. q. 7. & q. 18. ſolent S. Thom. diſcipuli ad ſatietatem vſque tractare. Et quamuis in præſentia ſatis dicatur probabiliter, quod dignitas perſonæ Chriſti mutat ſpeciem moralem actionis, quia conſtituit illam formaliter in ratione cuiuſdam excellentis iuſtitię, qualis inter puram creaturam, & Deum nulla reperitur: at non ſemper eſt neceſſe, quod perſonæ dignitas ſpeciem actus mutet: nam ſatisfactio ducis eiuſdem eſt ſpeciei cum ſatisfactione militis, quamuis illa ſit iſta dignior propter maiorem perſonæ ducis qualitatem, quæ eſt quædam circunſtantia, quæ à Phyloſophis moralibus appellatur circunſtantia Quis. Iſta ergo ratio non eſt adæquata ad prædictæ veritatis explicationem.

Secundo ſic impugno eamdem rationem. Obiectum non confert actui totam ſuam dignitatem, & perfectionem, neque ex eo, quod obiectum ſit infinitum in ea ratione formali, in qua obijcitur actui, poteſt colligi ipſum actum infinitum eſſe in ratione talis actus. V. G. quamuis obiectum charitatis ſit ſūmum, & infinitum bonum, non tamen actus charitatis, quo nos diligimus ſummum bonum, aut quo ipſa humana Chriſti voluntas illud amat, infinitæ eſt perfectionis in ratione charitatis: ergo ex hoc quod dignitas perſonæ tranſeat in rationē obiecti, non ſequitur, quod dignificet actum iuxta proportionem ſuæ quantitatis, ita vt ſi infinita fuerit, conſtituat actū infiniti valoris moralis. Hac ergo prima ratione vti inſufficienti prætermiſſa ad aliam deueniamus, quæ

quibuſdam etiam doctiſſimis placet.

Et ratio ſecundo loco aſſignanda eſt, quod idcirco perſonæ circunſtantia auget, aut minuit operationis valorem iuxta ſuæ perſonalis dignitatis quantitatē, quia eſt circunſtantia quaſi intrinſeca operationi, & ipſi realiter coniuncta, ad eum modum quo intenſio actionis, quamuis ſit pura circunſtantia, neque in rationem tranſeat obiecti, auget valorem ſatisfactionis, & meriti in operatione iuxta ſui proportionem: nam actus. V. G. charitatis tanto magis meritorius erit, quanto magis fuerit intenſus, & ſi attingere poſſet infinitam intenſionem, valorem quoque infinitū meritorium aſſequeretur. Quod neque in obiecto, neque in alijs circunſtantijs locum habet, eo quod extrinſeca ſunt operationi.

Hec ſecunda ratio bonam certe probabilitatem affert. Fateor quidem, quod intenſionis exemplum adductum non in omnibus videtur quadrare, quoniā intenſio actus moralis eatenus operationem in valore meritorio aut ſatisfactorio dignificat, quatenus eam in ſemetipſa perfectiorem reddit intenſione reali, & intrinſeca, at perſonæ dignitas nullam realem, & phyſicam perfectionem ipſi inducit actioni. Vnde non ſatis apparet ex quo prouentat valor moralis quem ad ipſam refundit actionem. Sed huic obiectioni, vt prædictam ſecundam tueamur rationem, ſic reſpondebit Theologus, quod quia intenſio eſt circūſtantia purè intrinſeca actioni, idcirco vtraq; perfectione, & phyſica morali eam perficit. Et moralis quidem perfectio meritoria, & ſatisfactoria in phyſica perfectione fundatur, at perſona realiter quidem coniuncta eſt operationi, non vero eſt etintrinſeca. Vnde quia intrinſeca non eſt nequit operationem intrinſeca perfectione, & phyſica immutare & perficere; quia vero realem habet cum ipſa coniunctionem, vt ipſam inchoans, continuans, & perficiens moralem ei dignitatem, & valorem tribuit. Et quidem in hac parte illud eſt obſeruandum, quod in principio actiuo operationis duo reperiuntur, quorum vtrumque per ſe ad operationem efficiendam concurrit, nimirum. Quod. & Quo, principium Quod, dicitur ipſum ſuppoſitū operans. Quo, vero eſt forma per quam operatur. Cum, inquam, hæc duo in principio cuiuſuis humanæ actionis reperiantur, ſubſtantialis, & phyſica, vt ita loquar, ſpecies actionis non à principio. Quod, ſed à principio Quo, deſumitur, actio enim in formali ratione actionis á formali principio actiuo ſpecificatur, iuxta doctrinam traditam à S. Tho. 1. 2. q. 1. a. 3. A principio autem actiuo Quod, ideſt, à ſuppoſito, quod per formam talem efficit actionem, non eſſentialis ſpecies, neq; perfectio aliqua phyſica actionis deſumitur: prouenit autem ab ipſo moralis dignitas, & valor actionis, qui ad merendum, & ſatisfaciendum conducit.

Sed tandem tertiam adhibeo rationem, propter quam qualitas, & dignitas perſonæ in valorem moralem actionis iuxta ſuam proportionem refunditur. Quæ ratio in hoc conſiſtit, quòd is qui alteri ſatisfacit, non ſolum ſuam operationem, ſed & ſemetipſum illi ſubijcit. Et ſimiliter qui meretur ſeipſum, ſuamque perſonam ſubmittit in obſequiū eius, apud quem meretur, vnde cum ſatisfactio includat intrinſece ipſam perſonam ſatisfacientem, tanquam ſimul cum ipſa actione ſubmiſſam & ſubiectam ei cui fit ſatisfactio, nihil mirum, quòd in ratione ſatisfactionis includat totum ipſum valorem, qui deſumi poteſt ex perſonæ dignitate.

Hæc ratio, quæ apud me non leuis eſt ponderis, vel inde ſuadetur, quòd non in omnibus actionibus humanis dignitas perſonæ in ipſas actiones refunditur; non enim actus comedendi caponē maioris eſt valoris, abſolutè loquendo, in duce, quàm in milite; eſſet tamen dignior operatio ducis, operatione militis, ſi ad ſatisfactionem alicui faciendam referretur, nam genuflexio ducis corā priuato milite, ad ſatisfactionem ei exhibendam ordinata, multo eſſet maioris valoris, maiorisq; æſtimationis, & pretij, quam particularis militis. Ex quo veroſimilis fit aſſignata ratio, nimirū, q ob id in ſatisfactione creſcit moralis dignitas, & valor operationis, quia ipſe ſatisfaciens ſe ipſum humiliat, & ſubmittit ei cui ſatisfacit. Quod diximus de ſatisfactione, & merito proportionabiliter dicendum eſt in operationibus obedientiæ, obſeruantiæ, humilitatis, religionis, & in vniuerſum in illis omnibus actionibus, quæ ab inferiori ſuperiori, vel quaſi ſuperiori exhibentur.

Sed quid de actu charitatis dicemus? charitas enim in ratione formalis charitatis non eſt inferioris ad ſuperiorem, amor enim amicitiæ qualis eſt charitatis amor, æqualitatem potius, quam ſuperioritatem reſpicit, inter eos enim eſt amicitia, inter quos eſt iuſtitia, & e conuerſo, iuxta doctrinam ab Ariſt. lib. 8. Ethicor. traditam, & prouerbio fertur, quod non bene in eodem domicilio morantur maieſtas, & amor.

Reſpondeo, & primum dico, quod amor amicitię eſt potiſſima operatio, in qua operans ſe totum tradit ei ad quem operatur, nam is, qui verè amore amicitię amat, & ſe, & omnia ſua in obſequium amici habet parata, & expoſita, & ob id dici ſolet amicorum omnia eſſe communia. Neq; ob id tamen amor actus eſt inferioris ad ſuperiorem, ſed ad æqualem, quia poſtulat in altero extremo mutuam, & reciprocam traditionē, amor enim amicitiæ amor mutuus eſt, & reciprocus: quam rem ſufficiat in præſentia leuiter attigiſſe.

Secundo eidem obiectioni reſpondeo, quod licet charitatis amor hominis ad Deum ſit verę amicitiæ amor propter rationes aſſignatas à S. Thom. & ab eius interpretibus 2. 2. quæſt. 23. ar. 1. ex parte tamen hominis magnam inæqualitatem habet, quoniam homo non diligit Deum vt aliud bonum ſibi compar, & æquale, neque aut bonum partiale, & limitatum, ſed vt ſummè completum & totale bonum, & in quod homo, & ſeipſum, & bona ſua efficaci, ac totali directione, refert. In hoc autem charitatis amore manifeſta eſt ex parte hominis inferioritas, & totalis ſui ipſius traditio in obſequium Dei, quē ſuper omnia, & ex toto corde, & ex totis viribus diligit, iuxta præceptum Deut. 6. traditum. Et quidem licet meritum in ratione communi meriti forſan non expoſcat, quod merens ſeipſum totum in præmiatoris obſequiū ſubmittat, ſed ſat eſt, quod ei ſuas det operas, hoc tamen exigit neceſſario meritum, quod eſt hominis ad Deū: eo quod prima eius radix eſt ipſe charitatis effectus, quo homo ſe totum tradit, & ſubijcit Deo ſūmo bono. Et ob id regius vates. pſ. 72.

expli-

Digitized by Google

explicans ipſam charitatis vim, cui neque terra, neq; cœlum ſummè placent, ſed ipſa ſola ſummi Dei bonitas, inquit: *Deus cordis mei*, &c. Vocat Deum ipſum Deum cordis, id eſt, cordis dominum, plenarium eius dominium obtinens, & ius, per charitatis affectum ipſi Deo ſpontaneè traditum.

Hinc ſequitur, quod cũ Chriſtus in omnibus ſuis operationibus ex primaria intentione operantis, & ex ſubſtantiali & primaria actionis ſpecie ſe gereret cum Deo, vt inferiorem & minorem illo, ſeque proinde in Dei obſequium tradiderit, diuinæque eius voluntati ſe totum prout humanum erat ſuppoſitũ ſubijceret, non potuit omnis eius operatio, iuxta valorem & dignitatem perſonæ Chriſti in ſuo morali valore meritorio, & ſatisfactorio non creſcere, atq; adeo cum perſona Chriſti eſſet reuera infinita, infinitæque dignitatis, conſequens eſt dicamus vniuerſas Chriſti humanas operationes infiniti valoris extitiſſe, fuiſſeque proinde infinitè meritorias, & ſatiſfactorias. Et hæc eſt fundamentalis noſtræ concluſionis ratio, quam ij tantum qui eius vim, & radicem non intellexerunt, libera quadam dicendi contempſerunt audacia, negantes ſatisfactorijs Chriſti operationibus eum valorem quem & Sancti Patres, ac Pontifices grauiſſimi, imò & ſacræ literæ fere expreſſis verbis eis tribuerunt.

Sed iam vlterius in noſtræ concluſionis probatione progredior. Nulla operatio potuit eſſe dignior Chriſti operatione, etiam ſecundum abſolutam Dei potentiam, nam & ſi pater fieret homo, æquè perfectam, & dignam operationem efficeret quidem, digniorem vero nequaquam: Ergo Chriſti operatio fuit ſummè digna, ſummæque dignitatis, & valoris, quo maior nulli potuit creatæ operationi competere, atque adeo fuit infiniti valoris moralis.

Dicerent huic argumento contrariæ ſententiæ authores, quod illa operatio, quæ ab intenſiore gratia, & charitate, quã ſit intenſio gratię & charitatis Chriſti, proficiſceretur, ſm̃ ſe eſſet maioris valoris ſatisfactorij, & meritorij, quam Chriſti operatio, & tñ illi deeſſet illa acceptatio Dei extrinſeca, qua Deus Chriſti operationem acceptauit in compenſationem pro peccatis omnium hominum. Et cum poſſet Deus illam puræ creaturæ operationem ſimiliter acceptare in compenſationem pro peccatis totius mundi, conſequens ſit, quòd talis operatio eſſet ſimpliciter dignior, & maioris valoris, quam operatio Chriſti. Nam ſecundum extrinſecam acceptationem eſſent æquales. Secundum vero intrinſecam perfectionem, dignior eſſet & perfectior operatio à pura creatura elicita: Vnde ſimpliciter eſſet cenſenda dignior, & maioris valoris. Ita dixerunt quidam Chriſtiani homines, ſed ne quis eos male Chriſtianos arbitretur, quia tam humiliter, ne dicam viliter, de Chriſto, eiuſque actionibus ſenſerunt, eorum nomina ſilentio velare decreui. Et ſic arguo pro concluſione noſtra.

Sequitur ex contraria ſententia, quod operatio puræ creaturæ tanti poſſet eſſe valoris meritorij, & ſatisfactorij, quanti fuit ipſa Chriſti operatio. Conſequens magnam præfert abſurditatem, & falſitatem tam inſignem, vt nullus Sanctorum Patrum eam non exploderet tanquam Chriſti dignitati iniurioſam, ipſiſque proinde blaſphemiam, quod conſtabit ex teſtimonijs, quæ dubio ſequenti citabimus, in quibus nihil aliud Patres magis auerſantur, quam quod humani generis redemptio potuerit iuſta compenſatione, & ſatisfactione, qualis fuit Chriſti ſatiſfactio, per actionem puræ creaturæ fieri: Ergo, &c. Probatur ſequela, quia potuit Deus puræ creaturæ conferre intenſiorem gratiam, & charitatem ea, quam tribuit animæ Chriſti, potuitque ipſam acceptare pro vniuerſis peccatis omnium hominum ex Adam trahentium per naturalem generationem originem. Sed talis operatio in acceptatione extrinſeca æqualis eſſet operationi Chriſti, & in intrinſeca perfectione eam excederet: Ergo tam eſſet apta, imo & magis apta ad humanam redemptionem efficiendam illa puræ creaturæ actio, atque fuit operatio Chriſti.

Duæ poſſent huic argumento ſolutiones adhiberi. Altera, quod ille purus homo non poſſet pro ſe ipſo ſatisfacere, & pro peccato originali, in quo conciperetur, atque adeo non ſatisfaceret pro toto genere humano ex Adam deriuato. Sed huic ſolutioni facillimè occurritur. Nam ſupponamus, quod Deus aſſumeret Angelum ad humani generis redemptionem faciendam, qui nulla pro ſe ſatisfactione egeret, aut vero quod formaret hominem miraculosè, qui nullum proinde originale peccatum contraheret, ſed in ſtatu innocentiæ ſicut primus parens conderetur.

Secunda ſolutio, quæ apparet veroſimilior eſt, quod licet dignitas perſonæ Chriſti non contulerit ſuis operationibus infinitum valorem ſatisfactoriũ, & meritorium, contulit illis tamen valorem aliquem, quo non perficeretur operatio à pura creatura elicita, quantacumque gratia & charitate fuiſſet exornata.

Hæc ſolutio citra dubium non nihil habet probabilitatis, nam cum inſtat replica contra illam in hũc modum. Illa perfectio prouenìens operationi Chriſti ex dignitate perſonę, non eſt infinita, vt admittit prædicta ſolutio: Ergo poteſt adæquari per aliam perfectionem, quam Deus tribueret operationi elicitæ à pura creatura, imo poſſet excedi: nam omnis perfectio finita, ab alia perfectione finita maiori vinci poteſt, ſi abſolutam præſertim attendamus Dei potentiam. Fingamus enim, quod illa perfectio, quę ex dignitate perſonę Chriſti in eius operationem refunditur, ſit vt centum. Tunc ſic poterit Deus dare operationi puræ creaturæ perfectionem vt mille, infundendo illi habitum gratiæ intenſiſſimum, & ſpecialiſſima ei auxilia conferens: Ergo non ſolum adæquabit, ſed & ſuperabit prædictam Chriſti operationis perfectionem.

Huic tamen replicæ probabilis occurrit ſolutio, quæ efficaci argumento conuinci falſitatis non poterit. Solutio autem ea eſt, quod valor ille ex dignitate perſonæ ad humanam Chriſti operationem deriuatus, & ſi finitus ſit, & limitatæ perfectionis, eſt tamen alterius rationis, & ordinis ab omni alio valore, qui aliunde poteſt ad operationem puræ creaturę deuenire, nam eſt valor perſonalis, & non formalis, qui proinde intrinſecam habet, & formalem habitudinem ad perſonam ex qua prouenit: atque adeo quantumcunq; creſcat perfectio ex intẽſione gratiæ, & charitatis in operatione elicita à pura creatura,

Digitized by Google

nunquam tamen attinget ad hunc perſonalem valorem, ac proinde neq; eſſe poterit æquiualens, & ſufficiens compenſatio pro aliquo mortali peccato, ſecundum illam grauitatem quam contrahit, ex diuina maieſtate offenſa. Nam huic grauitati nullus alius ſatisfactorius valor proportionari poteſt, neque eſſe ſufficiens ad iuſtam compenſationem, præter valorē perſonalem, qui ex infinita ſatisfacientis perſonæ dignitate ad operationem ſatisfactoriā deriuatur. Eſt enim formalis & intrinſeca correſpondentia inter ſatisfactionem, & offenſam, vt grauitas ex dignitate perſonæ offenſæ in culpa reſultans non alio ſatisfactoris valore compenſetur, niſi eo, qui ex perſona ſatisfaciente penſatur.

Poſſemus huius rei ex doctrina S. Tho. aliquale afferre exemplum, dicit enim ipſe, quod quantumcumq; creſcat viatoris gratia, etiam ſi intenſione excedat gratiam cuiuſque beati, imò & omnium beatorum, nunquam tamen accedet ad perfectionem propriam gratiæ beatificæ, & quæ eſt in beatorum minimo, eo quod ſecundum quemdam modum gratia beatifica alterius eſt rationis, & ſpeciei à gratia viatrice. Adhibet exemplum S. Thom. quantumcumq; inquit Leo intra naturam Leoninam creſcat, nunquam perueniet ad Elephantis perfectionem, eo quod ſunt perfectiones alterius ſpeciei. Ob ſimilem ergo cauſam ipſe dicerem, quod valor perſonalis operationis Chriſti à nullo alio valore quantumcumque magnus ſit, & excellens adæquari poterit. Et ob hanc cauſam poſſet dicere, qui negauerit infinitatem ſatisfactionis Chriſti, quod ad iuſtam humani generis redemptionem neceſſaria fuit verbi incarnatio, & eius operatio ſatisfactoria, quoniam in nulla operatione puræ creaturæ, poterit etiam per abſolutam Dei potentiam repetiri valor ille perſonalis, aut alius, qui eius vicem ſuppleat, per quam poſſit compenſare pro peccato quantum ad illam aliqualem infinitatem, quam omnes agnoſcunt Theologi ex diuina maieſtate offenſa ad peccatum deriuatam.

Hæc ſolutio, vt dixi, mihi adeo apparet veroſimilis, vt exiſtimem, quod hæc vltima ratiò, quam pro noſtra concluſione formauimus, quamuis apud pleroſque graues Theologos ſatis habeatur celebrata, non ſolidum tamen continet noſtræ cōcluſionis fundamentum, quia per aſſignatam ſolutionem facilè euadimus illud illatum inconueniens, in quod iſta ratio inducere conatur contrariæ ſententiæ authores. Fateor quidem authoribus contrariæ ſententiæ hanc ſolutionem non occurriſſe fortaſſis, & ob id valde tertia illa ratione à nobis facta pro concluſione premuntur. Expendatur hoc in loco illa Caietan. regul. 1. par. quæſt. 55. quod res vna ſuperioris ordinis, etſi limitata, & finita, æquiualet infinitis rebus ordinis inferioris in virtute, & poteſtate, adhibet ipſe exemplum in ſpecie intelligibili ſuperioris Angeli, quæ cum ſit finita, æquiualet multis ſpeciebus Angeli inferioris. Ex qua doctrina ad præſens inſtitutū poſſet Theologus inferre, quòd quia Chriſti ſatisfactio, etſi finita ſit, & limitata, quia tamen eſt ſuperioris ordinis ad omnem creaturæ puræ ſatisfactionem comparata: Idcirco in virtute ſatisfactoria æquiualet infinitis ſatisfactionibus, ab infinitis puris hominibus, & Angelis prouenientibus: ac proinde potuit pro vniuerſis humani generis peccatis ſufficiens eſſe compenſatio. Non ergo huic poſtremæ rationi valde fidendum eſt in hac prima concluſione tuenda. Sed ad præcedentia motiua, & fundamenta eſt recurrendum.

§. 4. *Secunda Concluſio.*

SEcunda concluſio. Illa operatio, qua Chriſtus ſeipſum, ſuam vitam, ſuumque pretioſum ſanguinem pro vniuerſis hominum peccatis obtulit, duplici infinitatis titulo infinitè fuit ſatisfactoria. Hæc concluſio primo explicatione eget, & ſuppoſitis his, quæ hactenus diximus, non tam probationem, quam ſui explicationem efflagitat.

Notandum eſt ergo, quod in prædicta Chriſti ſatisfactione duplex videtur reperiri infinitas, altera, quæ ex infinitate ſatisfacientis perſonæ proueniebat, & altera, quæ ex infinitate rei oblatæ deſumebatur, Prima quidem omni Chriſti operationi ſatisfactoriæ fuit communis, vt ex ante dictis conſtat. Secunda vero ad eam tantum operationem pertinebat, quam nunc ſpecificauimus in ſecunda illa concluſione. Et quidem de priori ſatisfactione ſatis, ni fallor, diximus in concluſione præcedenti, & ſi quæ ſuperſunt dicenda; in argumentorum ſolutionibus explicabuntur. De poſteriori vero infinitate nonnulla dicere oportet: neq; enim omnes Theologi hanc infinitatem ex re oblata deſumptam in Chriſti ſatiſfactione libenter admittunt, ad quam eliminandam ſic arguunt.

Primo. Si infinitas rei oblatæ ſufficiens eſſet ad conſtituendam ſatisfactionem infinitam ſimpliciter in ratione ſatisfactionis, ſequitur, quòd illa oblatio, qua B. Virgo in templo obtulit filium ſuum Ieſum Chriſtum, fuit valoris infiniti, fueritq; infinita ſimpliciter ſatisfactio: atque adeo ſufficiens ad ipſam humani generis redemptionem operandum; conſequens nullatenus admittēdum apparet, quoniam tunc humani generis redemptio B. Virgini eſſet tribuenda, cum oblatio ab ipſa fuerit facta: ergo, &c. Sequela inde videtur manifeſta, quòd B. Virgo tunc obtulit Deo infinitum pretium: ergo, &c.

Secundo quamuis res oblata ſit infiniti valoris, ſi oblatio fuerit actio valoris finiti, limitat valorē, qui deſumi poterat ex re oblata, propter quam cauſam graues quidam Theologi cum Mag. Sot. in 4. d. 13. dicunt ſacrificium altaris finiti eſſe, & limitari valoris, quia licet res oblata ſit ſimpliciter infinita, & valoris infiniti, limitatur tamē in ordine ad valorandum ſacrificium, ab actione Sacerdotis offerentis, quæ eſt actio limitata, & finita, ergo res oblata non ſufficit ad conſtituendam ſatisfactionis infinitatem, quantumcumque ipſa ſecundum ſe infiniti ſit valoris.

Tertio ſic ipſe argumentor in huius ſententiæ patrocinium. Sequitur ex ſententia contraria, quòd in Chriſti operatione duplex ſimpliciter reperiebatur ſatisfactionis infinitas. Altera ex infinitate pretij oblati deſumpta, & altera ex infinito ſatisfacientis valore proueniens. Conſequens eſt falſum: ergo, &c. Sequela manifeſta apparet ex prædicta ſententia, probo autem falſitatem conſequentis. Repugnat dari duo infinita ſimpliciter, ſiue duas

ſim-

Digitized by Google

ſimpliciter infinitas formales rationes in eadẽ ſpecie: ergo impoſſibile eſt, quod in vna, & eadem Chriſti operatione duæ reperiantur infinitę rationes formales intra eandem ſpecificam, & formalem ſatiſfactionis rationem. Confirmatur. Si vtraque ratio eſt infinita per ſe, & ſeorſum conſiderata, ergo ſimul ſumptæ maiorem efficient ſatiſfactionis infinitatem, ſed infinitum creſcere ea ratione qua infinitum, eſt omnino impoſſibile: nam ſi creſcit, non poteſt non eſſe finitum, & ſupponitur alias eſſe infinitum, atq; adeo finitum ſimul eſſet, & infinitum, quæ manifeſta eſt contradictio.

Dices forſan, quod infinitas, quæ ſumitur ex parte ſatiſfacientis alterius eſt rationis, & ſpeciei, ab ea quæ ſumitur ex parte pretij oblati, nihil autem inconuenit, quod in eadem operatione conueniant duæ rationes formaliter diuerſæ ſimpliciter infinitę.

Contra ſic arguitur. Illa infinitas, quæ ſumitur ex parte pretij eſt infinitas ſatiſfactionis, ſeu quod eſt idem, ſatiſfactoria, ergo eſt eiuſdem rationis moralis cum infinitate, quæ ſumitur ex parte ſatiſfacientis, quoniam hæc poſterior infinitas citra dubium eſt ſatiſfactoria, atque adeo intra eandem rationem formalem ſatiſfactionis duo reperiuntur infinita, ſeu duæ formales rationes ſimpliciter infinitæ. Antecedens apparet manifeſtum, nam ratio pretij per ſe pertinet ad formalitatem ſatiſfactionis: ergo infinitas inde ſumpta ad formalem ſatiſfactionis rationem attinet.

In hac re dicam quid ipſe ſentio, nã quid ſentiant alij vix poſſum referre. Quia nihil aliud ſpecialius reperio in Theologorum diſputationibus explicatum, & definitum, præterquam quòd quidam affirmant, illam ſententiam dudum à me citatam, puta, quod ex infinitate pretij nequit deſumi infinitus valor ſatiſfactorius. Plerique autem Theologi contrarium ſentiunt, exiſtimantes, quòd in Chriſti operatione, qua ſeipſum patri in cruce obtulit, reperitur ſatiſfactoria infinitas, quæ ex infinitate rei oblatæ deſumitur. Ego vero ita ſentio, quòd in operatione Chriſti, qua ſatiſfecit patri, in illa videlicet, qua Deo propriam vitam, & ſanguinem, pro noſtris peccatis obtulit, conſiderandæ ſunt quatuor illæ rationes, quas ſuperius cum S. Thom. diſtinximus, & quæ habent in ſacris literis ſolidiſſimum fundamentum nimirum, ſacrificij, ſatiſfactionis, ſanctificationis, & redemptionis. Tunc dico, quòd Chriſtus patri oblatus, eiuſque pretioſiſſimus ſanguis in cruce effuſus in ratione pretij formaliter conſideratus ad ſolam pertinuit formalem redemptionis rationem, nam ſatiſfactio non fit pretio propriè loquẽdo, vilis, n. reputatur ille, qui pretio ſuũ æſtimat honorẽ, & qui cõpenſationem honoris per iniuriam læſi vult ſibi fieri pretio. Et cõfirmo. Ex eo, quod dicebam ſuperius, puta, ſatiſfactionem non in ſatiſfacientis commodum per ſe primo fieri, ſed eius cui fit ſatiſfactio. At qui pretium offert, per ſe primo intendit ſibi aliquid tali pretio acquirere. Et hæc eadem fere ratio demonſtrat, quod formalis ratio pretij non pertinuerit ad propriam, & formalem ſacrificij rationem. Nam res quæ immolatur, & ſacrificatur Deo, non ordinatur ad emendum aliquid à Deo, ſed ad religioſam, & ſubmiſſam venerationem illi exhibendam, in recognitionem ſuę celſitudinis. Quæ formalis ratio in omni ſpecie ſacrificij ſeruatur. Sed neque vero pretij ratio ad ſanctificationem ſpectat, etiam ſi nomine ſanctificationis meritoriam Chriſti iuſtitiam, qua nobis ſpiritualia, & omnia ſanctificatiua dona meruit, comprehendamus. Nam qui meretur, nullũ prẽmiũ pretiũ offert, ſed operationes ſuas, & omne ipſarum emolumentum in bonum ipſius pręmiatoris refert, vnde ius ei oritur, vt ex bonis pręmiatoris aliquid accipiat. Sola ergo redemptio eſt, quæ formaliter celebratur pretio, nam qui redimit quempiam ſiue ex iuſta, ſiue ex iniuſta ſeruitute, eumq; in priſtinam conſtituit libertatem, niſi vi, aut fraude vtatur, neceſſum eſt exhibeat iuſtum pretium, quo ipſa redimendi libertas æſtimatur. Et hinc fit, quod humani generis redemptio, quatenus fuit pretio celebrata, emptio à Sancto Paulo 1. Corint. 6. vocatur.

Quo ſuppoſito, vt diſtinctius, & breuius rem iſtã exponam, dico primum: Redemptio humani generis, in ratione formali redemptionis præciſè conſiderata, non ſumit valoris infinitatem à perſona redimente, ſed à pretio pro libertate redemptorum oblato. Hæc aſſertio pro ſecunda parte, nimirum, quod redemptionis infinitas ex pretij dignitate fuerit deſumpta, neſcio qua poſſit ratione negari: Cum Apoſtoli Petrus, & Paulus locis ſuperius citatis magnitudinem, & æſtimationem redemptionis humanæ ad ipſam pretij granditatem, & excellentiam reuocauerint, *empti enim eſtis pretio magno, &c.* dicebat Paulus, & Petrus dixit, *non corruptibilibus auro, & argento, &c.* Et Sancti Patres, quorum teſtimonia retulimus hactenus, & referemus poſtea, manifeſtè redemptionis noſtræ valorem ad eandem pretij infinitatem reducunt. Quæ veritas ſummoperè firmatur ex eo, quod Clemens Sextus in extrauag. citata dicit, quod quælibet gutta ſanguinis Chriſti, propter coniunctionem ad verbum, ſufficiens erat pretium pro vniuerſis mundi peccatis. Ratione itidem eandem ſententiam probo. Potiſſima emptionis ratio, prout eſt formaliter emptio, ex pretio penſatur: Ergo qualitas eius, & quantitas ex pretio quoque deſumitur. Sed redemptio, vt dicebam, non eſt aliud re ipſa quam emptio quædam: Ergo ex infinitate pretij humanæ redemptionis, ipſa redemptionis infinitas fuit deſumpta. Prior autem pars aſſertionis eiuſdem probatur.

Primo in emptione, & venditione parum aut nihil conſiderantur qualitas, & dignitas ementis, & vendentis, ſed ad merces, & pretium tantum habetur reſpectus, neque pluris æſtimatur pretium in venditione exhibitum à Rege, quam ab homine priuato: ergo cum redemptio in ratione formalis redemptionis conſiderata, fuerit quædam emptio, qua Chriſtus dato ſui pretio libertatem, quam humanũ genus per peccatum amiſerat, emit à Deo: ad valorẽ redemptionis formaliter conſideratæ, non per ſe attinebat dignitas redimentis perſonæ.

Secundo probatur eadem pars. In ſatiſfactione, & merito ob id operantis dignitas ipſam ſatiſfactoriam, & meritoriam actionem dignificat, eiuſque proportionabiliter valorem auget, quia is, qui ſatiſfacit, & meretur, non ſolum propriam operationem, ſed & ſemetipſum ſubijcit, & ſubmittit in obſequiũ eius, apud quem meretur, & cui ſatiſfacit, vt paulo

ſuperius diximus, & explicuimus: ſed in redemptione, præciſè conſiderata in ratione formali redẽptionis, redemptor pretium quidem tradit in poteſtatẽ eius à quo captiuum redimit, non vero ſeipſum illi ſubmittit, & ſubijcit: non enim ſe humiliat coram illo, aut aliquid facit huiuſmodi ad rationem perſonalis ſubiectionis ſpectans, ſed ita ſe habet in emendo captiui libertatem, atque ſi ſimili pretio equum emeret: ergo, &c. Ex quo inſero, quod ſi præciſè ad rationem redemptionis attendamus, & ea ſola conſideranda fuiſſet in humanæ redemptionis opere, ſi pura creatura. V. G. Beata Virgo offerret Deo Chriſti ſanguinem, & vitam, aut ipſummet Chriſtum pro redemptione humani generis, de facto illud redimeret: quia dignitas redimentis in formali redemptionis ratione non eſt per ſe conſideranda, ſed ad valorem pretij duntaxat eſt attendendum. Quam autem ob cauſam B. Virgo cum filium ſuum in templo obtulit, non fuerit humani generis redemptionẽ operata, paulo poſt dicemus.

Dico ſecundo in ſacrificio crucis, quo Chriſtus ſemetipſum obtulit patri, eiuſque valore, & infinitate, non per ſe primo attenditur res ipſa exterius oblata, ſed ipſa interior rei eiuſdem oblatio. Ad huius aſſertionis intelligentiam, ſupponendum eſt ex his, quæ dici ſolent. 2. 2. q. 81. & 3. par. q. 83. ar. 1. quod in ſacrificio per ſe attenduntur actus ſacrificantis, quibus rem ſacrificatam conficit, frangit, conterit, & commolitur in Dei venerationem, & cultum (Quod eſt facere ſacrum, remque ipſam Deo ſacrare) quæ tamẽ exterior rei oblatæ confectio, fractio, & cõmolitio non conſideratur abſolutè, vt in re illa materiali ſit, ſed prout eſt ſignum interioris animi confractionis, & contritionis, & cõmolitionis, qua ſacrificantis animus in ſemetipſo interius conficitur, conteritur, frangitur, & quaſi in nihilum redigitur coram Deo, ipſam Dei recognoſcens maieſtatem, & excellentiam, ex qua vniuerſa pendent. Vnde præcipuus ſacrificij valor non ex re externa circa quam fit ſacrum conſiderandus eſt, ſed ex interiori potiſſimum animi religioſa, & ſacra fractione, & commolitione attenditur. Nam quia iſtam internam ſacrationem, & religioſam animi confractionem deſignat, illa externa rei oblatæ confectio, & confractio, idcirco grata eſt, & accepta Deo: at propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt habet commune proloquium. Vnde merito Dauid pſal. 50. dicebat, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Quare valor, qui in ſacrificio ſumitur ex re primario oblata, & ſacrificata, reuera coincidit cum valore ſumpto ex ipſo ſacrificante. Quia ſacrificij actio ſua natura eſt reflexiua ſupra ſacrificantem, qui eſt primaria, internaque hoſtia principaliter immolata. Quo fit, vt in cruento illo ſacrificio, quod Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorũ bonorũ in cruce obtulit Deo, potiſſimus valor, præcipuaque eius dignitas, non in externa carnis Chriſti viſibili vulneratione conſiſtebat, ſed in interno ipſius Chriſti animi dolore, internaque plenaria ſubiectione ad Deum, qua ſe totum Deo dicauit, & ſacrauit, cor ſuum coram Deo totum effundens, conterens, comminuens, & quaſi in nihilum redigens, ipſamq; Dei maieſtatem ſumma veneratione recognoſcens, & totum ſuum humanum eſſe illi penitus ſubijciens. Cuius interni ſacrificij, & ſpirituali animi fractionis, & commolitionis manifeſtiſſimum ſignum fuit illa ſenſibilis carnis Chriſti vulneratio, & contuſio, quam ipſe Chriſtus nõ ſolum ſumma cum patientia ſuſtulit, ſed & ſpontanea voluntate acceptauit, *oblatus eſt* enim, *quia ipſe voluit*, Iſa. 53.

Ex his ſequitur primo, quod niſi illa interior immolatio Chriſti ſummè, & infinitè fuiſſet grata Deo, ipſa exterior immolatio, quamuis facta fuerit circa perſonam infiniti valoris haudquaquam ſummè accepta, & grata Deo fuiſſet.

Sequitur ſecundo, quod ſicut in actu interiori, & exteriori non ſunt duæ bonitates morales, ſed vna & eadem formaliter, iuxta probabiliorem ſententiã, quam docuit S. Tho. 1. 2. q. 20. ita in ſacrificio crucis non fuerunt duo valores, duæq; dignitates infinitæ, ſed vnus & idem infinitus valor formaliter fuit in vtraque oblatione, & multo formalius in interiori, quam in exteriori, eo quod exterior immolatio non habuit rationem religioſæ oblationis, religioſiq; ſacrificij, niſi quatenus coniungebatur cum interiori, & prout erat effectus, & ſignum eius.

Sequitur tertio, quod in ſacrificio crucis valor operantis, ideſt, ſacrificantis coincidebat cum valore rei ſacrificatæ, & immolatæ, primo quidem & principaliter immolatione ſpirituali, & ſecundario, & minus principaliter immolatione externa, & ſenſibili. Coincidebant enim in vnum Sacerdos, & ſacrificiũ, non ſolum ſicut in alijs omnibus ſacrificijs, in quibus vt nunc dicebam, res quæ primo, & principaliter offertur eſt animus & cor principalis offerentis, & ſacrificantis. Nam hoc ad oblationem tantum internam pertinet, at in ſacrificio crucis & interna, & externa immolatione coinciderunt ſacrificans & hoſtia, ſacrificium & ſacerdos. Sed valor ſacrificij non tam deſumebatur ex infinita rei ſacrificatæ dignitate, prout terminabat externam immolationem, quã prout fuit res interiori ſacratione, & immolatione oblata & ſacrificata. Et hoc quidem per ſe pertinet ad ipſam formalem ſacrificij rationẽ, ſic adeo quod ſi tollatur dignitas rei interius immolatæ, neceſſe eſt auferatur tota ſacrificij dignitas, totuſque eius valor: quoniam eſt de intrinſeca ratione ſacrificij, immolationiſque gratæ Deo, quod immolatio reflectatur ſupra ipſum ſacrificantem. Loquor autem de ſacrificio, in quo ſacrificans non ſe habet miniſterialiter alterius perſonam agens, ſed vt principale operans. Ex quibus tandem ſequitur, quod ſi Chriſtus immolaret hœdum vel agnum, eius ſacrificium in ratione ſacrificij ſimpliciter eſſet tanti valoris, atque fuit ſacrificium, quo ſeipſum immolauit in cruce. Et hoc quidem non ſolum ex præciſa dignitate offerentis, & ſacrificantis, ſed etiam ex parte rei primario, & principaliter immolata ſpirituali & interna immolatione, cuius ſignum eſſet illa exterior immolatio in hędo aut agno facta. Hoc patet, quoniam, id poſtulante religioſi ſacrificij, & immolationis ratione, hoſtia per ſe primo, & principaliter oblata, & immolata non eſſet agnus, ſed ipſemet Chriſtus ſecundum internam & ſpiritualem immolationem, qui immolatione viſibili, & externa fuit in cruce immolatus.

Dico tertio. In ſatisfactione, qua Chriſtus ſatisfecit Deo in cruce, valor infinitus ex dignitate perſonæ

ſatiſ-

Digitized by Google

ſatisfacientis deſumptus erat vnus & idem cum valore, qui ex ipſa Chriſti vita, & eius ſanguine deſumebatur: Et hoc non erat accidentarium ſatisfactioni, ſed per ſe & eſſentiale ad rationẽ ſatisfactionis. Huius ratio ea eſt, quoniam ſatisfactionis Chriſti infinitas non ſumitur ex ſola ſatisfacientis perſona extrinſecè conſiderata per modum tantum agẽtis extrinſeci, ſed potius conſiderata, prout ingreditur ſatisfactionem, eſtque quaſi pars eius intrinſeca, quatenus ſatisfaciens ſeipſum ſubmittit, & ſubijcit ei cui ſatisfacit, quod ſuperius explicuimus: ergo valor ſatisfactorius paſſionis Chriſti, qui conſurgebat ex dignitate vitæ, & sãguinis Chriſti, quatenus Chriſtus vitam ſuam poſuit, ſuumque pręcioſiſſimum fudit ſanguinem, in honorem, & eximiam Dei reuerentiam, vt ſcilicet, Deo is redderetur honor, quem peccatum ſi non effectu, affectu tamen abſtulerat, & in quandam humillimam veniæ petitionem, pro iniuria, & offenſa ipſi per peccatum irrogata, iuxta illud Philippen. 2. *humiliauit ſemetipſum, &c.* Totus præhabebatur incluſus in ipſa ratione ſatisfactionis internæ, qua Chriſtus ſe totum Deo ſubiecerat, & ſubmiſerat in eius gloriam, & honorationem, ad compenſandum pro iniuria contra diuinam maieſtatem commiſſa. Itaq; loqui debemus in hac parte proportionabiliter ad eum modum, quo ſolemus loqui de bonitate actus exterioris ad interiorem comparati. Quod diximus de ſatisfactione, proportionabiliter eſt dicendum de merito, de ipſaq; Chriſti operatione, ſecundum quod fuit meritoria noſtrę ſanctificationis & gratiæ. Itaque in omnibus illis Chriſti actionibus, quæ eſſentialiter ſubiectionem, & ſummiſſionẽ operantis important. V. G. obedientiæ, humilitatis, religionis, &c. quarum proinde valor ſumitur ex dignitate perſonæ operãtis, non præcisè vt operans eſt, ſed vt ingreditur ipſam operationem veluti pars eius, iuxta modum dudum expoſitum, non ponebant in numero, neque ponere poterant dignitas, & valor actionis ex operante proueniens, & valor ille, qui ex ipſa perſona Chriſti deſumebatur tanquam ex materia, ſeu obiecto talis operationis. Quoniam ipſemet Chriſtus prout operans ingrediebatur, vt dixi, ipſam actionem in ratione actionis, & ſic cõferebat ei omnem dignitatem, omnemque illum valorem quam quocumque alio modo ſiue per modum materiæ, ſiue per modum obiecti, ſiue etiam per modum pretij ad ipſam operãtionem comparatus, valeret ei tribuere. Vnde in quolibet actu ex prædictis erat infinitus valor, infinitaque dignitas, neque vnus poterat dignior eſſe, maioriſq; valoris alio, etſi Chriſtus eſſet materia vnius. V. G. ſacrificij crucis, & non alterius, ſcilicet, obedientiæ, humilitatis, &c.

Quibus ita ſuppoſitis, ad illa tria argumenta, quæ pro quorumdam opinione Theologorum fecimus, ſigillatim erit reſpondendum.

Ad primum dicitur, quod duplici ex cauſa Beata Virgo per illam oblationem, qua filium ſuum obtulit in templo non redemit genus humanum. Prima, quoniam Chriſtus datus quidem erat ei vt filius, nõ vero vt poſſet illo vti tanquam pretio, in iſto vel in alio contractu, vel cum Deo, vel cum hominibus celebrato. Non enim ipſa dominium habebat Chriſti, vt poſſet illum offerre Deo in pretium redemptionis humanæ.

Secunda cauſa, quoniam liberatio generis humani à dæmonis ſeruitute, non potuit fieri per purum hominem, quantumcunque eſſet ingentis, & infiniti valoris: ſed neceſſaria ſimul erat virtus ſacrificij valoris quoque infiniti: atque itidem egebat operatione, quæ infinitam haberet vim ſanctificatiuam: Eo quod ſeruitus qua humanum genus tenebatur captiuum, & in dæmonis tyrannidem traditum, introducta fuerat per mortale peccatum, ad cuius reparationem hęc omnia ſunt neceſſaria. Quoniam ergo Beata Virgo neque per modum ſacrificij, neque per modum ſatisfactionis, neque per operationem ſanctificatiuam humanum potuit genus reparare, idcirco oblatio, qua obtulit Chriſtum, non fuit redemptiua generis humani, quamuis in ea fuerit oblatum Deo infinitum pretium, quod in ratione pretij ſufficiens erat ad ipſam humani generis redemptionem.

Ad ſecundum argumentum, admiſſa illa ſententia (quæ tamen apud me non magna probabilitate pollet, eo quod Sacerdotis actio miniſterialis eſt, & non ſimpliciter eſſentialis ad rationẽ ſacrificij) Reſpondeo, quod operatio Chriſti, vel inquantum fuit vera immolatio, vel inquantum fuit ſatisfactoria, vel denique, prout erat animarum ſanctificatiua, fuit infiniti valoris, infinitæque moralis efficaciæ, atque adeo nullatenus limitare potuit valorem ex infinitate pretij, vel infinitate obiecti, ſeu materiæ prouenientis. Quin potius ipſa operatio in ſua propria ratione præhabuit inhibitum hũc omnem valorem, vt dudum dicebamus.

Ad tertium argumentum neganda eſt ſequela. Dico enim, quod in operatione Chriſti conſiderata præcisè in ratione redemptionis, fuit formaliter valor ex infinitate pretij deſumptus, non vero ex infinitate operantis perſonæ, prout operante. In eadem autem operatione, ſecundum tres alias rationes conſiderata, fuit infinitus valor deſumptus ex dignitate perſonæ operantis, quatenus, vt dicebam, ingreditur ipſam operationem, veluti aliquid eius, & veluti materia circa quam ipſa operatio reflectitur, ſecundum quòd operans ſeipſum humiliat, ſubijcit, &c. Et quoniam hac ratione operatio ſuſcepit à perſona Chriſti omnem eum valorem, quem Chriſtus vel in ratione materiæ, vel in ratione obiecti, vel in ratione finis, poterat eidem operationi præſtare, idcirco operatio ſecundum tres iſtas rationes nullum alium valorem ex dignitate Chriſti participat, præter eum quem ſuſcepit ab ipſo tanquam ab operante, ad modum expoſitum. Et quidem quamuis Chriſtus ſecundum ſuã dignitatem conſideratus poterat in ratione rei oblatæ, vel in ratione materiæ circa quam, infinitum eidem operationi conferre valorem, nullum tamen de facto contulit, eo quod præſuppoſuit in ipſa operatione omnem huiuſmodi valorem ab ipſomet Chriſto ſub alia ratione collatum, nimirum, ſub ratione operantis, ſuper quem ipſa quaſi reflectitur operatio. Ex his ſoluta ſupereſt argumenti confirmatio.

Ex quibus omnibus colligitur intelligentia noſtrę ſecundæ concluſionis, in qua minimè aſſerimus geminum, eumque infinitum reperiri valorem, alterum ex operante, & alterum ex re ipſa, vel per modum pretij, vel per modum hoſtiæ, vel alia quauis ratione

Digitized by Google

tione conſiderata deſumptum. Nam cum idem ſit omnino Chriſtus, & eiuſdem prorſus virtutis, quatenus eſt operans, & quatenus pretium eſt, & res oblata; non poteſt diuerſum conferre valorem, ſiue hoc ſiue alio modo conſideretur. Sed id tantum aſſerit noſtra concluſio, quod Chriſti ſatisfactio, quatenus fuit humani generis redemptio, ſui valoris infinitatem non deſumebat à Chriſto, prout ab operante, ſed prout infinitum fuit pretium Deo pro libertate humani generis exhibitum: cum tamen eadem operatio, prout ſatisfactoria fuit, & meritoria, & ſimiliter prout erat ſacrificium, ſuum omnem valorem, & dignitatem deſumeret à Chriſto, prout fuit operans dignitatis infinitæ, & non quatenus habuit rationem pretij. Quoniam pretium non pertinebat formaliter in ratione pretij, ad illam Chriſti operationem ſecundum has tres poſteriores rationes formaliter conſideratam. Præterea ſacrificij valor in eadem operatione deſumebatur quidem à Chriſto, non prout erat offerens, vtcumque, ſed prout obtulit ſeipſum, vnde deſumebatur ab ipſo Chriſto, & prout erat offerens, & prout erat res oblata, interna tamen & ſpirituali oblatione. Neque rationes iſtæ duæ ſeparari poterant in Chriſti ſacrificio, eo quod eſſentialis ſacrificij ratio, vt dixi, poſtulat reflexionẽ illam ſuper ipſum offerentem, ita vt res primario, & principaliter oblata ſit ipſum offerens, idemque ſit ſacerdos, & hoſtia per ſe primo oblata.

§.5. *Tertia Concluſio.*

VAlor infinitus operationis Chriſti, ſiue ſatisfactorius, ſiue meritorius, non eſt aliqua entitas phyſica ipſam Chriſti operationem afficiens, ſed eſt moralis quædam entitas realis, ex dignitate ſuppoſiti operantis radicaliter ad ipſam operationem deriuata, Multa nobis eſſent ad huius concluſionis, & intelligentiam, & probationem dicenda, niſi in ar. 2. q. 3. multa dixiſſemus de gratiæ Chriſti infinitate, quæ ſeruata proportione habitus & actus accommodari poterunt ad Chriſti ſatisfactionem. Etenim eędem opiniones Theologorum, quas de infinitate gratiæ retulimus, verſantur proportionabiliter circa infinitatem meritoriam, & ſatisfactoriam operationum Chriſti. Non deſunt enim, qui dicant, quod ſatisfactionis Chriſti valor totus eſt extrinſecus, & ab extrinſeca Dei acceptatione proueniens, neque qui dicant illum eſſe modum quendam entitatis phyſicæ. Et inter Theologos, qui cenſent eſſe moralem quandam dignitatem, non deſunt, qui exiſtiment eã non realem eſſe, ſed quandam rationis entitatem. Quæ omnes ſententiæ eiſdem prorſus ſunt argumentis confutandę, quibus eas expugnauimus, ſecundum quod de infinitate gratiæ procedunt,

Aduertendum autem eſt id, quod diximus in concluſione, moralem, ſcilicet hunc valorem infinitum ſatisfactionis Chriſti radicaliter prouenire ex infinitate diuini ſuppoſiti, non in eodem ſenſu ab omnibus intelligi. Caiet. etenim 3. p. q. 1. art. 2. docere videtur, quod valor hic non ſolum procedit ab infinitate ſuppoſiti tãquam à radicali principio, ſed etiam vt à proximo, & immediato. Et quidem cum Caieta. non agnoſcat in habituali Chriſti gratia omnimodam infinitatem in ratione gratiæ, eam nimirum, quam nos probauimus ei competere, ſatis conſequẽter loquitur, cum docet, quòd valoris infinitas, quæ reperitur in Chriſti ſatisfactione, non deſcendit à diuino verbo ad ipſam operationem, mediante gratia, ſed immediatè, & abſque aliquo medio. Ita quod ipſa operatio, prout comparatur ad charitatem, ad gratiam, & ad humanitatem Chriſti nullam prorſus infinitatem induit, ſed perfectionem duntaxat eſſentialem quam ex obiecto, & ex alijs quaſi phyſicis principijs participat, comparata vero ad ſuppoſitum, moralem ſumit infinitatem, ex eius infinita dignitate deriuatam.

Quidam vero alij Theologi admittentes id, quod omnes huius infinitatis aſſertores tenemur fateri, & quod in noſtra concluſione exprimitur, infinitum, ſcilicet ſatisfactionis valorem ab ipſa vnionis gratia, ideſt, à verbo humanitati vnito, vt à prima radice deriuari: dicunt, quod vt à principio proximo, & immediato à gratia habituali dimanat, ea ratione, qua infinita eſt in eſſe gratiæ. Quæ ſententia mihi grata eſt: nam hæc aſſertio nihil detrahit à valore ſatisfactionis, & cedit quamplurimum in habitualis Chriſti gratiæ commendationem. Et quidem cum infinitus hic ſatisfactorius valor, ac ſimiliter meritorius, non ad phyſicum rerum ordinem, ſed ad moralem ſpectet, optimè ſaluatur proportio inter gratiã, qua ratione eſt moraliter infinita, & inter ipſam Chriſti infinitam ſatisfactionem, infinitumque eius meritum.

Imo mihi ſatis eſt probabile, quod licet Chriſti humanitas, ex coniunctione ad verbum non induerit infinitatem in ratione humanitatis, vt dicebam ſuperius quæſt. 3. ar. 2. propter illam tamen infinitã moralem dignitatem, quam ex coniunctione ad verbum acquiſiuit, vt ex doctrina S. Thom. ibidem affirmaui, rationabiliter ſatis dicitur, quod etiam ipſa conducit ad Chriſti ſatisfactionis infinitatem, itaque gratia eſt principium immediatum infinitatis meriti, & ſatisfactionis Chriſti per modum habitus, humanitas vero eſt principium mediatum, non radicale, ſed per modum naturæ, quæ perfectionem à ſuppoſito ſibi communicatam immediatè transfundit ad ipſam gratiam. Gratiæ enim infinitas inde conſurgit, quod mediante humanitate ipſam diuini verbi perſonalem terminationem participat, quam infinitas perſonalis dignitatis, & valoris comitatur. Gratia itidem immediatè ſuum quoque perſonalem valorem moralem ipſis moralibus Chriſti actionibus communicat, ſed hæc tandem omnia ad ipſum diuinum verbum hypoſtaticè humanitati vnitum, vt ad radicem primam, reuocantur.

Theologi, qui arbitrantur charitatem, & cæteras animæ Chriſti ſupernaturalis ordinis virtutes infinitate quoque, ſiue phyſica, ſiue morali gaudere in proprijs ſuis rationibus ex ipſa vnionis gratia participata, ſimiliter fatentur, quòd infinitas ſatisfactionis Chriſti tanquam à proximiore principio prouenit à charitate, imo & ab alia virtute quacunque à qua operatio ipſa ſatisfactoria, ſeu meritoria eliciatur. V. G. à religione, obedientia, humilitate, &c. Nobis autem non placuit ſuperius quæſt. 3. ar. 2. hanc infinitatem virtutibus tribuere, atque idcirco debitum conſequutionis ordinem ſequentes, infinitum ſatisfactionis, aut meriti Chriſti valorem nullatenus ad

has

Digitized by Google

has virtutes reducendum eſſe cenſemus.

Ex his, quæ in hac concl. & in eius explicatione diximus promptum erit deducere, quod infinitas ſatisfactoria & meritoria, non eſt extrinſeca, aut per accidens ipſis Chriſti actionibus, cum ex proprijs ei principijs competat. Vnde ſicut de gratia Chriſti dicebamus ſuperius. Infinitas eſt accidens illis proprium perſonale. Non enim appello proprium indiuiduale, Quoniam exiſtimo non pertinere ad indiuiduationem operationum Chriſti, quod efficerentur à tali ſuppoſito, puta, diuino verbo. Et hoc à poſteriori inde oſtendo, quod ſi oppoſitum demus, tenebimur fateri, quod Angelus, ſiue bonus, ſiue malus potuit ſuis viribus cognoſcere Chriſti humanitatem in verbo ſuppoſitari. Quod nullus Theologorũ concedet. Patet ſequela. Angelus comprehendere poteſt humanas Chriſti actiones, ſecundum omnia, quæ vel eſſentialiter, & ſpecificè, vel indiuidualiter eis per ſe & intrinſecè competunt. Ergo, ſi ordo ad diuinum ſuppoſitum, vt ad principium elicitiuum eſt eis per ſe, & intrinſecus: cognoſci potuit ab Angelo, quod à verbo procedebant. Igitur per ſe illis fuit, quod ab illa ſingulari humanitate elicerentur, & ab illo ſuppoſito prout humano, per accidens vero fuit eis, quod ſimul eſſet ſuppoſitum diuinum. De qua re amplius dicam infra.

Soluuntur argumenta facta initio dubitationis principalis.

SEd iam tempus eſt, vt argumenta, quæ à principio huius ſecundi dubij fuerunt propoſita, proprijs accommodatiſque ſolutionibus diluantur.

Primum quidem argumentum cum ſua confirmatione, in quo de peccati mortalis infinitate tractabatur diſſoluimus ſufficienter in prima parte deciſionis huius dubij: conſulantur, quæ ibidem diximus.

Ad ſecundum argumentum nihil ſuperaddendũ duxi ad eius ſolutionem, hijs quæ dicta ſunt in primo notabili, ex tribus quæ præmiſimus ad reſolutionem huius ſecundi dubij, ante primam concluſionẽ. Ex quibus liquet nos non omnem valoris, & dignitatis infinitatem Chriſti operationibus tribuere, ſed ſatisfactorium tantum, & meritorium.

Eſtque aduertendum, quod ſicut in genere quantitatis poſſumus intelligere quantitatem in vna ſpecie infinitam, quæ tamen non contineat infinitatem totius generis quantitatis. V.G. ſi fingamus lineam infinitæ longitudinis, infinita quidem erit ſecundum ſpeciem lineæ, non tamen habebit infinitatem ſuperficiei, aut corporis. Ita in genere morali commodè intelligi valet aliqua ratio infinita in certa, & determinata ſpecie morali, quę tamen non habeat omnem moralis generis infinitatem. Et ita nos cenſemus in præſentia, quod operatio Chriſti ſatisfactoria infinito pollet ſatisfactionis valore, & meritoria Chriſti operatio infinitatem ſimpliciter in ratione meriti ſortitur, neutra tamen totum moralis generis valorem, eiuſque infinitatem complectitur. Valor enim gratiæ, & ſatiſfactorium, & meritorium valorem tranſcendit, & neque ſub eorum aliquo, neque ſub vtroque comprehenditur. Imo & infinitas ſatisfactionis formaliter conſiderata minime continet infinitatem valoris meritorij, aut econtra, ſed vna quælibet iſtarum ratio, ſua ſpecifica eſt infinitate morali contenta.

Ad tertium argumentum, primo reſpondetur, quod quemadmodum in quęſt. 3. dicebamus, ſi pater fieret homo, cuius humanitas gratia habituali exornaretur, eius gratia non haberet formaliter diſtinctam infinitatem, diſtinctumque moralem valorem infinitum ab ea infinitate, eoque valore, quo nunc pollet gratia Chriſti, eo quod ab vna, & eadem diuina infinitate valor vtriuſque gratiæ infinitus deſumeretur. Ita in præſentia dico, quod omnes Chriſti operationes ſatisfactoriæ vna & eadem morali infinitate fuerunt infinitæ, quia ab eadem perſonali dignitate verbi infinitum ſortiebantur valorem, ſolaq; materiali ſecernebantur differentia. Quod verum eſſe ſic probo. Infinitus valor omnium Chriſti operationum perſonalis erat, vt verè dixit Caiet. 3. p. q. 1. ar. 2. Ergo cum ab eadem perſona ſumeretur, vnus erat & idem formaliter. Non enim diuerſitas formalis infiniti perſonalis valoris ab eadem perſona deſumi poterat, niſi aliunde ſpecificam ſumeret modificationem: Ergo cum ex ipſa ratione ſatisfactionis, quæ vna erat & eadem formaliter in omnibus Chriſti ſatisfactorijs operibus, talis modificatio non prouenirет, conſentaneum eſt rationi dicere, eas omnes eiuſdem eſſe formalis infinitatis, & valoris. Hæc doctrina accommodari poterit ad ipſam habitualẽ gratiam, in illo caſu quo pater humanitatem gratia exornatam aſſumeret.

Sed reſpondetur ſecundo ex doctrina S. Thom. 3. p. q. 10. ar. 3. ad tertium, quod id quod eſt infinitum omnibus modis non poteſt eſſe niſi vnum, & quoniam corpus eſt ſecundum omnem partem quãtitatiuam dimenſionatum, idcirco Ariſt. lib. 1. de Cœlo docuit, quod ſi daretur aliquod corpus infinitum, non poſſet aliud corpus dari. Si tamen aliquid ſit infinitum vno tantum modo, ideſt, ſecundum vnam ſpecialem rationem in aliquo genere contentam, nihil prohibet eſſe plura talia infinita, vt ſi fingamus poſſibilem eſſe vnam lineam infinitam, poſſibile eſſet plures infinitas lineas dari ſimul productas. Huius autem ſolutionis, quæ ad literam eſt ex ipſa S. Thom. tranſumpta, poſſumus aſſignare rationem recurrendo ad ſolutionem præcedentem, nimirum, quod talis infinitatis multiplicatio materialis potius eſſet quam formalis, atque adeo non eſſet formaliter multiplex infinitas. Iuxta hanc ergo S. Th. doctrinam, ad tertium argumentum neganda eſt ſequela, & conſtat ex dictis quid ſit ad vtramque eius probationem dicendum.

Ad quartum argumentum abſolutè eſt neganda ſequela: conſtat enim ex innumeris ſcripturæ ſacræ teſtimonijs, quod Chriſtus paſſione ſua, pretioſoque ſanguine reconciliauit nos Deo, ad Rom. 5. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius*, Apocal. 1. *dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, & Ioan. 12. de ſua paſſione Chriſtus loquens dicebat, *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, quod certè non diceret ſi per alia opera ſatisfactoria, quæ Chriſti paſſionem præceſſerunt, abſolutum fuiſſe, & cõſummatum humanæ redemptionis opus. Quoniam iam eſſet princeps huius mundi, ſcilicet, diabolus foras eiectus, ſuaque tyrannica poteſtate ſpoliatus.

tus. Cæterum argumenti ſolutio, hac veritate ſuppoſita, eſt ſatis difficilis.

Diuerſos modos procedendi in huius argumenti ſolutione refert Mag. Med. 3. p. q. 34. a. 3. loquens de Chriſti merito, in quo eadem omnino eſt difficultas cum ea, quæ de ſatisfactione in præſentia verſatur. De qua re non eodem omnino modo S. Th. vbique loquitur. Nam 3. par. loco nunc citato ad 2. loquens de merito immortalitatis ſui corporis, ita dicit, *Nihil prohibet idem eſſe alicuius ex diuerſis cauſis, & ſecundum hoc Chriſtus gloriam immortalitatis, quam meruit in primo inſtanti ſuæ conceptionis, potuit etiam poſterioribus actibus, & paſsionibus mereri, non quidem vt eſſet ſibi magis debita, ſed vt ſibi ex pluribus cauſis deberetur*. Ex qua S. Thom. doctrina, non obſcurè colligitur Chriſtum per primum actum meritoriũ quem habuit in ipſo conceptionis inſtanti meruiſſe omnia ea, quæ in toto mortalis vitæ decurſu ſibi meruit: quia omnia ſpectarunt ad glorioſam ſui corporis immortalitatem, ſuique nominis exaltationem. Et quod eadem ratione meruit quoque per primum illum actum omnia ea bona, quę nobis ad finem vſq; mortalis ſuæ vitæ promeruit. Nam eadem prorſus eſt omnium horum ratio. Atque adeo quod poſterioribus actibus nihil noui meruit, ſed meruit idipſum, quod meruerat per primum actum, fecitque illud ſibi debitum pluribus titulis, ideſt, ex pluribus meritis. Hanc intelligentiam vt probabilem acceptauit Mag. Med. loco citato, & conſentaneam non ſolum doctrinæ Magiſtri ſenten. in 3. d. 18. & S. Th. in ſolutione citata, ſed etiam ſanctiſſimorum Patrũ Gregor. Nazianz. in Epiſt. 1. & Grego. Magni hom. 6. ſuper Ezechielẽ, & Damaſceni lib. 3. de fide c. 22. Alex. Alenſ. 3. p. q. 17. memb. 3. ar. 3. eidem fauet ſententiæ. Sed certè iſta ſententia eſt difficilis ad intelligendũ, contra quam militant non leuia argumenta.

Primũ. Ex ea ſequitur veriſſimum eſſe id, quod deducebamus per quartum noſtrum principale argumentũ, opus ſcilicet redemptionis humanæ per primum Chriſti actum meritorium, & ſatisfactorium fuiſſe ſimpliciter abſolutum, & conſummatum. Patet, quia ex vi illius actus Chriſtus infinitè promeruit de facto totum id, quod pertinebat ad noſtram redemptionem, igitur Deus acceptauit eius meritũ, atque adeo per accidens fuit quod noua poſtea Chriſtus multiplicaret merita: nam etſi nullum deinceps meritum habuiſſet, cõſummatum relinqueretur ipſum noſtræ redemptionis opus. Quod diximus de merito, proportionabiliter eſt de ſatisfactione dicendum, nam eadem omnino videtur eſſe ratio.

Sed eſt aliud argumentum, quod adhuc magis vrget præfatam ſententiam. Vniuerſi Theologi nullo excepto, in 4. d. 1. & alijs in locis docent duo. Alterũ eſt, quòd ianua Regni cœleſtis non fuit hominibus aperta ante mortẽ Chriſti. Et alterum eſt, ꝙ ſacramẽta, quæ ante Chriſti mortẽ fuerunt inſtituta, nõ tã perfectũ tunc contulerunt ſpiritualẽ effectum, atq; nũc conferũt poſt Chriſti paſſionẽ, & mortẽ: ergo manifeſtũ eſt, ꝙ per merita quę pręceſſerũt Chriſti paſſionem, non meruit ipſe Chriſtus totum id, quod pertinebat ad noſtræ redemptionis opus, & ex conſequẽti, quòd aliquod meruit per ſuam paſſionem, quod alio priori merito non meruerat, nimirum, vberiorem ſacramentorum ſpiritualem effectum, & ipſam ianuæ cœleſtis apertionem. Et eadem eſt omnino de ſatisfactione rano. Nam omnia, quæ ad noſtram redemptionem pertinent, proportionabiliter reſpondebant Chriſti merito, & ſatisfactioni.

Denique arguitur tertio. Si Chriſti paſſio totum noſtræ redemptionis opus vno, & eo quidem ſufficientiſſimo titulo infiniti præcedentis meriti, infinitæque ſatisfactionis ſibi fecit debitum, improprijſſimè ſatis ſcripturæ ſacræ locis paulo ante citatis: & alijs innumeris, qui ſua ſe cuique ſponte offerent, reconciliationem, & redemptionem humani generis Chriſti paſſioni, & ſanguini adſcriberent; nam multo proprius, & verius tribueretur illi primæ operationi meritoriæ, & ſatisfactoriæ, cuius virtute effecta fuit redemptio, & reconciliatio generis humani, & per quam Chriſtus illam ſibi effecit ſimpliciter ex non debita debitam.

Propter hæc argumenta non poſſum probare, vt ſatis veroſimilem, hunc primum dicendi modum, & quidem licet S. Thom. ſoluens illud argumentum tertium, aſſignauerit illam ſolutionem, quæ reducitur ad nouum titulum, & nouam cauſam debiti, quia ſufficientiſſima erat ad euocandam vim illius tertij argumenti, non tamen intendebat doctrinam communem huic noſtræ dubitationi neceſſariam tradere, quam tamen tradidit poſtea eadem 3. par. q. 48. ar. 1. ad 2. & 3. quibus in locis ſe etiam remittit ad ea, quæ dixerat in quæſt. 46. videturque S. Thom. in his duabus ſolutionibus docere, quod aliquid, & per modum meriti, & per modum ſatisfactionis operatus fuerit Chriſtus circa noſtram redemptionem per paſſionem ſuam, quod operationibus præcedentibus non meruerat, neque ad illud ſe extenderat ſatisfactio præcedentibus operationibus facta. In qua doctrina neque ſibi ipſi refragatur S. Tho. in quæſt. 29. de veritate ar. 7. ad ſextum. Quæ cum ſit etiam difficilis, non vno, eodemque modo ab eius diſcipulis explicatur.

Mag. Sot. in 4. d. 1. q. 3. ar. 5. dicit, quod tota Chriſti vita cum omnibus ſuis actionibus vſque ad eius mortem, reputabatur ab ipſo Chriſto, & Deo veluti vnica actio meritoria, & ſatisfactoria, atque adeo vſque ad conſummationem vitæ Chriſti non fuit cõſummatum noſtræ redemptionis opus. Hic modus dicendi prima ſpecie conſideratus videtur continere veritatem, ſed ſua certè difficultate non caret, ſi bene inſpiciatur. Nam rogo, an ſingula opera Chriſti reuera meritoria & ſatisfactoria fuerint nec ne? Quod non fuerint meritoria, & ſatisfactoria nullus dicet, nam ſi in ſingulis Chriſti operationibus nullum reperiebatur meritum, nullaque eis inerat ſatisfactio, neque omnes collectiuè ſumptæ ſatisfactoriæ fuiſſent, & meritorię: ſunt enim veluti partes homogeneæ ſingulæ Chriſti actiones, comparatæ ad totam meriti & ſatisfactionis collectionem. Vnde ſicut tota aqua non eſſet verè aqua, ſi ſingulæ partes non eſſent aquæ, ita tota collectio operationum Chriſti meritoria non eſſet verè ſatisfactoria, ſi operationes particulares expertes fuiſſent ſatisfactionis, & meriti.

Præterea, ſi opera, quæ Chriſti paſſionem præceſſerunt, non fuerunt meritoria, & ſatisfactoria, ſequitur, quod ſacramenta inſtituta ante paſſionem Chriſti, non cauſarunt gratiam & ſpiritualem aliquem

fru-

fructum ex opere operato ante ipſam Christi mortem, ſed quod vt plurimum operabantur ad modum ſacramentorum veteris legis, ſcilicet, in fide, & ſpe futuri meriti, & ſatisfactionis futuræ. Conſequens neſcio an poſſit integra fide defendi, nam omnia ſacramenta nouæ legis ex vi ſuæ inſtitutionis habent ex opere operato cauſare gratiam, & ex ipſo eorum inſtitutionis momento verificatur illud diſcrimen in Concil Florent. circa doctrinam ſacramentorum aſſignatum, inter veteris & nouæ legis ſacramenta, quod illa præfigurabant, iſta vero cauſant gratiam: ergo, &c. Sequela apparet manifeſta, quoniam ſacramenta eatenus ex opere operato gratiam cauſant, quatenus Christi meritum & ſatisfactionem applicant ſuſcipienti: ſublatis ergo merito, & ſatiſfactione Christi, neceſſe eſt auferatur, & ipſa ſacramentorum efficacia.

Si autem dixeris, quod opera Christi, quæ eius antecesſerunt mortem, meritoria fuerunt, & ſatisfactoria. Inquiro an fuerint infinitè meritoria, & ſatisfactoria, an vero finitè. Qui S. Thom. doctrinam, & quidem in hac parte certiſſimam, fuerit ſectatus, non dicet quod finitè. Si vero infinitum meritum, & infinitam ſatisfactionem in illis operibus agnoſcimus, difficultas noſtri principalis argumenti manet inſoluta, quo probare nitebamur, quod per primum opus Christi meritorium, & ſatisfactorium, perfecta fuit, abſoluta, & conſummata tota ipſa humani generis redemptio.

Aliter ergo procedamus oportet, & dicendum eſt cum Durand. in 3. d. 18. q. 3. cui Mag. *Sotus* loco ſuperius cit. & d. 21. q. 1. ar. 3. reuera ſuffragatur, quod Christi meritum (& eadem eſt de ſatisfactione ratio) poteſt conſiderari, & quantum ad ſufficientiam, ac valorem operis meritorij, & quantum ad applicationem ad præmium determinatum factam à voluntate Christi merentis, & applicantis ſuum meritum ad tale præmium pro ipſo recipiendum. Quo ſuppoſito dico, quod ſi Christi meritum priori modo conſideretur, quælibet Christi operatio libera in Deum vt authorem gratiæ, & finem ordinata, infinitè fuit meritoria, infinitumq; meritorium habuit valorem, fuitque ex ſe ipſa ſufficiens ad totam humani generis redemptionem conſummandam. Cæterum non de facto ita contigit, quia Christus non quamlibet ſuam actionem applicuit ad totam humani generis redemptionem, ita vt loco præmij reſponderet ei tota ipſa humani generis redemptio. Sed ad hoc totale præmium applicuit omnes ſuas actiones à prima vſque ad vltimam collectiue ſumptas. In quo ſenſu poteſt procedere modus ille quem retulimus ex Mag. Sot. qui certè ab eius mente non diſcrepat, vt conſtat ex alijs, quæ ipſe ibidem magna cum eruditione dixit.

Sed rogat quiſpiam, ad quæ particularia bona noſtræ redemptioni conſentanea, applicuit Christus peculiares ſuæ vitæ actiones tanquam ad partialia ipſarum præmia. Reſpondeo, quod in particulari tamque dearticulatim diſtinguere, noſtrum non eſt: ſolus enim ipſe nouit Christus, qui fecit. Et Deus cuius æterno conſilio ita fuit diſpoſitū. Habetq; hoc loco verum illud Paul. Rom. 11. quod deſumpſit ex cap. 40. Iſai. *Quis cognoſcit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit*. Scimus autem ita factum eſſe, quod colligimus ex rationibus communibus in ſacris ſcripturis fundatis, quas hactenus proſequebamur. Nam vt ſaluemus duo, quæ neceſſariò videntur ſaluanda: Primum, quod Christus per omnes ſuas operationes meruit aliquid pertinēs ad redemptionem noſtram, pro nobis enim ſemper fuit operatus, ſemperque laborauit, neque quidquam fecit quod ad nos, noſtramque ſalutem non attineret. Secundum, quod verè nos redemit, nobiſque meruit, ac pro nobis ſatisfecit per paſſionem ſuam, quod paſſim ſacræ literæ clamant. Neceſſum eſt dicamus, quod Christus peculiares ſuas actiones applicuit ad peculiaria bona ſpiritualia humanæ redemptioni, & reconciliationi conuenientia, & quod tandem paſſione ſua ſpeciali nos ratione redemit. Crediderim autem, quod paſſionem ſuam Christus, & vim eius ſatisfactoriam applicuit ad totam ipſam redemptionem noſtram, etiam quantum ad ea particularia bona ad quæ præapplicauerat ipſe ſuas omnes præcedentes actiones, & quæ ſibi fecerat ſimpliciter debita. De quibus bonis verificabitur id quod dicebat S. Thom. in ſolutione ad 3. ſuperius citata ex quæſt. 34. 3. par. quod fuerunt Chriſto debita pluribus titulis.

Et prætereа exiſtimo Chriſtum paſſionem ſuam, eiuſque omnem meritorium, & ſatisfactorium valorem ſpecialiter applicuiſſe ad apertionem ianuæ cœleſtis, iuxta id, quod dicit Paul. ad Hebr. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti:* ad quam ſane cœleſtis ianuæ operationem nullum præcedens meritum, nullamq; antecedentem ſatisfactionem Chriſtus applicuerat, ſed hoc ipſi paſſioni, pretioſoque ſanguini ſuo reſeruauit. Quod ex doctrina Alexan. Alenſ. 3. par. quæſt. 17. membr. 3. art. 2. apertè colligitur.

Sed & totam noſtræ redemptionis conſummationem intendebat Chriſtus per paſſionem ſuam, tamquam ſpeciale ipſius paſſionis præmium, vnde prouenit, quod Euangelica ſacramēta copioſiorem gratiam, abundantioremque ſpiritualem fructum, poſt Chriſti paſſionem conferunt, quam ante ipſammet paſſionem conferrent. Et quidem cum primum totius noſtræ redemptionis exordium fuerit illa prima Chriſti voluntas, qua ingrediens in mundum paſſioni & morti ſeipſum pro humani generis redemptione obtulit, & efficaciter deſtinauit, de qua Paulus ad Hebræos 10. Quid mirum, quod ipſi actuali paſſioni & morti, ipſam humanæ redemptionis conſummationem Chriſtus reſeruauerit? vt verè, & abſque improprietate vlla omnem noſtram reparationem Chriſti paſſioni, & ſanguini potiſſimum referamus acceptam, poſſetque ſumma cum proprietate Paulus dicere ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*. Vnde non approbo ſententiam eorum Theologorum, qui redemptionem noſtram ſolum per quandam excellentiam, & anthonomaſiam dicunt ſcripturas ſacras Chriſti paſſioni, & ſanguini tribuiſſe. Quoniam, vt minimum, fateri oportet, quod operatio Regni cœleſtis, liberque ad cœleſtem patriam aditus ſoli Chriſti paſſioni, & morti, eiuſque pretioſo ſanguini adſcribi debet. Rationes autem ob quas ita fuerit diſpoſitum humanæ

Digitized by Google

manæ reparationis negotium, vt pretioſiſsimo innocentiſſimi Chriſti ſanguine potiſſimum fuerit patratum, non vacat in præſentia referre, quia non ſpeciatim tractatus hic noſter circa Chriſti paſſionem verſatur: earum præcipuas collegit S. Anſelm. lib. 1. cur Deus homo c. 6. & ſequentibus, legatur etiam S. Tho. 3. p. q. 46. in tribus primis articulis. Ex his omnibus tam diffuſè tractatis facillimum erit quartum noſtrum argumentum diluere, negandaque eſt eius ſequela, cuius probationi dicatur, quod illa prima Chriſti operatio ſecundum ſe, & ex proprio valore conſiderata, ſufficiens erat ad totam humani generis redemptionem conſummandã. Quod tamen ob id non effecit, quia Chriſtus ſuam humanam voluntatem æternæ Dei prouidentiæ, diuinæque voluntati conformans, non applicuit ad tantum præmium ſuſcipiendum.

Ad confirmationem dicitur, quod iuxta modum, quo Chriſtus applicuit primam illam operationem ad redemptionem humani generis, ita Deus ipſam acceptauit, Verum non eam applicuit Chriſtus pro tota humani generis redemptione.

Ad quintum argumentum negatur ſequela. Probationi dicitur primo, quod vt ſuperius in ſecunda ſolutione tertij argumenti, ex doctrina S. Thom. dicebamus, non inconuenit, quod deutur multa infinita in eadem ſpecie, quando infinitas non eſt totalis, & plenaria in ratione entis, aut ſaltem in aliquo genere: Vnde inferebamus ibidem, quod poſſunt dari plures ſatisfactiones infinitæ in ratione ſatisfactionis, & plura ſimiliter infinita merita in ratione meritoria, quod ſi hoc verum eſt, ceſſat tota quinti argumenti difficultas, vt conſideranti patebit.

Sed dicitur ſecundo. Quod etſi admitteremus non poſſe eſſe niſi vnicum infinitum meritum, vnamque tantum infinitam ſatisfactionem, non tamen idcirco concedendum eſſet, quod in tali merito, aut ſatisfactione exhauriebatur infinita Dei potentia, eo quod huiuſmodi ſatiſfactorij, & meritorij valoris infinitas, non ſumitur à verbo, prout operatur per infinitam potentiam, & virtutem diuinam, nam hac ratione non eſſet factibilis talis infinitas, & ideo in quæſt. 3. dicebamus, quod in habituali Chriſti gratia nulla reperitur infinitas phyſica: Sed ſumitur à verbo quatenus operatur per modum ſuppoſiti concurrentis elicitiuè ſimul cum humanitate, eiuſque humanis potentijs ad operationem meritoriam, & ſatisfactoriam, in quo ſuppoſitali concurſu ad infinitatem meriti, & ſatisfactionis, non tam conſideratur cauſalitas efficiens quam formalis, aut quaſi formalis, quatenus, videlicet, operatio intrinſecam habet habitudinem ad ipſum ſuppoſitum, vt principium eius elicitiuum. Et tandem ſummatim dico, quod hæc infinitas non oritur ex infinitate diuinæ potentiæ, ſed ex infinito eſſe diuini ſuppoſiti, vel vt proprius loquar, ex coniunctione ad ipſum diuinum ſuppoſitum. Et cum nulla eſſe poſſit maior coniunctio, etiam per abſolutam Dei potentiam, ad diuinum eſſe, quam ſuppoſitalis, & perſonalis, nihil mirum, quod illa infinitas, quæ ex hac coniunctione deriuatur, ſiue ad humanitatem Chriſti, ſiue ad gratiam, ſiue ad operationes humanas, ſit infinita, & ſumma, quæ eſſe poteſt, ſecundum omnem Dei potentiam. Quod ſi quis cõtendat, quod hoc eſt exhaurire diuinam potentiam ſecundum aliquem modũ, non ei repugnauerim, quoniam diuina potẽtia nullum maius eſſe poteſt dare creaturę, quam ipſummet Eſſe diuinum ei perſonaliter vnitum. Nam cum hæc communicatio terminetur ad ipſum eſſe diuinum ſubſtantialiter communicatum, neceſſum eſt, vt vis potentiæ diuinæ ibi ſiſtat, & ad altius eſſe progredi nequeat. Nam hoc Eſſe adæquat infinitam perfectionem ipſius diuinæ potentiæ, ac proinde eius totalis, & ſumma communicatio eſt ſummum opus potentiæ diuinæ.

Ad ſextum argumentum diuerſimodè reſpondẽt nouiores Theologi, nam quidam exiſtimant, quod Chriſti operationes per modum inſtrumenti ſatisfaciebant infinitè pro peccatis noſtris, eò quod infinitas non erat ipſis connaturalis, & propria, atq; adeo virtus infinitè ſatisfactoria in operationibus Chriſti inſtrumentaria virtus fuit, & nõ cauſæ principalis. Vnde dicunt, quod ſatisfactio infinita pro peccatis noſtris, qua ratione infinita, à diuino verbo fuit vt à cauſa principali operata: Itaque humanæ operationes Chriſti per modum cauſæ principalis ſatisfaciebant, ipſa ſatisfactione quantum ad ſubſtantiam conſiderata: At ſecundum infinitatem, eadem ſatisfactio nõ ad operationes, ſed ad diuinum verbum tanquã ad cauſam principalem referebatur. Hæc ſolutio nõ poterit falſitatis conuinci, quia potiſſimum argumentum, quod ipſam impugnat, eſt illud, quod in eodẽ ſexto argumento propoſuimus, nimirũ, quod ſi operationes Chriſti ſatiſfaciebant, vt inſtrumenta diuini verbi, quod ipſum verbum ſatisfecit vt cauſa principalis, quod nulla ratione poteſt dici. Nam huic argumento facilè dici poterit, quod cum ſubſtantia ſatisfactionis non tribuatur Chriſti operationi, vt inſtrumento, ſed vt cauſæ principali, nõ oportet, quod verbum, vt cauſa principalis ſatisfaciat, ſed ſatisfuerit, quod vt cauſa principalis, tribuat eidem operationi valorem infinitum.

Alij quidẽ Theologi dicunt, quod ſi Chriſti operatio immediatè ſuſciperet infinitum valorem ſatiſfactorium, aut meritorium à diuino verbo tantum concurreret ad infinitatem ſatisfactionis, & meriti per modum inſtrumenti ipſius verbi diuini. Cæterum, quia Chriſti operatio non immediatè à diuino verbo, ſed à gratia habituali, quatenus eſt in eſſe gratiæ infinita, ſuſcipit valoris infinitatem, non per modum inſtrumenti, ſed vt cauſa principalis concurrit ad infinitè ſatisfaciendum Deo pro vniuerſis hominum peccatis. Illa namq; virtus, quæ cõpetit actioni ex formali principio actiuo, à quo prouenit ipſa actio, non ei competit, vt inſtrumento, ſed vt cauſæ principali. Verum hæc ſolutio nõ ſatis apparet probabilis, quoniam infinitus valor moralis, qui competit gratiæ habituali Chriſti: non eſt ei connaturalis, & proprius, ſed conuenit ipſi ex coniunctione ad diuinum verbum; atque adeo qua ratione infinitas valoris ſatiſfactorij, aut meritorij competit operationi Chriſti non vt cauſæ principali, ſed inſtrumentariæ, eadem idipſum erit de gratia habituali dicendum. Vnde habitualis gratia non ſufficit conſtituere operationem in ratione cauſæ principalis infinitè ſatisfactoriæ, aut meritoriæ, cum neque ipſa ſit principale principium eius formale effectiuum, ſed inſtrumentale potius.

His

His ergo, & alijs prætermiſſis. Ad ſextum illud argumentum ego primum dico, quod operatio propriè loquendo, niſi ſumatur per modum rei operatæ, vt cótingit in ſacramentis, de quibus nihil ad præſens, neq. cauſa principalis eſt, neq. inſtrumentalis, ſed eſt medium quo ipſa cauſa effectum operatur. Vnde ſi cauſa fuerit principalis, ipſa actio reducetur ad ordinem principalis cauſæ, tanquam medium quo cauſa principalis ſuum attingit effectum, ſi verò cauſa fuerit inſtrumentalis, operatio ad rationem inſtrumenti debet reduci.

Secundo dico, quod Chriſtus abſolutè fuit cauſa principalis ſatisfactionis infinitæ, & infiniti meriti, non ſolum quantum ad ſubſtantiam ſatisfactionis, & meriti, ſed etiam quantum ad ipſam vtriuſque infinitatem. Patet hoc, quoniam Chriſtus non virtute ab alio ſuſcepta, ſed propria virtute ſibi intrinſeca infinitè ſatisfecit, & meruit quatenus eſt Deus, & homo. Nam quatenus homo ſatisfacere potuit, & mereri quantum ad ſubſtantiam ſatisfactionis, & meriti, qua ratione verò Deus infinitum valorem ipſis ſatisfactioni, & merito tribuit. Dicemus enim poſtea in 3. dub. quod non ſolum humanitas, ſed & verbum humanas operabatur actiones.

Tertio dico. Operatio Chriſti, ſatisfactoria fuit, & meritoria per modum cauſæ principalis, id eſt, tanquam medium ipſi cauſæ principali proportionatū, quo ſatisfactionem infinitam, & meritum infinitum attigit. Probatur primo, Chriſtus, vt dudum dicebā, fuit cauſa principalis infinitę ſatisfactionis, infinitiq. meriti: Ergo aliquam actionem aſſumpſit ſibi proportionatā, & pertinentem ad ordinem cauſæ principalis, per quam attigit illum effectum. Hæc conſequentia eſt euidens, nam omnis cauſa operatur per aliquam actionem ſibi proportionatam, & quæ eſt eiuſdem ordinis reſpectu effectus producendi cum ipſa cauſa, ita vt ſi cauſa fuerit principalis, & ipſa actio ſit quoque principalis in ratione actionis: ſed non eſt ſignabilis aliqua alia actio præter ipſam humanam Chriſti actionem, qua Chriſtus attigerit infinitum effectum, puta, infinitam ſatisfactionem, & meritum infinitum ergo

Secundo probatur. Operationi Chriſti ex proprio ſuo principio conueniebat, attingere illum vtrumq. effectum per modum actionis principalis: ergo nullatenus eſt inſtrumentalis actio cenſenda. Manifeſta eſt conſequentia, & probo antecedens. Actio Chriſti humana. v. g. dilectio Dei quatenus procedebat ab humanitate, virtutem habuit ad cauſandum ſatisfactionem, & meritum quantum ad ſubſtantiam: quatenus à diuino verbo, quod eſt humanitatis ſuppoſitum elicitiuè procedebat, vim habuit ad cauſandam infinitatem ſatisfactionis, & meriti. Quæ ſanè vis, nō aliqua ſpeciali communicatione data fuit actioni prædictæ, ſed eo ipſo, quod erat actio totalis ſuppoſiti, illam moralē vim habuit infinitā, quæ nec etiam per abſolutam Dei potentiam ab ea potuit ſeparari. Non ergo prædicta virtus competebat actioni Chriſti tāquam inſtrumento, ſed vt propriæ actioni principalis agentis. Et ex his ſupereſt ſolutum argumentum. Dicitur enim, quod vis ſatiſfaciendi infinitè, nec à verbo ſeorſum, neque ſeorſum ab humanitate, ſed à Chriſto Deo, & homine fuit deſumpta, iuxta modum expoſitum.

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur legitimam eſſe ſolutionem inter arguendum aſſignatam, nimirum, quod valor ſatisfactionis, & meritorius in operationibus Chriſti non conſurgit ex diuino verbo, quatenus per diuinam voluntatem moderatur, & dirigit operationes voluntatis humanæ, ſed ex ipſo infinito diuini verbi valore. Non quidem propter rationem inter arguendum aſſignatam, videlicet, quia voluntas verbi diuina non eſt capax meriti. Quoniam licet ipſa nullius meriti ſit capax, nec eius operatio, prout ab ipſa egreditur, ſit meritoria, inde tamen non ſequitur, quod non tribuat infinitatem valoris meritorij operationi exercitæ à Chriſto per voluntatem humanam. Nam valor operationis voluntatis diuinæ, ſicut & ipſiuſmet diuini eſſe, formaliter quidem neque meritorius eſt, neque ſatisfactorius, vtrumque tamen eſt eminenter: atque adeo ſuppoſita formali ratione ſatisfactionis, aut meriti in operatione humana Chriſti, optime intelligitur, quod vel ex diuina operatione, vel ex diuino eſſe verbi conſurgat in ipſa humana Chriſti operatione infinitum meritum, & ſatisfactorius valor. Qui valor ſuam infinitam dignitatem à ſolo diuino eſſe, vel à ſola diuina operatione deſumit: quod autem ſatisfactorius ſit, aut meritorius habet quidem eminenter ab eodem principio: formaliter autem non item, ſed ab operatione humana Chriſti, in qua ſuſcipitur, & à qua modificatur, & determinatur ad certū genus, & ad determinatas moralitatis ſpecies ſatiſfactionis, & meriti. Ratio igitur à priori propter quā operatio Chriſti, non à diuini verbi operatione, ſed ab eius eſſe ſuam accipit valoris infinitatem, ea eſt, quod operatio Chriſti eatenus prædictum valorem à verbo ſuſcipit, quatenus verbum ſimul cum humanitate per modum vnius principij elicitiui concurrit ad ipſam humanam Chriſti operationem, quem ſanè concurſum non exequitur verbum, quatenus operatur per diuinam voluntatē, ſed prout perſonali ſuo eſſe terminat, & complet humanitatē, & per proprias humanitatis potentias ſimul cum ipſa humanitate operatur, ſupplens vicem proprij ſuppoſiti ipſius humanitatis. Neque in ipſo verbo, quod attinet ad hanc infinitatem præſtandam humanis Chriſti actionibus, neceſſaria eſt aliqua libertas. Nā ſi fingamus verbum omnia operari naturali neceſſitate, vt de Deo mētiebantur olim multi Philoſophi, eandē omninò valoris meritorij infinitatem tribueret humanis Chriſti operationibus, quam modo tribuit. Nam ad valoris infinitatem parum retulerit libertas, aut neceſſitas verbi: moralitas verò non ex diuina verbi voluntate, ſed ex voluntate Chriſti humana deſumitur, vt diximus.

Illud etiam, quod in eodem argumento habetur, nimirum, quod actio, qua verbum moderatur, & dirigit omnes humanitatis Chriſti potentias, eſt toti trinitati communis, impertinens eſt ad ſatisfactionis valorem, cum ex operatione diuina ipſius verbi non pendeat hic infinitus valor, vt explicuimus. Verum ne quid inexplicatum relinquatur, ex his quæ in ſeptimo argumento proponuntur breuiter dico. Quod illa verbi operatio regulatiua, & moderatiua humanarum potentiarum Chriſti, quæ naturæ ordine intelligitur præcedere ipſarum potentiarum actiones, phyſicè loquendo, communis eſt toti

Trinitati: procedit enim immediatè à diuina virtute, quæ communis eſt toti Trinitati, neq. prius refertur ad perſonam verbi, quam ad alias perſonas. Proximum namque huius operationis principium, non eſt verbi perſonalitas, ſed diuina virtus, diuinaq. potentia. Cæterum in eſſe morali, huiuſmodi operatio ſpecialiori quadam ratione attinet ad verbum, nam eo ipſo, quod verbum humanitatem ſibi hypoſtaticè copulauit, ad eius dignitatem, & bonitatem pertinet, quod nullum permittat in ipſa humanitate defectũ, qui ipſam turpem efficiat, & deformem, redundabit enim humanitatis deformitas in eius ſuppoſitum, ſcilicet, in diuinum verbum, quæ tamen non redundaret, in Patrem, & Spiritum ſanctum, ſed de hac re multa diximus ſupra q. 1. circa ſecundam concluſionem. Quibus non inconcinne hæc pauca hic breuiter adnotata connectentur.

Deniq. ſeptimum hoc argumentum, quod diſſoluimus, ſuo iure poſtulabat, vt explicitè diceremus. An infinitus ſatisfactorius valor operationum Chriſti ſumatur à verbo, prout eſt ſuppoſitum humanum, an verò prout eſt diuinum ſuppoſitum, ſed res iſta commodius explicabitur dub. ſeq.

Ad octauum argumentum reſpondetur, quod valor infinitus meritorius aut ſatisfactorius, cũ ſit perſonalis, ideſt, ex dignitate perſonæ deſumptus, non pendet ex intentione maioris, vel minoris charitatis, nec maior eſſet, ſi humana Chriſti voluntas intenſiori actu Deum diligeret. Valor autem, qui ex ipſa gratiæ, & charitatis perfectione ſuam primam trahit originem, augeſcit, aut minuit iuxta maiorem vel minorem feruorem charitatis.

Sed rogas. Num ſi fingamus, quod Chriſtus dum vixit mortali vita habuit actus charitatis maioris, & & minoris intentionis: Itaque quandoque intenſè diligeret Deum, quandoque remiſſe, magis meritorius eſſet actus intenſus charitatis, quam actus remiſſus, ea parte, qua meritum in gratia, & charitate fundatur, in quo noſtrum meritum conuenit cum merito Chriſti.

Theologi, qui exiſtimant in Chriſti operatione duplex reperiri meritum, ſecundum formalem rationem diſtinctum, alterum fundatum in perſonali valore infinito, & alterum in quantitate gratiæ, & charitatis, quod eſt meritum finitum, conſequenter reſpondebũt affirmatiuè propoſitæ dubitationi. Quę ſententia nõ poteſt efficaciter expugnari: nihil enim vetat, quod id quod infinitum eſt ſecundum vnam rationem, ſit finitum ſecundum aliam, & quod ex ea parte, qua finitum eſt, diminutionem, aut augmentum ſuſcipiat.

Verum nobis non libet hanc geminam rationem meriti in humana Chriſti operatione multiplicare. Quoniam illa meriti infinitas, quæ ex infinitate perſonæ dignitate deriuatur, tanta eſt, vt imbibat in ſemetipſa omnem meriti rationem eminenti quadam continentia. Ita vt complectatur omnem eum meritorium valorem, qui prouenire poſſet ex omni feruore, & intenſione charitatis. Vnde illa maior, aut minor intenſio actus charitatis in voluntate Chriſti per accidens ſe haberet ad meritum augendum, aut minuendum. Quoniam totum, quod ipſa conferre poterat ad augmentum meriti, præſupponitur in operatione Chriſti eminentiori modo, præhabitum, & comprehenſum in illo infinito valore meritorio, qui ex perſonæ dignitate prouenit. Idipſum dicendum eſt de actibus diuerſarum virtutum, inter quos vnus conferret ad maius meritum, quam alius, ſi ex proprijs tantum obiectis vterque cõſideraretur. Actus enim qui eſt preſtantioris virtutis, cæteris paribus magis eſt meritorius actu virtutis inferioris. v.g. actus virtutis religionis ſecundum ſe, magis meritorius eſt, quam actus virtutis temperantiæ: Cæterum in Chriſto, cum omnes æque ſubijcian tur perſonali eius digitati, æqualem omninò valorẽ meritorium ab ipſa ſuſcipiunt. Poterit afferri exemplum ad rem iſtam illuſtrãdam. Si pecunia tali ſigno regio ſignata eiuſdem eſſet valoris, cuiuſcumque eſſet materiæ in vniuerſis humanis commutationibus, & contractibus, diuerſitas materiarum in pecunia, æris, argenti, auri &c. per accidens omninò ſe haberet ad ipſum pecuniæ valorem, qui non ex qualitate materiæ, ſed ex regio ſigno eſt attendendus. Ita ergo totus valor meritorius in Chriſti operationibus, nõ ex peculiaribus ipſarum obiectis, & perfectionibus, ſed ex dignitate perſonæ eſt conſiderandus. Nõnulla diximus in art. 2. q. 3. quæ huic propoſito poterunt accommodari.

Ad nonum argumentum reſpondetur, quod illa limitatio operationis in merito, & ſatisfactione tantum habet locum in operatione, quæ eſt finiti valoris, nam ſi ſemel ſupponamus aliquam operationem infinitum valorem habere, vel ex obiecto, vel ex operaote deſumptum, quamuis multæ adſint circumſtantiæ limitatæ, & finitæ, nullam limitationem inferrẽt prædictæ operationi, ſed ipſæ potius quodam modo eleuabuntur ex coniunctione ad talem infinitatem, & ita contingit in præſentia. Sed tunc vrget confirmatio huic nono argumento ſuppoſita, cuius tota vis ad hoc reducitur, quod obiectum, & ſi infinitum ſit, non tamen ſemper actum redit infinitũ, ſed tunc duntaxat quando actus infinito modo in ipſum fertur, illudque attingit quantum attingibile eſt, quare ergo non erit proportionabiliter dicendum de ſuppoſito operante, quod quamuis ſit infinitum, non tamen ſemper conſtituet actum infiniti valoris?

Reſpondetur, quod idcirco abſimiliter in hac materia loquimur de obiecto operationis, & de ſuppoſito operante, quoniam obiectum concurrit ad phyſicam, & eſſentialem actus ſpecificationem quaſi per modum formæ extrinſecæ, ac proinde nullam perfectionem cõfert actui, niſi iuxta ea, quæ ſunt ipſi actui intrinſeca. Vnde ſi illa fuerint finita, tota ipſa eſſentialis actus perfectio finita erit, & limitata. Suppoſitum vero operans magis intrinſecè ſe habet ad operationem, nam coniungitur cum illa realiter. De qua re multa diximus circa ſecundam concluſionem huius dubij.

Reſpondetur ſecundo, & forſan melius, quod ſuppoſitum operans non dat operationi valorem aliquem phyſicum, niſi iuxta proportionem formæ, quæ eſt principium eius, ſicut obiectum non dat phyſicam perfectionem actui, niſi iuxta principia intrinſeca formalia ipſiuſmet actus. Cæterum ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti dat actui infinitum valorem moralem, qui non correſpondet intenſioni ipſius actus, aut alijs eius intrinſecis qua-

lita-

litatibus, & modificationibus, ſed ſoli dignitati ſuppoſiti operantis. Vnde merito hunc valorem Caiet. 3.p.q.1.a.2. perſonalem vocat, quia perſonæ operantis dignitati reſpondet, & ab ea tanquam à prima radice deſumitur. Sed addo præterea ſolutionem tertiam, quæ fortaſſis non diſplicebit. Et dico, quod ſicut obiectum infinitum tribuit actui phyſicę perfectionis infinitatem, quando actus attingit ipſum obiectum totaliter, & ſecundum quod eſt attingibile. Ita ſuppoſitum operans tribuit infinitum moralem valorem illi operationi, quæ totaliter attingit ipſum ſuppoſitum operans morali attingentia, quæ in hoc conſiſtit, quod operatio non ſolum egrediatur ab ipſo ſuppoſito operante, verum ſupra ipſum, & ſupra totam eius dignitatem reflectatur, aut quaſi reflectatur, quod contingit in operatione ſatisfactoria, & meritoria, quia vt ſuperius dixi, in ſatisfactorijs, & meritorijs actionibus, operans ſe totum ſubijcit, & ſubmittit in obſequium eius cui ſatisfacit, & à quo meretur. Ad aliud, quod in eodem argumento dicebatur, videlicet, verbum non per ſe quidquam contuliſſe ad humanas Chriſti actiones. Sed ſe habere atque aqua ſe habet in calefactione, cum aqua calefacta aliquid calefacit, dicam ſequenti dubio.

In decimi, & vltimi argumenti ſolutione latiſſimus ſe nobis aperitur campus, ad diſſerendum copioſè contra hæreticos Lutheranos, qui libertate Chriſtiana abutentes, ipſam ſpiritus libertatem in voluptuoſam, & turpem carnis licentiam conuerterũt. Qui proinde omnem noſtram ſatiſfactionem, non neceſſariam, imo inutilem eſſe dixere. Verum hæc diſputatio in alium locum eſt reponenda, & nunc decimi argumenti ſolutionem quæramus. Cui argumento oeganda eſt ſequela, & probationi dicitur, quod ſimili argumentatione probaretur nullũ poſſe dari ens præter Deum, quia cum ſit infinitum ens, nullum aliud extra ipſum ens erit accipere, & probaretur ſimiliter nullam eſſe cauſam præter primam, quæ infinita eſt in genere cauſæ, & quod omnes aliæ cauſæ, vel eſſe non poſſint, vel ſi poſſunt ſunt tamen ſuperfluæ, cum virtus primæ cauſæ ſit ſufficiens abſq. cuiuſuis alterius cauſæ adiutorio omnes naturales effectus producere.

Quare ad ſequelæ probationem dico primo, quod vt Chriſti ſatiſfactio eſſet infinita ſimpliciter, ſatiſfuit, quod in ipſa præhaberentur virtualiter eminenter omnes ſatiſfactiones quæcumque poſſunt ab vniuerſis hominibus Deo offerri, in quorumlibet peccatorum compenſationem. Sicut Deus, ob id ens infinitum ſimpliciter, quia in vnica ſimpliciſſima deitatis forma, eminentiſſimè continet, & præhabet omnem creabilem entitatem. Et ita concedo libenter, quod quod omnes noſtræ ſatiſfactiones fuerunt in Chriſti ſatiſfactione ſumma cum eminentia præhabitæ.

Sed præterea ſecundo dico, quod Chriſtus obtulit ſuam ſatiſfactionem, omniaque ſua merita Deo, vt ſortiretur in hominibus effectum, iuxta ordinem à diuina prouidentia diſpoſitum, neque aliter voluit, ſua opera acceptari à Deo ad hominum ſalutem operandam, niſi per modum cuiuſdam vniuerſaliſſimæ cauſæ, quæ nullum operatur effectum, niſi per cauſas ſecundas, intermedias, & particulares applicata. Vnde virtus ſatiſfactionis Chriſti, non communicatur hominibus adultis, niſi eorum cooperatione interueniente, neque paruulis ſine reali applicatione ſacramenti. Et quidem valde conueniens fuit, vt Deus ab adultis hominibus proprias cooperationes, diſpoſitiones, ſatiſfactiones, propriaque eorum merita expoſceret. Primo, quia alias tota Chriſti vita, & paſſio in quandam turpem, & carnalem hominũ reſolueretur libertatem, licentiãque conferret Chriſtianis ad vniuerſa peccata, & vitia perpetranda. Secundo, quia in magnam Chriſti gloriam cedit, vt nullus poſſit eius meritis, & ſatiſfactionibus frui, qui per laborioſam vitam, non ſe Chriſto ſimilem, & conformem exhibeat, quod inſinuauit Paul. cum ad Rom. 8. dixit, [ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Et Petrus 1. can. cap. 2. dicens, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſe quamini veſtigia eius.] Tertio. Quia virtus ſatiſfactoria, & meritoria Chriſti, in eo quamplurimum ſplendeſcit, quod non ſolum ipſa ſe ſola ſufficiens eſt iuſtificare, & ſaluare (quæ vis in paruulis oſtenditur, qui ſolis Chriſti meritis, & ſatiſfactionibus per baptiſmũ applicatis, & primam, & vltimam aſſequuntur ſalutem) ſed & potuit noſtris operationibus virtutem meritoriam, & ſatiſfactoriam conferre. Vt in opere ſalutis noſtræ ſimus veluti Dei coadiutores. Nam hac tanta dignitate Deum homini donaſſe, & extuliſſe, vt non ſolum vnuſquiſque in propria operando ſalute, verum, & erga ſalutem alienam eius ſimus coadiutores, Docuit nos ipſe Paulus 1. Corinth. capit. 3. [Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem: Dei enim ſumus adiutores, &c.]

Quarto. Quia hoc cedit quamplurimum in noſtram dignitatem, quibus multo nobilius eſt, & honoratius proprijs actionibus ſatiſfactorijs, & meritorijs fundatis in ipſis Chriſti ſatiſfactionibus, & meritis æternã conſequi ſalutẽ, quã alienis dũtaxat meritis, & ſatiſfactionibus ſaluari, itaque in ordine morali eum Deus diſpoſuit ſeruandum ordinem, quem ſeruat in ordine naturali, nam cum poſſet ſe ſolo vniuerſos naturales effectus producere, aſſumpſit tamen cauſas ſibi quaſi adiutrices ex ipſo ordine naturali deſumptas, vt creaturas ipſarumque ordinem dignificaret.

Sed eſt argumentum contra hanc doctrinam. Vel Chriſtus obtulit operationem ſuam ſatiſfactoriam ſecundum omnem eius virtutem, vel non. Si primũ; Ergo non ſolum quoad ſufficientiam fuit infinita, ſed etiam quoad efficaciam, non enim dicendum eſt Chriſtum obtuliſſe ſatiſfactionem ſuam, & quod Deus eam non acceptauerit: debuit etiam pro ſua reuerentia exaudiri. Si vero non obtulit, ergo de facto non ſatisfecit infinitè, quod aduerſatur his, quæ hactenus definiuimus. Patet hæc vltima conſequentia, quia ad rationem ſatiſfactionis requiritur, quod offeratur ei, cui fit ſatiſfactio, id quod pro offenſa in ſatiſfactionis rationem aſſumitur. Implicat enim, quod quis alicui ſatiſfaciat, & quod ei non offerat ſatiſfactionem, intendens per talem ſatiſfactionem illi compenſare pro iniuria, & offenſa in eum irrogata: alias enim operatio quidem poterit ſecundum ſe apta nata eſſe, vt loco ſatiſfactionis ſufficientis offeratur, non verò erit ſimpliciter, & actu ſatiſfactio.

Propter hoc argumentum Ioan. de Med. Cod. de ſatisfact. tract. 3. exiſtimat, quod Chriſti operatio reſpectu eorum, in quibus efficaciam habuit, veram, & formalem obtinuit ſatisfactionis rationem, at cõparatione ad eos, in quibus efficax non eſt, ſed duntaxat ſufficiens, fuit quidem ſecundum ſe ſatisſactoria, non vero fuit ſimpliciter ſatisfactio. Verumtamen iſta ſententia mihi non probatur. Quoniam ſacræ literæ Chriſti paſſionem, non ſolum prout fuit efficax, ſed etiam prout fuit ſufficiens ad ſatisſaciendum pro vniuerſis hominibus, appellant redemptionem, illique tribuunt iuſtitiæ nomen; in locis enim ſuperius citatis, in quibus iſtæ nominationes continentur, indifferenter fit ſermo de prædeſtinatis, & reprobis. At ſi non fuit vera ſatisfactio, ea ratione, quia non efficaciam, ſed ſufficientiam tantum habuit, non debuerat appellari redemptio, aut emptio, nec opus iuſtitię, nam ea prorſus eſt ratio de ſatisfactione, & redemptione. Chriſtus enim non aliter nos redemit, quam pro noſtris culpis ſatisfaciendo Deo, & compenſando pro offenſis in eum admiſſis. Et præterea, quia ſicut pro his, in quibus Chriſti paſſio effectum non habuit, paſſio ipſa non fuit efficax ſatisfactio, ſed tantum ſufficiens, ita neque fuit pretium efficax, ſed ſufficiens duntaxat, ergo eadem ratione, non fuit redemptio pro his, in quibus non habet efficaciam, & ſi fuerit ſecundum ſe operatio redemptiua. Confirmatur ex illo, quod habetur in forma conſecrationis calicis. *Hic eſt ſangnis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Illa verba *pro vobis*, denotant eos, in quibus ſanguis Chriſti habuit efficaciam: Alia autem verba, *pro multis*, vel deſignant tantum eos, in quibus Chriſti ſanguis non eſt efficax, ſed ſufficiens duntaxat, vel deſignant indiſcriminatim omnes, ſiue prædeſtinatos, ſiue reprobos, vt idem polleat pro multis, atque pro omnibus: Ergo ſanguis Chriſti pro omnibus fuit effuſus, tanquam pretium pro omnium redemptione, & tanquam ſatisſactio pro omoibus culpis, & criminibus.

Prædicta igitur ſententia exploſa, ad argnmentum reſpondetur admiſſa priori antecedentis parte, nimirum, quod Chriſtus obtulit Deo ſatisſactionem ſuam ſecundum omnem eius vim ſatisſactoriam. Et concedo ſimiliter, quod hac ratione fuit infinita ſatisſactio, & acceptata fuit à Deo in ratione ſatisfactionis infinitæ pro omnibus hominibus: diuerſimode tamen pro prædeſtinatis, atque pro reprobis. Nam pro illis fuit acceptata, vt cum effectu eis applicanda, pro iſtis verò ſolum, vt ſufficiens. Ita quod Deus contentus fuit iſta ſatisfactione pro omnibus peccatis, adeo, vt ipſis etiam prodeſſet reprobis, niſi per eos ſtaret: Acceptatque ipſam quaſi quoddam generale medicamentum ſpirituale à Chriſto æternæ ſalutis authore operatum, & confectum, quo vniuerſi infirmi, ſi ipſo vti vellent ſpiritualem cum effectu aſſequerentur ſalutem. Nam Chriſtus paſſus, & mortuus, fuit illud ſalutare, quod parauit Deus ante faciem omnium populorum, vt ſenex iuſtus Symeon ſpiritu plenus in templo iam moribundus cecinit Luc. cap. 2. Quæ acceptatio ſufficientiſſima fuit, vt Chriſtus dicatur ſatisfeciſſe pro omnibus, omneſque redemiſſe. Nam ad rationem ſatisfactionis non per ſe requiritur applicatio efficax ad eos, pro quibus fit ſatisfactio, & pro quibus pretium offertur. Sed ſatis fuerit, quod ratione ſatisſactionis oblatæ, & pretij exhibiti poſſint offenſores, ſi velint, ad gratiam eius, quem habent offenſum redire, & à captiuitate, & ſeruitute qua tenentur liberari. Ita vt tamen ſtet per illos, quod ſatisfactio, & redemptio in ipſis non ſortiantur effectum.

Ea quæ de ſatisfactione diximus proportionabiliter ſunt accomodanda ad meritum, & dicendum eſt, Chriſtum verè meruiſſe, & quidem infinitè gratiam, & gloriam, vniuerſaque ſupernaturalia dona omnibus hominibus, & reprobis, & prædeſtinatis, nam, vt verè dicatur meruiſſe gloriam reprobis, id fuerit ſatis, quod meruerit, vt virtus paſſionis ſuæ, ſuæque vitæ, & mortis, vniuerſis hominibus eſſet expoſita, tanquam vniuerſale medicamentum ipſis paratum, & vniuerſale ſufficientiſſimum pretium, quo abſque argento, & auro æternam poſſint emere, & poſſidere vitam, ſi velint. Cunctiſque quaſi expreſſa voce dicatur id, quod Regius dicebat Propheta Pſ. 33. *Quis eſt homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos.* Et illud Iſai. ca. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, & emite vobis.* Itaque per eos duntaxat ſteterit quo minus Chriſti paſſio in eis ſit efficax, qui tantam ſibi oblatã ſalutem neglexerint.

SECTIO III. DVBITATIO III.

Vtrum Chriſti ſatisfactio fuit de toto rigore iuſtitiæ.

TErtia, & vltima huius articuli dubitatio eſt. Vtrũ Chriſti ſatisſactio fuerit exacta, & rigoroſa, ideſt, ex toto iuſtitiæ rigore. Hæc difficultas non eſt eadem cum ea, quam dubio præcedenti diſputauimus de infinitate ſatisfactionis Chriſti. Ex reſolutione namque illius difficultatis, conſtat quidem Chriſti ſatisfactionem fuiſſe æquiualentem offenſę, & culpæ, quæ in vniuerſis hominum peccatis reperitur, atque adeo conſtat Chriſti ſatisfactionem ex parte valoris ſufficientem fuiſſe, vt perfectam haberet, & exactam iuſtitiæ rationem: verum cum præter æqualitatem ſatisſactionis ad offenſam, alię ſint requiſitę conditiones, vt ſatisſactio rigoroſa ſit, ad perſectamq. & exactam iuſtitiã ſpectet; idcirco poſt habitam pręcedentis dubitationis reſolutionem, meritò iſta quęſtio de rigoroſa ſatisſactione iuſtitię ad diſputandum proponitur. Cuius pars negatiua ſequẽtibus argumentis fundatur.

§. 1. *Pro parte negatiua.*

PRimum argumentum deſumo ex illo Paul. ad Coloſ. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt eccleſia.* Ex quo loco ſic argumentor. Deeſſe aliquid paſſionum Chriſti, non denotat defectum pœnalitatis cuiuſpiã, quam Chriſtus non fuerit in ſua mortali carne perpeſſus: nullum enim genus paſſionum fuit, quod Chriſtus non fuerit pro noſtris peccatis expertus, & quod non ſumma patientia tolerauit, vt docuit S. Thom. 3. par. q. 46. ergo denotat defectum aliquem

in

in Chriſti paſſione reſpectu ſatisfactionis pro noſtris peccatis faciendæ, atque adeo non fuit rigoroſa ſatisfactio, omnem ſatisfactionem rigoroſæ iuſtitiæ complectens.

Secundum argumentum. Chriſtus non ſatisfecit ex proprijs, id eſt ex eis, quæ alias non eſſent ſub dominio, & iure creditoris: Ergo eius ſatisfactio non fuit rigoroſæ iuſtitiæ. Conſequentia eſt euidens, nam cum quis ſatisfacit, & ſoluit debitum ex bonis, quæ aliàs erant ſub creditoris dominio, & quæ ad eius ius & ditionem pertinebant, nihil dat reuera ei cui ſatisfacit: Et ex conſequenti ad gratiam ipſius creditoris reducitur præcipua ſatisfactionis vis, qui cum nihil noui à debitore accipiat, contentus tamen manet, atque ſi accepiſſet. Antecedens vero probatur. Deus eſt vniuerſalis omnium rerum, quæ ſunt extra ipſum dominus, ad eiuſque dominium, & ius omnia huiuſmodi pertinent, nam ſub ditione eius cuncta ſunt poſita: Ergo operatio Chriſti ſatisfactoria, & omnia, quæ ad ipſa pertinent, omniſque eius valor vndecumque prouenerit, ſub vniuerſali Dei iure, & dominio comprehendebantur, atque adeo Chriſtus non ex proprijs, ſed ex his, quæ Dei erant, ipſi Deo ſatisfecit.

Dices forſan, quod valor ſatisfactorius Chriſti deſumebatur à verbo, quod eſt humanitatis ſuppoſitum, atque adeo valor ille erat proprius Chriſti. Sed contra hanc ſolutionem inſtant difficiles replicæ. Prima ſumitur ex eo, quod nunc dicebatur in argumento, videlicet, quod vndecumque prouenerit valor, & perfectio operationis Chriſti, eo ipſo, quod ponitur in rerum natura extra ſuas cauſas, pertinent ad vniuerſale dominium Dei, alias daretur aliquid creatum in mundo, quod non eſſet ſub dominio, & poteſtate Dei, quod eſt dictu chimericum, cum nihil eſſe poſſit in rerum natura productum, quod in fieri, & in eſſe, & in conſeruari adeo non pendeat, ſitq. quoddam diuini eſſe participium: atq. adeo, quod nõ iure creationis, & conſeruationis ſub vniuerſali Dei comprehendatur dominio.

Secunda replica. Chriſtus non ſatisfacit in quantum Deus, ſed in quantum homo: Ergo totus ſatisfactorius, ex humanitate, & ex his, quæ ad humanitatem pertinebant, deſumebatur, & non ex diuino ſuppoſito. Antecedens eſt manifeſtum, tum quoniam cum ſatisfacere, ſit eius, qui aliqua ratione eſt inferior illo, cui ſatisfacit, neceſſum eſt dicamus Deum, vt Deum, incapacem eſſe actiuæ ſatisfactionis, tum etiam quoniam Chriſtus, vt Deus, acceptauit ſatisfactionem, fiebat enim ei ſatisfactio, vt in prima difficultate huius ſecundi dubij explicanimus, at impoſſibile fuit Chriſtum eadem ratione ſatisfacere, & ſatisfactionem acceptare: ergo, &c.

Tertia replica. Si valor ſatisfactionis Chriſti ex diuino verbo fuit deſumptus, ergo ex his quæ communia erant ſatisfacienti, & ei cui ſatisfactio fiebat deſumptus fuit prædictus valor, quia omnis infinitas, omnis perfectio, omniſque diuini verbi valor, & dignitas communis eſt patri, Filio, & Spiritui ſancto, conuenitque Deo, vt Deus eſt, *Omnia, quæ habet pater, mea ſunt*, dicebat Chriſtus Ioa. 16. Igitur ſatisfactio Chriſti ſecundum iſtum valorem non fuit ex proprijs, ſed ex his, quæ communia erant ipſi, & alijs diuinis perſonis, & Deo tribus perſonis communi, cui per ſe primo facta fuit ſatisfactio.

Tertium principale argumentum. Tota Chriſti ſatisfactio, totuſque eius valor fundabatur in gratia Chriſto, vt homini, à Deo facta, & ad ipſam tandem omnis ſatisfactionis valor deducebatur, at iuſtitia ſiue meritoria, ſiue ſatisfactoria, quæ in gratia præmiatoris, & eius cui fit ſatisfactio fundatur, ad ipſamque reducitur: nequit eſſe exacta, & rigoroſa iuſtitia. E regione enim gratia iuſtitiæ opponitur, detrahitq. proinde quamplurimum à iuſtitiæ perfectione: ergo, &c. Minor probatur, nam totus ſatisfactorius, & meritorius operationis Chriſti valor fundatur in gratia vnionis Chriſti humanitati facta, ad ipſamq. vt ad primam radicem reuocatur. Ergo cum hæc ſumma fuerit gratia, & qua maior in ratione gratiæ, neque fieri, neque excogitari potuit, vt in q. 1. huius relectionis cum S. Augu. dicebamus, manifeſtum eſt, Chriſti ſatisfactionem ſummum iuſtitiæ rigorem minimè attigiſſe.

Quartum argumentum. Omnes operationes, quibus Chriſtus pro noſtris peccatis ſatisfecit, erant alijs titulis debitæ Deo, non ergo potuit eis ineſſe exactus, & perfectus iuſtitiæ rigor. Conſequentia patet, quoniam nullus (ſi ad iuſtitiæ rigorem ſpectes) ſatisfacit creditori per illa bona, quæ alias eidem creditori debita erant. Antecedens probatur. Illæ operationes fuerunt debitæ Deo, & titulo gratitudinis, & titulo ſeruitutis, & obedientiæ tenebatur etiam Chriſtus pro beneficio incarnationis, & pro beneficijs alijs, quæ eius accepit humanitas, innumeras ei gratias agere, & quantum poſſet referre. Tenebaturque ſimiliter, qua ratione homo, & inferior Deo, ipſi parere in omnibus, & titulo creationis ei inſeruire, omneſque ſuas operas eius obſequijs paratas habere, & expoſitas: ergo &c. At dices cum Scoto, quod Chriſto nõ omnia opera fuerunt in præcepto poſita, ſed multa ad conſilium pertinebant, in eiuſque fuerunt arbitrio relicta: & his operis potuit ex iuſtitia rigoroſa patri ſatisfacere. Contra hanc ſolutionem, quæ ſine dubio debilis eſt, ſic argumentor. Eſto non omnia opera fuerint Chriſto in præcepto poſita, neq. ab eo Deus rigoroſè exegerit omnia, ſed multa in ipſius poteſtate reliquerit: at in hoc magnam ipſi Chriſto, vt homini, gratiam exhibuit, poterat que maiori rigore vti, & vniuerſa eius opera, vt ſibi, & plenario ſeruitutis iure, & obedientiæ titulo debita, per præceptũ exigere: Ergo tandem ad Dei gratiam reuocanda eſt omnis ea ſatisfactoria iuſtitia, quæ ipſius Chriſti operationibus inerat.

Confirmo quarto iſtud argumentum. Totus ille valor, quãtũlibet infinitus, qui reperiebatur in Chriſti operationibus, etiam in omnibus collectiuè ſumptis, non erat ſufficiens ad referendum Deo gratias pro beneficio incarnationis ſuſcepto æquales, & condignas: Ergo omnia Chriſti opera ſecundum omnẽ, quem ſortiebantur valorem, debebantur Deo titulo gratiarum actionis, & ex conſequenti nihil ſupererat Chriſto, ſibi omninò proprium, & aliàs non debitum, quod Deo in compenſationem pro noſtris peccatis offerret: atque adeo non valuit exactam, & rigoroſæ iuſtitiæ ſatisfactionem Deo pro noſtris peccatis exhibere. Probo antecedens. Beneficium incarnationis fuit ſimpliciter, ac modis omnibus infinitũ,

Digitized by Google

quia quod humanitas per incarnationem accepit, eſt ipſum infinitum verbum: at omnes Chriſti actiones, & ſi in aliqua morali ſpeciem valorem habeant infinitum, non tamen æquiualent tantæ diuini verbi infinitati: Ergo non ad æqualitatem gratias rependere Deo poterant.

Quintum argumentum. Nullus poteſt ex rigore iuſtitiæ pro aliena culpa, & offenſa ſatisfacere, nam offenſus non tenetur ex iuſtitia huiuſmodi ſatisfactionem acceptare, præſertim ſi offenſa fuerit contra communem bonum, & principem alicuius reipub. commiſſa, in cuius punitionem pœna ſit per cōmunem legem taxata, qualiſcumque, & quantacumque illa fuerit ſatisfactio. Non enim Hyſpaniæ Rex teneretur acceptare ſatisfactionem, quam Imperator obtuliſſet ei pro offenſa, quam ab homine priuato ſibi ſubdito, vel ipſe, vel eius regnum acceperit, ſed poteſt vti iuris rigore inſligendo pęnam communi lege præſcriptam. Sed peccatum primi parentis, & Deum offendidit, & commune totius generis humani bonum, cuius ipſe Deus immediatam habet gubernationem, & curam ſummopere læſit, eique quam plurimum incommodauit, extabatque lex illa ab ipſo humano generis authore, & gubernatore ſancita. *In quacumque die comederis morte morieris*, Gen. 2. Ergo iuſte poterat Deus non obſtante quacūque à Chriſto ſatisfactione oblata, hominem huius legis tranſgreſſorem pęna per eamdem legem ſtatuta ſumma cum ſeueritate plectere.

Sextum argumentum. Si Chriſtus, vt homo, de facto peccaſſet, quod Scotus, & quidam alij Theologi non impoſſibile, reputauerunt, non poſſet pro ſuo peccato ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere: Ergo neque potuit ex eodem iuſtitiæ rigore pro alienis ſatisfacere peccatis: eadem namq. videtur eſſe ratio de proprio peccato, & alieno: imo vt præcedenti contendebam argumento, difficilius eſt pro alieno peccato, æquiualentem, & condignam ſatisfactionem offerre.

Septimo tandem, & vltimo ſic argumentor. In Deo non potuit cadere obligatio iuſtitiæ, qua teneretur Chriſti ſatisfactionem acceptare: Ergo neque ex parte Chriſti ſatisfacientis fuit perfecta, & exacta iuſtitia erga Deum, patet conſequentia, quoniam iuſtitia, quæ eſt ex parte vnius extremi conſtituit obligationem iuſtitiæ in altero extremo, iuſtitia enim æqualitatem in eis ponit inter quos verſatur. Ergo Chriſti ſatisfactio non fuit perfectæ, exactæ, & rigoroſæ iuſtitiæ.

§.2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum eſt illud ex Paulo ad Hebr. 4. præcedenti dubitatione citatum. *Qui cum in diebus carnis ſuæ præces, ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Chryſoſt. Theophyla. & alij grauiſſi Bibliorum interpretes ita exponunt, quod Chriſtus exauditus fuit à patre pro ſua reuerentia, id eſt, quia dignus erat, vt exaudiretur, eo quod filius Dei eſt. Quæ interpretatio ſummam condignitatem, & iuſtitiam in Chriſti operibus apud Deum manifeſtè deſignat.

§.3. *Referuntur variæ Theologorum ſententiæ.*

IN hac difficultate, quæ grauis eſt, & ad exponendum non admodum facilis, tres reperio Theologorum ſententias. Prima aſſerit Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe ſecundum ſe condignam, & æqualem ex omni iuſtitiæ rigore, ſed ex Dei acceptatione tantum æquiualentiam, & condignitatem fuiſſe ſortitā. Ita docent Dur. in 3. d. 20. q. 2. & in 4. d. 15. quæſt. 1. Scot. ibid. & in 3. d. 17. q. vnica §. in iſta quæſtione. Gabri. ibidem q. vnica a. 1. not. 3. & ar. 2. con. 2. Almainus ead. d. quæſt. 1. notabili 3. Ioann. à Med. C. de pęnitentia trac. de ſatisfact. quæſt. 1. ij omnes, & alij nonnulli exiſtimant eodem ferè modo loquendum eſſe de Chriſti ſatisfactione, & de ſatisfactione puri hominis, quam arbitrantur non eſſe condignam ex principio à quo procedit, nimirum, gratia, & charitate, niſi accedente extrinſeca Dei acceptatione, ex qua & ſufficientiam, & condignitatem habet. Addunt tamen Scotus, Gabriel, & Almai. in Chriſti ſatisfactione ſpecialem quamdam reperiri congruitatem, vt acceptatur à Deo tanquam condigna, & æquiualens ſatisfactio pro vniuerſis hominū peccatis, eo quod erat operatio hominis, qui ſimul eſt naturalis Dei filius. Quæ tanta congruitas in operatione puri hominis filij Dei per gratiam, & adoptionem non reperitur. Et in hac duntaxat congrũitate fundant totam rationem, ob quam Deus non aſſumpſit operationem alicuius puræ creaturæ, vt eſſet pro vniuerſis hominum peccatis ſatisfactoria, & per quam creatura totum humanum genus redimeret, ſed hoc redemptionis opus ſoli Chriſto Deo homini conceſſum fuit. Quod dicunt ij authores de ſatisfactione Chriſti, & puri hominis docent ſimiliter de eorundem meritis. Verum nos in præſenti nihil de meritò, aut de ſatisfactione puræ creaturæ dicemus, in qua re peius fortaſſis oībus locutus eſt Dur. in 2. d. 27. q. 2. vniuerſaliter exiſtimans, nullum eſſe condignum meritū coram Deo, niſi ex ſola extrinſeca Dei acceptatione. Sed de Chriſti tantum ſatisfactione, & merito noſtra eſt habenda diſputatio.

Secunda ſententia, quæ inter relatam, & aliam tertio loco referendam medium tenere videtur, aſſerit Chriſti ſatisfactionem condignam quidem fuiſſe, & æqualem originali offenſæ, imo & omnibus offenſis, & culpis, quæ aduerſus Deum in toto humano genere reperiri poſſunt, ſed dicit nihilominus Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe ex omni iuſtitiæ rigore. Hæc ſententia ſicut partim conuenit cum ſententia præcedenti, partimque ab ea differt, ita & in fundamentis, quibus innititur, neque recedit totaliter ab ipſa, neque totaliter ei adhæret. Auctores præcedentis ſententiæ præſertim Scotus, exiſtimat Chriſti ſatisfactionem non fuiſſe valoris infiniti, cui doctrinæ auctores huius ſecundæ opinionis minimè conſentiunt. Arbitrantur enim infinitam fuiſſe in formali ratione ſatisfactionis, ac proinde ſecundum ſe æquiualentem offenſæ grauitati, & ex proprijs ſuis principijs condignam, & ſufficientem ad compenſandum pro omni offenſa, & iniuria Deo irrogata. Auctores præcedentis ſententiæ dicunt, quod Chriſti ſatisfactio nō potuit inducere obligationem in Deo, qua ex iuſtitia teneretur ipſam acceptare.

Et

Et in hoc conſentiunt ſecundæ opinionis auctores. Sed & præterea addunt, quod Chriſti ſatisfactio, non ſolum ob id rigoroſa non fuit, quia non induxerit in Deo prædictam iuſtitiæ obligationem, verũ etiam, quia neque facta fuit ex proprijs, neque ex aliàs indebitis, quæ ſunt neceſſariæ conditiones ad rigoroſam ſatisfactionem.

In hoc fundamento Durand. & Ioan. de Med. & quidam alij ex primæ ſententiæ authoribus, conueniunt cum patronis, & fautoribus opinionis ſecundæ. Verum Scot. Gab. & alij quidem qui primæ adhæreſcunt ſententiæ, non idem omninò ſentiunt: putant enim Chriſtum potuiſſe ſatisfacere ex aliàs non debitis, illis videlicet operationibus, ad quas nullo præcepto tenebatur, ſed in conſilio illi erant relictæ, & in libera eius facultate conſtitutæ, quæ tamen propter valoris infiniti defectum non fuerunt ex rigore iuſtitiæ ſatisfactoriæ, iuxta Scoti, & ſuorum mentem.

Eſt tertia denique ſententia, quæ in alio extremo docet Chriſti ſatisfactionem non ſolum infiniti fuiſſe valoris, vt in præcedenti dubio reſoluimus, ſed quod & eſt ſecundum ſeipſam condigna, & ex toto rigore iuſtitiæ pro vniuerſis hominum culpis ſatisfactoria. Hanc ſententiam docuit S. Thom. 3. p. q. 1. ar. 2. ad 2. vbi ſatisfactionem Chriſti vocat infinitam, ſufficientem, condignam, & perfectam, negatque ſatisfactionem puræ creaturæ poſſe tantam eius perfectionem contingere, & infra quæſt. 48. ar. 2. dicit, quod paſſio Chriſti non ſolum fuit ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis humani generis. Et ſolutione ad 3. inquit, quod quia Chriſti caro erat caro Dei, idcirco dignitas carnis Chriſti habuit infinitam dignitatem, & ſimiliter paſſio, quæ fuit in eius carne facta. Fateor quod apud S. Thom. non reperitur iſte modus loquendi, Ex rigore iuſtitiæ, ſed verba, quæ ex ipſo retulimus manifeſtè æquiualent huic loquendi modo, qui in doctrina poſteriorum Theologorum frequenter reperitur vſurpatus, rigoroſamque iuſtitiam important. in ead. 3. p. q. 46. art. 6. ad 6. eamdem inſinuauit ſententiam, & in tota quæſtio. 49. ſequenti, & quodlib. 2. art. 2. & in 3. d. 20. vbi Riccard. Bonauent. Paludan. Capreol. eamdem ſequuntur ſententiam. Et quidem Capreol. in 4. d. 16. tamen huic adhæſit doctrinæ, vt contrariam impiam eſſe dixerit. Marſil. in 3. q. 12. eamdem ſententiam inſinuat. Alex. Alenſ. 3. par. q. 17. memb. 3. per totum, & membr. 4. ar. 2. §. 2. dicit enim, quod ſi conſideretur Chriſti ſatisfactio à quo fuerit, quia ab ipſo Dei filio fuit, quia eſt verus Deus, inuenietur ſuper omnem ſatisfactionem plenè ſatisfactum fuiſſe, & quæſt. 1. membro 6. & 7. docuit multos ſententiam eamdem, quam tradidit etiã Altiſiodorenſis lib. 3. ſummæ tractatu 1. cap. 8. & Riccard. de ſancto Vict. lib. de incarnatione verbi cap. 7. Dried. lib. de redempt. & capt. gene. human. à principio cap. 2. parte 2. Vega lib. 7. in Concil. Trident. cap. 8. Mag. Sot. lib. 3. de natura, & gratia c. 6. & in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 2. Fera. lib. contra gent. cap. 54. & 55.

Sed hæc opinio, quæ primæ ſententiæ è regione opponitur, in duplici ſenſu intelligi poteſt. Prior eſt, quod operatio Chriſti habet omnia, quæ ex parte ſatisfactionis, & ſatisfacientis, neceſſaria ſunt ad perfectam, & rigoroſam ſatisfactionem, ita quod eſt æqualis offenſæ, condigna ad compenſandum pro iniuria, ex proprijs ſatisfacientis orta, id eſt, non ex bonis eius cui fit ſatisfactio, aut ab eo liberali donatione ſuſceptis, ac tandem alias Deo non debita. Iſtæ autem ſunt conditiones quæ, iuxta communem Theologorum, & Philoſophorum moralium ſententiam, ad perfectam, rigoroſamque ſatisfactionem, & requiruntur, & ſufficiunt. Et quidẽ, quod requirẽtur, ex eo liquet, quod deficiẽtibus his conditionibus, vel ſatiſfactio erit diminuta, & non æqualis offenſæ, vel tota, aut præcipua eius vis ſatisfactoria, ad gratiam, & liberalitatem eius cui fit, reducenda erit, atque adeo non poterit ei ineſſe perfecta iuſtitiæ ratio. Ex quibuſdam argumentis eorum, quæ propoſuimus in fronte huius dubitationis, atque ipſorum ſolutionibus, conſtabit amplius, qua ratione ſint neceſſariæ ad exactam, & rigoroſam ſatisfactionem duæ illæ poſtremæ conditiones, nimirum, quod ſatisfactio fiat ex proprijs bonis ſatisfacientis, & quod non ſit alio titulo debita, quod nonnulli Theologi, etſi rariſſimi, negauerunt, verum leuiſſima ratione ducti, & quæ non eget, vt in eius vel ſolutionem, vel confutationẽ immoremur.

Quod autem prædictæ illæ conditiones ſufficiant, non poteſt dubium verti. Quoniam per illas conditiones, & conſtituitur æqualitas inter ſatisfactionẽ, & offenſam, & aufertur omnis gratia, & liberalitas ex parte eius, cui fit ſatisfactio, atque adeo conſtituitur in tali ſatisfactione omnimoda, & perfecta iuſtitiæ ratio: quæ in hoc conſiſtit, quod ſatisfaciens reddat totum, quod debet ſecundum æqualem pro iniuria, & offenſa irrogata, nullam quærens gratiam ab eo, quem offendidit, ſed ſecundum iuſtitiæ leges cõpenſare intendat, & re ipſa compenſet. Cum illæ igitur conditiones in Chriſti ſatisfactione reperiãtur cenſeri debet exacta, & ex omni iuſtitiæ rigore ſatiſfactio, quæ citra dubium induceret in Deo iuſtitiæ obligationem ad ipſam acceptandum, ſi talis obligationis Deus eſſet capax. Cæterum dicit hæc ſententia, quod quia Deus incapax eſt obligationis huiuſmodi contrahendæ, idcirco non tenebatur Chriſti ſatisfactionem acceptare, ſed potuit illam reſpuere abſque vlla iuſtitiæ rectitudinis læſione. Ita docent multi graues Theologi S. Thom. diſcipuli, quibus non refragatur Mag. Med. 3. p. q. 1. ar. 2. & alijs in locis eiuſdem 3. p. & Mag. Banes 1. p. q. 21. & in eandem ſententiam coincidunt ij Theologi, qui putant, quod nulla interueniente Dei promiſſione, nulloque ipſius extante pacto, Deus non tenetur præmiare aliquod meritum, ſiue Chriſti, ſiue puræ creaturæ, ſed tota obligatio, ſi qua fuerit, in Deo, non tam ad vim operis meritorij, quæ nulla eſt ad Deum obligandũ, quam ad fidelem ipſius Dei promiſſionem eſt reuocanda. Ita quod obligatio non ex opere meritorio, ſed ex ipſo Deo, liberaque eius voluntate ortum habet, licet talis obligatio, tanquam à conditione requiſita, ex ipſo opere pendeat, quatenus promiſit Deus premium benè operanti. Vnde per huiuſmodi obligationem potius Deus ſibi ſuæque bonitati quam homini operanti debet. Et hinc eſt, quod Paul. ad Hæbr. 10. dicebat, fidelis Deus qui repromiſit. Non dixit iuſtus, ſed fidelis, quia non legibus iuſtitiæ, ſed ſua fidelitate, & veracitate obligatur.

Ita

Digitized by Google

Ita ſenſerunt graues Theologi, inter quos ſunt numerandi Andr. Roega lib, 7. ſuper Conc. Trid. cap. 9. & Io. de Med. in Cod. de pœnit. trac. de ſatisfactione. Qui idem omnino de ſatisfactione dicunt, quod de merito dictum eſt.

Ad eundem priorem prædictæ tertiæ opinionis ſenſum pertinet, quod dicunt Mag. Med. loco citato, & alij non pauci, Deum ob id dumtaxat non potuiſſe non acceptare Chriſti ſatisfactionem, quia humana Chriſti voluntas, quæ ipſam obtulit, non potuit non eſſe conformis diuinæ voluntati: atque adeo ſuppoſito, quod Chriſtus ſatisfactionem ſuã obtulerit Deo pro hominum peccatis, à poſteriori nobis conſtat, Deo placuiſſe hanc ſatisfactionis oblationem: atque adeo cõſtat à poſteriori, quod Deus decreuerat Chriſti ſatisfactionem acceptare: aliàs enim non vellet, vt Chriſtus efficaci voluntate obtinendi noſtrorum peccatorum condonationem, eam ipſi Deo offerret. Iſtæ duæ ſententiæ manifeſtè præſupponunt, quod infallibilitas acceptationis meriti, & ſatisfactionis Chriſti, non ex vi operationum eius, & rigoroſæ ipſarũ iuſtitiæ prouenit, ſed ex alijs titulis, puta, ex Dei promiſſione, aut immutabilitate voluntatis eius, qua decreuerat acceptare. Quæ neceſſitas eſt tantum ſuppoſitionis, & ſecundum quid.

Secundus, & poſterior eiuſdem tertiæ opinionis ſenſus eſt, quod Chriſti ſatisfactio induxit obligationem iuſtitiæ commutatiuæ, aut quaſi commutatiuæ in Deo, vt ipſam acceptaret, quæ Dei obligatio non in promiſſione, aut pacto ſpeciali, ſed in ipſo iuſtitiæ rigore ſatisfactionis Chriſti ſuum habuit fundamentum. Non omninò Magiſtro à Med. hic poſterior ſenſus diſplicuit, ſed neque Mag. Soto loc. ſupra cit. & quibuſdam alijs viris doctiſſimis ex Theologis nouioribus hæc ſentẽtia vehementer placet. Pro reſolutione huius dubij ſit.

§. 4. *Prima concluſio.*

CHriſti Domini ſatisfactio perfecta fuit ex omni iuſtitiæ rigore, ſaltem in illo priori ſenſu, in quo tertiam ſententiam explicuimus. Nam de acceptationis neceſſitate, & obligatione in ſecunda concluſione dicemus. Iſta concluſio, quæ eſt expreſſa S. Thom. ſentẽtia, & illorum Theologorum, quos pro tertia opinione retulimus. Duo inuoluit, quæ ad eius exactam intelligentiam, & probationem ſunt neceſſariò euoluenda, & explicanda. Poteſt ergo intelligi hæc concluſio primo quatenus contra primam Durand. & Scot. ſententiam procedit, quæ aſſerit Chriſti ſatisfactionem ſecundum ſe non habere valorem tantum, vt abſque extrinſeca Dei acceptatione, eſſet ſufficiens, & æquiualens pro vniuerſis hominum peccatis pẽſatio. In altero ſenſu intelligi poteſt hæc eadẽ concluſio, quatenus aduerſus ſecundam ſententiam procedit, quæ negat Chriſtum ex proprijs, & alias indebitis ſatisfeciſſe. Quæ ſententia quidquid eius auctores repugnent, plurimum detrahit à ratione iuſtitiæ in Chriſti ſatisfactione, neque poterit cum huius ſententię veritate ſtare, Chriſtum ex omni iuſtitiæ rigore pro noſtris peccatis ſatisfeciſſe, imo vt ex dicendis conſtabit, huius ſententię fautores non ſatis commode ſaluant, Chriſtum ſecluſa ſcotica illa extrinſeca acceptatione, ad æqualitatem ſatisfeciſſe pro vniuerſis hominum peccatis, multoque minus ſaluant ipſam ſatisfactionis Chriſti infinitatem.

Primum ergo iſta concluſio probanda eſt à nobis in priori ſenſu aduerſus primam ſententiam, in quo adeo eſt certa, vt eius oppoſitum non deberet inter probabiles Theologorum opiniones recenſeri, quod ſentiunt multi viri grauiſſimi, & id quidem meritò, vt ex probationibus ſtatim afferendis fiet conſideranti manifeſtum.

Et primo hæc concluſio probatur omnibus illis teſtimonijs Scripturę ſacrę, quibus probauimus in pręcedenti dubio Chriſti ſatisfactionem infinitum habuiſſe ſatisfactorium valorem, nam ſi teſtimonia illa non manifeſtam habent efficaciam ad probandum infinitatem in Chriſti ſatisfactione, probant tamen efficaciter magnam eius ſufficientiam, ęqualitatem, & ſuperabundantiam. Ponderentur omnia iuxta modum quo nos illa in dubijs pręcedentibus, pręſertim ſecundo, expendebamus.

Probatur pręterea ex illo Paul. ad Heb. 10. *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.* Conſumare autem ſanctificatos non poterat Chriſtus vna Crucis oblatione, niſi oblatio ſufficiens eſſet & æquiualens, imo & ſuperabundans ad compenſandum Deo pro vniuerſis hominum peccatis. Probatur præterea ex illo Roman. 5. *Vbi abundauit delictum ſuperabundauit, & gratia, vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quibus verbis & alijs, quæ in eodem cap. habentur ad hanc veritatem probandam, vſi ſunt duo grauiſſimi Patres, ac Summi Pontifices, Agapetus, & Leo I. locis poſtea referendis. Et duo ſunt in his verbis ponderanda. Primum, quod gratia nobis per Chriſtum collata abũdantior eſt, & copioſior ad noſtram ſalutem, & vitam operandam, quam fuerit ipſa originalis Adæ culpa ad cauſandam ſpiritualem mortem, & omnia incommoda tum animæ, tum corporis, quæ ex ipſa originali culpa emanarunt. Hoc enim denotat illud verbum, *ſuperabundauit*, quod & alijs verbis in eodem capite animaduertit Paulus inquiens. *Sed non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Tunc ſic, peccatum Adæ ad totum humanum genus extendebatur, imo quaſi ex toto rigore iuſtitię ad totum Adæ poſteritatem diffunditur: Ergo ſi ſuperabundauit gratia, vbi abundauit delictum, neceſſe eſt dicamus, quod Chriſti ſatisfactio, cuius virtute reconciliati ſumus Deo, & in Dei gratiam admittimur, fuerit ſufficiens, & ad ęqualitatem, imo, & ſuperabundans, & hoc quidem ex vi operis, & ex vi ſatisfactionis exhibitæ, & non ex acceptatione Dei extrinſeca, quæ non ſe tenet ex parte Chriſti, & ſatisfactionis eius, neque quidquam ad ipſius ſatisfactionis perfectionem retulerit, ſed ex liberali Dei voluntate, & miſericordia tota penſatur.

Et ſummopere obſeruandum eſt, quod Paulus in citatis verbis, & in toto illo cap. non ad voluntatem Dei retulit ſuper abundantiam gratiæ, ſed ad ipſum Chriſtum, ſcilicet, ſatisfacientem pro nobis, & merentem nobis. Expendantur illa verba. In gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.

Digitized by Google

Et notetur contrapoſitio quam facit Paulus vnius hominis ad alium hominem, ſecundi & cœleſtis Adami, ad primum, & terreſtrem Adamum. Nam ſicut terreſtri Adamo eiuſque primo peccato totam generis humani ruinam abſque noua Dei extrinſeca acceptatione, vel imputatione, ſed ex vi ipſius primi peccati tribuit Paulus, & omnes tenemur tribuere ipſam humani generis calamitatem, & cladem: ita & cœleſti Adamo eiuſque operationibus ſatisfactorijs, & meritorijs tribuere debemus (quod & reuera facit ibidem Paulus) totam ipſam generis humani reparationem, omnemque ſuperabundantem Dei gratiam, quæ in ipſo noſtrę reparationis opere ſplenduit, & emicuit. Neque inepte huic loco adduci poteſt, quod Ioannes vterque & bapt. & Euangeliſta dixit; *Gratiam, & veritatem per Chriſtum eſſe factam.* Ioan. 1. Alterum etiam in eodem teſtimonio Pauli obſeruandum eſt, quod ipſam ſuperabundantem gratiam, quę in nobis abundat, totumque ipſius gratię imperium, & regnum, ad iuſtitiam reuocat Paulus, illã videlicet, quę in Chriſti meritis, & ſatisfactionibus emicuit. Ponderentur illa verba. *Ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam.* Quod ſi quęras a Paulo per cuius iuſtitiam regnat gratia, quaſi reſpondens mox ſubiunxit, *per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Itaque vult dicere Paulus, quod gratia, quæ in nobis facta eſt, & quę ſuperabundat, vbi abundauit delictum non in mortem animę, & corporis ſicut delictum, ſed in ęternam ſimiliter, & animę, & corporis vitam, effectus eſt illius iuſtitię, quam ipſe Chriſtus ſuis fuit actionibus operatus. Et tam fuit abundans ipſa Chriſti iuſtitia in ratione iuſtitię, atque eſt abundans in nobis gratia in ratione gratię: tota enim effectus excellentia, & ſuperabundantia, neceſſe eſt pręhabeatur in eminentiori ſuæ cauſę virtute. Sed & id non eſt prętermittendum, quod quam ſæpius Paulus quaſi indifferenter vtitur nominibus iuſtitiæ, & gratiæ, inſinuans quod id comparatione ad nos donum eſt, & gratia, reſpectu Chriſti rationem habet iuſtitiæ. Nam ſpiritualia dona, quæ nobis gratuito, & miſericorditer conferũtur, debita ſunt Chriſto ex iuſtitia. Legatur Chryſ. hom. 20. in ep. ad Rom. Eandem veritatem inſinuauit Paul. ad Rom. 7. vbi loquens de Chriſto, inquit, *quod de peccato damnauit peccatum*, ideſt, offerens ſe ipſum hoſtiam pro peccato, ipſius oblationis virtute peccatum damnauit, ideſt, totum eius deſtruxit imperium. Non ad ſpecialem Dei beneuolentiam, aut acceptationem extrinſecam, ſed ad ipſam hoſtiæ virtutem peccati deſtructionem Paulus retulit. Peccatum enim in primo loco prædicti teſtimonij poſitũ, ipſam pro peccato hoſtiam in cruce oblatam deſignat, vt habet communis interpretatio. Ponderanda ſunt ad præſens intentum illa verba Iob. c. 6. *Vtinam appenderetur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Quæ verba S. Greg. illa in ſuis moralibus verſans, ad Chriſtum, qui noſtra peccata per tropum, & figuram ſua vocauit, iuxta modum à nobis ſuperius in 1. q. expoſitum. Et pœna quam Chriſtus pro noſtris peccatis fuit perpeſſus, grauior fuit ipſis peccatis, ideſt, vberrimam, & ſuperabundantem compenſationem pro ipſis exhibuit, fuitque copioſa pro eis redemptio.

Sed iam deinceps ſecundo, & principaliter, grauiſſimis Patrum teſtimonijs hęc prior pars concluſionis probatur. Patres mox referendi non obſcuris quin apertiſſimis verbis dixerunt, quod nulla ſatisfactio à pura creatura exhibita fuit ſufficiens ad humani generis redemptionem efficiendam, neque vero potuit ſecundum etiam Dei potentiam: & quod Chriſti ſatisfactio, eo quod Dei, & hominis operatio, ſufficiens fuit, imo & ſuperabundans pro vniuerſis noſtris peccatis ſatisfactio. At ſi ſufficientia ſatisfactionis, ad extrinſecam Dei acceptationem eſſet reuocanda, vt putauit Scotus, rueret tota hæc ſanctorum patrum doctrina, quia operatio puræ creaturæ poterat hac ratione ſufficiens eſſe, & infinita ſatisfactio, nam potuit Deus pro infinitis hominibus, pro infinitiſque culpis, & offenſis ipſam acceptare, neque in hoc, vt ipſe fatetur Scotus, vlla fuit contradictionis repugnantia. Ergo veriſſima eſt prior noſtræ concluſionis pars, & qui illam negat patribus contradicit. Antecedens pro maiori probandum eſt grauiſſimis patrum teſtimonijs ad hunc locum acceritis.

Et primo accedant duo illi Summi Pontifices, clariſſimique Patres, quorum paulo ſuperius meminimus D. Leo. 1. & Agapetus. Etenim D. Leo. epiſt. 81. & 95. c. 2. ſic ait. [Quæ autem reconciliatio eſſe poſſet, qua humano generi propitiaretur Deus, niſi omnium cauſam mediator Dei, hominumq. ſuſciperet, qua vero ratione veritatem mediatoris impleret, niſi qui in forma Dei æqualis eſt patri, in forma ſerui particeps eſſet, & noſtri, vt mortis vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte, qui ſolus morti nihil debuit ſolueretur? Effuſio. n. pro iniuſtis ſanguinis iuſti Chriſti tam potens fuit ad priuilegium, tã diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum diaboli vincula retinerent, quoniam ſicut ait Apoſt. Rom. 5. vbi abũdauit peccatum ſuperabundauit, & gratia.] Quæ verba, quibus pro noſtra ſententia nulla potuerunt dici clariora, reperies tranſcripta ab alio Pontifice Agapeto in epiſtola ad Anthimum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Sed etiã & alia, quæ ibidẽ paulo inferius ſubiungit. S. Leo. [Quamuis multorum, inquit, ſanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamẽ in ſanctis occiſio redemptio mũdi fuit, acceperunt iuſti, nõ dederunt coronas. Et paulo poſt, vnus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui verè Agnus erat immaculatus extitit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes ſuſcitati.] Et manifeſtum erit attentè legenti, quod non tantũ de facto, ſed & de poſſibili loquebatur. S. Leo. Vnde in ead. epiſt. quoſdam, hęreticos, quorum quidã Neſtorij, quidam Euthicetis erroribus tenebantur, quorũ illi in Chriſto diſtinguebant perſonas, iſti confundebant naturas, & neutri vnum Chriſtum verũ Deum, & hominem fatebãtur, miſeræ cæcitatis arguit, quod nullam ſibi ſpem ſalutis relinquant, quia nullus poterat eſſe veræ ſalutis author, antiquæque mortis deſtructor, niſi vnicus mediator Dei, & hominum, qui ſimul eſſet Deus, & homo. Et ita cõcludit. [Oſtendãt vnde ſibi ſpem vitæ pollicеãtur æternæ, ad quam niſi per mediatorem Dei, & hominum hominem Ieſum Chriſtum poteſt peruenire.] Ob id S. Leo. addit, hominem. Quia ſpecialiter cõtra Euthichetẽ diſputabat,

Digitized by Google

qui humanam in Chriſto cum diuina confundebat naturam,&c. Multa dixit ipſe Sanctus Leo.ad huius veritatis perſuaſionē in ſerminibus de paſſione, præſertim ſerm.1.& 12. Illa verba quorum meminimus in 1.dub.huius 2.ar.ſicut nullo nō feruntur in Theologorum ore, ita & ſunt præcipuæ cōſiderationis digna. [Si non eſſet inquit,verus homo, non prçberet exemplum,ſi non eſſet verus Deus non afferret remedium.] Si ad extrinſecam illam Scoticam acceptationem licuiſſet recurrere, etiam ſi verus Deus non eſſet, remedium afferre potuiſſet.

Athanaſ. in hom. de paſſione, & cruce Domini; poſt illa verba, quæ in præcedenti dubio retulimus, quæ ſunt ad hunc locum ponderanda, mox ſubiūxit. [Siquidem Chriſtus factus eſt pro nobis maledictio, atque ita humana carne amictus, & circundatus ea, quæ noſtra erant per ſe patri obtulit, vt ipſe patiens hominem patientem illæſum redderet, & parua magni penſaret.] Ecce vbi Magnus Athanaſius duo dicit conſideranda. Alterum, quod ea, quæ noſtra erant, ſcilicet, pœnalitates, & mortem, quia ipſe per ſe obtulit patri magni fuerunt, & inęſtimabilis valoris, cum tamen ex ſe ipſis nullum habuiſſent. Itaque approbauit olim Athanaſius, id quod poſtea explicatius dixerunt cum S. Thom. graues Theologi, videlicet, quod dignitas ſatisfacientis, & offerentis perſonæ ipſam oblationem, & ſanctificationem dignificat, iuxta ſuæ dignitatis proportionem, ita quod perſona Chriſti infinita infinitum ſatisfactionis, & oblationis valorem ſuis contulit humanis actionibus. Iſtam enim Emphaſim habēt illa verba, quæ noſtra erant, per ſe patri obtulit. Alterum vero, quod dicit conſideratione dignum eſt, pretium à Chriſto exolutum tanti fuiſſe valoris, vt eius comparatione, debitū pro quo Chriſtus ſoluit, paruum cenſeatur. *Parua*, inquit, *magni penſaret*, Certè ſi ex ſola acceptatione Dei hunc tantum valorem habuit pretium à Chriſto pro noſtris peccatis exhibitum, ſatis impropriè diceretur Chriſtus pro paruis magna appendiſſe, cū reuera id quod ipſe ſoluit, non ſolum maius non eſſet debito, verum neque ipſi æquale, ſed tota ſuperabundantia, & æqualitas ex ipſius Dei, cui ſolutio pendebantur, miſericordia, & gratia proueniret.

Ad eundem ferè modum loquitur Chryſoſtomus hom. 10. in epiſ. ad Rom. inquit enim, quod [quemadmodum ſi quis in carceris cuſtodia quempiam decem nummos debentem conijciat, nec ipſum ſolum, ſed cum illo, & propter illum ſimul vxorem liberos, & famulos, veniat verò alius quiſpiam, qui non ſolū decem nummos, & ſed & innumera alia auri talenta largiatur, iam non poterit amplius fænerator decem nummorum debitum exigere: ita & nobiſcum factū eſt. Multo ſiquidem plura quā debebamus Chriſtus pro nobis ſoluit, tantoque plura quanto guttulam exiguam pelagus excedit immenſum.] Et alia ſubiungit Chryſoſt. quæ nulli pœnitebit legiſſe.

Conſentit huic modo dicendi ex Chryſoſt. relato, quod dicit Greg. Nazianz. oratione 42. vbi poſtquā multa retulerat miracula, ea præſertim quæ tempore paſſionis Chriſti contigere, videlicet, ſolis obſcuritas, veli ſciſſio &c. ſubiūxit prope orationem ſimilē, [nullum tamen miraculum cum ſalutis meæ miraculo conferendum eſt, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuerſum inſtaurarunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præſtiterunt, in vnum nos cōiungentes, & coſtringētes.] Ecce qualem, quantūcūq. effectum Theologus hic magnus guttulis cruoris dominici tribuerit. In qua doctrina ipſum videtur imitatus Clemens 6. in citata extrauag. Vnigenitus, cuius verba retulimus, & expendimus dub. præcedenti, cū de infinitate diuinæ ſatisfactionis loquebamur.

Sed iam Proclum Epiſcopum Cyzicum in declamatione ſeu oratione de Domini noſtri Ieſu Chriſti natiuitate, quæ in to. 6. acto. Conc. Epheſ. habetur, ſic dicentem audiamus. [Erat itaq. alterutrum duorum neceſſarium, aut vt omnes propter condemnationē præcipites abirent in mortem (omnes.n. peccauerāt) aut certè, vt eiuſmodi pretium penderetur, quod exactum debitum ad iuſtitiæ amuſſim exequaret. At qui homo, quod peccati debito ſubiaceret, ſaluare ſe non poterat, Angelus vero, quo tantum redemptionis pretium ipſi non ſuppeteret, humanum genus redimere nequibat, ſupererat igitur vt ille pro omniū peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat, atque vnica hæc reſtabat mali ſolutio] Hæc verba pōderatione non egent, ſunt enim pro noſtra ſententia luce clariora.

S. Cyrillus Alex. multus eſt in hac veritate docēda, millies enim contra Neſtorium, & Euthicetem hoc vtitur argumento. Quod ſi Chriſtus non verus eſſet Deus, & homo inſolutum adhuc maneret humanæ redemptionis pretium, quia ſi verus homo non fuiſſet, veraque humana non eſſet indutus natura, neque mereri, neque ſatisfacere potuiſſet. Si verus autem nō eſſet Deus, imperfecta, & infirma eſſet eius operatio, neque pro tanto debito æquale pretium potuiſſet exoluere. In libro ad Reginas, in cap. quod redempti ſumus per ſanguinem Chriſti ſic ait. [Sed ſiquidem vt homo communis intelligitur Chriſtus, quomodo corpus eius ad rependendam omnem vitam ſufficeret &c.] Appellauit ipſum Cyrillus Chriſtum hominum communem, in eo ſenſu, in quo Neſtorius ita ipſum appellabat, non quidem quod gratia, & ſanctitate non eſſet præditus, cenſuit enim Neſtorius Chriſtum ſingulariſſimæ fuiſſe ſanctitatis, & gratiæ: Sed quod eſſet homo purus, ita quod verbum eius humanitati non eſſet hypoſtaticè vnitū. Vnde talis formatur ratio ex verbis Cyrilli deſumpta. Si Chriſtus eſſet purus homo etiam excellenti ſingulariſſimaque ſanctitate præſtans Deo valde acceptus, & gratus, non ſufficeret iuxta Cyrilli ſententiam, humanum genus reparare, & redimere: Ergo neque vlla creatura id poſſet efficere, quod tamē effecit Chriſtus, quia Deus eſt homo. Qui totus hic diſcurſus, in doctrina Cyrilli fundatus nequit procedere ſecundum extrinſecam Dei acceptationem, ſed ſecundum valorem intrinſecum operationis exhibitę, nā alias æqua ſors eſſet puræ creaturæ, & Chriſti hominis Dei, quia vtriuſque operationem poſſet Deus, vt voluiſſet, pro quocūq. effectu acceptare. Similia repetit Cyri, eod. lib. c. quod mors Chriſti fuit mundo ſalutaris, & in c. quod ſanguis Chriſti fuit redemptio noſtra, & in libro de incarnatione verbi, & vbique locorum ſuæ doctrinæ.

Cyprian. in ſermone de paſſione Chriſti circa medium, ita inquit, [cum originali morti nullum, niſi in Crucis morte potuerit eſſe remedium, nec reconciliare Deo potuerit exules, & damnatos quælibet

ſolutio,

ſolutio, aut oblatio, niſi ſanguinis huius ſingularis ſacrificij, &c.] & paulo inferius, ornatiſſimis, magiſque verbis explicuit ipſum humani generis vulnus nullo alio potuiſſe medicamento curari, niſi ſanguine Cpi.

Irenęus 3. lib. contra hæreſes cap. 20. inquit, [ſi. n. homo non viciſſet inimicum hominis, non iuſtè victus eſſe inimicus. Et ferè ſtatim ait. Niſi Deus donaſset ſalutem, non firmiter haberemus eã.] Quibus & alijs multis, quæ ibidem ſubiungit, apertè docuit, quod ad redemptionem humani generis, non vi, & poteſtate, ſed ſecundum rationem iuſtitiæ faciendam, neceſſarius fuit redemptor, qui ſimul eſſet Deus & homo.

Theodotus Ancyrorum Epiſcopus in oratione de natiuitate Saluatoris (habetur in appẽdice ad tom. 6. acto. Conc. Epheſini) loquens de dignificatione paſſionum, & pęnalitatum Chriſti, quas ſimul cum humanitate abſque vlla ſuæ maieſtatis diminutione, magnaq. cum earum gloria, diuinum verbum ſuſcepit, aduerſus Neſtorium, & alios hæreticos arguens, ſic ait. [Sed hominis inquis, ò hæretice, paſſiones non præſumo Deo coniungere. Et mox ſubiunxit Theodotus arguens ob inconuenienti: ergo neq. ſanate eũ paſſiones hominum dices, neque cruce expoliaſſe virtutem diaboli, neq. noſtrũ peccatum adfixiſſe ligno, neq. proprijs paſſionibus ſanaſſe hominum paſſiones, nec morte dices eum deſtruxiſſe mortem. Si. n. non fecit Deus proprias paſſiones, vnde paſſionibus Chriſti tantarum correctionum ſunt factæ virtutes, quõ perempta eſſet morte mors, niſi Deus propriam eam feciſſet, Sed iſtæ paſſiones propriæ factæ Dei virtutem tantarum correctionum ex diuinitate perceperũt. Et ferè ſtatim ait. Quomodo affixum eſt ligno quod contra nos erat peccati chirographum homine puro ſuſtinente morte? quomodo autem crux peccatum crucifixiſſet, aut mors mortis tyrannidem deſtruxiſſet, niſi hæc facta fuiſſent Dei, & ab illo virtutem ſumpſiſſent propria faciente, quæ ſunt noſtra, nõ patiente eius natura?] His & alijs, quæ ibidem habentur conſtat ex mente huius grauiſſimi patris humanas Chriſti actiones, & paſſiones fuiſſe Theandrycas, ideſt, Dei viriles, vtramque vim, humanam, & diuinam complectentes, quibus proinde perfectè fieri potuit, & ex toto rigore iuſtitiæ ipſa humani generis redemptio.

Dionyſius Areopagita, in epiſt. 4. ad Caium monachum propter hanc geminam virtutem, qua Chriſti actiones pollebant, primus appellauit Theandricas. De quibus grauiſſimè loquitur Concil. Lateran. ſub Martino I. conſultatione 5 can. 15. & Dam. lib. 3. de fide c. 15. 17. & 19. quibus in locis docuit has Theandricas Chriſti actiones ſimulq. paſſiones nobis fuiſse ſalutares, propter pręd ictam vtramque quam imbibitam habent virtutem.

D. Anſelmus lib. 1. c. 24. & lib. 2. cur Deus homo, c. 3. & ſequentibus, adeo ſibi hanc noſtram ſententiã perſuaſam habuit, vt exiſtimaret, non alio modo potuiſſe fieri humani generis redemptionem, quam Chriſti ſatisfactione, & merito. Cui non admodum refragaſſe videtur Ricard. de ſancto Vict. lib. 1. de incarnatione c. 8. q. 5. verum hæc ſententia ab vniuerſis Theologis reprobatur cum. Magiſtro in 3. d. 20. qui in hac parte ſequuntur Aug. qui lib. 13. de Trinitate cap. 10. & ſequentibus, magna doctrinæ copia expoſuit, non defuiſſe Deo alium, & alios, quam plures modos, quibus humanum genus poſſet reparare, & ab originali culpa eripere, quamuis ex omnibus poſſibilibus conuenientior fuit is, quem Deus ſumma nobiſcum miſericordia, ſummaque ſecum iuſtitia viens, mirabili conſilio adinuenit. Iſta communis Theologorum ſententia adeo certa eſt, vt pluſquam temerarium eſſet ab illa deſcedere, quod non eſt noſtrum in præſentia probare.

Probari ſolet efficaciter à S. Thom. interpretibus 3. p. q. 1. a. 2. Id autem noſtrum eſt hoc in loco animaduertere, quod cum Sancti Patres locis citatis, & alijs multis docent non potuiſſe conſtare humani generis redemptionem, & reparationem, niſi ſatisfactionibus, & meritis eius, qui verus Deus eſſet, & homo, vti Chriſtus eſt primum totius religionis chriſtianæ fundamentum, minimè intellexerunt, non potuiſſe abſolutè fieri per aliud medium humani generis redemptionem, ſed ex ſuppoſitione loquuntur, nimirum, ſuppoſito, quod Deus æterno ſuo conſilio decreuerat, non potentia, & vi hominem à dæmonis imperio, & tyrannide eripere, ſed iuſtitiæ efficacia, & pretij valore. Aiuntque patres, quod hoc diuino decreto ſuppoſito, nullus alius ſupereтат modus, præter hunc quem Deus aſſumpſit ad iuſtam humani generis redemptionẽ: eo quod nulla creatura ſufficiens pretium poſſet exoluere, aut Deo ſecundum æqualitatem pro offenſa ſatisfaceere. Quem ſenſum facilè erit colligere ex Auguſtino loco nunc citato. Iuxta quem explicari poterunt Anſelm. & Riccardus de ſancto Vict. atque itidem Fulgentius lib. de incarnatione Verbi cap. 4. vbi tantiſper videtur fauere illi ſententiæ, quam ex Anſelmo referebamus, ſed loquitur ſine dubio iſte auctor ex ſuppoſitione prædicta. Qui & ſumma cum eruditione, & doctrinæ copia hanc veritatem, quam aduerſus Scoti, & Durand. ſententiam ex Patrum monumentis deduximus, luculẽter docet, & proſequitur.

Ex iſta Patrũ doctrina vehementiſſimè confutatur Durand. & Scoti ſententia, quam ferè omnes nominales ſequuti fuere, qui aduertente Michaele de Palacios in 3. d. 20. diſputatione ſecunda, omnes fuerũt in ea ſentẽtia, quod licet Chriſti paſſio, & cæteræ eius actiones magnam habuerint congruitatem, ſeu condignitatem, vt quidam eorum forte condignitatis termino abutentes dixerunt (nam condignitas apud ipſos nihil aliud quam congruitatem deſignauit cum ſecundum ſe quid maius importet) non tamen vel infinitatem, vel æqualitatem in ipſis Chriſti operationibus agnouerunt, ſed totum tandem ſatisfactoriũ negotium, ipſamque totam vim ſatisfaciendi, & efficaciam, in Chriſti repertã operationibus, ad extrinſecam Dei acceptationem reuocarunt, quod ſancti Patres citati minimè fecerunt, qui non ſolam congruitatem in ipſis Chriſti actionibus, ſed veram condignitatem, ideſt, æqualitatem ſatisfactoriam, & meritoriam in eis fuiſſe conſtanter affirmarunt, & grauiſſimis atteſtationibus docuerunt. Vnde immerito hic author eos excuſauit, ob id quod ipſam Chriſti ſatisfactionem dixerint eſſe condignam: cum condignitas apud ipſos ſolam denotet congruitatem. Quæ in quo ſita ſit, vix adhuc mihi conſtat: nam rogarem ego ab Scot. eiuſque ſectatoribus, quid intelligãt per congruitatem illam ſpecialem, quam in Chriſti ope-

Digitized by Google

operationibus commentantur: ſicque ipſos vrgeo. Vel illa congruitas ſumitur ex magna intenſione gratiæ habitualis, ſupernaturalium, cœleſtiumque donorum ipſam comitantium, vel ex dignitate perſonali, quatenus, videlicet, verus eſt Dei filius, infinitæque maieſtatis.

Si primum dicant nihil reuera dicunt, quod non diceret Neſtorius, qui illum hominem, quem ipſe appellabat communem, & quaſi Deum ferẽtem, ſingulariſſimæ dignitatis eſſe prædicauit, ſecundum habitualis gratiæ, & ſupernaturalium donorum prærogatiuam. Quam tamen gratiæ, & donorum excellentiam non ſufficere ad humani generis redemptionem ex iuſtitia operandam, aſſeuerantiſſimè teſtati ſunt omnes illi Eccleſiæ Patres, qui aduerſus Neſtorium diſputauerunt, vt aliqua ex parte ex teſtimonijs à nobis adductis conſtare potest. Et id quidem meritò Patres dixerunt, quia talis excellentia, & gratiæ prærogatiua non excedebat limites puræ creaturæ.

Si verò ad perſonalem dignitatem referunt congruitatem prædictam, quid obſecro aliud erit hæc congruitas: quam ſpecialiſſimus quidam ſatisfactorius, & meritorius valor ex infinita, & ſumma perſonæ operantis dignitate ad ipſius operationes deriuatus, atque idcirco hæc congruitas erit re ipſa condignitas, & æqualitas ad offenſæ grauitatem. Nam vel grauitas offenſæ infinita eſt infinitate deſumpta à maieſtate Dei offenſi, vt nos arbitramur, vel finita eſt ſimpliciter, & ſecundum quid duntaxat infinita, vt cum ſuis exiſtimauit Scotus. Si infinita eſt offenſæ grauitas, etiam erit infinitus ſatisfactorius valor operationum Chriſti; qua enim ratione infinita dignitas Dei offenſi grauitatem infert in ipſa offenſa, eadem ratione infinita perſonalis dignitas, & maieſtas Chriſti ſatisfacientis refundet in eius operationem infinitum ſatisfactionis valorem. Quod ſi cum Scoto ſenſeris peccati grauitatem ſimpliciter eſſe finitam, infinitam autem ſecundum quid, tunc facilius adhuc erit intelligere, quo pacto ille ſatisfactorius valor ex perſonali Chriſti dignitate deſumptus æqualis fuit grauitati offenſæ. Quia ſicut grauitas offenſæ fuit ſecundum quid, & ſecundum extrinſecam rationem infinita ob maieſtatem Dei per peccatum læſam, ita eſſet ſtultus, qui negaret, quod ex dignitate perſonali Chriſti, non refereuatur ad eius operationes ſimilis ſecundum quid infinitas ſatiſfactorij valoris, quæ adæquaret infinitam ſecundum quid offenſæ grauitatem. Igitur in quacumque ſententia, ſiue grauitatem offenſæ infinitam eſſe dixeris cum S. Thom. ſiue cum Scoto finitam, fateri oportet Chriſti ſatisfactionem verè ad æqualitatem fuiſſe, & citra omnem extrinſecam Dei acceptationem, ex ſemetipſa ſufficientem, ad compenſandum Deo pro mortali peccato, atque adeo & ad ipſam generis humani reparationem.

Omnia argumenta, quibus præcedenti dubio probauimus infinitatem ſatisfactionis Chriſti, probant & eius ſufficientiam, & æqualitatem, imo & ſuperabundantiam ad ſatisfaciendum pro vniuerſis hominum peccatis. Crediderim tamen multo eſſe certius, quod Chriſti ſatisfactio fuerit ſecundum legem æquiualens, & condigna, quam quod fuerit valoris ſimpliciter infiniti, quoniam primum multo expreſſius aſſeritur ab vniuerſis Eccleſiæ Patribus. Vnde ſi liberè licet loqui, & propriam proferre ſententiam, ego exiſtimarem eum non ſatis conſentaneè ad ſanctorum Patrum doctrinam docere, qui huiuſmodi æquiualentiam, & condignitatem Chriſti ſatisfactioni, & meritò negaret, qui contrarium non vt probabilem opinionem: ſed vt certam veritatem contra hæreticos Neſtorianos. Euthichianos, & alios non ſemel pro Eccleſia docuerũt. Et illa extrauagãs Clem. 6. ſuperius citata, me in hanc ſententiam vehementer impellit, vbi non ſolam condignitatem, & ęquiualentiam, ſed & infinitatem meritorum Chriſti expreſsã habemus. Quæ etſi non de omnimoda infinitate, ſit neceſſariò accipienda, eam tamen infinitatem in Chriſti ſatisfactione fateri nos cogit, quæ ſufficiat eã conſtituere dignam, æquiualentem, imo & ſuperabundantem, & quæ nos reddat ſecuros indeficientiæ theſauri eccleſiæ ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus conſtantis.

Præterea, quod Deus Chriſti Domini paſſionem, & ſanguinem ad humani generis redemptionem aſſumpſerit propter ſolam quandam congruentiam omni ſublata neceſſitate, parum certè ipſam Dei ſapientiam in hoc tanto myſterio abſconditam extollit. Quin & eam videtur deprimere. Nam quis ſapientiſſimi, & prudentiſſimi conſilij opus illud eſſe iudicauerit, in quo pretioſiſſimus theſaurus expenditur, cum alijs multo facilioribus medijs fieri poſſet & perfici, ob quandam tantum congruentiæ rationem? Certè cum Paul. ad Galat. cap. 2. dixit, *quod ſi ex lege iuſtitia Chriſtus gratis mortuus eſſet*, non ignorauit, poſſe nonnullam aſſignari congruitatem, ob quam Chriſti mors fuiſſet expediens hominibus, eorumque reparationi, & ſaluti, etſi lex iuſtitiam ſuis præſtaret cultoribus, & obſeruatoribus. In negotio ergo tanto non congruentiam ſolam, ſed & neceſſitatem attendere oportet, aliàs Chriſtus gratis mortuus eſſet. Et hactenus dictũ ſit de priori noſtræ concluſionis ſenſu.

Ad poſteriorem eiuſdem concluſionis ſenſum neceſſe eſt noſtra diſputatio deueniat, quo ſtatuebamus Chriſtum ex proprijs, & non ex gratia acceptis, neq. ex debitis alio titulo pro noſtris ſatisfeciſſe peccatis, quæ veritas magna ex parte conſtabit ex ſolutionibus argumentorum.

Sed præterea nunc probatur breuiter. Chriſtus ſatisfecit Deo non ſolum vt homo, ſed etiam, vt Deus, homo, ſed hac ratione omnia ſunt ei propria, nihil alicui debet, nullaque ei potuit fieri gratia, nam licet Chriſti humanitas gratiæ ſit, & beneficij ſuſcipiendi capax, at Deus homo incapax eſt cuiuſcumque ſuſcipiendæ gratiæ: ergo, &c. Maior probatur Chriſtus eſt qui ſatisfecit pro nobis, non eius humanitas, at Chriſtus quid aliud eſt quam Deus homo: ergo, &c. Cõfirmatur, illo cõmuni, ſed nõ inefficaci argumento. Actiones ſunt nõ naturarum, ſed ſuppoſitorum: Ergo Chriſti ſatisfactio non ad ſolam humanitatem, ſed ad eius ſuppoſitum eſt referenda, ſuppoſitum autem eſt ipſum diuinum verbum.

Secundo probatur eadẽ veritas, vel ſatisfactio Xpi, ipſiuſq. ſatisfactorius valor, ad ſolam eius humanitatem eſt referendus, vel etiam ſimul cum ipſa humanitate ad diuinum verbum: ſi ad humanitatem tantũ referas. Ergo operatio Chriſti nõ fuit infinita ſatiſ-

ſatisfactio, neque infinitum habuit ſatisfactionis, & meriti valorem, humanitas namq; quamuiscunque ſupernaturalibus ſit exornata donis, non poteſt infinitatem huiuſmodi ſuis operationibus tribuere, alias purus homo poſſet infinitè Deo ſatisfacere, qđ nullus Theologorum concedet, niſi qui ad illam impertinentem extrinſecam Dei acceptationem recurrunt. Imo & infero, quòd non ſolum non potuerit non eſſe infinita Chriſti ſatisfactio, ſed neque condigna, & æquiualens, quia non habet illam dignitatem perſonalem, per quam æquiualeat grauitati, quę ex infinita Dei maieſtate læſa, & offenſa ad peccatum deriuatur. Namque ſi dixeris non eſſe neceſſariam eiuſmodi æquiualentiam ex dignitate perſonæ ſatisfacientis deſumptã, concedere teneberis aduerſus Sanctorum Patrum doctrinam, quod purus homo potuerit ęquiualenter, & condignè, pro mortali peccato ſatisfacere, nam ſecluſa prædicta perſonali dignitate, quam dicis neceſſariam non eſſe, totum aliud ad prædictam ſatisfactionem requiſitum, fuit puro homini communicabile. Si vero non ad ſolam humanitatem, ſed ſimul ad diuinum verbum eius ſuppoſitum ſatisfactio Chriſti referatur, habemus intentum, nimirum, Chriſtum ex proprijs, & alias indebitis ſatisfeciſſe.

Sed dicent forſan ſecundæ ſententiæ authores, contra quos iſta procedunt, quod Chriſti ſatisfactio non quidem eſt ad verbum referẽda, ſed ad humanitatem, non tamen nudè conſideratam, neque vero tantum prout eleuatam per habitualem gratiã, & ſupernaturalia Spiritus ſancti dona, ſed vt gratã, & Deo acceptam, atque itidem ſanctificatam per gratiam vnionis. Quæ ſanctificatio, & gratitudo nulli aliæ creatæ naturæ competere potuit. Et ex hac vnionis gratia Chriſti ſatisfactio induebat quendam peculiarem valorem, imo & infinitum, quem nulla pura creatura, ideſt, cui non ſit perſonaliter coniunctus Deus, poterat ſuis operationibus tribuere. Veroſimilis apparet iſta ſolutio, præſertim ſi ſupponamus id, quod dicebatur ſuperius, videlicet, Chriſti humanitatem ex coniunctione ad verbum quamdam moralis dignitatis infinitatem acquiſiuiſſe, quę poteſt ipſa perſonalis dignitas appellari. Nam quis vetat, quod hanc infinitatem humanitas Chriſti ad ſuas operationes tranſmiſerit, ipſiſque communicauerit?

Sed cõtra hanc ſolutionem ſic arguo. Primo, quia non videtur eſſe ad mentem Patrum, neque eorum doctrinæ conſentanea, nam legenti teſtimonia paulo ante à nobis adducta conſtabit, quod redemptio, & reparatio generis humani non ſoli Chriſti humanitati à Sanctis Patribus tribuitur, ſed Chriſto Deo, & homini. Neque Chriſti actionibus, prout à ſola humanitate proceſſerunt, accepta tribuitur humanæ ſalutis operatio, ſed quatenus fuerunt Theandricæ, ideſt, hominis Dei actiones.

Secundo, ſi ad ſolam Chriſti humanitatem eius ſatisfactionem reducimus, non poſſemus valorem ſatisfactorium ſimpliciter infinitum eis concedere, quoniam illa dignitatis infinitas, quæ competit humanitati ex coniunctione ad verbum, non eſt tanta, vt virtute præhabeat infinitum ſimpliciter ſatisfactionis & meriti valorem. Sed augeo, & explico vim huius argumẽti in iſtum modum. Peccatum habuit offenſæ grauitatem (ſiue infinita fuerit ſimpliciter, ſiue tantum ſecundum quid) ex infinita Dei maieſtate per ipſum peccatum iniurioſè offenſa deriuatam: ergo neceſſaria eſt in ſatisfactione ęquiualente & condigna, ſimilis infinitas ex perſona ſatisfaciente deſumpta. Hanc autem infinitatem non poſſumus inuenire in Chriſti ſatisfactione, ſi eam ad ſolam Chriſti humanitatem referamus. Etenim dignitas humanitatis Chriſti quantacumque ſit, niſi ſimul includat diuinum verbum, non eſt tanta, quanta eſt dignitas maieſtatis diuinæ per peccatum offenſa: ergo oportet dicere, quod ipſe Chriſtus Deus homo verè ſatisfecit, & quod ex infinita eius dignitate ſatisfactio ſuſcepit valorem, per quem ſortiebatur æqualitatem ad offenſam contra Deum, infinitamque eius maieſtatem admiſſam.

Neque quidquam retulerit dicere, quod dignitas in humanitate Chriſti participata, tandem reducitur ad verbum cui hypoſtaticè vnitur. Et ita valor ſatisfactorius ad ipſum quoque Verbum tandem reducebatur: hoc, inquam, non ſuffecerit ad euadendũ facti argumenti vim, quoniam verbum re ipſa non ſatisfecit, iuxta iſtam ſententiam, ſed ſola humanitas in verbo ſuſtentata, ſicut cum aqua calida calefacit manum, ipſa aqua reuera non calefacit, ſed calor in illa ſuſtentatus, & ſi denominatio actiuæ calefactionis aquæ tribuatur. Sed humanitas Chriſti non eſt tantæ dignitatis, quantæ eſt diuina maieſtas per peccatum offenſa: ergo ſatisfactio ex illa prouenienѕ, non induit æqualitatem ad offenſam Diuinæ Maieſtati irrogatam.

Præterea contra ſecundam ſententiam, & in fauorem noſtræ concluſionis ſic arguitur. Illud fundamentum cui innititur prædicta ſecunda ſententia, videlicet, non eſſe neceſſe, quod actio Chriſti humana procederet à ſuppoſito, ſed ſatis fuerit, quod ab ipſa procederet humanitate, falſiſſimum eſt: ergo tota illa ſententia ruit. Probo antecedens. Primo, ex illo axiomate vulgatiſſimo, ſcilicet, actiones ſunt ſuppoſitorum, quod in doctrina Ariſt. non leue fundamentum habet, nam etſi in primo lib. Meth. cap. 1. tantum dixerit Ariſtot. quod actiones ſunt circa ſingularia, at in ſecundo lib. de anima, & alijs in locis apertè dicit, quòd natura non operatur, ſed ſuppoſitum, & quod non operatur humanitas, ſed homo. Secundo diuinum verbum ſupplet exactiſſimè vicem humani ſuppoſiti, ſed nulli dubium eſt, quin ſuppoſitum humanum operetur per humanitatem, & oppoſitum dicens non eſt arguendus, ſed irridendus: Ergo ſimiliter fateri tenemur, diuinum verbũ, prout eſt humanitatis ſuppoſitum, verè operari humanas Chriſti operationes.

Confirmatur. Nam ſi verbum, non verè humana opera per aſſumptam humanitatem operatur, non ſatis propriè conceditur, quòd Deus ieiunauit, orauit, & alias huiuſmodi pro ſalute noſtra operationes exercuit, ſed ampla quadam, & latiſſima acceptione hoc diceretur, ſicut diximus aquam calefactam calefacere. Quod autem hoc non admitterent Sancti Patres, qui eorum dicta legerit, (cum de incarnationis ſacramenti œconomia & diſpenſatione loquuntur,) nullatenus poterit dubitare. Legatur S. Athan. lib. de ſalutari aduentu Chriſti contra Apolina. vbi non longe à principio cauſam Chriſti aduentus in-

quirens, & reddens, inquit, *Quia Deus decreuerat ex plenitudine deitatis ſuæ, primi illius exemplariſque hominis informationem inſtaurare, & ex vtero Virginis, nouam conſtituere in ſe ipſo naturali genitura, & commistione, quæ dolorem non haberet, vt ſalutis humanæ negotium abſolueret, morte, & reſurrectione hominum redemptionem perfecit.* Notentur illa verba, *ex plenitudine diuinitatis.* Et qua obſecro ratione Patres grauiſſimi, & ſapientes Theologi Chriſti operationes Theãdricas, ideſt, Dei viriles appellare potuerunt, ſi re ipſa ab humanitate tantum, & non à verbo operante proceſſere? Ergo vt rem in Theologia certiſſimam ſtatuamus non Chriſti humanitatem, ſed ipſum Chriſtum Deum verum & hominem nos redemiſſe, pro nobis oraſſe, pro nobis ieiunaſſe, pro nobiſque & paſſum & mortuum fuiſſe. Quod non leui argumento confirmo. Chriſtus vt Deus & homo, mediator fuit Dei, & hominum, hoc enim deſignauit Paulus cum dixit. 1. ad Thimo. 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus*, nõ ſolum dixit Ieſus, quod ſufficeret, ſi ratione tantum humanitatis fuiſſet mediator, ſed dixit *Chriſtus Ieſus*, vt deſignaret, quod vt Deus homo ſimul, quod importat illud nomen Chriſtus, Dei fuit & hominum mediator. Quod & ratione etiam oſtẽdo, nam cum mediator ſit veluti medium inter duo extrema, oportet vt cum vtroque extremo conuenientiam habeat. Ergo vt Chriſtus verè & propriè Dei & hominum dicatur mediator, non debet ſolum ratione humanitatis conſiderari, ſed etiam ſecundũ quod diuinam includit perſonam. Ita quod in natura cum hominibus, & in perſona cum Deo cõueniat. Et quidem ſi per ſolam humanitatem mediatori conſtitueretur, creatura eſſet formaliter loquendo mediatrix, vel ſaltẽ eſſet tota ipſa mediatoris ratio, ab eaque potiſſimum mediatoris officium penderet: quod nullo modo eſt concedendum, ex creatura enim, nequit ſufficiens ratio ad mediatoris officium deſumi, de qua te 3. p. q. 26. ar. 2. vbi fortaſſis aliquis offendet in doctrina D. Tho. exiſtimans eius fuiſſe ſententiæ, quam nunc impugnamus. Sed e contra res ſe habet, vt ex Caiet. ibi in ſolutione ad primum poteſt conſtare. Ex his autem omnibus ſic arguo, Redemptio generis humani actio fuit mediatoris inter Deum, & homines: ergo fuit effecta à Chriſto, prout includit naturam humanam, ſimul & diuinam perſonam.

§. 5. *Secunda Concluſio.*

NOn eſt improbabile, quod Deus ex vi rectitudinis iuſtitiæ neceſſitaretur ad acceptandam Chriſti ſatisfactionem pro noſtris culpis oblatam, longe tamen probabilius eſt oppoſitum. Prior pars cõcluſionis, quę vt ſuperius aduerti, quibuſdã grauiſſimis viris placuit, probatur. Satisfactio Chriſti, vt in primo dubio huius ſecundi art. in 2. concl. diximus, includit formalem commutatiuæ iuſtitiæ rationem, & rectitudinem: ergo reſpondet illi ex parte Dei ſtricta neceſſitas acceptandi ſatisfactionem ipſam. Probatur conſequentia, quia ratio iuſtitiæ commutatiuæ æqualitatem in vtroque extremo ponit, ita quod ſi vnus dat quantum debet, alter acceptare teneatur, & debitum remittere.

Confirmatur, ſatisfactio Chriſti non potuit ſimpliciter eſſe exactæ, & rigoroſæ iuſtitiæ, ſi Deus illã acceptare non tenebatur, ſed ex gratia, & miſericordia acceptauit: ergo ſi verum eſt, Chriſti ſatisfactionem exactam, & rigoroſam fuiſſe, conſequenter fateri tenemur, Deum non potuiſſe non acceptare.

Secundo probatur. Operatio ſatisfactoria Chriſti & ſi materialiter comprehenderetur ſub vniuerſali iure, & dominio Dei, non tamen prout à verbo procedebat, quia verbum nullo præcepto, nullaque potuit ratione obligari ad operandum, ſed ex ſumma propriæ voluntatis libertate ſe applicauit ad operãdum per humanitatem: Ergo ex hac ratione potuit deſumi perfecta iuſtitiæ ratio inter Chriſtum & Deum, quatenus id, quod Chriſtus dedit Deo, non plenè continebatur ſub vniuerſali ipſius Dei poteſtate, & dominio.

Rationes iſtæ probabilem efficiunt priorem huius ſecundæ concluſionis partem. In qua non dicimus neceſſitatem acceptandi Chriſti ſatisfactionem prouenire Deo, vel ex fideli ipſius promiſſione, vel ex ſumma voluntatum Dei, & Chriſti concordia, quod dixerunt viri quidam doctiſſimi, vt ſuperius retulimus, in cuius intelligentiæ defenſione parum eſſet difficultatis. Sed diximus in noſtra concluſione neceſſitatem illam prouenire ex iuſtitiæ rectitudine. Neque diximus præterea Deum teneri aliquo iuſtitiæ præcepto, nam illud eſſet omnino falſum, & abſurdum. Nam diuina voluntas ſicut nullum habet ſuperiorem, ita nullo præcepto, nullave lege poteſt conſtringi. Sed diximus ex iuſtitiæ rectitudine neceſſitari. Quod eo modo eſt intelligendum, quo dicunt Theologi Deum neceſſitari ad amandũ ſemetipſum, ad non mentiendum, & ſimilia, in quibus eſt intrinſeca rectitudo, & bonitas: quæ quidem neceſſitas non prouenit ab extrinſeca, ſed ab intrinſeca diuinæ voluntatis rectitudine, et ſi tanquam à conditione pendeat ab extrinſeca iuſtitiæ rectitudine, quę reperitur in ipſis Chriſti operibus. Et quidem cum omnis humana Chriſti operatio, & omnis eius rectitudo ſit tandem reducenda ad liberam Dei voluntatem, qua voluit verbum humanitati hypoſtaticè vniri, tota neceſſitas, quæ ex Chriſti operationibus ad Dei voluntatem inducitur, neceſſitas eſt ex ſuppoſitione, & ex ipſa Dei voluntate primam trahens originem, ſicut dicebamus de neceſſitate, qua Deus tenetur ſuis ſtare promiſſis.

Præterea aduertendum eſt, quod hæc iuſtitiæ rectitudo, cui Deus neceſſitatur attendere, ad iuſtitiam commutatiuam ſpectat, iis tamen imperfectionibus ſublatis, quæ in noſtra commutatiua iuſtitia reperiuntur. Noſtra enim commutatiua iuſtitia conſiſtit in æqualitate dati, & accepti, quæ ſane æqualitatis ratio non adamuſsim pẽſanda eſt inter Chriſtum, & Deum, Deus enim nihil accipit, quod ad eius emolumentum attineat, cum nullo egeat, nullumque in propriis bonis poſsit augmentum ſuſcipere. Similiter noſtra commutatiua iuſtitia mutuam conſtituit inter eos, in quibus reperitur, dependentiam, & quaſi ſubiectionem, eo quod neceſsitas, & obligatio, qua quis alteri ex iuſtitia obligatur, eique tenetur, prouenit ab extrinſeco, ideſt, ex vi operis iuſti ab alio exhibiti. V.G. qui ab aliquo emit equum, ex vi emptionis, & vẽditionis, & ex vi traditionis equi tene-

Digitized by Google

tur pretium repẽdere, quæ obligatio cũ ab extrinſeco proueniat, eſt veluti ſeruilis quædam ſubiectio. At neceſſitas, qua Deus Chriſti meritum acceptare tenetur, non ab extrinſeco prouenit, vt dixi, ſed ex ſumma voluntatis diuinæ rectitudine, quæ proinde potius appellatur neceſſitas, quam obligatio, & proprius dicitur Deum neceſſitari, quam teneri, ad acceptandam Chriſti ſatisfactionem. His ergo, & alijs ſimilibus imperfectionibus ſublatis, quæ ex conditione ſubiecti in noſtra commutatiua iuſtitia reperiuntur, nulla improbabilitate dicitur, Deum neceſſitari ex rectitudine commutatiuæ iuſtitiæ ad acceptandum ſatisfactionem, & meritum Chriſti: ſaluantur enim ibi ea, quæ ſunt neceſſaria ad commutatiuam iuſtitiam, ſcilicet, æqualitas rei ad rem, puta, ſatisfactionis ad offenſam, & meriti ad præmium, & æqualitas inter ipſas perſonas Deum, videlicet & Chriſtum, hæc dicta ſint ad probabilitatem prioris partis noſtræ concluſionis elucidandam, & tuendam.

Verumtamen longè probabiliorem eſſe crediderim ſententiam, quæ obligationem, & neceſſitatem commutatiuæ iuſtitiæ omnino remouet à Deo. Quæ ſententia videtur eſſe conſentanea doctrinæ S. Tho. 1. p. q. 21. ar. 1. in qua de iuſtitia Dei diſputans, nullam in Deo commutatiuam iuſtitiam agnoſcit: & eiuſdem videtur eſſe ſententiæ 1. 2. q. 114. ar. 1. Et quidem licet S. Tho. his locis non loquatur de iuſtitia Dei, erga Chriſtum, eadem tamen videtur eſſe ratio ad tollendam huiuſmodi iuſtitiam à Dei voluntate reſpectu cuiuſuis creaturæ. Duæ antem ſunt rationes præcipuæ, quæ me in hanc ſententiam inducunt, quarum memini ſuperius, & earum ſolutionẽ ad hunc locum repoſui: quæ iterum erunt neceſſario repetendæ, quia noua egent explicatione.

Prima ratio ad hoc reducitur, quod obligatio, & neceſſitas commutatiuæ iuſtitiæ, ſubiectionem quandam inducit voluntati eius, qui ex iuſtitia obligatur. At omnis ſubiectio diuinæ voluntati repugnat: ergo, &c.

Dicent contrariæ opinionis authores, quod neceſſitas voluntatis diuinæ ad acceptandum Chriſti ſatiſfactionem & meritum, ob id diuinæ voluntati nullã ſubiectionem indncit, quia non ab extrinſeco, ſed ex intranea, & eſſentiali ipſius voluntatis rectitudine prouenit. Sed aduerſus hãc ſolutionem ſic inſto. Neceſſitas qua diuina voluntas teneretur acceptare Chriſti ſatisfactionem (ſi qua eſſet talis neceſſitas) oriretur ex æqualitate perſonæ ſatisfacientis, & ex æquiualentia ſatisfactionis ad offenſam, nec enim aliam rationem prædictæ neceſſitatis aſſignare valemus. Sed licet neceſſitas, quæ ex prima cauſa proueniret, poſſet forſan cenſeri non ab extrinſeco, qnia æqualitas Chriſti ad Deum eſt òmnino ipſi Deo intrinſeca, & ſecnndum eſſentialem identitatem. At neceſſitas ex ſecunda ratione deſumpta, eſſet ſine dubio ab extrinſeco: operatio enim Chriſti, & omnis eius ſatisfactorius valor extrinſecè ſe habẽt ad Deũ: nam ſatisfactio cum omni ſuo valore quid creatum eſt: ergo, &c. Confirmatur. Si neceſſitas acceptandi ſatisfactionem Chriſti ad ordinem iuſtitiæ commutatiuæ pertinet, vt aſſerit contraria ſententia: Ergo fundatur in ipſo ſatisfactionis valore, quatenus æquiualentiam conſtituit inter ſatisfactoriam Chriſti operationem, & offenſam Deo irrogatam, & hoc quidem non ſolum tanquam in conditione requiſita, ſicut dicimus de neceſſitate adimplendi promiſſionem, quæ poſtulat, vt conditionem quandam requiſitam, illud opus, quod ipſa Dei promiſſio ad ſui adimplementum poſtulauit, ſed tanquam in formali ratione. Nam formalis commutatiuæ iuſtitiæ ratio, quæ in ſatisfactione reperitur, per ſe, & formaliter requirit huiuſmodi æquiualentiam: Ergo prædicta neceſſitas, ſi ad iuſtitiam commutatiuam pertinet, ab extrinſeco pendet.

Confirmatur ſecundo, ſuppoſita contrariæ ſententiæ veritate vera eſſet hæc cauſalis, quia Chriſtus eſt æqualis Deo, & ei obtulit ſatisfactionem condignam, & æquiualentem pro offenſa, neceſſitatur Dei voluntas ad eius ſatisfactionem acceptandam. Ergo neceſsitas diuinæ voluntatis pendet ab extrinſeca Chriſti ſatisfactione tanquam à ſui cauſa. Probo antecedens, quia ſi illa cauſalis non eſt vera, nulla ratio eſſe poteſt, propter quam neceſsitas diuinæ voluntatis acceptandi ſatisfactionem ad rationem iuſtitiæ attineat.

Secunda principalis ratio pro noſtra ſententia ea eſt, quod licet valor ſatisfactorius operationis Chriſti præciſè conſideratus, vt procedit à verbo, ſiue ab eius libera voluntate, ſiue ab infinito eius eſſe, non ſit debitus Deo alio quouis titulo, neque ſubſit vniuerſali dominio Dei, & ob id Chriſtus dicitur ex proprijs, & alias indebitis ſatisfeciſſe, abſolutè tamen, & ſecundum omnem ſuam entitatem eſt ipſius Dei, & ſub eius ampliſsimo dominio, & iure clauditur. Itaque in illo temporis, vel naturæ inſtanti, quo intelligitur productus extra ſuam cauſam, intelligitur ſimul comprehendi ſub vniuerſali Dei dominio, eo quod eſt ens creatum, & participatum à diuino eſſe: ergo exhibitio huius ſatisfactionis, huiuſque ſatisfactorij valoris non poteſt inducere iuſtitiæ obligationem, ſeu neceſsitatem in Deo acceptandi ipſam Chriſti ſatisfactionem. Patet conſequentia, quoniam totum id, quod datur Deo per huiuſmodi ſatisfactionem eſt ipſius Dei, atque adeo ſatisfaciens, re ipſa, nihil dat Deo, quia id quod dat, ad dominium Dei alio titulo pertinebat, quatenus, videlicet, eſt ens creatum.

Argumenta quibus probauimus priorem huius concluſionis partem, ſuis egent ſolutionibns, vt hæc pars poſterior firmior maneat, & omni ex parte ſtabilita.

Primo igitur argumento reſpondeo, quod ſicut dicere ſolent Metaphyſici lib. 5. Metaphyſ. & ad longum tractauit Caietan. 1. p. q. 13. a. 7. in relatiuis, quando extrema non ſunt eiuſdem rationis, ſed vnũ per ſe pendet ab alio, & non econtra, vt ſcientia pendet à ſcibili, & nõ ſcibile à ſcientia, & creatura à creatore, & non e conuerſo, relatio, quæ fundatur in illa dependentia vnius extremi ab alio, eſt realis ex parte extremi dependentis, & ex parte alterius extremi eſt relatio rationis, & ita ſe habent omnes relationes, quæ reperiuntur inter Deum, & creaturas: ad eundem modum in præſentia dixerim, quòd propter Dei excellẽtiam, & vniuerſale dominium, quod habet ſupra creaturas omnes, non inconuenit, quod ex parte Chriſti, quatenus offert ſatisfactionem creatam Deo, reperiatur ratio pertinens ad commutatiuam

tiuam iuſtitiam, eo quod eius ſatisfactio æquiualens eſt offenſæ, & ipſe Chriſtus eſt æqualis Deo, ex proprijs, & non ex alienis ſatisfaciens, & nihilominus, quod ex parte alterius extremi, ſcilicet Dei, nulla reſpondeat iuſtitiæ obligatio, eo quod id quod ei datur in compenſationem pro offenſa, eo ipſo, quod ponitur in rerum natura extra ſuas cauſas, pertinet ad ipſius dominium, etiam ſi neque à Chriſto, neque ab alio ei offerretur. Vnde re ipſa nihil Deo datur.

Scio, quod nonnulli graues Theologi, non libenter acquieſcent huic noſtræ ſolutioni, eo quòd exiſtimant non poſſe conſtitui commutatiuam iuſtitiã in vno extremo, quin conſtituatur in alio. Sed huius ipſorum opinionis ego nullam video neceſſariam rationem & cauſam. Verum ſi quis obnixè contendat eorum opinationem noſtra eſſe probabiliorem, vt ei morem geramus, poſſemus explicare id, quod diximus in ſecunda cõcluſione primi dubij huius ſecundi articuli, in hunc ſenſum. Quod ob id diximus in actu ſatisfactionis Chriſti formalem reperiri iuſtitiæ commutatiuæ rationem, quia quantum eſt ex ſe, & prout à Chriſto ſatisfaciente procedit, habet omnia, quæ requiſita ſunt ad inducendam iuſtitiæ obligationem in altero extremo, quam tamen non inducit de facto propter eius excellentiam, quæ ipſum reddit incapax totius obligationis, & propter illud vniuerſale dominium dudum à nobis expoſitũ, quod habet ſuper res vniuerſas. Et quoniam ratio illa non videtur pertinere ad aliam virtutem, quia nulla alia virtus eſt, quæ prædictam conſtituat, & attendat æqualitatem, idcirco illam reduximus ad commutatiuam iuſtitiam.

Ad confirmationem reſpondetur ex his, quæ nũc dicebam, quòd Chriſti ſatisfactio dicitur ex iuſtitia rigoroſa & exacta, quia habet ſecundũ ſe omnia requiſita ad inducendam iuſtitiæ commutatiuæ obligationem, quòd ſi non inducit, non eſt ex defectu eius, ſed ex ſumma Dei excellentia, ob quam nulli obligari poteſt.

Secundo argumento, facilè etiam reſpondetur ex his, quæ paulo ſuperius diximus, nimirum, quod ſi Chriſti ſatisfactio cum ſuo infinito valore tantum conſideretur, prout exit à diuino verbo, prout ab ipſo infinitatem ſortitur, nulli eſt debita, neque ipſi etiam Deo, quia verbum nihil debet Deo, neq; vlla obligatione tenetur ſuam perſonalem dignitatẽ alicui operationi communicare, & hoc eſt ſatis, vt illa operatio ſatisfactoria, conſiderata præciſè, prout à ſuo egreditur principio, habeat omnia neceſſaria, vt ingrediatur formalem iuſtitiæ cõmutatiuæ rationẽ. Tamen hoc ipſo, quod verbum in aliquã exit actionem, ſuam quæ illi dignitatem, ſuumq; valorem cõmunicat, conſtituit eam cum omni communicato valore, ſub vniuerſali Dei dominio, & iure, atque Deo eo ipſo, quod illa actio eſt producta, fit inepta, & improportionata ad inducendam iuſtitiæ obligationẽ in Deo. Et ex hoc poſſemus aliam intelligentiam deſumere ad id, quod diximus in Chriſti ſatiſfactione reperiri formalem iuſtitiæ commutatiuæ rationem, poteſt namq; dici, quod ſi ſatisfactio Chriſti conſideretur, prout exijt à ſuo principio, nimirum, à Chriſto Deo homine, habuit totum requiſitum ad formalẽ rationem commutatiuæ iuſtitiæ.

Cæterum ſi conſideretur in facto eſſe, deeſt ei vna ex conditionibus neceſſarijs: nimirum, quod ita fiat ex proprijs ſatiſfacientis, quod non ſit omnino ſub plenario iure, & dominio eius, cui fit ſatisfactio. Nã ſi mente fingamus, quod aliquot bona pertinent ad plenarium dominium duorum hominum, ita quod totaliter ſint vnius & totaliter alterius, bona huiuſmodi non eſſent apta, & proportionatã materia, vt vnus illorum poſſit alteri ex illis bonis ſatisfacere pro aliquo debito, quia re vera nihil illi dat, cũ eiuſmodi bona tribuit. Nam cum is cui ſoluitur debitũ, haberet antea plenum dominium, & ius illorum bonorum, nihil reuera de nouo accipit, nihilque proinde illi datur. Quod ſi hoc non eſt certum inter hos duos homines, quia poſſet quiſpiam dicere, quod is cui fit ſolutio, & ſi non acquirat de nouo ſimpliciter illa bona, acquirit tamen nouum titulum, & nouo proinde titulo fiunt ei propria, pluribuſque deincẽps titulis eorum habet dominium, at in Deo illud, quod diximus videtur eſſe certiſſimum. Quia nullum poteſt nouum titulum acquirere, neque ex nouo titulo poteſt creſcere eius dominium, & ius circa aliquam rem creatã, propter eius dominij, & iuris amplitudinem, & vniuerſalitatem, quæ nulla ratione poteſt creſcere. Sed de hac re iterum redibit ſermo inter ſoluenda principalia argumenta huius tertij dubij. In quibus ſoluendis, & enodandis deinceps inſudabimus.

§.6. *Solutiones argumentorum in oppoſitum.*

AD primum igitur principale argumentum reſpondetur, illũ Pauli locum varijs expoſitionibus gaudere. Et primo quidem, haudquaquã exiſtimandum eſt quidquã Chriſti paſſioni defuiſſe, quod ex parte ipſius ad redemptionẽ, & ſalutem noſtram fuerit neceſſarium. Et oppoſitum aſſerere ſacrilegũ eſſet, blaſphemum, & plane hæreticum, de qua re legatur Oſius Card. tract. de ſatisfact. cap. 48.

Sitq; prima illius Paulini loci intelligentia, quod defectus paſſionum Chriſti, non ad ipſum Chriſtum referuntur, ſed ad Paulum, non enim abſolutè dixit, *Quæ deſunt paſsionum Chriſti*, ſed addidit, *in carne mea*. Itaque & adimpletionem, & defectus paſſionũ Chriſti, ad carnem ſuam retulit Paulus. Eſt igitur ſenſus, adimpleo in carne mea, quæ in ea deſunt paſſionum Chriſti. Hæc intelligentia colligitur ex S. Hieron. ita dicente, vbi verſat illum locum Pauli. *Vſqueadeo præſentibus non terreor perſecutionibus, vt mihi parum eſſe videatur, quod patior, quoad vſque in me paſsio impleatur, ſicut ad Hebr. 10. dicit Paul. vt nõ fatigemini animis veſtris deficientes: nondũ enim vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis.* Suffragatur eidem interpretationi Remigius inquiens, *adimpleo illas paſsiones, quas Chriſtus pro nobis eſt paſſus, quæ deſunt in carne mea.* Chriſtus paſſus eſt verbera, contumelias, & terrores, ſputa, colaphos, mortẽ, & ego quotidie quantum valeo, ſuppleo in carne mea huiuſmodi paſſiones, ſcilicet, quod heri minus fuit in me de paſſionibus, hodie ſatago in me adimplere. Et quod hodie eſt minus, cras ſupplebo. Et hoc totum facio pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, formando, ſcilicet, vt dem alijs exemplum fidelibus ſimiliter patiendi pro Chriſto capite ſuo.

Secun-

Secunda interpretatio eſt, quod paſſiones, quæ adhuc reſtabant Paulo, & ſupererant tolerandæ pro Eccleſiæ vtilitate, eatenus paſſiones Chriſti appellauit Paulus, & ipſi Chriſto deeſſe dixit, quatenus paſſiones, & perſecutiones, quas ipſe in opere Euangelicæ prædicationis tollerabat, non proprio nomine, ſed nomine Chriſti id faciebat, vice & authoritate Chriſti Euangelium prædicans, & ſpiritualibus Eccleſiæ inſiſtens commodis. Itaque Chriſtus, & Paulus ac cæteri Eccleſiæ fundatores Apoſtoli vnum conſtituebant, eo quod pro Chriſto ſuffecti erant in Eccleſia, Paulus & reliqui Apoſtoli ad ædificationem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Nam vbi eſt vnum propter aliud, ibi cenſetur eſſe vnum tantum, vt Ariſtotelica habet regula. Vnde paſſiones illæ, quæ reſtabant ſuſtinendæ à Paulo, & ab alijs, Eccleſiæ Chriſti fundatoribus, non immeritò dicebantur deeſſe Chriſto. Late proſequitur Athanaſius hanc interpretationem inter alia multa hæc dicens. *Neque ſecus ſe hic habet Apoſtolus, atque faceret miles quiſpiam præfecti loco relictus, qui inſtantibus inimicis vicem abſentis gerens, creditam ſibi phalangem pugnando acrius, & tuendo, vt Principis locum ſeruet, & vulnera principi debita ipſe vltro excipiat.* Lege alia multa, quæ magna cum eruditionis copia S. Athan. ſuper hunc locum Pauli proſequitur.

Ad hanc interpretationem reducitur illa, quæ habetur in gloſa ordin. quæ paſſiones a Paulo tolerandæ: ob id Chriſti paſſiones eſſe dicit, quia Paulus ex præcepto Chriſti eas pro Eccleſia tolerabat, & in ipſarum adimplemento perſiſtebat.

Tertia interpretatio eſt, quod quia Sancti ſunt membra perfectè vnita Chriſto capiti, idcirco eorum paſſiones dicuntur paſſiones Chriſti, iuxta eam loquendi phraſim, qua Chriſtus Saulo Eccleſiam perſequenti dixit Act. 9. *Saule Saule quid me perſequeris?* ideſt, quid perſequeris corpus meum, & membra mea? Vnde paſſiones, quę à ſanctis viris tolerandæ ſupererant, dicuntur à Paulo deeſſe paſſionibus Chriſti. Ita interpretantur Sedulius, Lyranus, & alij non pauci. Et ad hanc interpretationem reduci poterit ea quam ſuper hunc locum S. Tho. adhibuit, videlicet, quòd paſſiones Sanctorum, quę Chriſti paſſiones à Paulo vocantur, ob id dicebantur deeſſe, quia ſatisſactiones Sanctorum, quæ ipſorum exuperant debita, reponuntur in Eccleſiæ theſauro ſimul cum meritis Chriſti pro ſpirituali totius Eccleſiæ vtilitate. Et quia ſatisfactiones iſtæ deerant adhuc Eccleſiæ theſauro, idcirco Paulus dixit, aliquid adhuc deeſſe paſſionum Chriſti, quod ab ipſo, & à cæteris Sanctis adimplendum erat pro corpore ipſius Chriſti, quod eſt Eccleſia. Hanc S. Thom. interpretationem acrius quam par erat carpit Adamus ſuper eundem Pauli locum, quæ certè nihil habet improbabilitatis, quin potius eſt ſatis pia ad eam catholicæ doctrinæ de theſauro Eccleſiæ veritatem confirmandam, quæ in ſæpe citata extrauaganti Vnigenitus habetur definita.

Quarta denique explicatio eſt ea, quam proſequitur Adamus ex Theodoreto deſumptam, nimirum, quòd Paulus dixit ſe adimpleturum ea quæ deerant paſſionum Chriſti, quatenus conſtanti animo in toto orbe prædicaturus erat gentibus euangelium, quę ſane prædicatio reſtabat facienda poſt Chriſti mortem Apoſtolorum miniſterio, quæ proinde deeſſe à Paulo dicitur. Et ob id Euangelicam prædicationem Paſſiones Chriſti appellauit Paulus, quatenus & in Chriſto primo Euangelij prædicatore, & in Apoſtolis eius nomine, & vice prædicantibus, multarum fuit paſsionum occaſio. Vtiturque proinde ea loquendi phraſi Apoſtolus, qua nomen effectus eius cauſæ ſolemus tribuere. Et hæc interpretatio valde, ni fallor, textui quadrat. Legatur Theodoretus, qui eam, & eruditè, & latè proſequitur, & hactenus de primo argumento.

Ad ſecundum argumentum multa eſſent dicenda, niſi circa finem concluſionis ſecundæ huius dubij, inter ſoluẽdum quoddam ſecundum argumentum, non ea dixiſſemus, ex quibus facillimè colligi poteſt huius argumenti ſolutio, & ipſa noſtræ mentis, noſtræque doctrinæ intelligentia. Vnde breuiter dico, Chriſtum ex proprijs ſatisfeciſſe, ſi eius ſatisſactoria operatio cum omni ſuo perſonali valore conſideretur præcisè, prout ab ipſo Chriſto egrediebatur. Nam ſicut ipſius Chriſti, & diuinæ eius voluntatis, nullus habebat neque habet dominium: ita neque operatio eius, ac ſatisſactorius valor, prout ab ipſo, ab eius infinito eſſe, & à diuina ipſius voluntate procedebat, nullius ſubiacebat dominio, & iuri. Atque adeo Chriſti ſatisſactio ſub hac tantum ratione conſiderata perfectam ſortiebatur iuſtitiæ rationem, quam tamen habere non potuit conſiderata ipſa Chriſti actio in facto eſſe, propter rationem in ſolutione citata à nobis aſſignatam. Quam & inſinuauimus in hoc argumento ſecundo, cuius incumbimus ſolutioni.

Sed eſt hoc loco obſeruandum, quod cum ſatiſfactio formaliter in ratione ſatisfactionis conſideretur potius ſecundum quod egreditur à ſatisfaciente, quam prout eſt operatio in facto eſſe conſtituta, idcirco abſolutè concedi debet Chriſtum ſatisfeciſſe ex proprijs, & ex his, quæ nullius ſubiacebant dominio, & iuri. Itaque cum Chriſtus ſeipſum Deo exhibebat humilem, ſeu obedientem, vt ſua humilitas, & obedientia compenſaret Deo pro offenſa, quam ſuperbus & inobediens Adam ipſi Deo peccando irrogauerat: Chriſti humiliatio non tam conſiderabatur in ratione cuiuſdam rei creatæ, & in rerum natura exiſtentis, quam in ratione cuiuſdam actionis, vt ab ipſo Chriſto egredientis, & per quam ſeipſum Deo ſubmittebat & humiliabat. Et ſimiliter de obedientiæ actu dicendum eſt.

Sed & illud eſt præterea ſummoperè animaduertendum, præcipuaque obſeruatione dignum, quod licet actio humilitatis, ſeu obedientiæ, ſub vniuerſali Dei iure, & dominio comprehendatur, non tamen ipſe Chriſtus ſimpliciter loquendo, eo quod eſt verus Deus. Et quoniam, vt explicuimus dub. præced. Chriſti ſatisfactio ob id infinita fuit, & ad æqualitatem ſatisſactoria, quatenus quaſi reflectebatur ſupra ipſum Chriſtũ, prout, ſcilicet, Chriſtus ſeipſum Deo ſubijciebat, & humiliabat: Idcirco Chriſti ſatisſactio ea ratione, qua infinitatem habuit, non fuit debita Deo, nec ſub eius dominio contenta. Nam licet tota entitas humiliationis Chriſti, qua ſe Patri humiliauit, pertinuerit ad ipſum Dei ius, & dominiũ: cæterũ non erat debita Deo illa reflexio ſupra perſonã Chriſti, ita quod Chriſtus ſeipſum Patri humiliaret.

Digitized by Google

Non negauerim, quod Chriſtus prout homo, teneretur ſe coram Deo humiliare, ſeque Deo ſubmittere, nam hoc libentiſſimè concedo, qua ratione Chriſti humiliatio, etiam in ratione humiliationis, ac ſubmiſsionis, & debita fuit Deo, & ſub ampliſsimo eius dominio comprehenſa. Aſſero tamen, quod quatenus humiliatio Chriſti, non in ſola eius humanitate Deo humilianda, & ſubmittenda ſiſtebat, ſed ad ipſum humanitatis ſuppoſitum, puta, diuinum verbum tranſibat, neque debita Deo fuit, neque ſub eius ditione, & dominio contenta. Et quoniam totum ſuum ſatisſactorium valorem, ex illa extenſione ad diuinum verbum accepit ipſa Chriſti humiliatio, idcirco abſolutè fateri debemus, quòd qua ratione fuit ſatisſactio infinita, infinitoque præſtans valore, ex proprijs fuit, & ex alias indebitis. Quocirca duplici titulo Chriſti ſatisſactio fuit ex proprijs, & ſecundum quod procedebat à Chriſto, vt eſt Deus homo, & quatenus reflexione prædicta ſupra verbum humanitatis ſuppoſitum reuertebatur, ipſum humiliando, & ſubmittendo maieſtati diuinę, qui duplex titulus abũdè ſufficit, vt abſolutè dicamus Chriſtum ex proprijs ſatisſeciſſe Deo.

Ex his ſequitur ſolutionem inter arguendum aſsignatam ſufficientem eſſe, & legitimam, ſi iuxta expoſitum à nobis modum intelligatur. Et prima replica, quæ aduerſus ipſam inter arguendum obiecimus, facilem ex ante dictis ſolutionem habet, tantum enim probat, quod ſatisfactio entitatiuè conſiderata, & ſecundum quod à Chriſti humanitate procedebat, & ſupra ipsã reflectebatur, debita erat Deo, & ſub eius iure, & ditione comprehenſa, qua ratione neque fuit ex proprijs nec valoris infiniti, ſecus eſt autem vt procedebat à verbo humanitatis ſuppoſito, ſupra ipſumque reflectebatur. Vnde infinitum ſatisfactorium ſortita fuit valorem, qui ſane valor entitatiuè ſumptus etiam fuit ſub vniuerſaliſsimo Dei dominio conſtitutus: dependebat enim à Deo, & prout à conſeruante Chriſti humanitatem, ac ſubſtantiam eius actionis, in qua ſuſcipiebatur, & vt à principio efficienti, & conſeruanti hypoſtaticam vnionem verbi cum humanitate: nam his duobus ſublatis neceſſum eſſet, vt totus euaneſceret ſatisſactionis Chriſti valor. Cæterum conſideratus per reſpectum ad ſuppoſitum, à quo procedebat, & ſupra quod ipſa ſatisfactio, vt diximus, reflectebatur, non magis pertinebat ad dominium Dei, quam ipſummet humanitatis Chriſti ſuppoſitum.

Ad ſecundam replicam, authores illius ſecundæ ſententiæ, quam veluti mediam inter duas extremas retulimus, concedunt Chriſtum tantum vt hominẽ, ideſt, ſecundum humanitatem, Deo ſatisſeciſſe, & ſi ſatisfactio ipſum quoque ſuppoſitum denominet, ſatisfaciens, eo quod humanitatem ſatisfacientem ſuſtentat. Verum hic modus dicendi reprobatus fuit à nobis circa ſecundum ſenſum primæ noſtræ concluſionis. Vnde cum communiori Theologorum ſententia dico, quòd Chriſtus ſatisſecit in quantum Deus & homo collectiuè. Ita quod ſubſtantia ſatisſactionis ab humanitate, infinitus autem eius valor à diuino ſumebatur verbo. Humanitaſque erat formale principium ſatisfactiuum, ſeu vt alijs verbis, principium. Quo, verbum autem principium, quod.

Sed dicet quiſpiam, verbum in ſatisfactione tantum concurrit vt humanum ſuppoſitum, & non vt diuinum, ſed vt ſuppoſitum humanum, nec eſt Deus, neque valorem tribuit operationi infinitum: ergo Chriſti ſatisſactio non habuit infinitatem ex principio, à quo proceſſit.

Reſpondetur primo, quod etſi formaliter diuinũ verbum non concurreret ad operationem Chriſti ſatisſactoriam, prout erat Deus, ſed vt erat ſuppoſitum humanum duntaxat, non tamen inde tollitur valor ſatisſactionis infinitus. Nam ſatis fuerit, quod materialiter, & ſecundum rem, ipſum humanum ſuppoſitum verus eſt Deus. Si quidem valor iſte phyſicus eſſet, conuinceret forſan illud argumentum, nã tota phyſica effectus perſectio prouenit, non ab eo, quod tantum concurrit vt materiale ſubiectum, ſicut aqua in caleſactione manus, quæ à calore ipſius aquę caleſit, ſed prouenit à principio, quod verè, & formali quodam modo ipſius effectus productionem attingit, verum, vt diximus ſuperius, valor hic phyſicus non eſt, ſed moralis, qui proinde ab ipſa materiali humani ſuppoſiti dignitate deſumi potuit. Etenim æſtimatio moralis non ſolum attendit ad formalem operandi rationem, ſed ad ipſam etiam materialem operantis dignitatem.

Reſpondetur ſecundo, quod diuinum verbum ſecundum quod eſt ſuppoſitum humanum, duo eſſentialiter importat, ſcilicet, eſſe ſuppoſitum, & eſſe humanum, quod ſit humanum, habet ab humanitate, quam ſuppoſitat, & terminat, in qua ratione conuenit cum ſuppoſito humano creato. Quod vero ſit ſuppoſitum, nequaquam ab ipſa humanitate deſumit, ſed ex ſemetipſo habet: propria enim ac diuina perſonalitate terminat humanitatem, ſupplens vicem humani ſuppoſiti, qua ratione, poteſt quoque aliquo modo humanum ſuppoſitum appellari: implet enim totam capacitatem, quam humanitas ſua natura habet reſpectu perſonalitatis propriæ, totũq; eius proinde appetitum ſatiat. Secundum ergo vtraque iſtam rationem, & qua ſuppoſitum, & qua humanum per modum vnius ſumptam, concurrit diuinum verbum ad humanas Chriſti operationes, ac proinde veriſſimè dicitur, quod ab ipſo diuino verbo, quatenus per modum ſuppoſiti humanitatis ad humanas Chriſti operationes elicitiuè concurrit, ipſas dignificat, & eleuat, atque infinitum ſatisfactionis & meriti eis valorem confert. Eſtque hoc loco obſeruandum, quod etſi in ea ratione, qua verbum eſt humanitatis ſuppoſitum, claudatur intrinſecè totum id, quod in ipſo ad diuinum pertinet ſuppoſitũ, nihilominus prout eſt ſuppoſitum humanum ratione differt à ſeipſo, prout eſt ſuppoſitum diuinũ. Quia includit aliquid, vt humanum, quod non pertinet ad ipſum, vt diuinum, nempè terminare, & perſonaliter ipſam complere humanitatem.

Ad tertiam replicam reſpondetur primo, quod infinita virtus diuini verbi, ex qua deriuatus fuit infinitus ſatisſactorius valor ad Chriſti operationem, ita eſt toti Trinitati communis, quod ſingulis perſonis eſt propria, in hoc ſenſu, quod conuenit illis naturaliter, & citra dependentiam vnius ab alia, quod ſatis eſt, vt Chriſtus dicatur ex proprijs ſatisſeciſſe, nam ſatisfecit ex virtute, & dignitate, quæ ſibi naturalis eſt, & intrinſeca, & in qua à nullo pendet. Hæc ſolutio quibuſdam apparet ſufficiens, verum mihi

plenè

plenè non ſatisfacit, quia per hanc ſolutionem, non euadimus illud inconueniens, ſcilicet, Chriſtum ſatisfeciſſe ex his quæ ſimpliciter, & omnibus modis, & ſecundum eandem omnino rationem communia ſunt ſatisfacienti, & ei cui fit ſatisfactio, quod citra dubium non modo perfectam, verum eſſentialem aufert ſatisfactionis rationem. Quoniam ſatiſfaciens cum ex communibus ſatisfacit, reuera nihil dat ei cui ſatisfacit, nec etiam nouum titulum ad rem quam prius habuerat. Quocirca ſecundo reſpōdetur illi tertiæ replicæ, quod licet infinitus ſatisfactionis Chriſti valor deſumeretur ex infinita dignitate, & virtute Dei, quæ toti eſt Trinitati communis, non tamen deſumebatur ab illa, vt communis eſt, ſed tantum prout pertinet ad perſonam verbi, quatenus eſt vna perſona ab alijs duabus realiter diſtincta: quę res ex eo fit manifeſta, quod verbum non conferebat per ſe primo valorem infinitū operationi Chriſti, prout Deus eſt abſolutè, ſed prout tale ſuppoſitū eſt, perſonaliter terminans humanitatem, & ſimul cum illa humanas efficiens, & eliciens actiones. Quæ ratio non communis eſt toti Trinitati, ſed ſoli verbo ſpecialiſſima, vt nos docet catholica fides, qua tenemur credere, ſolum verbum carnem factum eſſe, plenumque gratiæ, & veritatis habitaſſe nobiſcum. Et quod ipſe ſolus Dei filius homo factus in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, cum hominibus operans, cum hominibus laborans, cum hominibus denique, & pro ipſis hominibus patiens ac moriens.

Sed arguit quiſpiam. Ex hac ſolutione ſatis probabiliter colligitur, Chriſtum ex rigore iuſtitiæ potuiſſe quidē ſatisfacere alijs duabus ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis Patri & Spiritui ſancto, imò & ipſi Deo, vt tribus perſonis communi, eo quod valor ſatisfactorius operationum Chriſti, non ſumebatur à diuinitate vt communi tribus perſonis, ſed præciſè, vt pertinet ad verbum. Ad eum modum quo generare filium ſoli diuino Patri competit, eo quod eſſentia non eſt principium formale generandi, niſi prout eſt in Patre, & prout eſt coniuncta Paternitatis relationi, & non abſolutè, vt eſt tribus ſanctiſſimæ Triadis perſonis cōmunis. Cæterum non poteſt ex illa ſolutione veroſimiliter inferri, quod Chriſtus ſatiſfaceret diuino verbo, cum ab ipſo ſecundum peculiarem verbi rationem ſumatur totus ſatisfactorius valor. Atque adeo nulla ratione euadimus illud inconueniens in tertia replica inſinuatum, videlicet, quod ſatisfactio fit ex his, quæ ſunt ſatisfacienti, & ei cui fit ſatisfactio communia. At fateri tenemur Chriſtum ſibi ipſi, prout eſt diuinum ſuppoſitum ſatisfeciſſe, vt conſtabit legenti ea, quæ in primo dubio huius ſecundi articuli diximus. Ergo inſufficiens eſt iſta ſecunda ſolutio.

Poſſet huic obiectioni reſponderi, ea quidem ſufficienter probari, quod Chriſtus non potuit per ſe primo & immediatè diuino verbo ſatisfacere, ſecundum iuſtitiæ rigorem (licet poſſet ex iuſtitia non rigoroſa) potuit tamen mediatè, & inadæquatè, vt de facto ſatisfecit. Diximus enim in primo dubio huius Articuli, quod Chriſti ſatisfactio immediatè facta fuit Deo, vt Deo, cuius maieſtas fuit per ſe primo per peccatum hominis offenſa, & quaſi ſecundario, & mediatè tribus ipſis diuinis perſonis. Neq; enim inconuenit, quod ſatisfactio fiat ex bonis, quæ ſunt communia ſatisfacienti, & ei cui ſecundario mediatè, & inadæquatè fit ſatisfactio. Et ad hoc intelligendum, & aliquantiſper elucidandum, quamplurimū nobis deſeruire poterit illud ſimile de mercatore, qui in duabus ſocietatibus partem habet, & prout eſt pars vnius ſatisfacit ſibi ex bonis, quę habet, prout eſt pars alterius. Legantur, quæ diximus de hoc ſimili in prædicto dubio primo, & huic loco applicentur. Et iſta quidem, ni fallor, ſufficiunt ad tuendum eum ſatisfactionis modum, qui de facto contigit ad rigoroſam eius, & exactam iuſtitiam.

Verum ſi vlterius velit quiſpiam defendere, quod etiam ſi Chriſti ſatisfactio immediatè fuiſſet facta verbo, eſſet nihilominus rigoroſæ & perfectæ iuſtitiæ ſicuti modo eſt, alia via tenetur procedere, quia minimè ſufficit præfata ſolutio. Vnde tandem dico, quod quia, vt in illo primo dubio citato dicebamus, verbum prout eſt humanitatis ſuppoſitum, ratione differt à ſeipſo, prout eſt ſuppoſitum diuinum, commodè poteſt intelligi, quod ſatisfactorius valor operationum Chriſti ſumatur à diuino verbo, prout eſt ſuppoſitum humanum, & qua ratione ſatisfaciens eſt: & non ab eodem verbo, prout eſt diuinum ſuppoſitum, & qua ratione ei fit ſatisfactio. Atque adeo quod ſatisfactio non fiat ex bonis, quæ ſatisfacienti, & ei cui fit ſatisfactio communia ſunt, ſecundum eā rationem, qua ſunt eis communia.

Ad cuius intelligentiam aduertendum eſt, quod infinitus ſatisfactorius valor ex ſuppoſito deſumptus duo inuoluit: & quod ſit valor infinitus infinitæque æſtimationis, & quod ſit ſatisfactorius. Et quidem hoc ſecundum determinat primum: contrahit enim infinitatem valoris ad determinatam rationē, & ſpeciem, nimirum, ſatisfactionis. Secundo eſt notandum, quod infinitus valor quem Chriſtus ſatisfaciens obtulit Deo pro offenſa in eum admiſſa, non fuit qualiſcunq; valor, ſed valor ſatisfactorius, ideſt, contractus ad hanc rationem & ſpeciem valoris moralis ſcilicet, ad ſpeciem ſatisfactionis. Itaque ad fundandam rigoroſæ iuſtitiæ rationem in Chriſti ſatiſfactione, formaliſsimè debet conſiderari infinitas valoris ſic determinata, & contracta: alias enim, non habebit formalem proportionem, & correſpondentiam ad offenſam & iniuriam, in cuius compenſationem offerebatur.

Quibus ſuppoſitis dico, quod valor ille ſi in ratione præciſè valoris infiniti conſideretur, tantum deſumebatur à verbo, vt eſt diuinum ſuppoſitum, at cōſideratus cum determinatione prædicta, impoſſibile eſt, vt deſumatur à verbo, niſi prout eſt ſuppoſitū humanum, includens illam vtramque humani ſuppoſiti rationem, paulo ſuperius à me expoſitam. Nā ſicut ſubſtantia ſatisfactionis in operatione Chriſti nequit formaliter deſumi à natura Chriſti diuina, ſed ab humana duntaxat, ita illa conditio & contractio valoris ex diuino verbo deſumpti, non poteſt præciſè referri ad verbum vt diuinum, ſed formaliter oritur à verbo, vt induit humani ſuppoſiti rationem. Quare abſolutè concedendū eſt Chriſtum non ſatisfacere ex bonis ipſius creditoris, ſeu quod idem eſt, eius cui fit ſatisfactio, ſed ex bonis ipſius ſatisfacientis, prout ſatisfaciens eſt. Quoniam verbo diuino non fit ſatisfactio, neque fieri poterat, prout eſt huma-

Digitized by Google

humanum ſuppoſitum, nam vt ſic non fuerat per peccatum offenſum, ſed ea tantum ratione, qua eſt ſuppoſitum diuinæ naturæ, ideſt, prout terminat naturam diuinam, eiuſque diuinas operationes efficit, & operatur. Secundum quam rationem, non potuit à verbo deſumi valor ſatisfactorius infinitus, qui in Chriſti ſatisfactione reperitur. Et ſi infinitas eius, in ratione præciſè infinitatis conſiderata ab ipſo verbo dinino, prout diuino, ſit apta nata originari: verum vt ſic ad ſatisfactionem minimè pertinet.

Ad tertium argumentum, authores ſecundæ opinionis concedunt antecedens, argumentique difficultati ſuccumbunt, concedentes totam iuſtitiam, quæ in Chriſti ſatisfactione reperitur, fundari in gratia vnionis Chriſti humanitati facta, & loquuntur certè conſequenter ad ſuam ſententiam. Quamuis neſcio an ſatis conſequenter dicant, quod ſatisfactio Chriſti in gratia vnionis fundata continet iuſtitiæ rigorẽ. Quoniam gratia rigorem iuſtitiæ temperat, & minuit, ac prorſus tollit, & ſi non ipſam iuſtitiam. Imo, vt ſuperius contendebam non potuit in Chriſti ſatiſfactione, iuxta ſententiam illam, æqualitas reperiri ad grauitatem offenſæ. Cæterum hac ſententia prætermiſſa, ad argumentum negatur antecedens, quoniam ſatisfaciens non eſt humanitas Chriſti, ſed Chriſtus Deus homo, & vnio hypoſtatica in qua fundatur totus valor ſatisfactionis Chriſti, & ſi ſumma gratia fuerit reſpectu humanitatis, non tamen reſpectu verbi, cui nulla poteſt gratia fieri, at valor ſatisfactionis, non ad humanitatem, ſed ad ipſum verbum referri debet acceptũ, prout ipſam humanitatẽ perſonaliter ſuſtentat. Itaque licet verbum prout ab ipſo infinitus ſatisfactorius valor oritur, non conſideretur purè, vt eſt diuinitatis ſuppoſitum, vt dudum dicebamus: ſed neque etiam conſideratur, prout in formali conceptu humanitatem intrinſecè claudit. Sed prout eam quaſi cõnotat, vt dialectici dicunt, in obliquo. Conſideratur enim, prout propria verbi perſonalitate actu terminat & ſuppoſitat humanitatem. Itaque actualis hæc terminatio intrinſeca eſt, & eſſentialis verbo, prout humanum eſt ſuppoſitum, & prout ab eo valor ſatisfactionis oritur: humanitas vero extrinſecè ſe habet. Secus autem ad ſubſtantiã ſatisfactionis: nam hæc ab ipſa humanitate, vt à principio formali dimanat. Vnde licet ſatisfactionis valor fundetur in hypoſtatica vnione, non tamen fundatur in ea, prout habet rationem gratię. Nam quod verbum actu terminet, & ſuppoſitet humanitatem, nulla fuit gratia ipſi verbo facta.

Quarto argumento reſpondeo, non ſufficere ſolutionem inter arguendum ex Scoto recitatam: nam illam efficaciſſimè impugnat replica ibidem appoſita. Quocirca aliter dico, quod vnicamet Chriſti operatio, propter ſui valoris infinitatem & eminentiam, potuit plenè ſatisfacere ſimul pro vniuerſis debitis, quibus & ipſa Chriſti humanitas, & totum humanum genus Deo tenebatur: fuit enim omnibus titulis infinita, nimirum, titulo gratiarum actionis, titulo ſatisfactionis, &c. Nam hunc tantum valorem ei contulit infinita perſonæ operantis dignitas, & excellentia.

Sed vrget confirmatio quarto argumento ſuppoſita. Cuius antecedens nego, & probationi primum dico. Quod Chriſti operatio non fuit æqualis valoris ſimpliciter cum beneficio incarnationis, quod Deus humanitati contulerat, fuit tamen maxima, & ſumma, & qua nulla maior neque eſſe, neque intelligi poteſt gratiarum actio, atq; adeo in ratione gratiarum actionis æqualis fuit ſuſcepto beneficio. Quę æqualitas non eſt ſimpliciter æqualitas, ſed ſumma proportio, quæ inter ſupremum beneficium, & maximam gratiarum actionem, quæ (etiam ſecundum omnem potentiam) fieri poteſt, & intelligi. Itaque ſicut incarnatio diuini verbi ſupremum fuit beneficium, quo excellẽtius, & auguſtius nulli potuit Deus creaturæ præſtare: ita & gratiarum actio à Chriſto exhibita, ſuprema fuit & maxima, quæ Deo benefactori referri poterit, & quam ipſe Deus poſſet exigere. Quo loco illud eſt animaduertendum, quod quidã Theologi minimè conſiderarunt, videlicet, quod is qui alicui beneficium exhibet, neque debet, neque rationabiliter poteſt petere, vt id, quod ei loco gratiarum actionis rependitur, tanti ſit valoris, & pretij in eſſe entitatiuo, quanti æſtimatur ipſum exhibitum beneficium. Nam qui hoc poſtularet, haudquaquam cenſeretur beneficium præſtitiſſe, ſed quandam feciſſe ſuorum bonorum pro alterius bonis cõmutationem. Sed tantum licet ei poſtulare eam gratiarum actionem, quæ in tali ratione, & genere ipſũ adæquet beneficium ſuſceptum. Et qui talem gratiarum actionem ſuo benefactori exhibuerit, plenè ſatisfacit debito, quo titulo gratiarum eidem benefactori tenebatur. Et iniquus ille eſſet, qui maiorem ab eo compenſationem efflagitaret.

Secundo reſponderi poſſet ad prædicti antecedentis probationem, quod ſicut Chriſti humanitas in verbi incarnationis myſterio, ipſum accepit diuinum eſſe, ita & Chriſtus cum gratias Deo pro hoc beneficio egit, ipſummet totum eſſe diuini verbi Deo obtulit, & religioſa veneratione ſubmiſit, ex qua ſubmiſſione qua Chriſtus ſe totum ſubmiſit, & ſubiecit Deo, conſurgebat in eius operatione infinitus valor, vt dicebamus ſuperius. Vnde manifeſta fuit æqualitas inter ipſam gratiarum actionem, & beneficium ſuſceptum. Sed licet hæc poſterior ſolutio egregiam habeat probabilitatem, ſolutionem tamen priorem ſufficientiſſimam eſſe cenſeo.

Ad quintum argumentum, primo reſpondetur, non eſſe fortaſſis certum, quod ſi ab aliquo offeratur ſatisfactio ſufficientiſſima pro alterius culpa, is qui culpa fuit offenſus non teneatur talem ſatisfactionẽ acceptare. Neque quidquam refert exemplum Regis, & Imperatoris in argumento adductum, quoniã ſatisfactio ab Imperatore exhibita nequit eſſe ſufficiens, ſecundum quod expoſcit commune Reipubl. bonum, quod non modo non promoueri, ſed neque ſuſtentari poterit, niſi pręmia dentur bene operantibus, & condigna malè agentibus inferantur ſupplicia: At ſi omnibus penſatis Imperator ęquiualentem ſatisfactionem offerret Hiſpaniarum Regi, teneretur Rex eam ex iuſtitia acceptare.

Sed reſpondetur ſecundo, quod iuxta ſententiam, quæ nobis viſa fuit probabilior circa concluſionem ſecundam, Chriſti ſatisfactio non ob id perfecta, & rigoroſa iuſtitia dicitur, quia obligationem aliquam Deo inducat ad ipſum acceptandum, ſed quia ſecundum ſe æquiualens eſt, imo & ſuperabundans, ex proprijs, & ex alias indebitis, habetque omnes re-

quiſi-

Digitized by Google

quiſitas conditiones ad exactam,& rigoroſæ iuſtitiæ ſatisfactionem. Quod vero Deum non obliget,non ex ipſius ſatisfactionis imperfectione, ſed ex ſumma Dei excellentia prouenit,quem certè Chriſti ſatisfactio obligaſſet, ſi fuiſſet ipſe cuiuſpiam obligationis capax.

Ad ſextum reſpondetur, quod vt ſupra quæſt. 1. oſtendimus impoſſibile eſt,quod Chriſtus peccet, & ſatisfaciat pro peccato proprio, nõ enim eſſet Deus. Si tamen ſemel admittamus per impoſſibile, quod poſſit peccare,& de facto peccaret, abſque dubio ſatisfaceret pro peccato proprio ex omni rigore iuſtitiæ,quia offerret ex ꝓprijs, & alias indebitis operationem infiniti valoris ſicut modo. Vnde ſicut ſi imaginaremur duos Deos omnino æquales, poſſet vnus alteri ſatisfacere ex omni rigore pro offenſa commiſſa contra eum,ſic & in noſtro caſu, ſemper enim Chriſtus maneret æqualis patri, & infinitæ dignitatis,alias non eſſet idem Chriſtus, qui modo eſt. Et tandem dicimus,quod vt vulgatum habet axioma, ex impoſſibili ſequitur, quodlibet: vnde ſuppoſito peccato in Chriſto vtrumque ſequeretur, & quod ſatisfaceret Deo pro ſuo peccato ex iuſtitiæ rigore, & quod non ſatisfaceret,neque vero aliqua ratione poſſet,niſi gratia Dei ſuppoſita.

Septimum, vltimumque argumentum diſſoluat lector ex his, quæ circa ſecundam diximus huius tertij dubij concluſionem. Et hactenus de hoc tertio dubio, & de toto ſecundo quintæ quæſtionis articulo.

ARTICVLVS TERTIVS.

IN articulo tertio quæſtionis quintæ de Chriſti merito differendum eſt. Quam tractationem ſequentibus complectar dubitationibus. Prima,num Chriſtus mereri potuerit, merueritque de facto. Secunda, an meruerit ipſam diuini verbi incarnationem. Tertia, num meruerit gloriam ſuam, tum animæ,tum corporis. Quarta denique quid nobis Chriſtus promeruit.

DVBITATIO PRIMA.

An Chriſtus Dominus mereri potuerit, & de facto meruit.

§.1. Argumenta pro parte negatiua.

IN prima igitur dubitatione probatur ſequentibus argumentis Chriſtum neque meruiſſe,neque vero potuiſſe mereri.

Primum argumentum, Chriſtus neque meruit, neque mereri potuit per actum charitatis: ergo per nullum actum valuit mereri. Conſequentia eſt euidens ſuppoſita S. Thom. doctrina, quæ veriſsima eſt. 1.2.q.114.a.3. dicentis,quòd charitas eſt prima meriti radix. imo & ipſa charitas vniuerſis ſtudioſis actionibus formalem tribuit meritoriam rationem, omnes enim aliarum virtutum actus ex relatione ad Deum ſummum bonum,& vltimum finem, quam ex charitate tanquam ex communi omnium virtutum forma participant,vim ſortiuntur meritoriam. Ergo ſi actus charitatis in Chriſto fuit incapax meriti, nullus ei relinquitur merendi locus. Probatur vero antecedẽs. Actus charitatis,quo humana Chriſti voluntas diligit Deum, neceſſarius eſt, & ſemper fuit ab inſtanti incarnationis Chriſti. Nam eſt actus beatificus ex faciali, beatificaq; viſione proueniens, ſemperque beatificam hanc perfectionem habuit, quia ſemper Chriſtus fuit beatus. Sed amor ille beatificus,quo beati ſummeque felices Deum proſequũtur,neceſſarius eſt, & neceſsitate exercitij, & ſpecificationis neceſsitate,quòd nunc aduerſus Scoti doctrinam in hac parte minus probabilem,ſuppono ex ſententia S. Thom. 1. par. quæſt. 83. ar. 2. & 1.2. quæſt. 4. art. 4. Sed operatio neceſſaria non eſt meriti capax, nam vna ex neceſſario requiſitis conditionibus ad meritum eſt libertas merentis operationi meritoriæ communicata, iuxta communem Theologorum in 3. d. 18. paucisſimis, hiſque ignoti nominis exceptis,ſententiam.

Confirmatur. Non ſolus actus charitatis in Chriſto eſt neceſſarius,ſed vniuerſi alij actus, quos hactenus effecit, & in poſterum eſt facturus neceſſarij quoque ſunt, & non liberi. Ergo nullus actus fuit in Chriſto per quem mereri potuerit. Probo antecedens. Chriſtus non ſolum per ſcientiam diuinam, ſed per ſcientiam beatificam creatam, imo & forſan per ſcientiam infuſam euidentem à primo ſuæ incarnationis momento nouit omnes actus, quos in tota æternitate facturus erat, nouitque eos eſſe diuina prouidentia diſpoſitos,& præordinatos, & quod proinde infallibiliter erant futuri. Ergo cum humana Chriſti voluntas non potuerit repugnare diuinæ prouidentiæ, & præordinationi,neque talem repugnantiam poſſet velle,eo quod eſt impeccabilis, iuxta ſuperius dicta in prima quæſtione,non potuit non prodire in tales actus pro tempore & loco, quos ſciebat fuiſſe à diuina prouidentia præordinatos, atque adeo humana Chriſti voluntas non libertate, ſed neceſsitate ſemper operabatur. Aliàs enim ſi libertatem habuit non operandi pro tempore, quo ipſe nouit talem operationem diuina fuiſſe prouidentia diſpoſitam,haberet quoq; libertatem ad repugnandum diuinæ prouidentiæ, poſſetque ſe non conformare voluntati diuinæ, quod eſt dictu abſurdiſsimum: Ergo, &c.

Secundum argumentum. Chriſtus non meruit per actum obedientiæ, at ſi quod meritum in Chriſto fuit, maximè ad obedientiam referendum eſt: nam S. Paulus præmium Chriſto collatum ad eius obedientiam retulit ad Philippen 2. *Humiliauit ſemetipſum*, nempè Chriſtus, *factus obediens vſque ad mortem,&c. propter quod & Deus exaltauit illum,&c.* & Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi,ita & per eius obedientiã iuſti conſtituentur multi*: ergo, &c. Maior vero probatur. Primo, Chriſtus non fuit capax præcepti: ergo neque actus obedientiæ: obedientia namq; præceptum ſupponit. Probatur iſtud antecedens. Præceptum non imponitur,neq; vero imponi poteſt, niſi ei,qui eſt capax culpæ: præceptum enim obligat ſub culpa eum,cui imponitur, poteſtque in hunc modũ præcepti vis explicari: Si non mihi obedieris,& eris mihi inimicus,& pœnæ ſubeundæ reus. Et quidem ſicut Paulus dixit ad Rom. 4. *vbi non eſt lex, neque præuaricatio*,ita dicere potuiſſet, vbi præuaricatio eſ-

ſe ne-

Digitized by Google

ſe nequit, neque lex eſſe poteſt. Secundo probatur illud primum antecedens. Si Chriſto imponeretur præceptum. V.G. moriendi pro hominibus, auferretur totaliter libertas voluntatis Chriſti, circa illam actionē per præceptum iniunctā. V.G. circa ſubeundam mortem, quia cum voluntas Chriſti ſit impeccabilis, non poſſet non adimplere præceptum ſibi impoſitum, non poſſetque ſubinde non acceptare mortem pro hominibus: Ergo, &c.

Confirmatur. Bene ſequitur, Chriſtus non poteſt peccare: ergo non poteſt violare præceptum ſibi impoſitum de acceptanda morte. Euidens apparet conſequentia: quia violatio præcepti formaliter, & intrinſecè claudit peccatum, & culpam. Vlterius, Chriſtus non potuit tranſgredi præceptum ei impoſitum de acceptanda morte: Ergo neque potuit non acceptare mortem pro tempore, quo inſtabat neceſsitas adimplendi præceptum. Patet hæc conſequentia, quia acceptatio mortis erat impletio, & obſeruantia præcepti, & non acceptatio mortis erat violatio, & fractio præcepti. Sed adimpletio præcepti tam ei erat neceſſaria, quam impoſsibilis præcepti violatio: ergo, &c.

Tertium argumentum. Chriſtus neque meruit finitè, neque infinitè: ergo non meruit. Conſequentia eſt euidens, & probatur antecedens. Et primo, quod non meruerit finitè concedent S. Tho. & eius vniuerſi diſcipuli. Imo & omnes illi Theologi, qui docent ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe finitam, idipſum libenter adſtruent. Quia eadem prorſus eſt de ſatisfactione, & de merito ratio. Quod vero infinitè non meruerit, probatur. Chriſti merito nullum infinitum reſpondet præmium: at cum inter meritum & præmium æqualitas debeat reperiri, intelligi nequit, quod reſpectu finiti præmij detur meritum infinitum, Ergo Chriſtus non meruit infinitè, cum eius meritum infinitum eſſe nequiuerit.

Confirmatur. Quod ratio meriti finita ſit, vel infinita, conſiſtit in hoc, quod in opere meritorio fundetur ius finitum, vel infinitum, actio quæ fundat ius finitum, finitè eſt meritoria, & finitū meritum: quæ vero infinitum fundat ius, infinitè eſt meritoria, & meritum infinitum. Ergo ſi meritum Chriſti fuit infinitum, oportet in ipſo conſtituamus ius infinitum. Sed infinitum ius neque eſt, neque intelligi poteſt, niſi comparatione ad infinitum præmium: Ergo ſi Chriſtus non meruit pręmium infinitum, neq; eius meritum infinitum fuit.

Alia conſulto prætermitto argumenta, quia in his, quæ propoſui, conſiſtit præcipua huius dubij difficultas.

§.2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum eſt id, quod ex Paul. ad Philippen. 2. referebamus: *Humiliauit ſemetipſum, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* vbi illa cauſalitas, *propter*, nullam aliam cauſam, quam meritoriam denotare poteſt, ac proinde is eſt Paulini teſtimonij ſenſus, quod Chriſtus humilitate, & obedientia, quam erga Deum vſque ad crucis mortem exhibuit, illuſtriſsimam ipſam ſui nominis gloriam, & exaltationem promeruit.

§.3. *Notanda pro deciſ. quæſt.*

AD huius dubij ſolutionem, de cuius materia tractant ſcholaſtici cum ſuo Mag. in 3. d. 18. & 19. & S. Thom. cum ſuis interpretibus 3. par. q. 19. Notandum eſt primo, quod in præſentia non vertitur in dubium, an de potentia abſoluta fieri potuiſſet, quod in Chriſti humanitate nullum fuerit meritum, de qua re ſpecialem diſputationem inſtituit Alexan. Alenſ. 3. par. quæſt. 17. memb. 2. ar. 2. cui dubitationi ipſe reſpondet negatiuè. Sed ex his quæ ipſe dicit facilè colligi poteſt, eius reſponſionem procedere, ſuppoſito quod Chriſtus fuiſſet viator, vt fuit de facto, & quod eius voluntas libera maneret ad operandum, vel non operandum. Et tunc veriſſime dixit iſte author, quod licet Chriſtus non meruit hoc vel illud bonum in particulari, quia poterat non applicare ſua opera ad hoc, vel illud determinatum præmium, in communi tamen per opera virtutum, quæ in eo non potuerunt otioſæ permanere, non potuit non mereri aliquod præmium, cum eſſet in ſtatu merendi. Quod ſi ipſe ad nullum determinatum præmium ſua opera applicuiſſet, mereretur ſaltem illud generale, & commune præmiū, videlicet, approbationem diuinam, qua Deus eius opera magnificaret, & iudicaret digna magnis, & excellentiſsimis pręmijs. Non negat tamen prædictus author, non potuiſſe abſolutè fieri, quod Chriſtus nihil mereretur, nam illud eſſet omnino falſum, cum poſſet Deus, ſi vellet eius voluntatem ad omnē operationem neceſsitare, nullamque in ipſa relinquere libertatem, quæ, vt in quodam argumento huius dubij animaduerti, conditio eſt per ſe, & intrinſecè neceſſaria ad merendum, quicquid Almainus cum alijs ſui generis in contrarium dicant, exiſtimantes d. 18. cit. libertatem ab extrinſeca tantum Dei ordinatione, & lege requiſitam eſſe conditionem ad meritum. Errant enim iſti turpiſsimè, non aduertentes, quod ad meritum requiritur per ſe, & eſſentialiter dominium, ita vt qui meretur det aliquid quod ſuum eſt pro recipiendo pręmio. Dominium vero, libertate ſecluſa, conſtare minime poteſt, nam qui liberam facultatem ſupra proprium ſuæ voluntatis vſum non habet, quale obſecro, poterit cuiuſquam rei habere dominium?

Sed de hac re alias, nunc ſatis fuerit aduertere, quod cum poſſet Deus neceſsitare ſimpliciter Chriſti voluntatem in omnibus eius actionibus, potuit & ei adimere omnem ad merendum facultatē. Authores, qui putant neceſſariam fuiſſe Chriſto ad merendum extrinſecam Dei promiſsionem, ſpecialemque ordinationem ad præmium, hanc eandem noſtram ſententiam inde ſibi vt certam perſuadent, quia cum poſſet Deus non ordinare Chriſti operationem ad aliquod præmium, neq; promiſsione aliqua ſeipſum ad illud reddendū obligare, potuit ex cōſequēti omnis meriti ratio ipſis Chriſti operationibus deeſſe.

Verum nos hæc ratio parum mouet, quia huiuſmodi ſpecialem Dei ordinationem, & promiſsionē minime cenſemus fuiſſe Chriſto ad merēdum neceſſariam. Nam licet neceſſaria fuerit promiſsio, vel aliquid vicem eius tenens (cuiuſmodi eſſet voluntas Dei efficax remunerandi opera Chriſti) vt Deus ali-

qua

qua ratione teneretur, ſeu neceſsitaretur ad conſequendum pręmium, non tamen neceſſaria eſſet, vt opera Chriſti eſſent meritoria. Quoniam ex ſeipſis habent totum quod eſt requiſitum ad merendum, & quidem ſupernaturale pręmium. Sunt enim opera libera, bona moraliter, ſupernaturalis ordinis, ac proinde proportionabiliter æqualia ſupernaturali præmio, proceduntq; à ſubiecto grato, imo & infinitè grato, & accepto Deo, & conſtituto in ſtatu merendi, quia ſupponimus Chriſtum viatorē. Sed hæc omnia obiter, & in tranſcurſu diximus, nam in præſentia potentiam tantum ordinariam attendimus, & inquirimus. Num Chriſtus, ſtante ordinaria Dei potentia, & lege, potuiſſet mereri dum erat in ſtatu vię, & aliquid de facto meruerit.

Notandum eſt ſecundo, in Chriſto domino fuiſſe veram ac perfectiſsimam libertatem, vt oſtendit S. Tho. 3. p. q. 18. ar. 4. ex illo Iſa. 7. *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Electio autem actus eſt liberæ voluntatis, & ita S. Baſil. & S. Cyr. ex illo loco colligūt in Chriſto domino veram fuiſſe libertatem reperiam, & quidem perfectiorem ea quæ in cæteris eſt hominibus: etiam ſi libertatem Adæ, dum fuit innocēs comprehēdamus. Iſai. etiam c. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, quod idē aſſerit Dominus de ſe Io. c. 10. *Ego pono animam meā.* De quo legantur D. Hieron. ſuper illum locum Iſa. 53. & D. Chryſoſt. hom. 59. in Ioannem, & D. Cyril. lib. 7. in Ioan. c. 6. & 7. S. Anſel. lib. 1. cur Deus homo cap. 8. & lib. 2. cap. 16. & D. Auguſt. in lib. de prędeſt. Sanctor. c. 15. D. Gregor. lib. 24. cap. 2. Et certè definitiones Conciliorum Lateranen. ſub Martino I. Et Conſtantinop. ſexti, &c. quæ aſſerunt ſecundum fidem in Chriſto Domino verè duas eſſe naturas cum ſuis proprietatibus, duasque operationes ſecundum proportionem vtriuſque naturæ, probat etiam manifeſtè iſtam veritatem, libertas enim eſt proprietas naturæ humanæ, & magna eius perfectio ſecundum quam attenditur modus operandi hominis, vt homo eſt. Si ergo in Chriſto ſecundum fidem conſtituēdum eſt natura humana cum proprijs perfectionibus, & cum modo operandi ſibi proprio, etiam ſecundum fidem aſſerenda erit libertas in operationibus illius. Maximè, quia etiam alij beati, licet ſint impeccabiles, & omnino in termino, habent veram libertatem: ergo multo magis eam habuit Chriſtus dominus. Hęc autem libertas Chriſti non tantum eſt libertas à coactione, ſed eſt vera libertas à neceſsitate cum indifferentia ad vtramque partem.

Aliqui intellexerunt iſtam Chriſti libertatem cōſiſtere præcisè in hoc, ꝙ Chriſtus non operabatur ex coactione ſed voluntariè, licet neceſſario. In qua ratione voluntarij dicebant præcisè conſiſtere Chriſti libertatem, quo etiam modo poſſet dici, quod pater diuinus liberè generat filium, licet neceſſario. Hæc tamen explicatio nimis violenta eſt, & indigna Chriſto Domino, & ita Vualdenſis lib. 1. doctrinalis fidei c. 25. reijcit illam tanquam erroneam. Et manifeſte impugnatur hæc explicatio ex prædictis definitionibus Conciliorum, & explicationibus Sanctorum. Ex illis enim colligitur euidenter in Chriſto Domino fuiſſe verè liberum arbitrium, de cuius ratione eſt vera ad vtramq; partem indifferentia, vt docet S. Tho. 1. p. q. 19. ar. 10. & q. 82. ar. 1.

Tertio ſupponendum eſt, quod Chriſtus in quantum homo verè fuit capax præcepti diuini. Quod probatur. Primo. Quia humana volūtas Chriſti erat libera, vt modo explicuimus, & non eſt ſuprema regula ſuarum operationum, cum ſit creatura. Ergo habet regulam ſuperiorem, voluntatem nempè diuinam & eius legem. Secundo. Quia Chriſtus, ſecundum quod homo eſt inferior Deo, & ſubditus illi: Ergo eſt capax præcepti, ſicut etiam eſt capax religionis, fortitudinis, & aliarum virtutum. Et ita licet Chriſtus Dominus non fuerit obligatus legi veteri, vt oſtendit S. Thom. 3. par. q. 37. art. 3. & 4. neque etiam alijs legibus poſitiuis communibus, vt ſolet probari ex illo Matth. 17. *ergo liberi ſunt filij*, tamen verè Chriſtus fuit obligatus in quantum homo legi ęternę & naturali, vt docuit S. Th. 1. 2. q. 93. a. 4 ad ſecundum, potuitque ſpeciali aliqua Dei lege, & peculiari præcepto obligari. Quale fuit præceptum moriendi, & redimendi genus humanum, quod Chriſto Deus impoſuit, vt oſtendit ipſe S. Thom. 3. p. quæſt. 47. ar. 2. Et patet clarè ex illo Ioan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre, &c.* & Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio.* & Pſal. 39. *Vt faciā voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quem locum S. Paul. ad Hebr. 10. explicat de voluntate, qua Chriſtus ſubiecit ſe Patris voluntati, in ordine ad mortem ſuam, & ſanctificationem noſtram, de quo legatur Epiſt. Agato. Pont. quæ habetur in 6. Synod. generali, actione 4. Hoc præceptum fuiſſe impoſitum Chriſto, communiter affirmant Sancti Patres S. Greg. Niſſenus in lib. de beatitudinibus circa illud, *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam*, & D. Cyri. lib. 10 in Ioan. c. 11. Damaſ. lib. 3. fidei Orthodoxæ c. 24. S. Auguſt. tract. 79. in Ioan. & lib. 13. de Trinit. cap. 14. & alibi, & Anſel. lib. 1. cur Deus homo, c. 8. & 9.

Verum eſt hos Patres, & alios, qui de hac re loquuntur, quam ſæpius dixiſſe, quòd Chriſtus ſeipſum Dei voluntati ſubiecit, qua voluit eum pro humani generis redemptione mori, & non ſemper præcepti, aut legis meminere: quod occaſionem nonnullis Theologis præbuit exiſtimandi, quod licet Deus voluiſſet Chriſtum mori, proque humana ſalute vitam ponere, non tamen ei de morte ſubeunda præceptum impoſuit. Verumtamen hæc ſententia vera non eſt, neque ſacris literis conſentit. in quibus Chriſtus obediens vocatur, & ſeruus. Et quidem, cum præcipua vis obligandi in præcepto ex voluntate oriatur: Idcirco præceptum, quam ſæpius voluntatis ſignificatur nomine, Paul. Rom. 5. & Philippen. 2. *Chriſtum obedientem fuiſſe* verbis expreſsis dixit. Obedientia autem abſque præcepto intelligi nequit. Et in locis ex Ioann. ſuperius citat. Chriſtus ſibi impoſitum fuiſſe præceptum, & moriendi, & redimendi humanum genus apertè faſſus eſt. Quam redemptionem, quia multis operibus Chriſtus fuit operatus, ideo Ioan. cap. 15. dicebat. *Et ego patris mei præcepta ſeruaui.* Et quidem voluntatem Dei, etſi efficacem, præceptum & legem vocare abſq; improprietate fieri nequit. Debēt autē ſacrę literę, quātum fieri potuerit, ſumma cū proprietate explicari, & intelligi, vt cum S. Aug. non ſemel aduertimus. Hoc præceptum impoſitum fuit, & promulgatū Chriſto in primo ſuæ incarnationis inſtāti.

Sed

Digitized by Google

Sed obijcit quiſpiam. Præceptum impoſitum alicui ſignum eſt minoris promptitudinis in voluntate inferioris ad exequendam ſuperioris voluntatem, tanto enim promptior eſt voluntas, & perfectior obedientia, quanto magis præuenit præceptum ſuperioris, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 14. ar. 2. ergo aſſerere fuiſſe impoſitum præceptum Chriſto derogat perfectioni ipſius Chriſti, & promptitudini voluntatis illius, qua ad exequendum ea quæ diuinæ voluntati placita eſſe nouerat, promptus ſemper fuit, & valde expeditus, & illius promptiſſimę ſui cordis affectionis, qua paratus erat vitam pro ſalute hominū ponere, & ſanguinem ſuum in pretium humanę redemptionis dare, iuxta ipſam diuinæ voluntatis determinationem.

Confirmatur. Humana Chriſti voluntas conformis ſemper fuit in omnibus efficaci Dei voluntati, habuitque hanc conformitatem non vi & metu extortam, ſed maximè ſpontaneam ex magnaque voluntatis propenſione ortam. ergo nullo vnquam præcepto indiguit.

Reſpondetur huic argumento, præceptum nō ob id impoſitum fuiſſe Chriſto, vt magis & efficacius eius determinaret voluntatem, promptioremque redderet ad negotium humanæ redemptionis ſua vita & morte pertractandum, ſed propter duas cauſas, alteram ſe tenentem ex parte Dei, ipſiuſq; diuinæ voluntatis, & alteram ex parte Chriſti, ipſiuſque voluntatis humanæ Prior cauſa fuit, vt Deus modis omnibus oſtenderet hominibus eximiam illam charitatem ſuam, qua dilexit nos, propter quam neque proprio filio ſuo pepercit, ſed ita pro nobis omnibus illum tradidit, vt non ſolum efficaci voluntate vellet eum pro vniuerſali hominum ſalute ſpontaneam ſubire mortem, ſed & ſtrictiſſimo præcepto illum obligauit. Poſterior cauſa, quæ ex parte ipſius humanitatis Chriſti ſe tenet; ea eſt, quod idcirco Deus præceptum Chriſto de morte ſubeunda impoſuit, vt eius paſſioni, & morti non defuiſſet ratio, & perfectio virtutis obedientiæ, eſſetque Chriſti paſſio nō ſolum actus eximiæ charitatis, excellentiſſimæq; religionis, & profundiſſimæ humilitatis. Verum etiam & ſpontaneæ, promptiſſimæque obedientiæ. Itaque præceptum ad hoc fuit impoſitum, vt Chriſti operationem in ſpecie virtutis obedientiæ collocaret, & non vt ipſius Chriſti voluntatem efficacius ad humani generis redemptionem operandam propenderet. Vnde ad argumentum negatur antecedens vniuerſaliter ſumptum, quamuis regulariter, & vt procedit de voluntate puræ creaturæ ſit veriſſimum. In quo regulari ſenſu verificatur doctrina S. Tho. cuius in argumento fit mentio.

Quidam graues Theologi aliter interpretantur illam S Tho. doctrinam, nimirum, quod procedat de præcepto explicito, & expreſſo, quale eſt illud, quod is verbis proponitur, fac hoc, præcipio tibi, vt hoc facias, &c. nō vero de præcepto implicito, quod conſiſtit in quadam inſinuatione voluntatis ipſius ſuperioris, abſque imperio ſuperaddito. Et qui præcepto ſic implicitè propoſito obedit promptiorem ſe exhibet in obediendo & parendo, quam is qui expreſſum mandatum, & præceptum expectat. Tunc ergo dicunt, quod præceptū moriendi non fuit Chriſto intimatum ſub expreſſa forma præcepti, ſed per inſinuationem tantum diuinæ voluntatis efficaciter volentis humani generis redemptionem, paſſione, & morte Chriſti comparandā, & efficiendā, & in hūc ſenſum explicant ij Theologi, Chryſoſt. hom. 59. & 71. in Ioan. Theophi. Euthimium, & quoſdam alios Patres, qui viſi ſunt negare Chriſto domino fuiſſe à Patre impoſitum moriendi præceptum.

Hæc doctrina mihi non diſplicet, dum tamen illam Dei voluntatem de humani generis redemptione, de Chriſtique paſſione, & morte intelligat verè fuiſſe præceptiuam, & quod non ſolum habuerit efficaciam reſpectu effectus fiendi, ſed etiam implicitum & virtuale imperium efficax ad obligandū humanam Chriſti voluntatem. Quod tamen explicitum imperium Chriſtus ſua voluntate præuenit, acceptando mortem pro hominibus ſubeundam, eo ipſo, quod nouit eā diuinæ voluntati placere, non expectata imperij intimatione. Vel aliter dici poſſet, quod licet per modum imperij fuerit Chriſto intimata Dei voluntas, ita tamen Chriſtus fuit animatus, eaq; animi affectione erga Dei voluntatē promptus, vt quamuis nullo adſtringeretur præcepto, ipſa ſola Dei voluntas, cum mortem ſuam placere videbat, loco ei fuiſſet ſtrictiſsimi mandati. Et in hoc poſita fuit promptiſsima humanæ voluntatis Chriſti obedientia. Et Patrȩs, qui mandatum Chriſto de morte acceptanda impoſitum negare viſi ſunt, nihil aliud quam promptiſsimam hanc Chriſti obedientiam affirmare voluerunt, & non ipſum Dei negauere mandatum.

Sed rogas. Num præceptum hoc fuerit poſitiuū, an vero naturale? Ratio dubitandi pro ſecunda parte dubij eſt, quod totum humanum genus extrema ſpirituali neceſsitate laborabat, neque vllum ei ſuppetebat remedium præter vnam Chriſti paſsionem, & mortem: diuino præſertim decreto Dei ſuppoſito, quo ſtatutum fuerat, non eſſe à tyrannica diaboli ſeruitute humanum genus redimendum, niſi ex rigoroſa iuſtitia: & quod immundus peccatorum ſanguis, quo totum humanū genus erat conſperſū, ita vt ſāguis ſanguinem tetigiſſet, non niſi puriſsimo erat ſanguine abluendus. At in tali caſu ipſa charitas non ſua ſponte, & naturali inclinatione obligat ad ſubueniendum tam extremè indigentibus, abſque vllo ſuperaddito legis poſitiuæ præcepto: ergo, &c.

Reſpondetur, quod non naturalis, ſed legis duntaxat poſitiuæ fuit illud moriendi præceptum. Quod ex duobus colligo. Alterū, quia Chriſti Domini vita, eo quod eſt vita hominis Dei, multo pretioſior erat, & multo maius bonum, quam omnia ſpiritualia hominum, & Angelorum bona. Vnde naturalis lex obligationem nequiuit inducere Chriſto, vt tantum bonū pro longe inferiori exponeret. Et hæc ratio probat etiam, quod non ſolum mors Chriſti non potuit cadere ſub naturalis legis præcepto, ſed neque vlla ipſius Chriſti ſatisfactoria operatio. Quia, vt ſuperius art. 2. aduertimus, in qualibet ſatisfactoria operatione Chriſtus ſemetipſum Deo ſubmittebat, & humiliabat, quæ proinde infinito valoris interuallo omne creaturæ intellectualis excedebat bonum.

Secunda ratio, quæ ſpecialis eſt de paſsione, & morte. Ea eſt, quod paſsio, & mors Chriſti non fuit ſimpliciter neceſſaria ad humani generis redēptionem, etiam ex rigoroſa iuſtitia operandā: ſuffecerat

enim

Digitized by Google

enim quælibet Chriſti ſatisfactoria operatio, ieiuniũ, vigiliæ, &c. Sed vrges, ſi poſitiuum fuit moriendi præceptum, & non iuris naturalis, ergo, cum ſit Chriſtus per excellentiæ poteſtatem omni lege, etiam vt homo, ſuperior, ſecum potuit in hoc præcepto diſpẽſare. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia hæc lex fuit illi ſpecialiter propoſita, & ob id non ſe potuit ab eius obligatione eximere.

His præſuppoſitis, conſentaneus doctrinæ ordo ſuo iure poſtulare videbatur, vt ea explicaremus in quibus circa hanc propoſitam difficultatem ſibi ipſis conſentiunt Theologi. Verum quia omnes in eo cõſentiunt, quod Xpũs de facto meruit, ſolumque in explicandis actibus, quibus meruit, & in quibuſdã alijs modis, & qualitatibus meritorum Chriſti opinionũ reperitur diuerſitas. Idcirco ad reſolutionem propoſitę quęſtionis mox accedo, in qua, & inter argumentorum ſolutiones aduertam, quantum, qualeque ſit in hac diſputatione Theologorum diſſidium.

§. 4. *Prima concluſio.*

CHriſtus, ſuppoſito incarnationis myſterio, ſecundum legem, & potentiam Dei ordinariam, omni nouo ſecluſo miraculo, & mereri potuit, & meruit de facto apud Deum. Prior concluſionis pars, quæ de poteſtate merendi loquitur, procedit aduerſus quoſdam Theologos, qui arbitrantur Chriſtum meruiſſe quidem, ſed id non potuiſſe fieri abſque ſpeciali priuilegio, nouoque miraculo. Inducebat quoſdam huius ſententiæ Auctores in hanc opinionem, quod exiſtimabant in Chriſto nullam fuiſſe libertatem circa Dei amorem, atque adeo cum Dei charitas ſit prima meriti radix, putauerunt, quod niſi Deus ſpeciali ſua prouidentia diſpoſuiſſet, vt opera Chriſti neceſſaria meritoria fuiſſent, Chriſtus mereri nullatenus potuerit. In qua diſpoſitione prouidentiæ diuinæ non potuit non ſpeciale interuenire miraculum, ab eo diſtinctum, quod in ipſo incarnationis myſterio contigit. Cum ſit præter regularem, & communem merendi ordinem. Et non ſequatur naturali conſequio ex hoc, quod verbum factum ſit caro. Nam incarnatio Verbi non poſtulat meritum in ipſo incarnato Verbo. Chriſtus enim in cœlo exiſtens, haudquaquam meretur, aut ſecundum ordinariam legem mereri poteſt. Alij alijs ex cauſis mouentur, in quorum numero Scot. videtur annumerandus in 3. d. 18. & 19.

Noſtra autem concluſio in iſta priori ſui parte id aſſerit, quod eo ipſo, quod verbum caro factum, non corporis immortalitatem aſſumpſit (quod deſignat illa dictio, caro) ſed mortale induit corpus, & viator ſecundum inferiorem animæ portionem remanſit, iuxta illud Hierem. 14. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & ſicut vir viator declinãs ad manendũ?* capax fuit meriti, & abſque nouo aliquo miraculo, aut ſpeciali priuilegio potuit mereri. Quod ſic probo. Impoſſibile eſt intelligere Chriſtum viatorem abſque poſſibilitate ad merendum: nam greſſus, quibus anima viatrix ad terminum tendit, & properat, ipſa ſunt duntaxat viatoris merita. Terminus namque viæ, nonniſi per modum præmij comparari poteſt, & conſequi. Et id quidem meritò. Nam ſi vt ille dixit. Virtutem poſuere dij ſudore parandam. Quid ni, & veram animæ fœlicitatem, & immortalitatem corporis glorioſam, quæ ipſarum eſt virtutum omnium finis, & conſummatio, poſuerit Deus glorioſũ bonorum laborum fructum, & vltimum noſtrorum meritorum præmium. Sed Chriſtus ex ipſo incarnationis inſtanti atque ex ipſius incarnationis virtute, & modo quo facta eſt, quandiu mortalem egit vitam viator fuit ſecundum inferiorem animæ partem: ergo ſimiliter habuit poteſtatem ad merendum, quæ poteſtas ex ipſo incarnationis modo illi competebat. Nam alias, ſi nouum expectaretur miraculum, & ſpecialis lex fuit neceſſaria, intelligi poſſet Chriſtus verè viator abſque merendi poſſibilitate. Quod eſt impoſſibile, eſſet enim viator, vt ſupponitur, & non eſſet viator, cum deeſſet ei ab intrinſeco, omnis ambulandi facultas.

Miſſum facio id, quod ex nonnullis Theologis referebam, videlicet, quod ex lege prouidentiaque Dei ſpeciali, opera Chriſti, in quibus nulla inerat libertas, fuerunt verè meritoria. Quæ ſententia apud peritiores Theologos habetur improbabilis, & apud me parum tuta in fide. Nam fide tenemur credere Chriſtum verè meruiſſe, vt probabimus continuò, ſed naturalis ipſa ratio dictat, quod opus neceſſariũ, & cui omnis deeſt libertas, præſertim ſi neque etiam in ſua cauſa aliquam habuerit; non poteſt eſſe meritorium. Quia neceſſarium eſt, & eſſentiale ad meritum, vt is qui meretur habeat facultatem liberam, ſupra ipſum meritorium opus, ſitq. eius dominus, aut quaſi dominus, alias neq. dat aliquid, quod verè dici poſſit proprium ipſius operantis, neque verò eius operatio digna eſſe poteſt vituperatione, aut laude. Quibus ſublatis conditionibus, implicat meriti ratio: ergo, non ſatis dicit in fide tutum, qui libertatem omnẽ Xpi operationibus negat, nã implicitè quoq. & virtualiter eas negat eſſe meritorias. Sed hac priore concluſionis parte prætermiſſa, ad poſteriorẽ quæ de facto procedit tranſeamus.

Quæ pars expreſſa eſt fidei veritas. Quod paucis, ſed ijs quidem grauiſſimis probo teſtimonijs. Iſai. 53. *Pro eo, quod laborauit anima eius videbit, & ſaturabitur, &c.* Et ibidem, *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Ecce vides merita ex parte Chriſti, quibus ex parte Dei repromittuntur præmia. Paul. in teſtimonio ſuperius citato ex c. 2. ad Philip. hoc ipſum apertiſſimis expreſſit verbis. Neque diſſentit id quod ad Hebr. 5. dicit Chriſtum lachrymas ad Deum fundentem, exauditum eſſe pro ſua reuerentia. Conſentit illud, quod dicit Ioan. Apocal. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere gloriam, & virtutem.* In S. Synod. Trid. expreſſa habetur iſta veritas ſeſſ. 6. cap. 7. definitur ibi, Chriſtum cauſam fuiſſe meritoriam iuſtificationis noſtræ. Clemens 6. in citata extrauag. vnigenitus. eandem definiuit veritatem, docens eccleſiæ theſaurum ex meritis Chriſti conſtare, Sancti Patres hanc veritatem paſſim docuere, quandoque vtentes nomine ſatisfactionis, quandoque redemptionis, quandoque meriti. Legantur Patres citati in dub. 2. & 3. præced. art. Quibus adiungatur Hyeronim. ſupra illud Pſalm. 128. *Et copioſa apud eum redemptio.* Et in epiſt. 126. ad Dardanum & epiſt. 146. ad Damaſ. lege S. Leon. in ſermon. 3. de paſſion. & in 3. & 6. de natiuit. quibus in locis Chri-

ſtum nobilem appellat mercatorem. Quia ſuo nobis ſanguine, & gratiæ vitam, & cęleſtem mercatus eſt patriam. Probaturque ratione ex ſcriptura ſacra, & ex Patribus deſumpta. Redemptio, qua Chriſtus nos redemit, fuit perfectiſſima, & copioſa per quam non ſolum à diaboli ſeruiture eruti ſumus, & à peccato libertati, ſed & ad vitam gratiæ euecti ſumus, & cęleſti patrię conciues effecti: ergo Chriſtus non ſolum pro noſtris ſatisfecit peccatis, vt articulo pręcedenti oſtendimus, verum etiam meruit nobis gratiam, & ſpiritualem vitam, eamque æternam. Nam alias non copioſa, ſed minus perfecta noſtra per ipſum facta fuiſſet redemptio.

Sed & alia ratione hæc veritas probatur Theologis. In Chriſti operationibus reperiebãtur vniuerſæ conditiones ad meritum requiſitæ, fuerunt enim liberæ, ſtudioſæ, propter Deum factæ, à ſubiecto modis omnibus grato, & accepto, ac denique in ſtatu viæ conſtituto. ergo nulla eſt, vel apparens ratio, ob quã Chriſtum non apud Deum meruiſſe dicamus.

Confirmatur. Quod Chriſtus fuerit viator, veritas eſt ſecũdum fidem catholicam certa. ergo & eadem certitudine credendum eſt ipſum meruiſſe per actus bonos, & ſtudioſos propter Dei amorem factos. Cõſequentia patet ex ijs, quæ circa priorem concluſionis partem dicebam, videlicet mereri eſſe proprium viatoris. Et quidem, quod Chriſtus fuerit ex maxima Dei prouidẽtia, & diſpenſatione viator, & quod de facto non meruerit, ideſt, quod non ambulauerit in via in qua de torrente bibit, vt Pſal. 109. habetur. Quis, vel mediocriter ſapiens ſuſpicabitur? Nam ad quid obſecro viator fuit Chriſtus, niſi vt per motus, & greſſus propriæ voluntatis perueniret ad ipſum viæ terminum? Denique probatur iſta concluſio. Chriſtus verè ſatisfecit pro noſtris ſceleribus; ergo, & méruit nobis cęleſtia bona. Antecedens ſufficiẽter, vt crediderim, ſuperiori probauimus art. conſequentia vero eſt manifeſta. Quoniam omnis actio ſatisfactoria pro culpa, eſt etiã meritoria gloriæ. Et ea quæ ſufficiunt ad ſatisfaciendũ ex condignitate, ſufficiunt & ad merendum de condigno.

Sed arguis. Præter aſſignatas conditiones ad meritum requiſitas, alia eſt etiam neceſſaria, ſi non ad hoc quod actio ſit meritoria, de quo alias, ſaltem, vt Deus aliqua ratione teneatur præmium reddere bene merenti. Hęc autem cõditio eſt promiſſio Dei, ſeu quod idem eſt, efficax operis meritorij in certum, & determinatum præmium præordinatio. Sed de hac conditione non conſtat: ergo, neque de Chriſti merito, prout importat ius ad aliquod determinatũ præmium conferendum ipſi merenti, aut ijs, quibus meruit. Huic argumento maiori admiſſa in ſenſu, in quo procedit, neganda eſt minor propoſitio: oſtẽdunt enim Dei promiſſionem, efficacemque ordinationem ad præmium determinatum illa teſtimonia ex Paulo, & Iſai. paulo ante citata: ex quibus apertiſſimè conſtat de voluntate Dei efficaci conferendi Chriſto præmiũ pro ſuis meritis, & operibus. Hæc autem efficax Dei voluntas promiſſioni ęquiualet. Et hæc eadem efficax Dei voluntas conſtat ex illo, quod Chriſtus Luc. 4. duobus diſcipulis euntibus in Emaus dixit. *Nonne ſic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Sed & de expreſſa promiſſione intelligitur. Id quod Dauid Chriſti nomine Pſalm. 2. dicebat, *Dominus dixit ad me, &c. poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.*

§. 5. *Secunda concluſio.*

CHriſtus in primo ſuæ incarnationis inſtanti verè, & propriè meruit. Hanc concluſionem non omnes Theologi concedunt, negarunt enim eam Albe. Mag. in 3. d. 18. ar. 6. S. Bonau. ead. d. 1. p. q. 1. Dur. q. 2. Alex. Alẽſ. 3. p. q. 16. memb. 2. ar. 1. Altiſio. lib. 3. trac. 1. c. 7. Sed vniuerſi alij Theologij cum ſuo Mag. in 3. d. 18. conſtantiſſimè eam affirmant. Et S. Tho. 3. p. 34. ar. 3. quem omnes eius ſequuti ſunt diſcipuli. Mag. Barthol. Med. in comment. huius 3. art. cenſet contrariam ſententiam non eſſe tutam, quin periculoſam in fide. Cui ego libenter aſſentior, tum quia hæc noſtra concluſio videtur eſſe præſuppoſita ab illis Patribus quorum memini ſuperius q. 1. in locis, in quibus de Chriſti gratia tractarunt, legantur pręterea S. Gregor. hom. 7. in Ezech. & Damaſcen. lib. 2. cap. 22. tum. Quia ſunt duo loca in ſcriptura ſacra, in quibus iſta ſententia magnum habet fundamentum.

Alterum eſt illud Paul. ad Heb. 10. *Ingrediens in mundum dixit hoſtiam, & oblationem, &c. tunc dixi: ecce venio, &c.* Quem locum expendit eruditè ſatis Mag. Med. Et quidem, quod illa Chriſti operatio, de qua ibi loquebatur Paulus fuerit meritoria nulli dubitationi ſubeſt, quia, vt ibidem, Paulus ſubiunxit, *ea voluntate ſanctificati ſumus*. Operatio autem qua ſanctificauit nos Chriſtus ſatisfactoria fuit, & meritoria, & hoc in dubiũ verti non debet. Quod vero hanc operationem habuerit Chriſtus in primo inſtãti ſuæ incarnationis, oſtendunt illa verba, *ingrediens in mundum*. Nam tunc ſine dubio verè dicebatur Chriſtus ingredi in mundum, & non ante illud inſtans, vt eſt res conſtans, neque poſt, quia in quoque inſtanti, poſt illud primum ſignato, iam ingreſſus dicabatur non ingrediens, ſi cum proprietate ſunt Pauli verba ſumẽda, vt ſunt reuera, ſicut, & omnia, quæ in ſacris ſcripturis habentur, niſi grandis neceſſitas, & efficax ratio oppoſitum expoſcat, vt ſępe cum Aug. in lib. de doct. Xpiana repetiuimus. Quæ planè neceſſaria ratio hic inuenire minimè poterit, quin potius non inefficaces rationes Theologicæ huic intelligentiæ atteſtantur. Dices ſcio, quod ad verificandum prędicta verba citra vllam improprietatem, ſat fuerit, quod continuo poſt primum incarnationis inſtans, Chriſtus in illam actionem prodierit: nam quod in tempore tam vicino primo inſtanti Chriſtus fecit, aut dixit citra improprietatem dicitur feciſſe eum primo ingrediebatur in mundum. Quod enim parum diſtat à primo, quaſi non diſtare videtur. Reſpondeo, quod ſi hęc ſolutio non adeſſet contraria ſententia aperta fuiſſet hęreſis. Vnde quia multo proprius verba citata de primo intelliguntur inſtanti, & ſine cauſa rationabili, vt mox videbitur, fit recurſus ad illum amplum loquendi modum, idcirco hanc intelligentiam arbitramur voluntariam, & abſque fundamento, atque adeo ſententiam, quę ipſi innititur, cenſemus parum ſecuram.

Alterum ſacrę paginę teſtimonium eſt illud quod legimus Hierem. cap. 31. *Nouum creauit Dominus*

ſuper

Digitized by Google

ſuper terram mulier circumdabit virum. Quem locum omnes eccleſiæ Patres, & docti ſacrorum bibliorum interpretes intellexerunt de Chriſto. Quem idcirco, virum. Propheta vocauit in vtero virginis concluſū, quia plenum, ibi rationis habuit vſum, in quo potiſſimum virilis conſiſtit perfectio. Et conſonat eidem veritati, quod Zachar. cap. 6. *vir oriens* vocatur ipſemet Dominus Ieſus, eo fortaſſis, quia in ortu ſuo, ideſt, in momento conceptionis perfectus fuit homo rationis vſu pollens. Et ob eandem cauſam Angelus admonens Ioſeph de incarnationis Chriſti myſterio in vtero Virgineo ſuæ chariſſimę ſponſæ Mariæ dixit. *Quod in ea natum eſt*, non dixit conceptum, ſed natum, ad inſinuandam fętus perfectionem, qui tam erat perfectus, atque ſi iam ab annis multis eſſet natus.

Ex ijs deduco argumentum. Chriſtus in illo primo inſtanti plenum rationis vſum ſortiebatur; ergo cum in eodem inſtanti gratiæ plenitudine perficeretur, vt ex Patrum ſententia in 2. quæſt. expoſuimus. Quæ ratio eſſe poterit, ob quam prima illa, quam habuit operationē in quā ſe primum voluntatis explicuit libertas, non fuerit ſupernaturalis Dei amor, & qua Chriſtus ſpontanea voluntete mortem pro humani generis redemptione ſubeundam acceptaret. Præſertim cum in alio loco, quem ex Paulo retulimus, id fere expreſſum habeamus? Itaque locus hic poſterior, prioris reddidit cauſam. At dicunt ſententiæ contrariæ authores, quod non fuit poſſibile, vt in vno illo primo inſtanti perfectum Chriſtus habuerit rationis vſū. Verū hoc nulla probabilitate fulcitur. Cum communis Theologorum ſententia, id concedat Angelis, ac primo parenti Adamo, quod in primo, videlicet, creationis inſtanti prodierint in liberam operationem, quæ meriti fuit capax, ex qua doctrina nouum pro noſtra ſententia argumentum inſurgit, nimirum. Quod ſi Theologi grauiores concedunt Angelis, & Adamo meritum in illo primo inſtanti, qua probabilitate id Chriſto negabunt?

Præterea libertatis, & rationis vſus non pendet, per ſe loqutendo, ex temporis ſucceſſione, quod ſi pēdet in nobis, illud eſt propter corporis impedimentum, quia videlicet operatio intellectus in nobis ab vſu phantaſmatuū pendet. Sed hoc impedimentum, & hæc dependentia minimè reperiebatur in Chriſto. Quod oſtēdo. Primū, quia in illo inſtanti inditum fuit Chriſto non ſolum beatificum lumen, ſed & ſcientia infuſa, quæ in ſuo vſu a phantaſmate non pendet, vt dicit S. Tho. 3. p. q. 11. ar. 2. Ergo potuit in primo illo inſtanti ſuæ rationis, & voluntatis libertate vti, non ſecus atque potuit Angelus. Præterea ſi dixeris in Chriſto intellectum, & voluntatem, à corpore, & à phantaſmatibus dependētiam habuiſſe, infero. Quod neque rationis vſus aduenit Chriſto toto tempore, quo fuit in Virgineo matris vtero, atque adeo, quod improprijſſimè Propheta eum appellauerit virum. Patet hæc ſequela, quia pro toto illo tempore ſumma corporis imbecillitas impediebat perfectum phantaſmatum vſum. Et ſic bimembri argumento vrgeo. Vel intellectualis Chriſti operatio a phantaſmatum corporalium vſu pendebat, vel non. Si primum: ergo toto tempore, quo Chriſtus fuit in ventre matris ſuæ, imo & vſque ad aliquod tempus poſt natiuitatem in quo corpus firmitatem, & ſoliditatem obtinuerit, nequit prodire in perfectum actū intellectus, & rationis, quod nullus admittet catholicus. Si ſecundum, ergo in primo inſtanti æque benè Chriſtus intellectualiter operari potuit, atq. in quolibet alio poſteriori inſtanti. Quia ex parte intellectus, & voluntatis vtraque in illo momento perfectione pollebat, & naturali, & ſupernaturali, atque adeo dicendum eſt, quod de facto prodijt in liberam operationem, & eam quidem ſupernaturalem. Nam cum in illo inſtanti manifeſtata ei fuiſſent omnia beneficia ſuæ humanitati collata, & finis ſuæ incarnationis, quia erat Dei gloria per humanam redemptionem ipſius Chriſti intercedente morte comparanda, fuerintque eidem collata omnia neceſſaria ſupernaturalis actionis principia, ſi nullum ex parte corporis adfuit impedimentum, qua probabili ratione talis operatio ſupernaturalis, qua Deum ſuper omnia dilexit, & in eius gloriam ſe totum Chriſtus obtulit, redemptioniſque acceptauit negocium, poterit Chriſti voluntati negari, illo præſertim extante Pauli teſtimonio dudum adnotato? Et hæc de ſecūda concluſione ſuffecerint: nam plura poterit Theologus in S. Th. q. 34. cita. legere, & in doctiſſimis Metinenſis commentarijs ad cit. ar. 3.

§. 6. *Tertia concluſio.*

VAlde probabile eſt, Chriſti meritum nunquam fuiſſe interruptum à primo vſus rationis inſtāti, vſque ad inſtans mortis eius excluſiuè. Hanc concluſionem inſinuat Alex. Alen. loco citato, & ex iunioribus Theologis nonnulli doctiſſimi, & ſi quibuſdam alijs ægregiè doctis refragantibus. Quæ concluſio ſic probatur.

Primo, nulla eſt neceſſitas conſtituendi interruptionem in actibus virtutum, quæ fuerunt infuſæ Chriſto in primo inſtanti ſuæ conceptionis, ergo cū in magnam Chriſti dignitatem cedat horum ſupernaturalium actuum continuatio, valde probabiliter loquitur, qui eam admittit. Sed omnes huiuſmodi actus in Chriſto fuerunt meritorij, meruit enim Chriſtus per omnium virtutum actus, ſicut, & nos meremur; ergo, &c. Primum antecedens conſtat ex his, quæ circa præcedentem concluſionem dicebamus, nimirum, quod ſcientia infuſa animæ Chriſti non habet dependentiam neceſſariam ex phantaſmatibus, vt in actum prodeat, & in vſum perfectum, eadem autem eſt ratio de vniuerſis virtutibus infuſis quæ per ipſam ſciētiā infuſam regulantur: Ergo, &c.

Probatur ſecundo. Intellectus, & voluntas, vt manifeſto nobis experimento conſtat, nunquam otiantur, niſi cum ſenſitiuæ potentiæ à quarum vſu intellectus, & voluntas pendent, ſomno aut ſimili ligantur impedimēto. Ergo cū in Chriſto virtutes infuſæ non pendeant in ſuo actuali vsu à potentijs ſenſitiuis, intellectus, & voluntas, ac ſimiliter ipſa infuſæ virtutes nunquam ocioſæ fuerunt in Chriſto: atque adeo cōtinue perſeuerauit aliqua earundem meritoria operatio. Hec quæ diximus non ſolum de morali continuatione meriti, quæ aliquam interruptionem admittit, procedunt, quam moralem continuationem nullus forſan Theologorum negabit. Verum etiam de continuatione phyſica, quæ nullam omninò patitur interruptionem. Neſcio an poſſet huic loco ac-

Digitized by Google

commodari illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Quæ verba licet ſatis conuenienter ſponſæ tribuatur; non tamen refragabitur textui, qui ea in perſona ſponſi prolata exiſtimauerit, cui corporale ſomnum non adimebat liberam animæ operandi poteſtatem ſecundum beatificam ſcientiam, & ſecundum eas virtutes, tum intellectus, tum voluntatis, quæ ex ipſa fuerunt deriuatæ.

Conſulto dixi in concluſione, vſque ad inſtans ſuæ mortis excluſiuè, quoniam in illo inſtanti, in quo primum Chriſti anima à corpore fuit egreſſa, conſtituta eſt extra totum merendi ſtatum. Non me latet Caietan. exiſtimaſſe, quod tam in Chriſto, quam in martyribus meritum vitæ continuatum fuit vſque ad mortis inſtans incluſiuè, quatenus illud inſtans eſt terminus viæ, & illius operationis meritoriæ, quæ habebatur in tempore illud inſtans immediatè præcedenti. Verum hic modus loquendi parum, ni fallor, ad rem attinet. Quia cum illud inſtans ſit extrinſecum, & viæ, & operationi meritoriæ, nullam poteſt meriti rationem addere merito præcedenti; eo vel maxime, quod illud inſtans præmio potius ſuſcipiendo deſeruit, quam meritò. Martyris enim anima, quæ plenè purgata à corpore diſcedit, in illo inſtanti præmium eſſentiale recipit, eſſentialiterque beatificatur.

Hoc loco aduertendum eſt, erraſſe olim quoſdam aſſerentes Chriſtum meruiſſe non ſolum in ipſo ſuæ mortis inſtanti, verum, & poſt illud inſtans. Fuit illis errandi occaſio, quod ſancti Patres non ſemel dixerunt ſacramentorum virtutem ex illo vulnere emanaſſe, quo Chriſti latus lancea fuit percuſſum, ex quo ſanguis, & aqua effluxerunt. Ita docuerunt Cyrill. & Chryſoſt. in c. 19. Ioan. Ambr. hom. 10. ſuper Luc. Aug. tract. 15. in Ioan. & tract. 120. & S. Leo epiſt. 4. cap. 6. *Tunc generationis*, inquit, *potentiam ſanxit, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis*. Idipſum docuit Theophil. ſuper cap. 19. Ioan. Non enim defuerunt alij, qui vt negarent Chriſtum poſt mortem meruiſſe, affirmauerunt, Chriſtum ante mortem accepiſſe prædictum lateris vulnus. Sed vtrique manifeſte errarunt in fide, ij quidem poſtremi euangelicæ hiſtoriæ contradicentes: Ioan. enim citato cap. narrat apertè vulnus illud Chriſto poſt mortem fuiſſe illatum. Primi verò errant contra communia dogmata in ſcripturis ſacris fundata. Ex quibus habemus, quod *vbi ceciderit lignum ibi manebit, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem*, & quod poſt hanc vitam nullus ſupereſt merendi locus, quia nec conſilium neque ratio eſt animæ à corpore decedenti. Multa alia in vtriuſq. huius erroris cõfutationẽ poſſent afferri. Sed in re tã manifeſta, & peruia cũctis, nõ oportet tẽpus grauiori diſputatione neceſſarium cõſumere. Patres autem, quorum nunc teſtimonia retulimus, haudquaquam dixerunt, prædicto Chriſti vulneri aliquod inhæſiſſe meritum, ſed quod virtus ſacramentorum ex illo vulnere effluxerit. Quæ doctrinam triplicem habere poteſt intelligentiam.

Prima, quod ex Chriſti morte virtus ſacramentalis emanauerit. Explicantque hoc Patres recurrentes ad illud lateris vulnus, quia mors habuit veluti totalem quandam ſui conſummationem in illa totius ſanguinis effuſione, quę facta fuit illo vulnere accepto. Non enim vſque ad illam lateris aperturã totus ſanguis Chriſti fuerat effiſus. Quod ſi dixeris eandem verſari difficultatem de morte, atque de ipſo lateris vulnere, quia, vt paulo ante dicebamus, in ipſo mortis inſtanti Chriſtus nihil meruit.

Reſpondeo per ſecundam ſupradictæ patrum doctrinæ intelligentiam. Quod virtus ſacramentorum idcirco tribuitur, & morti, & vulneri poſt mortem inflicto, quia vtrumque fuit comprehenſum in meritò Chriſti obiectiuè. Volo dicere, quod Chriſtus meruit ſpontanea voluntate acceptando ipſam ſui mortem, illudque vulnus, quod præuidit futurũ, atque ea, quæ poſt mortem geſta fuerunt circa ſacrum ipſius corpus, vt ſepulturam, &c. Et quidem ſi Chriſti meritũ aliqua ratione potuiſſet augmentum ſuſcipere, magna ei facta fuiſſet acceſſio ex libera horum acceptatione: & quatenus Chriſtus voluntariè ſe ijs perferendis obtulit. Et hac ratione nõ immeritò ſancti Patres ſacramentorum virtutem Chriſti morti, ac prædicto eius vulneri, virtutem ſacramentorum attribuere.

Secũda intelligẽtia eſt, quod illa ſanguinis, & aquę effluxio per modum exemplaris cauſæ virtutem contulit ſacramentis. Nam & oſtendit fontalem ſacramentorum virtutem in Chriſto, in eiuſque paſſione reperiri, & quod virtus in eo latens, ex ipſoque ad ſacramenta defluens, & lauandi, ac emundandi conſciẽtias noſtras vim habet, quod aqua præſignauit, & pretij quoque redemptioni noſtræ neceſſarij efficaciam obtinuit, quod in ſanguine præſignabatur. Sanguis namque Chriſti voluntariè oblatus ipſum fuit excellentiſſimum humanæ redemptionis pretium, vt 1. Pet. 1. dicitur. Expendantur verba ex S. Leone epiſt. 4. citata, ex quibus hæc interpretatio fiet manifeſta. Similia dicit Auguſt. tra. 120. citato. *Ille*, inquit, *ſanguis in remiſſione fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum, hæc & lauacrum præſtat, & potum*. In hoc cauſæ exemplaris genere dixit quoque Paul. Chriſtum reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram. Illa cauſalis, propter, non meritoriam, ſed exemplarem deſignat cauſalitatem. Videndi ſunt Ambroſ. ſuper Pſal. 86. & Hieron. in cap. 26. Matth.

Vltima tandem intelligentia eſt, quod ſacramentorum virtus, & noſtra tota iuſtificatio, & ſanctitas tribuuntur morti Chriſti acceptæ, & vulneri lateris Chriſti, in genere effectricis cauſæ non moralis, ſed phyſicæ. De qua phyſica cauſalitate nonnulla dicemus in q. 6. principali huius relectionis. Et legatur S. Th. 3. p. q. 48. ar. 6.

§. 7. Soluuntur argumenta in oppoſitum, & diffuſe ſoluitur primum argumentum.

AD argumenta in oppoſitum reſpondetur. Et ad primum aliqui dicunt, quod amor beatificus ex natura rei neceſſarius eſt, Chriſtus tamen per potentiam miraculorum quam habebat, potuit facere, quod actus ille ſua natura neceſſarius, non ſequeretur neceſſariò, ſed liberè, ſicut etiam potuit facere per eandem virtutem miraculorum, quod corpus alias paſſibile nõ doleret, vel nõ pateretur. Hæc tñ ſolutio eſt voluntaria, neq. tale miraculũ fuit neceſſariũ, derogatq. dignitati, & pſectioni beatitudinis Xpi. Perfectio. n. beatitudinis eſt, ꝙ neceſſario diligat Deus in

ipſa

Digitized by Google

ipſa beatitudine,& ita hæc ſolutio non placet. Neque ad hûc effectum extendi potuiſſe potentiam miraculorum, quæ in Chriſto reſidebat,citra vllam dubitationem crediderim.

Secunda ſolutio eſt, Chriſtum non meruiſſe per actum charitatis,ſed per actus aliarum virtutum obedientiæ,religionis,&c. quod ſi meruit per actum charitatis, debet intelligi per actum charitatis proximi. Itaque meruit per actum à virtute charitatis elicitū, ſed non quatenus tendebat in Deum formale,& primarium ipſius charitatis obiectum, ſed qua ratione proximum reſpiciebat, qui eſt ſecundarium obiectū ipſius charitatis.

Verum hæc ſolutio diſplicet alijs Theologis, neq. vero mihi placet. Tum quia non ſatis eſt conſentanea doctrinæ S. Thom. qui 3. par.quæſt.19. art.3. ad 1. inquit, quod non meruit per charitatem inquantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat viatoris, & in quæſt. 29. de verita. art. 6. ad 6. dicit, quod eadem charitate Chriſtus fruebatur, & merebatur. Quare ſecundum doctrinam S. Tho. non ſolum per actus aliarum virtutum, ſed potiſſimum per actum charitatis meruit Chriſtus. Tum etiam quoniam, vt inter arguendum in primo argumento diximus, charitas, & radix eſt merendi, & formaliter conſtituit actum quemcunque in ratione meritorij.

Et huius doctrinæ ea eſt fundamētalis ratio, quod ſola charitas eſt ad quam per ſe primo pertinet operari propter Deum, ſecundum quod eſt ſummum bonum,non habito explicito reſpectu, neque ad pœnam,neque ad præmium,ſed ad ipſum Deum,ad ipſamque bonitatem eius, & gloriam, in quo conſiſtit prima iuris meritorij radix. Nam totum meritoriū ius in eo conſiſtit, quod ea,quæ noſtra ſunt, demus Deo, & quaſi in eius commodum, quantum eſt ex parte noſtri, offeramus, quod ſolum facit charitas, vel elicitiuè,vel imperatiuè,quia ipſa ſola reſpicit per ſe primo Dei gloriam amplificandam, & extendendam. Cæteræ namque virtutes ſi ſunt morales, non circa Deum immediatè verſantur, ſi Theologicæ, fides quidem reſpicit Deum vt verum, primamque veritatem, nobis cæleſtia myſteria reuelantem. Spes autem reſpicit Deum vt bonum nobis: Ergo ſi ab actu charitatis in Chriſto ſecludimus rationem meriti, oportet totaliter meritum à Chriſto auferamus. Et hac eadem ratione confutatur iſta ſecunda ſolutio, quatenus dicit Chriſtum meruiſſe per charitatem, non vt Deum, ſed vt proximum reſpiciebat: radix enim, & formalis meriti ratio non ex proximo, ſed ex Deo ſumitur, vt ex præſenti doctrina conſtat.

Tertia ſolutio aſſerit in beatis duplicem charitatis amorem reperiri. Alterum qui per beatificam viſionem regulatur,& dirigitur, & quo amatur Deus,vt viſus. Alterum, qui tendit in Deum cognitum per ſcientiam infuſam, qua extra verbum beati ſupernaturali cognitione clara, & euidenti Deum, eiuſque ſummam bonitatem agnoſcunt, quæ cognitio eſt regula huius poſterioris amoris. Tunc dicunt huius ſolutionis authores, quod in Chriſti anima duplex hic ponendus eſt amor. Et prior quidem ſimpliciter eſt neceſſarius amor, & naturalis voluntati humanæ Chriſti, vt per charitatem eleuatæ: prodit enim ex ipſa naturali charitatis propenſione, quæ in illo beatifico ſtatu tam eſt efficax, & potens,vt ſecum rapiat voluntatem humanam,ipſamque totaliter neceſſitet ad Deum ſummum bonum clarè viſum ſuper omnia diligendum. Et hic charitatis actus non fuit in Chriſto meritorius, neque ex ipſo deſumebatur Chriſti meritum. Poſterior verò charitatis actus liber fuit Chriſti voluntati, non quidem quoad ſpecificationē, quia contrarium actum habere nunquam potuit,ſed quoad exercitium. Nam ſicut Chriſtus, & quilibet alius beatus poteſt ſimpliciter ceſſare ab actuali cognitione Dei, habita per ſcientiam infuſam:ita poterit ceſſare ab illo actuali Dei amore,qui per hanc cognitionem regulatur, & in Deum ſic cognitum tendit,& hic charitatis actus, meritorius fuit in Chriſto, & ſimiliter eſſe poterat in cæteris beatis, niſi extra ſtatum merendi ſimpliciter eſſent conſtituti. Quod non contigit Chriſto, qui dum mortalem agebat vitam ſimul fuit viator, & comprehenſor.

Adhibent hanc ſolutionē graues Theologi Ferra. 3. contra gentes cap.61. Mag. Sot. 3.lib.de nat. & gra.cap.7. & Mag.Med. loco citato. Quæ ſolutio eſt ſatis probabilis,& veroſimilis. Nam ſicut in Angelis grauiores Theologi geminam conſtituunt dilectionem,qua ſeipſos diligant. Alteram purè naturalem, & neceſſariam, quæ ſequitur iudicium inſitum à natura. Alteram verò electiuam, quæ ſequitur iudicium deliberatum,de quo 1.par.q 60. ita ſimpliciter in beatis ponitur gemina dilectio Dei ſupernaturalis. Altera purè neceſſaria, altera libera pro diuerſitate cognitionis beatificæ, & cognitionis infuſæ extra verbum.

Sed contra iſtam ſolutionem duo inſtant argumenta. Primum illudque commune, ſed non omninò facilè eſt huiuſmodi. Duo accidentia,quæ ſolo numero differunt, ſecundum vulgatam Ariſtot. & S.Thom. doctrinam, nequeunt ſimul in eodem ſubiecto reperiri: putant enim graues ij Auctores numericam accidentis conſtitutionem ex eius ſubiecto deſumi,atque adeo ſi vnum, & idem eſt ſubiectum, idem eſt,& accidens ſecundum numerum. Quocirca ſi ex differentia ſpecifica duo accidentia in eodem ſubiecto poſita non ſecernuntur, nullum reſtat principium diuiſionis ipſorum. Vnde nequeunt eſſe duo,ſed vnicum eſt duntaxat accidens. Tunc ſic, actus charitatis,qui tendit in Deum cognitum per infuſam ſcientiam eſt omninò eiuſdem ſpeciei cum eo, qui regulatur per ſcientiam infuſam, & fertur in Deum clarè viſum, nam cum ſit eadem omninò bonitas, quam vterque actus in Deo reſpicit, quod ſic vel aliter cognoſcatur, accidit charitatis actui. Quod præſertim certiſſimum eſſe debet, ſi vera eſt illa ſententia Theologorum ex Caiet. 1.2.q.1.ar.1. deſumpta, quæ docet, apprehenſionem non ad formalem rationem obiecti voluntatis, ſed ad conditionem quandam requiſitam pertinere. Igitur aſſignata ſolutio falſum præſupponit, nimirum, geminum reperiri charitatis actum in intellectu humano Chriſti, & in quocumque alio beatifico intellectu.

Secundum argumentum. Chriſtus tantum meruit prout erat viator, quod nullus Theologorum poteſt inficiari, quia inquantum comprehenſor non erat in ſtatu merendi, ſed Chriſtus fuit viator tantum ſecundum partem inferiorem, quæ inferior pars, vt pu-

tauit Scotus attenditur ſecundum appetitum ſenſitiuum, & reliquas ſenſibiles potentias, vel quod verius eſt iuxta S. Thom. doctrinam, ſecundum ipſammet rationalem voluntatem, prout regulatur per cognitionem, quæ conſiderat inferiores rationes, & attendit ea, quæ pertinent ad diſpoſitionem ipſius corporis humani: ſed actus charitatis regulatus per ſcientiam infuſam, ſecundum quod reſpicit ipſam Dei bonitatem, nullo modo pertinet ad rationem inferiorem, ſed ad rationem potius ſuperiorem, imo & ſupremam; Ergo in illo actu non potuit conſiſtere ratio meriti.

Primum argumentum triplici poteſt ſolutione dilui. Prima ſolutio eſt communis, nimirum, quod accidentia reſpectiua etſi ſolo numero differant, poſſunt in eodem ſubiecto multiplicari, quia ex terminis, quos reſpiciunt, poteſt deſumi eorum indiuidualis diuerſitas. Vnde duo actus dilectionis Dei quatenus diuerſimodè Deum reſpiciunt, alter vt cognitum per ſcientiam beatam, alter per ſcientiam infuſam, quamuis ſolo numero differant, ſimul eſſe poſſunt in eodem ſubiecto. Sicut actus dilectionis Dei, & actus dilectionis proximi, cum ab eadem virtute charitatis proficiſcantur ſola numerica diſtinctione ſecernuntur, qui tamen propter diuerſa materialia obiecta, quæ reſpiciunt, ſimul eſſe poſſunt in eodem ſubiecto. Et facilè erit rem iſtam alijs plurimis exemplis illuſtrare.

Secunda ſolutio aſſerit, quod quamuis habitus charitatis viæ, & patriæ ſit vnus, & eiuſdem ſpeciei, imo ſit vnus, & idem numero habitus, quia, *charitas nunquam excidit*; id Paulo teſtante 1. Corinth. 13. at propter ſui excellentiam poteſt habere actus diuerſarũ ſpacierum, & ita dilectio Dei per cognitionem fidei regulata, ſpecie differt ab ea, quæ in patria viſionem beatam ſequitur. Et proportionabiliter dicitur de dilectione, quæ per ſcientiam beatam regulatur, & ea quę fertur in Deum per ſcientiam infuſam cognitum. Hæc autem ſolutio in duplici ſenſu valet intelligi.

Prior eſt, quod actus charitatis viæ, & patriæ, & ſimiliter actus, qui oritur ex ſcientia beata, & is qui ab infuſa ſcientia procedit differunt ſpecie, non phyſicè, ſed moraliter, ita quod dilectio patriæ, & dilectio viæ in vna, & eadem phyſica continentur ſpecie, differunt tamen ſpecie in eſſe moris, eo quod alter eſt neceſſarius, & alter liber, alter meritorius, & alter incapax meriti, quæ ſunt conditiones ad diuerſas ſpecies morales pertinentes. In hunc ſenſum hanc complectitur ſolutionem Magiſt. Medin. loco citato.

Alter vero ſenſus eſt, quod non ſolum in eſſe moris, ſed etiam phyſica differunt ſpecie hi charitatis actus propter formalem obiectorum diuerſitatem. Quæ non ex Dei bonitate cum vna ſit, & formaliter eadem deſumitur, ſed ex diuerſa obiecti apprehenſione, quæ ſecundum probabilem opinionem ad formalem rationem obiecti voliti ſpectat. Hunc poſteriorem ſenſum inſinuauit Caietan. 1. par. quæſt. 82. art. 2. circa finem, vterque huius ſolutionis ſenſus poteſt probabiliter defendi, quamuis vterque ſuas habeat difficultates, in quibus enodãdis non licet nũc immorari, nam cui hæc ſolutio non placuerit, præcedenti vtatur ad euadẽdã vim argumenti propoſiti.

Sed & aliam tertiam ſolutionem adhibeat, is cui harum neutra fuerit grata, quam Theologi non indocti adhibere ſolent argumento, nimirum, quod vnus & idem actus charitatis eſt, qui procedit à beata viſione, & qui per ſcientiam infuſam regulatur, qui charitatis actus, vt à beata cognitione oritur ſimpliciter neceſſarius eſt, ac proinde omnis meriti expers, atque itidem incapax. Vt verò ab infuſa procedit ſciẽtia, libertatem quandam induit, & ſubinde meritorius eſſe poteſt. Neque in hoc aliqua apparet contradictio, nihil enim repugnat, quod actus ille, qui eſt ſimpliciter neceſſarius, induat quendam libertatis modum per reſpectum ad aliquam quaſi illi aduentitiam regulam, ex qua liberam quandam complacentiæ rationem acquirat. Ita quod Chriſti voluntas, quę Deum beatifica viſione cognitum omni neceſſitate diligit, accedente eiuſdem Dei cognitione per ſcientiam infuſam habita, virtualiter ſibi in eadem Dei dilectione liberè complaceat. Ita quod ſic ſe habeat eius voluntas regulata per hanc cognitionem poſteriorem, quod reuera ipſum Deum amaret libera dilectione, niſi præuenta eſſet ab actu charitatis neceſſario, qui ex beata viſione oritur. Hæc implicita complacentia conſtituit illum charitatis actum virtualiter liberum: atque ad eo capacem meriti.

Afferri poteſt exẽplum ex his quæ nos experimur. Contingit enim quandoque, quod vnus, & idem motus naturalis ſit ſimpliciter, & quendam tamen violentię modum ab extrinſeco principio participet. v.g. cum quis deorſum proijcit lapidem, motus ille lapidis ſimpliciter eſt naturalis, lapis enim ab intrinſeca, & naturali propenſione deorſum fertur, habet tamen motus ille quidpiam violentiæ admixtum, quatenus ex violento proijcientis impulſu progreditur, impulſus namque ille cum totaliter ab extrinſeco oritur principio naturalis non eſt lapidi, ſed violentus. Vnde neque hæc ſolutio cenſeri debet improbabilis, iuxta quam dicere tenemur, non eſſe omninò rationem eamdem attendendam in dilectione Dei, quæ habetur in patria, & in cognitione qua beatus Deum cognoſcit, nam verè diſtinguimus geminã Dei ſupernaturalem cognitionem, vtramque certã, & euidentem in intellectu beati, nimirum, facialem & intuitiuam Dei viſionem, quæ habetur in verbo, & cognitionem extra verbum per ſpecies creatas, quæ procedit ex infuſa ſcientia: At in voluntate beatificata vnicum tantum dilectionis actum agnoſcit iſta ſolutio, qui ſecundum ſubſtantiam beatificus eſt, & neceſſarius, & ſecundum quendam modum non beatificus, ſed ad viatorem pertinere valet, eo quod ſecundum iſtum modum liber eſſe poteſt, & meritorius.

Ad ſecundum argumentum primo reſpondetur, quod cognitio, quæ per ſcientiam infuſam habetur de Deo, & ſi per ſe conſiderata ad rationem ſuperiorem pertineat, comparata tamen ad viſionem Dei beatificam, qua videtur Deus ſicuti eſt, inferioris eſt rationis, quia fit per ſpecies creatas, quæ multo inferiori modo Deum repreſentant, quam ipſe in ſe ſit. Et proportionaliter eſt dicendum de charitate, nimirum, quod actus ille charitatis, qui per ſcientiam infuſam regulatur, etſi ſeorſum ſumptus ad rationẽ ſuperiorem ſpectet, comparatus tamen actui chari-

tatis,

Digitized by Google

tatis, qui per ſcientiam infuſam regulatur, etſi ſeorſum, & ex beatifica viſione ortum habet, ad rationem potius inferiorem pertinet. Cum ergo S. Thom. & cæteri graues Theologi dixerunt Chriſtum viatorem fuiſſe ſecundum partem inferiorem, ideſt, ſecundum eam animæ portionem, quæ rationes humanas, & inferiores conſulit, ſub nomine inferiorum rationum comprehendunt omnem cognitionem Dei ſupernaturalem, quæ habetur extra verbum per ſpecies creatas. Contraponebant enim ſtatum viatoris contra ſtatum comprehenſoris. At comprehenſoris ſtatus, non conſtituitur per aliam ſcientiam, neque per aliam Dei cognitionem præter illam, quæ habetur in verbo. Vnde omnis alia inferior cognitio poteſt ſe tenere ex parte ſtatus viatoris. Et ſimiliter dicendum eſt de actibus amoris diuini, quod ille tantum, qui oritur ex beatifica viſione cenſeretur pertinere ad rationem ſuperiorem. Omnis vero alia inferior dilectio ad rationem inferiorem pertinet, poteſtque eſſe viatoris actus.

Secundo reſpondetur, quod ſuppoſito ſtatu viæ vndecumque proueniat, omnis actus liber, & ſi alias pertineret ad ſtatum beatificum, induit quendam modum pertinentem ad ſtatum viæ, quem participat ex ſubiecto, in quo reperitur, cuius participij ob id eſt capax, quia libertate pollet, ex qua habet capacitatem, vt ſit meritorius, ſi in ſubiecto viatore ponatur. Et ita dicendum eſt de actu cognitionis infuſæ, qui per ſcientiam infuſam in Chriſto regulatur, qui certè ſecundum ſe non viatoris, ſed beati actus eſt, quatenus effectus eſt eſſentialis beatitudinis, reſultat enim hæc Dei cognitio ex beatifica viſione, vt 1. p. q. 12. ſolet explicari. In ſubiecto tamen viatore poſitus induit eius qualitatem. Et proportionabiliter dicendum cenſeo, de actu dilectionis Dei, qui hanc ſequitur cognitionem.

Sed iam ad quartam principalem primi argumenti ſolutionem tranſeamus, quam exiſtimo ſatis eſſe cõſentaneam S. Th. doctrinæ, iuxta quam dico Chriſtum meruiſſe per ipſummet charitatis actum, quo diligit Deum clarè viſum, qui meritorius fuit, non prout beatificus, ſed prout fuit actus viatoris. Ita ſunt verba. S. Th. locis paulò ſuperius cit. Sed in eo poſita eſt tota difficultas, vt explicemus, qua ratione actus ille beatificus eſt, qua verò ratione ipſemet inuariatus fuerit actus viatoris.

Ad cuius explicationem notandum eſt, quod ſicut finis acquirẽdus poteſt eſſe obiectum duorum actuũ, nempe volitionis, & intentionis. Eſt quidem obiectũ volitionis, prout eſt in ſe bonum quoddam, qua ratione eſt propter ſe appetibile, iuxta id, quod Ariſt. 1. Eth. cap. 1. dicebat, bonum eſt, quod omnia appetũt. Eſt autem intentionis obiectum, quatenus taliter eſt bonum, quod eſt ratio appetendi media, per quæ finis ipſe eſt comparandus. Vnde intentio reſpicit finẽ ſub formaliſſima ratione finis, quatenus, ſcilicet, eſt acquiſibilis per media quibus ipſe finis appetibilitatem tribuit. Quo actu non ſolum finis bonitas, & conuenientia appetitur, ſed ipſam quoque finis cauſalitatem reſpicit hic actus. Ita ſolent loqui de fine, & eius bonitate diſcipuli S. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 2. Ad cuius doctrinæ imitationem proportionabilem ego diſtinctionem facio in fine iam acquiſito, & habito (& loquor in ſpeciali de vero, & vltimo fine Deo) quod eius bonitas poteſt per ſemetipſam conſiderari qua ratione eſt appetibilis, & vt ita loquar fruibilis, nullo habitu reſpectu ad aliquid extrinſecum. Alio modo prout eſt ratio volendi alia, quæ conuenientiam aliquam habent cum ipſa conſequuta finis bonitate. Primo modo conſiderata diuina bonitas amatur, & diligitur à beatis dilectione neceſſaria, & neceſſitate ſpecificationis, & neceſſitate exercitij, ita quod beatus, neque contrarium eius amare poteſt, in quo conſiſtit ſpecificationis neceſſitas, neq. ab actuali eius amore ceſſare, quod ad neceſſitatem pertinet exercitij, & ſimiliter eadem bonitate omnimoda neceſſitate fruuntur. Itaque neque ab eius amore, neque ab eius fruitione vllatenus diuelli poſſunt, niſi grande interueniret diuinæ omnipotentiæ miraculum. Cõſiderata vero ſecundo modo diuina bonitas non neceſſario amore diligitur, neque talem dilectionem expoſcit beatificus ſtatus, ad quem ſicut non per ſe pertinet creaturarum amor (ſicut neque earum cognitio) ita neq. per ſe requirit amorem diuinæ bonitatis, prout eſt ratio actualis amoris creaturæ.

Sed eſt ſecundo notandum, quod ſicut volitio finis prout eſt bonum in ſe, & propter ſe amabile, & intẽtio eiuſdem finis, prout amatur vt acquiſibilis per media, realiter quandoque coincidunt in vnum, & eumdem actum, in quo duplicem illam rationem volitionis, & intentionis diſtinguimus. Ita amor diuinæ bonitatis iam habitæ, & conſecutæ vnus eſt, & idem actus, qui per ſe primo reſpicit ipſam, vt eſt in ſe infinita, & ſumma bonitas, & ſuper omnem bonitatem diligibilis, & ſecundariò eamdem reſpicit diuinam bonitatem per reſpectum ad creaturas, quatenus eſt ratio volendi, & amandi ipſas. Priori ratione conſiderata diuinæ bonitatis dilectio eſt actus beatificus, & omninò neceſſarius, vt dudum dicebam. Cõſiderata vero modo poſteriori, neque pertinet neceſſariò ad beatificum ſtatum, neque neceſſarius actus eſt, ſed ſimpliciter liber.

Et quidem nulli mirum eſſe debet, quod vnus, & idem actus ſupernaturalis dilectionis Dei in voluntate beati vtramque conditionem, & neceſſitatis, & libertatis induat, cum ſit quædam connaturalis participatio diuini amoris, quo Deus ſuam diligit bonitatem, in quo geminam hanc conditionem ſumma cum excellentia reperimus. Nam prout ſuam Deus bonitatem diligit, eius dilectio ſummè neceſſaria eſt, & Deo naturalis. At quatenus eſt ratio actualis dilectionis creaturarum, liberè ipſamet Dei bonitas à diuina voluntate diligitur: nulla enim inſtat neceſſitas diuinæ voluntati diligendi creaturam aliquam, & ex conſequenti, neque neceſſitatur ad amandum ipſam diuinam bonitatem, prout actu eſt formalis ratio diligendi creaturas, ideſt, prout actu exequitur officium rationis formalis in creaturarum dilectione. Nonnulli Theologi, & quidem doctiſſimi non admodum doctrinam hanc habuere probatam propter duas cauſas. Prima, quia actus, qui non eſt ſimpliciter infinitus nequit includere duas illas conditiones tam diuerſas ſcilicet neceſſitatis, & libertatis. Secunda, quia actus beatificus menſuratur æternitate participata, quæ nullam mutationem admittit. At ſi actus ille liber fuit, potuit in ipſo mutatio, & ſucceſſionis variatio reperiri, cum poſſet Chriſti voluntas

Digitized by Google

ceſſare ab illo actu, prout erat liber. Sed neutra harũ cauſa efficaciter expugnat iſtam doctrinam.

Ad primam enim dicitur. Primo, quod licet ille amor voluntatis Chriſti non ſint infinitus, eſt tamen participatio actus amoris infiniti voluntatis diuinæ eiuſdem ordinis cum illo. Secundo dico, quod etiam in actu purè finito poſſunt, per comparationem ad diuerſa, illæ duæ conditiones reperiri. Nam actus, qui ſimul eſt intentio, & electio, qua ratione intentio poteſt eſſe neceſſarius, ſaltem quoad ſpecificationẽ; & prout electio omninò liber. Ad ſecundam cauſam reſpondeo, quod ſicut diuinus amor, qua ratione libera eſt creaturarum volitio, abſque aliqua ſui mutabilitate menſuratur æternitate eſſentiali, ita Chriſti amor, prout liber poteſt participata æternitate menſurari; in quo nulla vnquam reperietur mutatio, propter neceſſitatem ſuppoſitionis quam, iuxta modum inferius explicandum, in eo tenemur ponere.

His ergo ſic ſuppoſitis. Quarta ſolutio primi noſtri principalis argumenti in eo ſita eſt, quod Chriſtus per eandem illam dilectionem, qua neceſſariò diligebat diuinam bonitatem clarè viſam, ſecundum quod eſt in ſe, & propter ſe ſummè amabilis, & diligibilis, & qua ratione eius dilectio erat actus beatificus, diligebat etiam liberè eamdem met diuinam bonitatem, prout actu erat ei formalis ratio volendi redemptionem humani generis ſua morte ſuoque ſanguine exequendam, qua ratione dilectio Dei diuinæque bonitatis in Chriſto actus fuit liber, actuſque viatoris, & ex quo regulabantur omnes actus cæterarũ virtutum, quæ in Chriſti anima reſidebant. Hæc ſolutio explicabitur amplius ex dicendis in ſolutione ſequentis argumenti.

Ad confirmationem reſpondetur, quod ſicut Chriſto fuerunt manifeſta omnia opera, quæ per totum ſuæ vitæ decurſum erat acturus, ita fuit et manifeſtus modus omnium ſuorum operum, nimirum, quod liberè ab ipſo facienda erant. Vnde illa præcognitio ſuarum operationum neque abſtulit, neque minuit libertatem voluntatis humanæ Chriſti circa eaſdem operationes. Et hæc ſufficiant pro nunc ad huius cõfirmationis ſolutionem; nam ſi quid amplius poſtulare videbatur eius difficultas, ex ſolutione ſequentis argumenti deſumi poterit.

Ad ſm̃ argumẽtũ principale negatur maior, ad cuius primam probationem dicitur, quod præceptum non præſupponit, quod ſubiectum habeat eum ſtatum, in quo poſſit peccare, ſed tantum ſupponit neceſſario ex parte ſubiecti, quod habeat naturam, quæ ſecundum ſe, & ex intrinſecis principijs conſiderata peccare poſſit, & deficere ab ordine voluntatis ſuperioris. Et huiuſmodi eſt humanitas Chriſti, quæ licet impeccabilis facta ſit, & propter beatificum ſtatum, in quo eſt, & maximè propter coniunctionem ad verbum, tamen ex ſe ipſa conſiderata, & ex intrinſecis principijs peccabilis eſt, & defectibilis, potenſque proinde ab ordine diuinæ voluntatis, & rationis reſilire. Et ob id capax fuit præcepti, & legis, tum naturalis, tum poſitiuæ, iuxta ea, quæ diximus in ſecundo notabili. Sed illud ſupereſt addendum ad exactam argumenti ſolutionem, minimè neceſſariam eſſe ad ſubſtantiam præcepti illam comminationis explicationem in argumento inſinuatam, videlicet, ſi non obedieris, eris mihi inimicus, reus eris ſubeundæ pœnæ, &c. Nam hæ & ſimiles comminationes, cum nõ ad vim directiuã, ſed ad coercitiuam legis poteſtatẽ ſpectent, non neceſſariò requiruntur ad rationem præcepti, niſi quando ſubiectum eſt in ſtatu, in quo poteſt deficere ab obſeruantia præcepti. Sed ſatis ſuerit ad eſſentialem præcepti rationem, quod efficaciter dirigat voluntatem inferioris circa actionem imperatam, conſtituatque ipſam actionem in ratione virtutis obedientiæ. Quod ſi dixeris vim coercitiuam per ſe attinere ad legem, ita quod non eſt lex illa, quæ coercitiua vi caret; atque adeo ſi prædictam pœnæ comminationem à Chriſto excludimus, neceſſum eſt, vt ab eo excludamus rationem præcepti, & legis.

Reſpondeo, & primum dico, ad rationem legis neceſſariam eſſe vim coercitiuam in legiſlatore, non tamen eſt neceſſarium, quod in particulari lex impoſita vim coercitiuã habeat circa omnem eum quem obligat. Cuius rei exemplum habemus in principe, qui lege communi, quæ æque ad ipſum, & ad ſubditos pertinet, ſecundum directiuam ipſius legis vim ſimpliciter obligatur, & tamen vis coercitiua legis ad ipſum non pertinet. Et ita poſſemus dicere de lege impoſita Chriſto, quod ipſum obligauit ſecũdum vim omnem directiuam, quamuis poteſtatem coercitiuam nullatenus in ipſo exequi poſſet.

Reſpondetur ſecundo, quod ad ſaluandam vim coercitiuam in lege Chriſto poſita, ſatisfuerit, quod eius humanitas ſecundum ſe conſiderata, plenariam habeat ſubiectionem ad Deum, & ad eius legem ſecundum omnem vim, & directiuam, & coercitiuam, ſed quoniam Chriſtus ratione ſuppoſiti, ab omni eſt lege exemptus, indecens ei fuit, quod in præcepto ſibi vt homini impoſito, explicaretur illa comminatio, de qua in argumento fit mentio: Potuit enim Chriſtus in ratione ſuppoſiti humani ſubijci Deo in his, quæ infinitæ eius dignitati, & maieſtati nihil derogant, videlicet, in operationibus, & infuſarum, & acquiſitarum virtutum exequendis, quæ nullum defectum moralem, vel includunt, vel præſupponunt in operante. At reſpectu pęnę ſubeundæ, ſi propriè, & in rigore de pęna loquamur, nullatenus potuit Chriſtus diuinæ poteſtati ſubmitti, quia pęna licet formalem non importet deformitatem, præſupponit tamẽ illam in ſubiecto, quod punitur, quæ moralis deformitas tam longe eſt à Chriſto, quam longe eſt ab ipſo Deum non eſſe.

§. 8. *Vbi diſſoluitur tertium argumentum principale in oppoſitum.*

AD ſecũdum argumentum, quod eſt ſatis ad diſſoluendum difficile, multi ex nouioribus Theologis, & quidem non indocti exiſtimant præceptum impoſitum Chriſto totaliter eius voluntatem determinare circa exequutionem actionis præceptæ. Et cum differentia voluntatis ſic conditio neceſſaria ad eius libertatem, conſequenter fatentur præceptũ auferre libertatem à Chriſti voluntate circa actionẽ præceptam, v.g. circa mortis acceptationem pro reparatione generis humani. Vt autem in illa voluntate Chriſti, qua diuino obſequens præcepto prædictam mortem acceptauit, aliquam relinquant libertatem,

tarem, vt poſſint in ea ſatisfactoriam, & meritoriam rationem ſaluare, in omnes ſe larus vertunt, nullumque relinquunt immotum lapidem. Vnde eorum nõ nulli dicunt, quod præceptum impoſitum Chriſto de acceptanda morte, non primam ſuam habuit originem a diuina voluntate Dei præcipientis, ſed ab ipſa humana voluntate Chriſti, quæ humani generis reparatione valde affecta, tam efficaci propenſione voluit humanæ ſalutis commodis, & vtilitatibus intendere, vt ſimul voluerit, quod hoc ipſum ſtrictiſſimo præcepto Deus ei iuberet, præciperetque ipſi vt humanam vitam, eiuſque pretioſum ſanguinem, pro ipſa hominum ſalute expenderet. Et quia huic liberæ voluntati diuinum ſuperuenit præceptum, quamuis totaliter in ſenſu compoſito ipſam humanam Chriſti voluntatem ad ſui exequutionem determinaret, non ſimpliciter ab ipſa libertatem abſtulit, eo quod talis determinatio, & neceſſitas fuit tantum ſecundum quid, & ex ſuppoſitione quatenus in actuali præcepti obſeruantia, & adimplemento implicitè continebatur libertas illius præcedentis voluntatis Chriſti, qua voluit per præceptum obligari, ſine cuius præuiſione, & præſcientia Deus tale præceptum minimè impoſuiſſet Chriſto. Vti ſolent iſti Theologi exemplo, vt eis videtur ſatis accomodato, & idoneo, ex his quæ inter religioſos contingunt frequenter, videlicet, quod cum quis vult exequi aliquod cõſilij opus, petit à prælato, vt illud ſibi per præceptum iniungat propter maius meritum, quod ei ex obedientia accreſcet. Ita inquiunt, Chriſtus Dominus volens, non ſolum ex charitate, ſed ex obedientia ſimul pro humani generis ſalute mori, petiuit à patre, vt eandem mortem, quam ipſe ſubire decreuerat, ei per præceptum iniungeret. Quo circa in actuali mortis acceptatione neque libertatis, neque meriti ratio defuit.

Hæc ſolutio, & ſi primo aſpectu videatur commẽdare eam Chriſti charitatem, qua dilexit nos, & ſeipſum pro nobis tradidit, at ſi benè perſpiciatur omni probabili fundamento caret. Contra quam ſic primo argumentor. Pręcepta naturalia, quibus ipſe Chriſtus, inquantum homo, ſicut cæteri homines tenebatur, vt ex doctrina S. Thom. in ſecundo notabili aduertimus, non fuerunt ipſi impoſita dependenter à præſcientia voluntatis ipſius, quæ res non debet in dubium verti, quia iſthæc iuris naturalis præcepta non ex libertate voluntatis humanæ, ſed ex ipſa rationali natura ſuam primum deducunt originem. Sed quis negabit Chriſtum meruiſſe in adimpletione, & obſeruantia naturalium præceptorum? Ergo ad ſaluandum Chriſti meritum in obſeruantia præcepti de morte pro humano genere acceptanda, non oportet recurrere ad illam antecedentem Chriſti voluntatem, non enim minus per præcepta iuris naturæ determinabatur humana Chriſti voluntas ad eorum implementum, atque per præceptum de morte ſubeunda. Vnde qua ratione nos expedimus à neceſſitate ex pręceptis naturalibus proueniente, euadere quoque poterimus difficultatem, quæ ex præcepto poſitiuo mortis oritur circa determinationem voluntatis Chriſti, atque adeo ſuperflue aſſignatur illa ſolutio.

Secundo argoitur. Ex iſto modo dicendi ſequitur, quod paſſio Chriſti, qua humanum redemit genus, non fuit formaliter, & in ſe ipſa libera, & meritoria, ſed in ſua tantum radice, & cauſa, nempe, in illa prædicta Chriſti antecedenti voluntate: ſicut peccatum, qund committit ebrius in ebrietate conſtitutus, non eſt formaliter liberum, & voluntarium, ſed in ſua cauſa duntaxat, in ea, ſcilicet, voluntate vel formali, vel virtuali, qua prius, quam ebrietatem incurret, illud peccatum voluit. Conſequens videtur multum derogare meritis Chriſti, & eorum perfectioni: Ergo, &c.

Dicet forſan aliquis, quod in libera poteſtate Chriſti poſitum ſemper fuit illud moriendi præceptum, ita quod ſi ipſe vellet, auferret Deus præceptum, quod impoſuerat, & quod ſicut impoſitio præcepti fuit dependens ab humana Chriſti voluntate, ita & ipſius continuatio. Verum hæc euaſio ridicula eſt, ac planè impertinens, quia re ipſa tollit obedientiam a Chriſto. Nam præceptum, quod totaliter ſubijcitur voluntati eius cui imponitur, reuera præceptum non eſt, nam præceptum ſuperius debet eſſe ad voluntatem ſubditi, & non totaliter ei ſubiectum, & ſubordinatum.

Tertio arguo contra eandem ſolutionem: ex ea ſequitur, quod in illo ſigno rationis, quo Deus decreuit præceptum moriendi pro humani generis redemptione imponere Chriſto, cognouit hominum redemptionem iam eſſe perfectam, per illam Chriſti voluntatem ab ipſo Deo præuiſam, qua voluerat tali præcepto obligari; illa namque voluntas Chriſti præceſſit moriendi præceptum, fuitque infinitè meritoria, & ſatisfactoria, vtpote, Deo infinitè grata, & ordinata ad ipſam humani generis redemptionem: Ergo illa ſufficiens fuit ad humanum genus ex iuſtitia rigoroſa redimendum, atque adeo ſuperfluũ fuit mortis præceptum impoſitum, ſed cõtentus debuerat eſſe Deus illa ſpontanea Chriſti voluntate.

Quarto, quod humani generis redemptio Chriſti paſſione, & morte fieret, non fuit inuentum ex conſilio humanæ voluntatis Chriſti, ſed ex altiſſimo potius, ac profundiſſimo conſilio Dei. Nam qui *omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, Paul. ad Epheſ. 2. dicente, non æquum fuit, vt maximum ſuæ ſapientiæ, & potentiæ opus ad humanæ voluntatis placitum reuocaret. Et quidem ſancti Patres in præcedenti art. citati, negotium redemptionis generis humani non ſemel reducunt ad altiſſimum ſolius diuinæ voluntatis conſilium. At auctores prædictæ ſolutionis, totum humanæ redemptionis opus ad ipſam humanam Chriſti voluntatem reuocant; ergo nulla ratione eſt hæc ſolutio, vt probabilis admittenda. Quam & preſſius vrgeo, ex eo, quod Paulus ad Heb. 10. loquens de Chriſto, & de primo eius ingreſſu in mundum refert Chriſtum ita patri dixiſſe. *Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam*, ideſt, vt præcepto tuo obediam circa humanæ redemptionis expeditionem. Certè ſi vera eſſet illa ſolutio, proprius, & verius dixiſſet Chriſtus, ecce venio, vt faciam voluntatem meam, cum totum redemptionis humanæ negotium ex ipſa tanquam ex prima radice penderet.

Item ſi Chriſtus præceptum illud à patre petijt, non multa cum proprietate dixiſſet Paul. Roman. 8. quod *proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus*

nibus

nibus tradidit illum. Nam ſi Chriſtus ipſe voluit, & petiit, vt præceptum moriendi ſibi imponeretur, ipſe ſibi potius non pepercit, quia Deus non illum obligat, ſed ipſe voluit obligari. Ad cōmendandā autem Chriſti charitatem, eiuſque eximiam vim, & excellentiam, ſatis ſuperque fuerit illa promptiſſima eius voluntas, qua in eodem inſtanti, quo fuit mundum ingreſſus, patris præceptum de morte ſubeunda libentiſſimè fuit amplexatus. Quod & nihil aliud Iſaiæ cap. 53. intendebat cum dixit. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. cuius voluntatis promptitudinem aliqua ex parte in hoc dubio circa tertium notabile declarauimus.

Secunda ſolutio quam alij nonnulli Theologi eidem ſecundo noſtro principali argumento accommodant, in eo conſiſtit, quod Chriſtus meruit per obedientiam quam habuit in animi præparatione. Itaque non meruit in eo, quod præceptum ſibi impoſitum obſeruaret, quia talis præcepti obſeruantia non ex animi libertate, ſed ex omnimoda voluntatis determinatione, & neceſſitate procellit. Sed in eo eius conſiſtit meritum, quod paratum Chriſtus habuit animum ad ſimilem Deo obedientiam præſtandam circa illius mandati executionem, etſi nulla impelleretur neceſſitate, ſed in libero ſuæ voluntatis arbitrio totum huiuſmodi redemptionis negotium poſitum eſſet. Non videtur huic ſolutioni Scot. refragaſſe in 3. d. 16. q. 2.

Hæc tamen ſolutio non eſt cur viris ſapientibus valde grata ſit, & probabilis. Contra quam ſic arguitur, illa animi præparatio ad obediendum Deo in operè redēptionis humanæ, vel fuit neceſſitate præcepti, vel ad conſilium tantum ſpectabit. Si primum dixeris, redit eadem argumenti principalis difficultas, nam illa quoque animi præparatio erit penitus neceſſaria, nulliqueiu ea fuit libertas, cum ſimiliter eſſet in præcepto conſtituta, atque adeo idem erit ferendum iudicium de iſta animi præparatione, quod de ipſa præcepti obſeruantia. Si verò dicas ſecundum, tunc infero Chriſtum non meruiſſe per actum obedientiæ, ſed per opus tantum cōſilij, quia tantum meruit per actum ea ratione, qua procedebat ex animi præparatione, quæ non ad præceptum, ſed ad conſilium, duntaxat ſpectabat. Obedientia autem, niſi magna cum improprietate loquamur, non in opere conſilij, ſed in obſeruantia ſolum præcepti reperitur. At qui negaret Chriſtū per obedientiæ actum ſui nominis exaltationem promeruiſſe, contradiceret Paulo ad Philip. 2. Expreſſis verbis ſupra citatis, cōtrarium aſſerenti. Et qui diceret, quod per obedientiam nobis non meruit Chriſtus ſupernaturalia gratiæ dona, contrarius quidem eſſet eidē Apo. ad Rom. c. 5. cuius verba etiam adduximus ſuperius in iſto dubio.

Sed adeā iam tertia ſolutio, qua Authores huius plenariæ determinationis, & neceſſitatis voluntati Chriſti per præceptum inductæ, illud ſecundum principale argumentum ſe ſufficienter diſſoluere arbitrantur: aiunt enim, quod quamuis Chriſto impoſitum fuerit moriendi præceptum, non tamen eodem præcepto determinatæ illi fuerunt omnes circumſtantiæ, quæ ad ipſam præcepti adimpletionem, & obſeruantiam pertinebant. Non enim per præceptum fuit Chriſto determinatum quo fine, propter quæ motiua, quanta voluntas intenſione, quantoque conatu acceptare deberet moriendi præceptum, quoue tempore aut loco illud moriens adimpleret, ſed hæc omnia libero eius arbitrio fuerunt relicta, atque adeo licet Chriſtus non potuerit mereri in eo, quod acceptabat mortem ſibi præceptam quantum ad ſubſtantiam operis, meruit tamen quatenus acceptauit illam tali tempore ſubeū dam, cum tanta intenſione & conatu, & propter talem finem, hæc omnia non cadebant ſub præcepto, ſed ad ipſam attinebant humanæ voluntatis libertatem.

Quod ſi quis contra hanc ſolutionem arguat in hunc modum. Ex ea ſequitur Chriſtum formaliter non meruiſſe per actum obedientiæ, & per obſeruātiam præcepti diuini. Conſequens aduerſatur ſcripturæ ſacræ, quæ multis in locis meritum Chriſti circa noſtram redemptionem obedientiæ Chriſti adſcribit, vt in loco citato ad Ph. 2. *factus obediens, &c.* Reſpondent, quod quamuis in operatione, qua Chriſtus mortem ſibi præceptam acceptauit, quantum ad eius ſubſtantiam non per ſe primo reperiretur libertas, ſed tota libertatis ratio ex circumſtantijs deſumeretur, ſimpliciter tamen libera fuit ipſa mortis præceptę acceptatio etiam ſecundum ſubſtantiam. Quoniam libertas, quę proueniebat ex circumſtantijs & ex modo operationis, in eius refundebatur ſubſtantiam. quatenus voluntas Chriſti ſub illis circumſtantijs, & ſub tali modo, & non aliter ſe applicuit ad illam efficiendam actionem ſecundum totam eius ſubſtantiam, & entitatem. Adhibent exemplum in amore beatitudinis in communi conſideratæ, qui licet neceſſarius ſit quo ad ſpecificationem, quia tamen voluntas liberè ſe ad eius exercitium applicat, ſimpliciter eſt liber etiam quantum ad ſubſtantiam.

Hæc ſolutio bonam præſeferret apparentiā, ſi verum eſſet id, quod præſupponit, puta, omnes circumſtantias, quæ concurrunt in obſeruantia præcepti, nullatenus ad ipſum pertinuiſſe præceptum, ſed in humana Chriſti libertate fuiſſe poſitas, quod tamen eſt falſum, præſertim de temporis circumſtantia, quæ ad huius ſolutionis intentum maxime conferri poſſet. Vnde ſic arguitur aduerſus aſſignatam ſolutionem.

Circumſtantia temporis clauditur ſub quocumq. præcepto; ergo determinatum fuit per præceptum Chriſto de ſubeunda morte impoſitum, quod & tali tempore moreretur, & pro quo tempore mortem obeundam acceptaret: atque adeo ſi præceptum libertatem abſtulit; Chriſtus non liberè ſe applicuit ad actualem præcepti obſeruantiam, quia determinabatur tunc eius voluntas ad ipſum actuale præcepti adimplementum, neque poterat in aliud tempus differre. Antecedens verò probatur, & primum in communi de omni præcepto. Nam præceptum, quodcūque, vel negatiuum eſt, vel affirmatiuum. Si negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper, id eſt, pro omni tempore. Si affirmatiuum; obligat pro tempore determinato, id eſt, quando adimplendi inſtat neceſſitas. Ergo circumſtantia temporis non relinquitur libertati eius, cui præceptū imponitur, ſed per ipſum præceptum determinatur. Præterea ſi in particulari loquamur de mortis præcepto, quo Chriſtus, vt homo, tenebatur, quis credat non fuiſſe adeo diuinaq. eius prouidentia tempus morti ſubeundæ plene deter-

terminatum? Quod non irrationabiliter colligi pōt ex illo Pau. ad Gal. 4. *at vbi venit plenitudo tēporis miſit Deus filiū ſuū factū ex muliere factūſub lege, vt eos, qui ſub lege erāt redimeret.* Plenitudo tēporis denotat tempus ex diuino præſcriptum conſilio. Et quidem ex hoc eodem loco manifeſtè etiam colligitur, quod circunſtantia finis, præſcripta quoque fuit ex diuinæ prouidentiæ decreto, neque humanæ Chriſti libertati relicta, nam ad hunc finem miſit Deus filium ſuum morti ſubiectum, & obnoxium, vt eos qui ſub lege erant ac totū humanum genus redimeret. Similiter quis credat, quod eius loci circumſtātia, in quo Chriſtus mortem erat perpeſſurus, humano conſilio humanaque libertate, & non diuina potius prouidentia fuerit diſpoſita? Certè ego non video, quænam aliæ circumſtantiæ extra vim præcepti fuerint relictæ, præter intenſionem, & extenſionem eius actus, quo Chriſtus ſubeundam mortem acceptauit, & aliæ fortaſſis minutiores, quæ in Chriſti Domini paſſione parum, aut ferè nihil ad humani generis redemptionem retulerunt. Inter quas nullatenus annumerandam eſſe cenſeo ipſam temporis circumſtantiam. Nā quod tunc iudęorum, & inimicorum hora eſſet, ac tenebrarum poteſtas, nō niſi ex ipſo ſpeciali diuinæ voluntatis conſilio prouenire potuit. Et cum tyrannis fuit deſuper data poteſtas, fuit ſimul Chriſto vt homini indicta præcepti neceſſitas; tunc enim inſtabat ei neceſſaria obedientiæ occaſio. At quis dicat, quod is qui neceſſitate compellitur, hic & nunc, tali loco, propter talem finē operari, liber maneat ad ſubſtantiam operis præcepti, eo quod ſua libertate adhibeat maiorem aliquem conatum eo, quam adhibere tenebatur? hoc enim non eſſet aliud quam confundere ſubſtantiam operis cum accidentaria ipſius conditione.

Præterea quamuis admitteremus omnem circumſtantiam humanæ Chriſti libertati fuiſſe conceſſam (quod neque verum neque probabile cenſeo) non adhuc tamen formaliter, & propriè loquendo dicere poſſemus, Chriſtum per obedientiam meruiſſe, & quod ob id meruit, quia Deo fuit obediens, vt dixit Paul. citatis in locis, quia reuera non meruit, quatenus obediens fuit, ſed quia eam adhibuit circumſtantiam, ad quam ex præcepto non tenebatur, & hoc negari nequit, quidquid fuerit de refuſione libertatis ad ſubſtantiam operis præcepti.

Secundo eandem ſolutionem ita impugnant, & ſuo iudicio expugnant efficaciter nonnulli graues Theologi, arguuntque in hunc modum. Ex ea ſequitur, quod ſi Deus impoſuiſſet Chriſto præceptum de ſubeunda morte, determinando omnes circumſtantias temporis, loci, finis intentionis, &c. (quod ſine dubio fieri potuit) in obſeruantia talis præcepti nullum interueniret meritum. Conſequens apparet abſurdū, nam qua ratione negari poteſt, quod actus à virtute obedientiæ profectus non eſſet in Chriſto meritorius? ergo illa ſolutio non euacuat vim argumenti. Hoc argumentum, vt dixi magnificant nonnulli graues Theologi, tamque efficax eſſe cenſent, vt conuincant ſententiam contrariam, non ſolum falſitatis, verum, & erroris in fide. At mihi iſtud argumentum non tantæ apparet efficaciæ, vt erroris nota propter vim eius, contrariam ſententiam debeamus inurere. Quoniam cum ſacræ literæ, quæ affirmant Chriſtum ex obedientia meruiſſe, non de poſſibili, ſed de facto loquantur, etſi admitteremus in caſu in argumento conficto, nullum poſſe reperiri obedientiæ meritum, nihil eſſet erroris in tali doctrina. Caſus enim de poſſibili ad Theologicam diſputationem potius, quam ad fidei veritatem ſpectat. Præterea argumentum illud probabilem habere videtur ſolutionem, poſſet namque dici, quod intenſionis circumſtantia non potuit in ſummo gradu conſtitui, vltra quem Chriſti voluntas non valeret aliquam intēſionem addere. Supponamus enim, quod intenſio actus non terminatur intrinſicè, ſed in infinitum poteſt creſcere ſincathegorematice, itaque non tanta eſſe queat, quin maior eſſe poſſit. Vnde ſi fingamus ex præcepto determinatum fuiſſe gradū intenſionis vt decem. adhuc potuiſſet Chriſtus mereri exercendo actum intenſum, vt duodecim: ergo nō debet admitti, potuiſſe fieri, vt omnes poſſibiles circumſtantiæ ſecundum omnem earum modum ſub neceſſitate præcepti conſtituerentur. Hæc ſolutio mihi olim non penitus diſplicebat, ſed re melius conſiderata, non euacuat vim argumēti: falſum eſt enim quod præſupponit, nimirum, operationis intenſionē poſſe in infinitum creſcere. Nam ſi ſupponamus virtutem charitatis aut obedientiæ, ex qua procedit ille actus habere intenſionem vt octo, humana Chriſti voluntas non poterit eidem actui maiorem adhibere intenſionem, quæ excedat gradum, vt 8. quia tota vis ex qua ille actus procedit, eſt illa duntaxat, quæ in virtute charitatis, vel obedientiæ reſidet, neque humana voluntas aliquem ex ſe ipſa poteſt in eiuſmodi ſupernaturali actione conatum adhibere, ſed tantum duntaxat conari valet, quantum eſt poteſtas, & vis infuſæ virtutis charitatis, ſeu obedientiæ, vel ſpecialis cuiuſpiā Dei auxilij, q̄ determinatā ēt volūtati vim confert. (Aliter fortaſſis eſſet dicendum ſi ſermo fieret de actione purè naturali, & proportionata naturali voluntatis humanæ poteſtati.) Vnde nulla eſt contradictionis implicatio, quod Deus ſummam intentionem, quam humana Chriſti voluntas poterat adhibere in actu obedientiæ ſub præcepto conſtitueret, neque quidquam refert, quod nonnulli Theologi dicunt, actus intenſionem non terminari intrinſecè, ſed extrinſecè. Nam primum exiſtimo hoc eſſe falſum, quando enim virtus ex qua procedit actus determinatam habet intenſiuam virtutem, & ad certum terminum, & gradum ſignabilem limitatam, nulla probabilis ſuadet ratio, quod in ipſo actu non poſſimus ſignare vltimum gradum intenſionis, quem valet pertingere. Charitatis autem ſeu obedientiæ virtutis humanæ voluntati infuſæ ſignabilis eſt gradus intentionis, ita quod verè poſſumus dicere charitatem, ſeu obedientiam intenſam eſſe, vt quatuor, ſeu vt decem, & quod nequit plus intenſionis ſuis actibus conferre, quicquid ſit de potentijs naturalibus, & earum actuum intenſione, de quibus in præſentia non diſſerimus.

Præterea, & ſi admittamus intenſionem actus extrinſecè terminari, ita vt verè dicatur, quod actus obedientiæ non poteſt peruenire ad intenſionem, vt decem, poteſt autem ad perfectionem aliam intra gradum, vt decem, & ſi hoc, inquam, gratis admittatur inde non colligitur non potuiſſe, ſumma actus obedientiæ intenſio ſub præcepto conſtitui. Nam

quæ

quæ eſt impoſſibilitas, quod præceperit Deus Chriſto: vt exerceret ſe in tali obedientiæ actu, qui attingeret omnem intenſionem infra gradum, vt decem poſſibilem, cum reuera Chriſtus id poſſet facere? Conſtat igitur ex dictis inſufficientia aſſignatæ ſolutionis, & quod argumentum factum, & ſi non erroris, apertæ tamen falſitatis conuincit tertiam illam ſolutionem ſecundo noſtro argumento aſſignatam. Quæ falſitas nonnihil etiam derogare videtur ſanæ doctrinæ, quæ docet omnẽ virtutis præſertim infuſæ actionẽ meritoriã eſſe ex ſuo genere dignã ſupernaturalis p̃mij, pręſertim ſi ex charitate procedat. Tãdẽ vltimo contra prædictam ſolutionem ſic arguo. Pręmium, quod ex ſacris litteris conſtat fuiſſe promiſſũ paſſioni Chriſti, & alijs eius actionibus, non circumſtantias, ſed ipſam paſſionis ſubſtantiam reſpicit. Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, &c.* Philip. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem. Propter quod eſt Deus exaltauit illum, &c.* Ecce nihil de circuſtantijs. ergo in ſubſtantia paſſionis meruit Chriſtus.

His ergo, & alijs ſolutionibus prætermiſſis. Vera ſolutio eſt illa, quæ communiter à S Thom. diſcipulis huic argumento adhiberi ſolet, nimirum, quod humana Chriſti voluntas fuit ſimpliciter, & in ſenſu diuiſo libera ad obediendum, vel non obediendum præcepto ſibi impoſito. At in ſenſu compoſito, & neceſſitate conſequentiæ, non potuit non adimplere omnia ſibi iniuncta præcepta, omnibuſque obtemperare mandatis, itaque non potuit ſtare, quod Chriſto imponeretur præceptum moriendi, & quod eius voluntas non acceptaret, & ſuo tempore non adimpleret. Sed aduerte, quod hæc neceſſitas ex ſuppoſitione non ita eſt accipienda, quod voluntas Chriſti antequam illi intimaretur moriendi præceptum libertatem haberet, qua poſſet mori, & non mori: Cæterum poſt impoſitum præceptum auferretur ab ea libertas, & maneret neceſſitata, & determinata totaliter ad acceptandum ipſum, eique parendum. Hæc enim neceſſitas tollit ſine dubio rationem meriti, vt patet in beatis, qui priuſquam viderent eſſentiam diuinam, liberi erant ad amandum, & non amandum Deum, ſed ſuppoſita viſione neceſſitatur eorum voluntas ad Dei amorem, quo actu nulla poſſunt ratione mereri propter hanc neceſſitatem. Quo circa hæc neceſſitas licet ſupponat aliquid, quod reuera extrinſecum eſt, & ſuperadditum, & toti homini, & naturali voluntatis ipſius inclinationi, non tamen appellatur à Theologis neceſſitas ex ſuppoſitione, ſed abſoluta, eo quod ſuppoſitione facta viſionis beatificæ in intellectu, & habitus charitatis in voluntate, continuò prouenit ab intrinſeca voluntatis inclinatione. Vnde neceſſitas ſuppoſitionis in noſtro caſu ita eſt intelligenda, quod poſito præcepto voluntas Chriſti non potuit non obedire, non quidem propter neceſſitatem prouenientem ex intrinſeca voluntatis inclinatione, & determinatione, nam etiam ſtante præcepto voluntas liberrimè acceptabat mortem, ſed tota neceſſitas proueniebat, partim ex magna voluntatis ipſius rectitudine, quem beatificus Dei diuinæque bonitatis amor in ea conſtituerat, partim verò, ex infallibili, & efficaci directione, & manutenentia diuina, quæ dirigebat humanam Chriſti voluntatem circa illius præcepti obſeruantiam. Sicut ſolent dicere Theologi de confirmatis in gratia, qui licet libertatem habeant ad peccandum, non tamen peccare poſſunt in ſenſu compoſito, propter infallibilem diuinæ prouidentiæ gubernationem, & directionem, efficacemque Dei manutenentiam.

Sed arguitur contra hanc ſolutionem, & probatur, quod illa neceſſitas, qua Chriſti voluntas neceſſitabatur ad obſeruantiam præcepti proueniret ab intrinſeco, atque adeo quod ab ipſa humanæ voluntatis Chriſti actione meritum penitus auferret. Et in hoc huius rei conſiſtit punctus: Neceſſitas ad non peccandum in Chriſti voluntate prouenit ab intrinſeco, tum ratione ſuppoſiti diuini, cui omninò repugnat peccatum, tum etiam ratione beatificæ charitatis, quæ ab intrinſeco neceſſitat Chriſti voluutatem ad amorem Dei. ergo neceſſitas ad obſeruantiam præcepti impoſiti proueniebat ab intrinſeco. Probatur conſequentia, quia tanta neceſſitas inerat voluntati Chriſti ad obſeruandum præcepta, quanta fuit neceſſitas non peccandi, etenim ſi non adimpleret præceptum peccaret.

Confirmatur. Eadem neceſſitate qua voluntas neceſſitatur ad volendum finem, neceſſitatur ad volendum media, quæ neceſſaria ſunt, vel ad finem conſequendum, vel ad conſequutum conſeruandum. Sed humana Chriſti voluntas neceſſitabatur intrinſecè ad amorem vltimi finis, qui conſiſtit in viſione, & dilectione Dei: Ergo ab intrinſeco neceſſitabatur ad volendum media, quæ ſunt neceſſaria ad conſeruationem huius vltimi finis. Sed obſeruantia huiuſmodi præcepti fuit Chriſiſto medium neceſſariũ ad beatitudinem conſeruandam: ergo, &c.

Ad huius difficultatis elucidationem in antiquioribus Theologis vix quicquam aliud reperimus expreſſum, præter id, quod dicit S. Thomas 3. p. q. 18. artic. 4. ad 3. nimirum, quod voluntas Chriſti licet ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc, vel illud bonũ, & ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, ſicut ad Beatos. Et ſimilia dicit Alexander Alenſis 3. par. quæſt. 16. membro. 2. art. 7. prope finem. Cæterum non explicant grauiſſimi iſti Theologi quo pacto humana Chriſti voluntas, aut voluntas cuiuſuis alterius beati ſe habeat erga illa opera, quæ per ſtrictum Dei præceptum eis fuerint iniuncta. Inter iuniores Theologos reperies quamplures, qui hanc difficultatem euadere ſe putant, & vniuerſis eius argumentis ſatisfacere per diſtinctionem illam vulgatam de ſenſu diuiſo, & compoſito, quam diſtinctionem (quæ nullatenus eſt improbanda) non aliter explicant quam quibuſdam adhibitus exemplis, quorum nonnulla nullam ferè habent cum noſtra difficultate ſimilitudinem, quia neceſſitas, quę in illis importatur nullatenus eſt intrinſeca voluntati, ſed ab extrinſeco tantum principio dimanans. Cuiuſmodi ſunt illa, quæ ex ſciẽtia, vel ex præſentia Dei petuntur. In quibuſdam verò alijs eadem ferè eſt difficultas, quæ in noſtro caſu verſatur, atq. ita offendens in horũ Theologorum doctrina, exempla illa quandoq. deſeruire præſenti noſtro difficultati elucidãdæ, qandoq. vero exẽplum ex præſenti difficultate. ſ. ex obedientia voluntatis Chriſti deſumptum,

vica-

vicariam opem ferre iis difficultatibus enodandis, circa quæ prædicta verſantur exempla, & hac reciproca exemplorum circulatione omnes huiuſmodi difficultates ſubterfugiunt. Nobis autē preſſius tantiſper libet præſentem hanc difficultatem pertractare, vt argumenta propoſita probabilem accipiant ſolutionem, quæ re ipſa potius quam verbis conſtet.

Igitur à confirmatione vltimo loco poſita rem iſtam inchoantes, non deſunt docti Theologi, qui dicant, quod efficax finis intentio voluntatem penitus determinat ad efficacem eorum mediorum electionem, quæ vel ex natura rei, vel ex ſuperaddito ſuperioris præcepto neceſſaria ſunt ad ipſam intenti finis aſſecutionem. Vnde ſi contingeret ipſam finis intentionem neceſſariam eſſe voluntati, ex naturaliq; eius determinatione, & nō ex libertate prouenire, talium mediorum electio, ſeu, vt verius dicā, acceptatio, eſſet quoq; ſimiliter neceſſaria. Quæ doctrina colligi poteſt ex his, quæ Chriſtus Io. 14. dicebat, *Si quis diligit me mandata mea ſeruabit*, quaſi diceret, efficacia dilectionis Dei, quæ eſt ipſa veri finis intentio, in obſeruatione mādatorum cognoſcetur, quia non poterit non ſe in eam explicare. Quod cōpendioſa oratione Gregorius in hunc modū dixit. *Probatio amoris, exhibitio operis eſt.* Cæterū, inquiunt hi Theologi, ꝙ amor finis iam aſſecuti, quālibet ipſe neceſſarius ſit, & ſumme efficax, nullam inducit determinationem, & neceſſitatem volūtati ad aliquot media eligendum, ſeu acceptandum, eo quod fine conſequuto ceſſat tota mediorum neceſſitas.

Hanc tamen ſolutionem (niſi decipior ego) efficaciter expugnat illa confirmatio vltima, cuius tota vis ad hoc reducitur, quod cum, vt alius dicebat, nō minor ſit virtus, quam quærere parta tueri, non minor efficacia ponenda eſt in illa finis volitione, quę fertur in ipſum vt acquirendū per media, quam in ea, quæ eundem reſpicit finem, vt conſeruandum, & tuendū. Vnde ſi intentio finis acquirendi determinationem infert, & neceſſitatem voluntati erga media, quæ neceſſaria ſunt finis aſſecutioni ſola etiam præcepti neceſſitate, eadem omnino, niſi forſan maiori ratione, concedendum eſt, quod efficax volitio finis conſeruandi & tuendi, qualis & in voluntate Chriſti, & in volūtate cuiuslibet beati reperitur, ſimilem infert determinationem, & neceſſitatem voluntati ad amplectendum ea media, quæ ad finis habiti conſeruationem & tuitionem ſimpliciter ſunt neceſſaria, vndecumque illa neceſſitas proueniat, etiam ab impoſita ſuperioris lege. Hæc argumentatio apud me eſt omnino efficax, & plane inſolubilis. Quare ab hac prima ſolutione tantiſper recedentes alia tendamus via, quæ forſan in præcedentis ſolutionis explicationem cedet.

Dico igitur ſecundo. Latum diſcrimen verſari inter finis intentionem quam habemus in via, & quam ipſum vt acquirendum reſpicimus, & inter illū eiuſdem finis amorem, quo ipſum beatus diligit in patria, ipſoque poſſeſſo fruitur. Intentio namque finis acquirendi eſt actio libera voluntatis, & cuius proinde efficacia ab ipſa voluntatis libertate pendet & in ipſa radicatur (ſuppoſita tamen eleuatione per charitatem facta) libertati autem voluntatis, & efficaciæ intentionis ex ipſa prouenienti omnia media ad finem aſſequendum neceſſaria ſubijciuntur, vndecunque eorum oriatur neceſſitas, ſiue ex connaturalitate ad finem intentum, ſiue ex præcepto extrinſecus appoſito. Vnde efficax intentio finis voluntatem determinat ad omnium huiuſmodi mediorum volitionem. Cæterum amor finis habiti, & conſequuti, qui in cuiuſuis beati voluntate reperitur, efficaciam ſuam non ex libertate voluntatis, ſed ex naturali ipſius voluntatis, ſeu vt verius dicam, ſupernaturalis charitatis inclinatione, & propenſione deſumitur: ex qua ſane charitatis inclinatione prouenit affectus ille conſeruatiuus Dei iam habiti, qui Canticorum cap. 3. his verbis exprimitur, *tenui eum neq; dimittam*. Efficacia vero volitionis, & amoris finis ex naturali tantum charitatis propenſione orti, ſeu quod idem eſt, ex naturali inclinatione voluntatis, vt eleuatæ per ſupernaturalem charitatis habitum, nō ſe extendit niſi ad ea tantum media, quorum neceſſitas non ab extrinſeco præcepto, ſed ex connaturalitate ipſorum mediorum ad finem prouenit. Quoniam determinatio quam circa media infert voluntati prædicta finis volitio, tota eſt regulanda per ipſam charitatis naturalem propenſionem. Quocirca talis efficacia non extenditur ad ea neceſſaria media, quorum neceſſitas oritur ab extrinſeco, nimirū, à lege ſuperioris poſitiua, & ab aliquo ſuperaddito præcepto: præceptum enim etſi moralem neceſſitatem inducat, & rem præceptam in ſpecie virtutis conſtituat. V.G. ieiunium in ſpecie virtutis abſtinentiæ, cultus diei feſtiui in ſpecie religionis, &c. Non tamen conſtituit naturalem proportionem, & connaturalitatem inter huiuſmodi rem præceptam, & ipſum finem, ipſamque charitatis virtutem.

Qua ſuppoſita doctrina dico, quod humana Chriſti voluntas (& eadem eſt ratio de quacunque beatificata voluntate) ab intrinſeco neceſſitatur ad non peccandum, & ad non violandum præceptum Dei, ſumendo formaliter violationem, & tranſgreſſionem præcepti. Quoniam hæc determinatio voluntatis Chriſti, & neceſſitas ex ipſa naturali charitatis inclinatione prouenit: charitas enim patriæ tam neceſſitat voluntatem, & determinat ad non offendendum Deum, quam ad ipſum amandum.

Cæterum ad obſeruantiam mandatorum, quæ ex lege poſitiua proueniunt, & circa eam materiam verſantur, quæ non habent intrinſecam connaturalitatem cum ipſa charitate, & Deo, prout eſt ſummū bonum, vltimusque rationalis creaturæ finis, non conſtituit omnimodam determinationem, neque infert totalem neceſſitatem ipſi voluntati. V. G. non determinat voluntatem ad ieiunandum, vel ad aliud opus ſimile faciendum, quod longè diſtat à ſtatu beatifico, & à neceſſaria connexione cum vltimo fine per beatam viſionem aſſecuto. Quo fit, vt poſito præcepto moriendi pro humani generis redemptione, humaná Chriſti voluntas determinabatur ad dilectionem Dei, quem nulla ratione, vel odio habere, vel offendere poterat: nullatenus tamen determinabatur conſimili neceſſaria determinatione ad acceptandam mortem ſibi præceptam, ſed libera ſimpliciter, & ſpontanea voluntate ipſam acceptauit. Sicuti vt dicebamus ſuperius, ipſammet Dei bonitatem, quatenus eſt ratio amandi creaturas, non neceſſario, ſed libero proſequebatur amore. Ex quo libero diuinæ bonitatis amo-

re proceſſit volitio acceptandi mortem, & parendi Deo in alijs huiuſmodi præceptis, ſi quæ Chriſto fuerunt impoſita.

Ex his ſequitur, quod neceſſitas, quæ reperiebatur in illa Chriſti volitione, qua Patris præceptum de morte pro humano genere ſubeunda acceptauit, neceſſitas quidem fuit ex ſuppoſitione, ſcilicet, præcepto ſuppoſito, ſic adeo quod erat manifeſta implicatio, quod Pater præciperet Chriſti mortem pro humani generis redemptione, & quod ipſe Chriſtus eam non acceptaret. Sequeretur enim illud magnum inconueniens in ſecundo principali argumento, eiuſque confirmatione inſinuatum, nempè, quod Chriſtus Deum offenderet, ipſumque odio haberet, & quod ipſum ſimul ſuper omnia diligeret beatifico charitatis amore: ſed tamen hæc neceſſitas acceptandi mortem non ab intrinſeco, vt diximus, oriebatur, quia alias eſſet neceſſitas ſimpliciter, & meriti rationem deſtrueret, ſed ab extrinſeco proueniebat, etſi fundamentum magnum haberet in ipſa intrinſeca voluntatis diſpoſitione, quatenus Deum ſuper omnia diligebat, & id quidem neceſſario amore, ex naturali charitatis propenſione orto, cui impoſſibilitas peccandi intrinſecè erat annexa.

Sed adhuc nos quiſpiam vrget moleſtiſſimo argumento, cuius difficultatem in confirmatione ſecundi argumenti inſinuauimus, quæ in hoc potiſſimum ſita eſt, quod non valet intellectus capere qua ratione iſta cohereant, ſcilicet, quod voluntas Chriſti ſit penitus, & ab intrinſeco determinata ad non offendendum Deum, & ad non tranſgrediendum, & violandum eius mandatum, & tamen quod non ſit determinata conſimili determinatione, ad acceptandā mortem ſibi præceptam, cum ipſa non acceptatio mortis ſit offenſio Dei, & formalis tranſgreſſio diuini præcepti.

Cui difficultati (cuius ſolutionem audirem libentius quam dicerem) ne omnino ſuccumbam, dicendum arbitror, quod cum naturæ, naturaliſque inclinatio ad vnum ſit penitus determinata, ſitque proinde inuariabilis, ſi alicui formali rationi, ad quam formaliter ſumptam voluntas naturali inclinatione fertur aliqua extrinſeca ſupponatur materia per legem, & præceptum præſcripta, ſicut ante hanc ſancitam legem voluntas non inclinabatur naturaliter ad materiam illam, ita neque poſt latam legem, eo quod naturalis inclinatio inuariabilis eſt, & ad vnum, vt dixi, ſemper eſt procliuis, & determinata. Voluntas autem beati, & propter apertam, & facialem diuinæ bonitatis oſtenſionem, ex qua mouetur, & dirigitur ad ipſum Deum ſummum bonum amandum, & potiſſimum propter ipſam charitatis ei infuſæ naturalem propenſionem, & inclinationem determinatur, ac plane neceſſitatur ad Deum ſuper omnia diligendum, & ad obſequendum eius voluntati, quæ in diuinis præceptis explicatur, Et non offendendū ipſum Deum eius violando legem, atque adeo determinatur ad poſitiuam cuiuſcumque diuini præcepti obſeruantiam, ſi formalis ratio diuini præcepti, & in abſtractione ab hac, vel illa materia, conſideretur.

Cæterum ad particularem hanc, vel illam materiam, quæ ſub diuino præcepto iniungi poteſt, non eſt omnino determinata: Quo ſit, vt tali præcepto poſito voluntas naturaliter determinata maneat ad non violandum ipſum, formaliter conſiderata diuini præcepti violatione, non tamen manet determinata ad materialem eius actionem, ſicut neque ad ipſius materiam. V. G. ad mortem acceptandam, ad ieiunandum, & ad alia ſimilia, quæ ex ſeipſis non habent connaturalitatem, & neceſſariam connexionem cum virtute charitatis, & cum ipſo fine vltimo, in quem naturalis propenſio ipſius charitatis tendit. Vnde Chriſti voluntas quamlibet fuerit per beatificam charitatem determinata ad amandum Deum ſuper omnia, & ad non violandum eius præcepta: Imo, & ad ipſorum obſeruantiam, & implementum, conſiderata formali præcepti ratione, ſimpliciter tamen manebat libera ad acceptandum præceptam ſibi mortem, & ad non acceptandum.

Et licet illa rectificatio, quæ ipſi voluntati inerat circa finem nullatenus eam permitteret deficere circa mortis præceptæ acceptationem, vel circa quamuis aliam ſibi præceptam materiam, quia tali ſtante voluntatis defectu, deficeret & ipſa voluntatis Chriſti circa finem rectitudo, quæ cum ſit omnino neceſſaria, vtpote, ex naturali charitatis inclinatione proueniens, impòſſibilis eſt eius defectus. Quamuis, inquam, talis rectitudo circa finem non permitteret Chriſti voluntatem deficere circa quamcunq; præceptam materiam, minime tamen poſſet ipſam voluntatem totaliter determinare ad bene operandum circa materiam illam extraneam præcepto, legeque præſcriptam, eo quod naturalis inclinatio voluntatis etiam vt eleuatæ per charitatem non attingit materiam huiuſmodi, ſed eligeret illam libero quodam ductu, liberaq; electione, Infallibili tamen, & quæ proinde neceſſaria eſt ſecundum quid, & ex ſuppoſitione duntaxat, & ea tantum neceſſitate, quæ ſufficit ad ſaluandam huius conſeqnētiæ bonitatem. Voluntas Chriſti non potuit peccare, ergo non potuit non acceptare mortem ſibi præceptam. Quæ ſane conſequentia bona eſt, quia licet antecedens ſit ſimpliciter neceſſarium, conſequens vero ſit ſimpliciter contingens, & liberum. In nullo tamen caſu ſtante antecedentis veritate, poterit conſequens falſificari. Ita quod aliquando ponatur in eſſe, quod voluntas Chriſti non acceptet mortem ſibi diuino iniunctam præcepto.

Vnde in hac conſequentia propoſita diſtinguat Theologus eius conſequens, vtens illa vulgata diſtinctione de ſenſu diuiſo, & compoſito, negetque illud in ſenſu diuiſo, quia importat neceſſitatem ſimpliciter, & concedat in ſenſu compoſito, qui neceſſitatem tantum ſecundum quid, & ſuppoſitionis denotat, quæ neceſſitas ſufficiens eſt, ad illius cōſequentiæ bonitatem.

Præſupponenda namque eſt in hoc loco ea doctrina, quæ ſolet tradi 1. par. q. 14. art. 13. quod ad bonitatem conſequentiæ nihil inconuenit, ꝙ antecedens ſit ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium, & quod conſequens ſit ſimpliciter contingens, dum tamen induat aliquam ſuppoſitionis neceſſitatem, cuius ratione nunquam poſſit falſificari ſtante antecedentis veritate, vt contingit in hac conſequentia, quæ poſſet fieri tempore Chriſti paſſionis inſtanti. Chriſtus

dixit

dixit Petro, *Ter me negabis*: ergo Pertus ter erat Chriſtum negaturus. Antecedens enim cum eſſet propoſitio de præterito ſimpliciter erat neceſſarium, conſequens vero ſimpliciter contingens. Sed induebat tamen ſuppoſitionis neceſſitatem ex Dei præſcientia, ex ipſaque prophetica Chriſti prædictione ortam, cuius ratione, ſtante antecedentis veritate minime poterat conſequens falſificari. Ita ergo in præſentia dicendum eſt, quod ſtante rectitudine voluntatis Chriſti circa Deum ſummum bonum & vltimum finem, non poterat contingere defectus circa actionem aliquam ipſi Chriſto per diuinum præceptum iniunctam.

Sed adhuc rogas, vtrum eſſet neceſſaria extrinſeca aliqua Dei prouidentia, & cura ſpecialis, qua Chriſti voluntatem efficaciter manuteneret, & infallibili gubernatione dirigeret, ne ab huiuſmodi præceptorum deficeret obſeruantia. An vero ſatis fuerit ad hanc infallibilitatem, & neceſſitatem ſuppoſitionis inducendam intrinſeca voluntatis Chriſti circa finē rectificatio, ille videlicet charitatis amor, quo ſumma cum propenſione, & determinatione ipſum Deū ſuper omnia diligit

Reſpondetur hoc ſecundum mihi videri probabilius, eo quod prædicta circa finem voluntatis Chriſti rectitudo, cum ſecum non poſſit admittere defectum circa materiam præceptam, & ex alia parte ſit inclinatio ad finem vltimum, ex quo tanquam ex prima regula pendet tota moralis rectitudo, ſufficiētiſſima fuit, & ad applicandum intellectum practicum ad omnia iudicia infallibili præceptorum obſeruantia neceſſaria, & ad ipſam voluntatem inclinandā, & propendendam, vt ſumma cum ſuauitate prędicta practica infallibiliter ſequeretur iudicia, abſq; vlla moralis defectionis admixtione.

Cum vero nos ſuperius inſinuauimus infallibilē, & ex ſuppoſitione neceſſariam præceptorum obſeruantiam ex prouidentia Dei extrinſeca, & ſpeciali eius directione fore penſandam. Conſiderabamus Chriſti voluntatem, non tam vt rectificatā per amorem charitatis beatificæ ipſi voluntati intrinſecum, quam vt coniunctam diuino verbo, in ipſoq; ſuppoſitatam, nam talis coniunctio non mutat intrinſecā voluntatis inclinationem, atq; adeo voluntas verbo vnita (ſi beatificam charitatem ab ea ſecludamus) extrinſeca ipſius verbi prouidentia, eaque ſpecialiſſima egeret, vt infallibiliter diuinis obſequeretur præceptis, & in ſummo moralis rectitudinis contineretur officio. At beatifica charitatis rectificatione in Chriſti voluntate poſita non oportet ad huiuſmodi ſpecialem prouidentiam verbi & curam recurrere, vt infallibilis ſit in ipſa Chriſti voluntate omnium diuinorum præceptorum obſeruantia. Imo & ſufficiens quoque eſt, vt eadem Chriſti voluntas in omnibus diuinæ voluntati efficaci ſemeripſam conformet, ſecluſa etiam præcepti obligatione, ſed id tamen liberæ & ſpontaneæ atque adeo meritoriæ. Quod ſi quis contendat neceſſarium quoque fore ad ſpecialiſſimam Dei prouidentiam, & curam recurrere, non admodum ei repugnauerim. Dum tamen ſimul, qui ita ſenſerit, fateatur. Quod Deus in ſenſu compoſito neceſſitatur ad huiuſmodi ſpecialem prouidentiam de beatificata voluntate gerendam, ne deficiat aliquandò ab huiuſmodi præceptorum totali adimplemento. Nam alias ſequeretur illud intolerabile abſurdum ſuperius explicatum, nempè quòd voluntas & ſummè diligeret Deum, & ipſum ſimul offenderet. Quod eſt re ipſa, diligere, & non diligere ſimul.

Quod diximus de Chriſti voluntate beatificata, proportionabiliter eſt dicendum de voluntate cuiuſcunque beati, quamuis diuerſa ſit omnino, & abſimilis ratio, quod attinet ad meritum. Nam Chriſti voluntas viatrix erat iuxta modum ſuperius in hoc dubio expoſitum, & ob id meriti fuit capax, quod tamen locum non habet in voluntate cuiuſcunque alterius beati.

Hæc dicta ſunt ſatis probabiliter, vt apparet, ad ſecundi principalis argumenti ſolutionem, quam non erit difficile ex dictis colligere, ſimulque ſolutionem confirmationis ibi appoſitæ, & cuiuſdam alterius argumenti cum ſua confirmatione, cuius occaſione hæc fere omnia diximus. Nam ad hæc, & ſimilia argumenta reſpondendum eſt, quod illa determinatio, & neceſſitas voluntatis Chriſti ad diligendum Deum ſuper omnia, & ad non violandum eius præcepta, ſed ſeruandum potius, induxit voluntati Chriſti neceſſitatem ſuppoſitionis ad moriendum, ad acceptandumque mortem ſibi præceptam, non vero neceſſitatem ſimpliciter, quæ meritoriam aufert poteſtatem.

DVBITATIO APPENDIX.

Num in obſeruatione mandatorum legis naturalis Chriſti Domini voluntas neceſſario ſe habuerit.

SEd vt tractationem iſtam ſuis numeris abſoluamus, non libet tacito diſſimulare ſilentio difficultatem, quæ ex tacita doctrina ſuboriri poterit. Nam ſequitur ex his, quæ dicebamus, quod Chriſti voluntas neceſſario neceſſitate ſimpliciter obſeruaſſet omnia mandata iuris naturalis, quibus, vt in ſecundo diximus notabili, Chriſtus tenebatur, ac proinde, quod in eorum obſeruantia nihil meruit apud Deum. Conſequens non videtur admittendum, quia tunc non meruiſſet per humilitatem, qua ſeipſum coram Deo humiliauit, nam obligatio humilitatis ad Deum non iuris eſt poſitiui, ſed legis eſt naturalis, & in ordine naturæ, & in ordine gratiæ. Connaturalitatem enim habet, & cum rationali natura, & cum ipſa inclinatione gratiæ. At Paulus ad Philippen. 2. verbis illis ſæpè citatis, *Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c.* nominis Chriſti exaltationem, quam loco præmij ipſe Chriſtus poſt ſuam mortem accepit, ad humilitatis meritum reuocauit: ergo, &c. Sequelam autem ſic probo. Omnia præcepta iuris naturalis connaturalem habent & intrinſecam connexionem cum vltimo fine, & cum rectitudine charitatis circa ipſum finem, continent enim hæc præcepta neceſſariam rectitudinem moralem, ob quam cauſam iuxta S. Thom. doctrinam 1. 2. quæſt. 110. ar. 8. indiſpenſabilia ſunt, ergo Chriſti voluntas ex ipſa inclinatione charitatis determinata fuit omnino ad horum præceptorum obſeruantiam, ſi tradita à nobis doctrina veritati conſenſit.

Sententia quorundam.

HVic difficultati explicandæ dicerent forſan Authores cuiuſdam ſolutionis, quam paulo ante retulimus, quod naturalis legis præcepta ſunt quidem neceſſaria connaturalitatis neceſſitate ad finem vltimum aſſequendum, & hac ratione efficax finis amor, quem intentionem vocamus, determinat omnino, & neceſſitat voluntatem ad horum præceptorum obſeruantiam. At fine iam conſequuto ceſſat iſta neceſſitas, atque adeo ipſa efficax finis volitio minime voluntatem determinat ad horum præceptorum obſeruationem. Veruntamen iſta ſolutio à me probari non poteſt, quoniam licet hæc præcepta ex parte materiæ conſiderata poſt finem conſequutum, & in ſtatu beatitudinis neceſſaria non ſint quo ad actualem vſum, neque ibi occurrat actualis ipſorum obſeruantiæ neceſſitas, eorum tamen rectitudo, & æquitas eandem ſemper connaturalitatem retinent in ordine ad vltimum finem, eandemq; proinde continent moralem rectitudinem: atque adeo eorum obſeruantia ſi quando in illo ſtatu neceſſaria fuerit, ad inclinationem charitatis naturalem pertinebit. Miſſum facio, quod morales virtutes licet in ſtatu beatifico non exeant in eos imperfectos actus, quos experimur in hoc imperfecto viæ ſtatu, habent tamen actus quoſdam perfectiſſimos, quos vocamus heroicos, qui illum ſtatum beatificum non ſolum nō dedecent, ſed magno illi ſunt ornamento. Et quidem cur in dubium reuocari debet, quod beatus iure naturali in illo ſtatu teneatur humilem ſe Deo, & reuerentem exhibere, de quo humilitatis actu quem in Chriſto conſtat fuiſſe diſputandum erit, num ipſe penitus fuerit neceſſarius, an liber & meritorius.

Reſponſio Authoris.

HAc ergo ſolutione prętermiſſa, aliter dicendum eſſe cenſuerim (ſub peritiorum tamen cenſura id dixerim, nam quem ſequar authorem non habeo.) Dico ergo non eandem habendam eſſe rationem de Chriſto, & de cæteris beatis, quod attinet ad rem cuius diſputationem gerimus. In alijs enim omnibus à Chriſto, exiſtimo ego prædictum argumentum conuincere, quod intendit, puta, quod ſi quando alicui beato præceptum aliquod Iuris naturalis ſeruandum occurrerit, ita quod neceſſitas ex nulla poſitiua oriatur lege, ſed ex naturali tantum rationis dictamine, ipſa beati voluntas naturali propenſione, & determinatione in talis præcepti obſeruantiam inclinabitur, neque vllum relinquet libertati locum, ac proinde nec merito, præſertim, quod attinet ad ſubſtantiam obſeruationis præcepti, nam ſi quæ circumſtantiæ occurrerint non neceſſariæ, poterit inde, & libèrtas oriri, & niſi ſtatus termini impediret, poſſet quoque meriti ratio conſurgere. In Chriſto autem ſpecialis eſt habenda ratio pro eo ſtatu, quo verè fuit viator.

Ad cuius diſcriminis intelligentiam obſeruandum eſt, quod diuina bonitas beatifica viſione cognita inde habet omnino voluntatem beati neceſſitate ad actualem ſui amorem, quia intellectus beati tantam, ac talem in Deo bonitatem, & conuenientiam intuetur, quod nullam inuenire poteſt in ipſo diſconuenientiæ rationem, ob quam poſſit iudicare ſibi bonum eſſe, & expediens ab actuali Dei amore aliquando ceſſare, & multo minus eum odio habere. At ſuppoſito, quod Chriſtus ſecundum inferiorem partem fuerit viator in ſtatu mortali, & corruptibili perſeuerans, & ſi per viſionem beatam iudicauerit euidenter Deum ſummum bonum eſſe, ſummoque proinde amore dignum, & quod nihil ſatius homini, aut optabilius eſſe poſſit, quam ipſo Deo potiri, & frui, ac totum ſeipſum in Dei gloriam tradere: Iudicabat nihilominus, quod ea ratione qua Deus ſuperior eſt, & legislator aliquo modo minus conueniens eſſet parti eius inferiori, quatenus, & vt author naturæ, & vt author gratiæ præcepit ei multa, quæ portioni hominis inferiori minus ſuauia ſunt, quam ipſa ſenſibilis inclinatio appetat. Imo, & reuera ſunt ei nociua, & contraria qualia fuerunt præcepta moriendi, orandi, ieiunandi, &c. quæ omnia rationi quidem valde conſentiunt, ſenſitiuæ autem inclinationi parum grata ſunt, & conuenientia.

Ex hoc infero, quod quia Chriſtus his incommodis ſenſibilibus fuit ſubiectus toto tempore, quo in ſtatu viæ permanſit, eius voluntas plenè, & totaliter determinabatur ad amplectendum, & obſeruandū ea præcepta legis naturalis, quorum obſeruantia ſenſitiuæ eius portioni ingrata erat, & inſuauis, & ex conſequenti neque plenè determinata fuit ad ipſum Deum amandum, qua ratione harum legum author erat, & legislator, nam qui poteſt legem refugere, non eſt totaliter legislatori affectus, vt ipſi nequeat diſplicere. Relinquebatur ergo Chriſto viatori libertas ſufficiens ad merendum.

Sed arguis. Sequitur Chriſtum ſimpliciter ſaltem & in ſenſu diuiſo potuiſſe ſuſpendere amorem diuinum, beatificum, imo & odio proſequi ipſum Deū, & hoc quidem non ſpeciali aliqua diſpenſatione, & ſupernaturali miraculoſa potentia viens, vt quidam Theologi dixerunt, quantum ad ſuſpenſionem actualis amoris, quorum ſententia nobis ſuperius diſplicuit, ſed ſecundum regularem ordinem, qui ſtatum viatoris per ſe conſequitur. At conſequens nulla eſt ratione admittendum: ergo noſtra doctrina non veritate ſubſiſtit. Probatur ſequela. Intellectus Chriſti creatus potuit reperire in Deo aliquam mali, & diſconuenientiæ rationem, quatenus, videlicet, ei præcipiebat aliquid ſuæ ſenſibili inclinationi repugnans: ergo potuit illum hac ratione auerſari, & odio habere, quid ni?

Neganda eſt omnino huius argumenti ſequela. Cuius probationi dicitur, quod Chriſtus ſecundum ſuperiorem partem ad quam pertinet ſuperiores rationes attendere, & cōſulere, ſicut fuit perfectiſſimè beatus, ita & voluntatē habuit plenè, & totaliter ad diuinū amorem affixam, & determinatam, & quia nunquam potuit Chriſtus animum à ſuperioribus rationibus, earumq; attentiſſima conſideratione auertere, ſecundū quas rationes Deus ſummè bonus eſt, idcirco ſummè quoque bonus à Chriſto debuit iudicari: & non ſolum ſummè bonus in ſeipſo, verum & ipſimet Chriſto bonus, ac ſummè bonus, etiam in his difficillimis, & laborioſiſſimis, quæ ei vt viatori

præci-

præcipiebat, ac proinde dilectionis actus beatificus, qui huiuſmodi ſuperioris rationis iudicium in Chriſto ſequebatur, non potuit non eſſe omnino neceſſarius, & exercitij, & ſpecificationis neceſſitate.

Cum quo tamen ſtat, quod voluntas Chriſti vt viatoris, ideſt, quatenus in ſuis operationibus ſequebatur iudicium inferioris rationis, non erat plenè determinata ad amorem diuinum, ſed libera erat ad refugiendum eius leges, & præcepta, propter rationem in arguméto facto adductam. Cui veritati ſummoperè atteſtatur id, quod in ſcripturis ſacris de Chriſto legimus, nimirum, quod acerbitate mortis præuiſa quandoque perterritus Patrem orabat dicens, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*. Quibus verbis inclinationem non ſolum ſenſitiui appetitus, ſed & rationalis voluntatis inſinuaſſe, prout inferioribus regulabatur rationibus, docuerunt nos Patres Concilij ſexti Conſtantinopolitani. Legatur Epiſtola Agathonis, à Concilio ſumma veneratione ſuſcepta in quarta actione, vbi reperies grauiſſimos Patres Athan. Ambroſ. Auguſt. & alios ad hanc teſtimonij huius intelligentiam. Sed quoniam tota inferior Chriſti portio tandem ſubiecta erat ſuperiori parti, quæ neque per latum vnguem ab ipſa Dei voluntate diſcrepabat. Idcirco cōtinuo Chriſtus ſubiūxit, *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*. Igitur de libertate voluntatis Chriſti circa naturalē præceptorum obſeruantiam proportionabiliter loqui debemus, ad ea, quæ de libertate in ipſo Chriſto, & in reliquis beatis circa præcepta poſitiua diximus. Nimirum, quòd licet voluntas non plenè determinata eſſet ad horum præceptorum obſeruationem, quatenus per iudicium inferioris rationis dirigebatur, ſed tamen deficere haudquaquam potuit, propter ſummam rectificationem ſuperioris portionis, & rationis ſuperioris, cui omnia inferiora in Chriſto ſubijciebantur pleniſſimè.

Eſt autem aduertendum, quod ad huius doctrinæ verificationem non neceſſe fuerit recurrere ad diſtinctionem ſupra factam, de duplici charitatis amore, quorum alter per ſcientiam beatam, & alter per infuſam ſcientiam regularetur, ſed de vno, & eodē prorſus charitatis actu, qui beatificam cognitionem ſequebatur, iſta quæ diximus verificari poterunt. Nam prout ipſamet beata cognitio, ea quæ per Chriſtum in obſeruatione præceptorum tum legis naturalis, tum poſitiuę gerenda erant, referebat ad inferiorem, & ſenſitiuam portionem, cauſas conuenientiæ, & diſconuenientiæ proponens, non plenè determinabat voluntatem, neque ad ipſorum præceptorum obſeruantiam, neque ad ipſius Dei legiſlatoris amorem. Vnde locum relinquebat ipſi dilectionis actui, vt hac ratione liber eſſet ſimpliciter, ac proinde meritorius, & hoc eſt, quod dixit S. Thom. locis ſuperius citatis, quod non meruit Chriſtus per charitatem, vt erat charitas comprehenſoris; ſed inquantum erat viatoris. Neque fuit ſollicitus S. Doctor in diſtinguendo illo gemino charitatis actu inter ſoluendum primum argumentum à nobis expoſitio, quia iudicabat minime neceſſariam eſſe talem charitatis diſtinctionem ad Chriſti meritum ſtatuēdum. Non tamen quia iſta dixerim, exiſtimandum eſt me reprobare prædictam charitatis diſtinctionem, quam ſuperius probabilem reputaui, ſed tantum aſſero eam neceſſariam non eſſe ad ſaluandum Chriſti meritum. Et hæc de ſecundi argumenti ſolutione.

§. 9. *Soluitur tertium argum. principale.*

TErtium argumentum magnam à nobis diſputationem efflagitaret, vt infinitatem meritorum Chriſti exponeremus, niſi multa, quæ de infinitate ſatisfactionis Chriſti præcedenti articulo diximus, nos ab hoc onere leuaſſent. Nam quæ ibi dicta fuere de ſatisfactionis infinitate, termino ſatisfactionis in vocem meriti immutato huic loco penitus ſunt accommodanda. Sed adhuc nonnulla erunt adijcienda, vt completa habeatur cognitio de infinitate meritorum Chriſti.

De qua re non omnes Theologi eadem dicunt. Quidam enim arbitrantur Chriſti meritum infinitum fuiſſe, non ex parte obiecti, ita quod ius Chriſto contulerit ad aliquod infinitum præmium, ſed tantum ex parte modi, quatenus illud finitum præmiū, quod meruit Chriſtus, meruit ex toto iuſtitiæ rigore. Nec enim potuit eſſe meritum finitum in ratione meriti, cui reſponderet coram Deo rigoroſum ius, & quod potuit facere merenti præmium debitum ex totò rigore iuſtitiæ. Adduntque hi Theologi, quod modus hic iuſtitiæ rigoroſæ, qui in Chriſti merito reperiebatur, ad eius refundebatur præmiū. Ita quod præmium debitum ex iuſtitiæ rigore, & ſi eſſet ſimpliciter res finita, induebat tamen formalem infiniti præmij rationem. Poteſt huic doctrinæ accommodari id, quod in alio ordine, nimirum, naturæ S. Thom. 1. p. q. 45. ar. 5. ad 3. dixit contigiſſe. Videlicet, quod infinita primæ cauſæ virtus, licet non ſe explicuerit in tota rerum huius vniuerſi creatione in aliquem infinitum effectum, explicuit ſe tamen in modum quendam, qui proprius fuit infinitæ potentiæ, ſic adeo vt nullus effectus quamlibet imperfectus, & minime entitatis potuit ſub iſto modo ab alia quacunque produci cauſa, præterquam à prima omnium vniuerſaliſſima. Fuit modus iſte, quod creaturæ ex nihilo, ex nulloque ſubiecto præſuppoſito producerentur. Hic modus dicendi improbabilis non eſt, verum diminuta quadam ratione infinitatem Chriſti meritis tribuit, vnde quia parum extollit meritum Chriſti, eiuſque excellentiam, & valorem, non ſatis nobis gratus eſt, neque libet eum, vt probabiliorem amplecti.

Alij quidam Theologi dicunt, Chriſti meritum infinitatem quoque habuiſſe ex parte obiecti, ideſt, ex parte præmij, eam tamen, inquiunt, non habuit actu, ſed poteſtate. Itaque non meruit Chriſtus aliquod determinatum infinitum præmium, verum tantæ fuit excellentiæ meritum Chriſti, tantiq; valoris, vt quodcunque ſignatum præmium, minus cēſeri debeat, quam ſit valor, & dignitas ipſius meriti.

Cenſentque Authores iſti, quod ſicut diuina potentia infinita quidem eſt ſimpliciter in ratione potentiæ, infinitaque virtute, actu, & cathegorematicè pollet, non tamen ſe poteſt explicare aliquando in aliquem infinitum effectum, qui totam ipſius potentiæ virtutem adæquet, nam hoc repugnat ex parte facti, quod eſt omnino infactibile, ſed ſatis eſt ad oſtendendam diuinæ potentiæ infinitatem, quod in-

finitos ſincathegorematicè valeat effectus producere, ſic adeo, quòd non tot efficiat, quin plures facere queat, ita proportionabiliter de infinitate meriti Chriſti theologantur, videlicet, quod meritum in ſe actus eſt infinitus in ratione meriti, non tamen actu applicari pòteſt in infinitum præmium, quod ei adæquatè reſpondeat, ſed quocumque præmio dato, ad aliud & maius perfectius applicari poteſt. Hic tamen dicendi modus multis alijs diſplicet Theologis, & id quidem iure, quia non eadem eſt ratio habenda de infinitate meriti, quæ habetur de infinitate potentiæ naturalis Dei. Non enim de ratione potentiæ eſt, quod actualem habeat aliquam cum ſuo effectu cõiunctionem, ſed ſatis fuerit, quod illum virtute, & poteſtate præhabeat, & id quidem multo altiori, & eminentiori modo, quam in ipſo effectu exprimi poſſit. Effectus namque perfectius, & eminentius eſt in ſua cauſa, præſertim ſuprema, quam eſſe poſſit in ſemetipſo. At meritum actualem importat æqualitatem ad præmium, actualeque ius ad ipſum, vnde præmium adæquatè reſpondens merito, determinatum eſſe debet, quoniam cadit ſub iure ipſius meriti determinato. Nam qui meretur, ius ſibi acquirit ad præmium ſuſcipiendum. Et ſicut ius determinatum eſſe debet, ita neceſſum eſt, & præmium ſit determinatum, vt ſeruetur æqualitas inter meritum, & præmium. Præterea, ex contraria ſententia ſequitur concedendum, quod plus meruit Chriſtus, quam poſſit Deus pręmiare, cõſequens videtur magnam præſeferre abſurditatem. Nam quamuis Chriſti meritum ſit infinitum, eius tamen infinitas determinata eſt ad certum genus, imo ad certam ſpeciem. Potentia autem Dei præmiatiua omnimoda pollet infinitate, ad omneque ſe extendit genus: eſt enim ipſamet Dei omnipotentia prout legibus iuſtitiæ remuneratiuæ ſe accommodat: ergo, &c. Sequela vero probatur. Authores huius ſecundæ ſententiæ fatentur Chriſtum infinitum præmium meruiſſe, ſed Deus non poteſt præmium infinitum Chriſto reddere, quia non eſt dabile infinitum pręmium: ergo, &c. Quo loco aduertat Theologus, vt ea, quæ hic dicuntur plenius calleat, quod non eadem omnino eſt ferenda ſententia de infinitate præmij, quam ſuperius tulimus de meriti infinitate: meriti enim, vt diximus, infinitas non eſt in eſſe entis abſolutè, ſed in tali ſpecie morali determinata, eo quod valor meriti debet eſſe coarctatus ad moralẽ actionem. Infinitas autem præmij ad totum genus entis ſe extendit. Nam quodlibet ens in ratione entis poteſt cadere ſub merito, & habere rationem præmij.

Non deſunt graues Theologi inter iuniores præſertim Thomiſtas, qui partim huic ſecundæ opinioni adhærent, exiſtimantes, quod ad rationem infiniti meriti non eſt neceſſe, quod illi reſpondeat actu infinitum præmium, ſed ſat fuerit, quod reſpondeat in potentia, ita quod ipſum opus meritorium dignum ſit præmio infinito, & in hoc caſu fatentur Chriſtum infinitè meruiſſe, eiuſque meritum fuiſſe infinitum, in quo conſentiunt ſecundæ opinioni. In eo tamen ab ea recedunt, quod exiſtimant Deum potuiſſe retribuere Chriſto infinitum præmium, quòd adæquaret totam latitudinem infinitatis meritorum eius. Quod faceret, inquiunt, Deus, ſi in remunerationem meritorum Chriſti Pater, aut Spiritus ſanctus fieret homo, ſeu Angelus: nam hoc beneficium infiniti eſſet valoris, ſicut à principio huius relectionis dicebamus, gratiã vnionis, quæ facta fuit Chriſti humanitati in incarnationis myſterio ſimpliciter fuiſſe infinitam. Hoc ſecundum, quod dicunt ij Theologi, in quo à ſecunda ſententia diſſentiunt, mihi nullatenus diſplicet, ſed non placet eorum opinio quatenus conuenit cum illa ſecunda opinione, & eiſdem prorſus argumentis expugnatur.

Tertia igitur ſententia docet, quod meritũ Chriſti ſimpliciter eſt in ratione meriti infinitum, & quod Chriſtus infinite meruit, ac denique quod de facto ſuſcepit infinitum præmium, nimirum, ſui corporis reſurrectionem: quæ beneficium fuit ſimpliciter infinitum, quatenus diuinum verbum toti integræ humanitati ex anima, & corpore conſtanti diuina fuit virtute reunitum. Aliud etiam infinitum præmium alij aſſignant, ſcilicet, exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento, nam terminus tranſubſtantiationis, ſaltem per concomitantiam, eſt ſimpliciter infinitus: diuinitas enim verbi verè per concomitantiam reperitur ſub ſacramentalibus ſpeciebus cõtenta, ità in Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3. Hęc ſententia non mihi diſplicebat olim, ſed iam non placet propter duas cauſas. Prima, quoniam in reſurrectione non fit ſimpliciter communicatio diuini verbi ad humanitatem, nam in triduo mortis, verbum vtrique humanitatis parti vnitum permanſit, cuius oppoſitum integra fide dici nequit, vt 3. par. q. 50. a. 2. & 3. ſolet oſtendi, ergo ibi non fuit communicatum bonum infinitum, ſed nouus quidam modus communicationis, nimirum, quod verbũ partibus ſeparatis communicatum, maneret etiã toti humanitati communicatum ipſis partibus vnitis.

Confirmatur, totum nouum miraculum reſurrectionis in ſola ipſa partium humanitatis reunione conſiſtit: nam quod verbum humanitati ex illa reunitione partium reſultãti cõmunicaretur, ipſiq; maneret vnitũ, fuit conſequens ad ipſam reunionẽ partium quaſi naturali ſequela: cum enim eſſet vnitum partibus ſeparatis, quomodo non permaneret vnitũ eiſdem partibus coniunctis? Neq; vero aliud erat neceſſum, vt toti vniretur humanitati, cum totum non ſit realiter aliud quam ſuæ partis ſimul ſumptæ.

De Sacramento Euchariſtiæ multo etiã minor eſt difficultas, quia conuerſio ſubſtantię panis non in diuinum verbum, ſed in humanum corpus fit. Diuinitas autem eſt ibi per realem concomitantiam. Vnde non maiorem virtutem in Deo operante exigebat, quam ſi fieret conuerſio in corpus puri hominis. Quocirca tam in hoc caſu, quam in præcedenti re ipſa totũ opus miraculoſum ex parte termini formalis fuit finitum, quia in priori caſu formalis terminus fuit humanitatis reintegratio, & in ſecundo ipſum Chriſti corpus ſecundum rationem corpoream. Et cum natura cuiuslibet mutationis iudicanda ſit ex primario, & formali ſuo terminos abſolutè cõcedendum eſt vtramque iſtam mutationem non eſſe ſimpliciter infinitam, etſi in vtraque aliquid ſimpliciter infinitum reperiatur.

Secunda ratio ob quam huic ſententię non tantã arrogo fidem eſt huiuſmodi. Si reſurrectio Chriſti

fuit

Digitized by Google

fuit præmium ſimpliciter infinitum, quod Chriſtus pro ſuis ſuſcepit meritis, ſequitur, quod per ſolam reſurrectionem fuit totum Chriſti meritum plenè, & exactè præmiatum, ita vt nihil plus ei debeatur. Conſequens eſt ſalſiſſimum, & non in fide ſecurum, ne dicam manifeſtè erroneum. Nam certè erraret in fide, qui diceret, quod gratia & gloria, quæ vniuerſis confertur hominibus, non habet rationem præmij meritorum Chriſti. Concilium enim Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. inter cauſas iuſtificationis impij Chriſtum retulit, dixitque eum cauſam eſſe iuſtificationis meritoriam: ergo, &c. Sequela patet, nam ſi illud præmium fuit ſimpliciter infinitum in ratione præmij, fatendum eſt, quod ad æqualitatem reſpondit merito Chriſti: Ergo Chriſtus accepit tunc totum id, quod erat ei debitum: atque adeo totum aliud, quod poſtea recipit, non reſpondet eius meritoriæ iuſtitiæ, cui iam plenè fuit in reſurrectione ſatisfactum: Sed ipſi ſolius Dei liberalitati & gratiæ. Non latet me ſolutio, qua probabiliter diſſolui poteſt iſta ratio. Nam qui contrarium ſenſerit, ita dicet. Quod omnia, quæ ſunt extra Deum comparatione ad ipſum ferè nihil reputantur, & ſolam extenſionem in perfectione addunt, intenſionem vero illam nullam. Vnde meritum, quod tantum valorem obtinet, vt ipſum diuinum eſſe, loco præmij mereatur, nihil mirum, quòd eius meritoria vis ad quæcunque creata ſe extendat bona. Quo fit, vt Chriſtus potuit ſuum meritum applicare, vt loco præmij reſponderet ei diuinum eſſe humanitati communicatum, vt gratiam, & gloriam, & reliqua ſupernaturalia bona conferret hominibus, & hoc totum pertineat ad Chriſti præmium. Probabilis ſolutio. Sed ex eius fundamento colligo ipſe probabilem facti argumenti vim, quę in hoc ſita eſt, quod cum diuinum eſſe ſit totum & ſummum bonum, ſufficientiſſimum pretium eſt cuiuſuis magni meriti, & quod ſolo ipſo accepto præmiatur meritum totaliter, ſecundum etiam, quod ſe extendit ad creaturas, & facit debita ipſi mereti quęcunque bona creata.

Quarta ſententia docet, quod ad rationem meriti non ſatis eſt valor operationis, & condignitas ad pręmium, ſed præterea requiritur, quod vel formaliter, vel virtualiter detur propter præmium ſuſcipiendum, ita quod operans operetur in cõmodum præmiatoris, intendens ab eo ſuſcipere debitum præmium ſuo operi proportionatum. Ex quo infert iſta ſententia, quod Chriſti meritum, eatenus duntaxat habuit veram & propriam meriti rationem, quatenus fuit applicatum à Chriſto merente ad certum præmium ſuſcipiendum. Ex quo vlterius inferunt eius authores, quod Chriſti paſſio ea tantum ratione eſt propriè meritũ, qua eſt efficax in his quibus meruit, ſecundum autem, quod fuit tantum meritoria quoad ſufficientiam, in his videlicet, in quibus nunquam ſortietur effectum, nõ eſt verè & propriè meritum, quia deeſt illi applicatio ad præmium ſuſcipiendum, non enim fuit applicata pro his, in quibus effectum non ſortietur, & ob id reſpectu eorum ſufficientiam quidem habet Chriſti paſſio, non vero efficaciam, quod colligitur ex illo, quod dicit Chriſtus, Ioan. c. 17. *Ego pro eis rogo, non pro mundo.* Hanc ſententiam docet expreſſe Ruardus Taper Decanus Louanienſis in articulo de ſatisfactione.

Hæc tamen ſententia mihi non ſatis probatur, quantum ad id, quod ait, Chriſti paſſionem, non debere propriè appellari meritum, ſecundum eam rationem qua tantum eſt ſufficiens, comparatione, ſcilicet, ad eos, in quibus efficaciam non ſortietur. Non enim mihi bene ſonat dicere, quod Chriſtus nõ meruit niſi tantum prædeſtinatis, cum pro toto humano genere paſſus fuerit, & mortuus: Quod tamen neceſſario dicendum eſt, ſi hanc quartam ſequamur ſententiam. Quia ſi operatio Chriſti non fuit verè, & propriè meritum reſpectu eorum, in quibus non habebit effectum, non poteſt dici, quod Chriſtus his hominibus meruerit, atque adeo concedendum eſt, quod ijs ſolum meruit, in quibus eius paſſio efficax erit.

His omnibus opinionibus prætermiſſis, quintam ſententiam ſtatuo, quam omnibus probabiliorem eſſe crediderim, & dico duo, in quibus hæc ſententia conſiſtit. Primum. Ad veram, propriamq; meriti rationẽ non ſufficit valoris condignitas ad præmiũ, ſed neceſſaria eſt etiam applicatio operis meritorij ad certum præmium ſuſcipiendum. In hoc primo aſſerto hæc noſtra ſententia cum præcedenti conuenit; & conſtat eius veritas ex dictis circa ſecundam ſententiam, quibus probauimus meritum non ſe habere ad modum actiuæ potentiæ, ſed importare ius actuale ad pręmium determinatum. Ita vt qui meretur opere ſuo meritorio faciat ſibi debitum præmium, iuſque habeat ad ipſum, quod fieri nequit ſine applicatione operis meritorij ad certum præmium merito proportionatum.

Ex quo ſequitur primo, quod ſi deeſſet actualis hæc applicatio, adſintque cæteræ conditiones ad meritum requiſitæ, talis operatio erit quidem ſecundum ſe apta, vt habeat meriti rationem, non tamen erit formaliter meritum propter applicationis effectum.

Sequitur ſecundo, quod Chriſti paſſio, & ſi ex ſe apta nata fuerit, vt eſſet meritum reſpectu incarnationis Patris, & Spiritus ſancti, non tamen formaliter fuit meritum reſpectu incarnationis huius, quoniam Chriſtus non applicuit paſſionem ſuam ad hoc præmium pro ipſa ſuſcipiendum.

Dices, non fuit meritum formaliter reſpectu huius præmij, fuit tamen meritoria. Reſpõdetur, quod aliquam operationem meritoriam eſſe, æquiuocationem patitur, nam ſi ſenſus fiat, quod ex ſe tantum habet valorem, vt ex hac parte nõ deſit ei ratio meriti, concedendum eſt Chriſti paſſionem meritoriã eſſe præfati pręmij, ſed hoc non eſt eſſe meritoriam formaliter, ſed fundamentaliter tantũ. Si vero fiat ſenſus, quod habet eam meriti rationem, quæ abſq; aliquo alio ſufficit fundare ius meritoriũ, nullo modo eſt concedendum, quod ſit meritoria, quia ſemota applicatione prædicta nequit Chriſti paſſio, aut alia quæuis actio ius meritorium fundare, atque adeo non debet dici formaliter meritoria, ſed tantum fundamentaliter.

Dico ſecundo Chriſti paſſio, & ſecundum quod eſt efficax in prædeſtinatis, & ſecundum quod pro omnibus eſt ſufficiens, veram habet, & propriam rationem meriti, & quidem infiniti, fuitque applicata pro infinito præmio ſuſcipiendo. Huius aſſertionis difficultas multa egebat & explicatione, & probatione,

tione, niſi poſſet lector recurrere ad ea, quæ articulo præcedenti de infinitate, & æquiualentia ſatisfactionis Chriſti diximus. Nunc autem id breuiter explicandum eſt, quid ſit illud infinitum præmium, ad quod ſuſcipiendum Chriſtus ſuam paſſionem quantum ad omnem eius ſufficientiā applicuerit. Et breuiter dico iuxta ea, quæ de ſatisfactione dicebam, quod illud fuit præmiū, & quidem infinitum, quod eius paſſio exponeretur omnibus hominibus tanquam ſufficiens remedium pro omnibus ipſorū peccatis, & tanquàm vniuerſaliſſima quædam medicina cunctis ea vti volentibus parata, omnem habens medendi virtutem, & ad omnes infirmos ſanandos idonea, & vt ſufficientiſſimum medium quo poſſent omnes ad æternam peruenire ſalutem ſi velint, Ita vt ſint in medio Eccleſiæ aperti fontes ex quibus quicunq; voluerit poſſit haurire aquas ſaluatoris, aquaſque ſalutis, quarum qualibet gutta in bibente *fiet fons* magnus *aquæ ſalientis in vitam æternam*. Vti Samaritanæ mulieri Chriſtus dixit Ioan. 4. Et quidem magnum & eximium præmium fuit paſſionis Chriſti, quod Deus ipſam acceptauerit vt hunc locum in Eccleſia Dei eius virtus obtineat. Ita vt quicunque voluerit & primam & vltimam ſalutem ad manum habeat paratam, ſi Chriſti paſſione vti voluerit. Reuiſat lector, quę de ſatisfactione Chriſti diximus. Nam ex his, & ex illis ſimul collectis integrā accipiet rei huius reſolutionem, deciſionemque huius dubitationis exactam.

Tandem eſt aduertendum, quod in Chriſti merito proportionabiliter eſt in omnibus loquendum ad ea, quæ de Chriſti ſatisfactione articulo præcedēti dicebamus, & quantum ad eſſentiam iuſtitiæ ſaluandam, & quantū ad infinitatem, ac denique quantum ad ipſum iuſtitiæ rigorem. Ita quod meriti ſubſtantia ex humanitate deſumatur, prout vtraque gratia & vnioni, & habituali dignificatur, & eleuatur: nam ſi humanitas purè conſideretur, capacitatem tantum ad meritum, & ſatisfactionem potuit conferre Chriſto, non vero formalem ſatisfactionis ac meriti rationem. Meritorius autem infinitus valor à diuino verbo, prout eſt humanitatis ſuppoſitum deſumebatur, non ſolum in ratione valoris infiniti præciſè, ſed cum illa determinatione, & contractione, quam explicat illa vox, meritorius. Non enim valor infinitus meritorius Chriſti, ſecundum quod meritorius, à ſola eius humanitate originabatur, quamuis & neceſſarium fuit, quod reciperetur in operatione humana, & ab humanitate elicita, ſed potiſſimum deſumebatur ab ipſo verbo vt humano ſuppoſito, nimirū, vt à terminante perſonaliter humanitatem, & ſimul cum humanitate elicitiuè concurrente ad eius humanas actiones. Vnde ſicut valor ſatisfactorius Chriſti infinitus, vt ſuperius diximus, non totaliter procedebat ex his, quæ cōmunia ſunt verbo vt ſatisfacienti, & ſatisfactionem acceptanti, ita neque valor meritorius aſſumptus fuit ex cōmunibus verbo, vt merenti, & vt præmianti. Quoniam valor meritorius, vt meritorius, non pertinet ad verbum, vt eſt præmians, ſed vt eſt merens. Ex quibus ſequitur, quod Chriſtus meruit infinitè non abſolutè vt homo, ſed vt Deus homo: Sicuti etiam ſatisfecit. Ex quo rurſus ſequitur, falſam eſſe quorundam Theologorum ſententiam, aſſerentium, quod Chriſtus quatenus infinitè meruit, eſt inferior patre. Quod ipſi probant, quia Chriſtus vt redemptor eſt inferior patre, ſed redemit nos Chriſtus per meritum infinitum, & ſatisfactionem infinitam: ergo vt infinitè meruit, infinitèque ſatisfecit minor eſt patre. Et confirmant. Chriſtus in quantum mediator Dei, & hominum minor eſt Deo, vt ex S. Th. 3. p. q. 26. ar. 2. colligi poteſt. Sed in quantum mediator meruit infinitè, atque infinitè ſatisfecit: ergò vt infinitè meruit inferior eſt Deo.

Sed his nihilominus non obſtantibus prædicta ſententia eſt falſa. Eſſet quidem vera, ſi ſequeremur modum illum dicendi quorundam Theologorum à quo non longe recedit Magiſter à Medina 3. par. q. 26. ar. 2. in 2. expoſit. dubij. Videlicet, quod ſola humanitas meruerit, & ſatisfecerit infinitè, quamuis hoc habuerit ex gratia vnionis. Nam ſi perſona verbi non intrat formaliter in ratione merentis, & ſatisfacientis infinitè, veriſſimum eſt, quod Chriſtus prout meruit infinitè eſt minor Patre, cæterum ſi vera eſt noſtra ſententia, quam etiam Mag. Medina (niſi ſibi ipſi repugnet) docet expreſſè, videlicet, quod non ſola humanitas formaliter pertinet ad rationem merentis infinitè, ſed etiam ipſum verbum, ita quod ſicut ſubſtantia meriti ex humanitate per gratiam vnionis & habitualem eleuata formaliter ſumitur, ita & infinitas meritorij valoris ex ipſo verbo penſetur, modo dudum expoſito, minimè affirmari poterit Chriſtum, quatenus infinitè meruit, & ſatisfecit inferiorem eſſe Deo, quia in ratione merentis, & ſatisfacientis infinitè, intrinſecè clauditur Deus. Verum eſt, quod ſimul includit aliud, ſcilicet, humanitatem, ex qua meriti ſubſtantia pendet, cuius ratione inferior eſt Deo. Sed hoc non ſatis eſt, vt abſolutè dicatur minor Deo. Quemadmodum licet Chriſtus formaliter importat humanitatem, cuius ratione eſt inferior Deo, quia tamen intrinſecè diuinum etiam importat verbum, hæc propoſitio, Chriſtus eſt inferior Patre, eſt hæretica, Arianam inuoluens hæreſim. Ad motiua contrariæ ſententiæ facilè reſpondetur. Ad primum, nego omnino illam propoſitionem Chriſtus vt redemptor eſt inferior Patre, Nam in ipſa eſſentiali redemptionis, ratione includitur infinitas pretij, & ſatisfactionis, eatenus enim Chriſtus verè nos redemit, quatenus infinitum & rigoroſum pretium Deo pro noſtra libertate exſoluit, neque alias redemptor eſſe poterat: Exoluit autem Chriſtus hoc infinitum pretiū, quatenus fuit Deus & homo. Ad aliud de mediatore, dico, quod ſi mediator abſolutè ſumatur, nihil aliud importat, quam interceſſor, nullam infinitatem deſignat in ſua formali ratione, nā purus homo poſſet hoc modo mediatoris officium exequi. Cæterum ſi mediator ſtrictius accipiatur, vt denotat mediatorem, qui efficaciter obtinuit, & ex iuſtitiæ rigore veniam his pro quibus apud Deum intercedebat, mediatoriſq; agebat officium, idipſum de mediatore dico, quod nunc de redemptore dicebam. Nimirum, quòd fuit mediator, vt homo Deus. Quāuis formalis ratio ex qua mediatoris potuit Chriſtus officium exequi, nō diuinitas eſt, ſed humanitas, vt S. Tho. & Caiet. docuerunt 3. p. q. 26. ar. 2.

SE-

SECTIO II. DVBITATIO II.

ARTICVLVS TERTIVS.

Num Chriſtus ſuam meruerit incarnationem.

POſtquam præcedenti dubitatione definitum, & explicatum dedimus Chriſtum verè meruiſſe, eiuſque meritum infiniti eſſe meritorij valoris, ipſa doctrinæ ratio, & cõſequentia poſtulat, vt mox examinare tenemus, quid Chriſtus meruit, quidq; ſibi, quidue nobis meruerit. Quæ res tribus ſequentibus dubitationibus diligenter erit tractanda, & in hac dubitatione ſecunda diſputandũ eſt. Num Chriſtus ſuam meruerit incarnationem, ideſt, ipſam hypoſtaticam diuini Verbi cum noſtra humanitate vnionẽ.

§. 1. *Argumenta pro parte affirmatiua.*

AFfirmatiua ſententia ſic probatur. Primum argumentum deſumitur ex ſacræ ſcripturæ teſtimonijs. Apocalyp. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem*, &c. At diuinitatem in ipſa incarnatione Agnus, qui occiſus eſt, ideſt, Chriſtus accepit. Ad Philip. 2. *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ*, &c. Hoc autem nomen Chriſto datum, nõ eſt aliud, quã illud, de quo Paul. ad Hebr. 1. dicebat de Chriſto, quod *tanto melior eſt Angelis effectus, quanto differentius nomen præ illis hæreditauit*: quod ſi à S. Paulo quæramus, quodnam fuerit illud, quod Chriſtus hæreditauit nomen, quaſi nobis reſpondens, mox ſubiunxit. *Ad quem enim aliquãdo Angelorũ dixit Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ecce nomen datum, Chriſto eſt nomen Filij Dei. Hoc autem nomen in ipſo incarnationis momento datum Chriſto fuit, quæ incarnatio generationis nomine appellatur à Paulo in verbis citatis, & a Regio Propheta pſal. 2. ex quo Paul. prædicta verba ſumpſit. Accedit illud pſ. 44. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vbi omni dubio procul de Chriſti vnctione fit ſermo, vt cõſtat ex Paulo ad Hebr. 1. hoc teſtimonium ad Chriſtum referente. Eſtq; valde probabile, vt cõſtat ex teſtimonijs ſuperius adductis in q. 1. dub. 1. hanc vnctionem, deſignare ipſammet diuini Verbi incarnationem, ſeu, quod eſt idem, ipſam vnionis gratiam, qua ipſa Chriſti humanitas vncta fuit ſubſtantiali quadam diuina vnctione. Sed hanc vnctionem accepit Chriſtus propterea quod iuſtitiam dilexit, & odio habuit iniquitatem, vt habetur in præcitato teſtimonio, vbi dictio, *propter*, meritoriam videtur importare cauſalitatem; ergo &c.

Secundum argumentum. Chriſtus potuit mereri ſuam incarnationem, ergo de facto meruit. Conſequentia patet. Quia quod Chriſtus meruerit incarnationem ſuam, in magnam eius dignitatem cedit: ergo ſi potuit mereri, irrationabiliter denegabitur Chriſto hæc tanta dignitas. Antecedens vero probatur primò. Chriſti meritum fuit infinitum: ergo eius virtus, & valor extendit ſe ad incarnationem: atque adeo Chriſtus illam potuit promereri. Secundò probatur. Humanitas Chriſti prius ordine naturæ extitit, quàm hypoſtatica vnione diuino copularetur Verbo: ergo in illo priori naturæ potuit mereri hypoſtaticam vnionem. Videtur hæc conſequentia manifeſta, ſi ſupponamus, quod in illo priori naturæ humanitas fuit exornata habituali gratia, & ceteris ſupernaturalibus donis. Et hoc adhuc erit certius, ſi in illo priori naturæ humanitas nõ propria extitit exiſtentia, ſed per ipſam exiſtentiã Dei, vt ſenſit Durandus in 3. d. 1. quęſt. 2. cũ quibuſdam alijs Theologis. Probo autem antecedens. Chriſti humanitas prius natura fuit creata, quàm aſſumpta ad diuinam Verbi ſubſiſtentiam, nam cum ibi interuenerint duæ iſtæ mutationes (ſumimus latè mutationis nomen) ſcilicet, productio humanitatis, & hypoſtatica eius vnio ad Verbum, & fuerit ordo aliquis inter ipſas, nõ poteſt negari quin creatio rationalis animæ, & totius humanitatis productio præceſſerint aſſumptionem, & nõ econtra. Implicat enim quod prius aſſumatur natura ad eſſe perſonale Verbi, quã creata ſit, & producta. Sed creatio terminatur ad eſſe rei creatæ, ſeu, quod idem eſt, ad rem ipſam ſub eſſe exiſtentiæ cõſtitutam: ergo humanitas prius natura fuit conſtituta ſub eſſe exiſtentiæ, quam fuerit Verbo hypoſtaticè vnita.

Confirmatur. Poſſibile fuit, quod Chriſtus per opera quæ ſubſequuta fuerunt incarnationem, meruerit ipſam: ergo poſſibile fuit prædictum meritũ: atque adeo non eſt Chriſto denegandum. Probatur antecedens. Non impedit rationem meriti, quod ſit poſterius præmio, nam Chriſtus meruit gratiam, & gloriam antiquorum Patrum, quæ multo tempore ipſa Chriſti merita præceſſerunt, ſatiſq. fuit quod in diuina præſcientia antecederent Chriſti merita, ex quorum præuiſione Deus contulit Patribus gratiã, & gloriam: ergo ſimiliter Chriſtus potuit mereri ſuam incarnationem per opera, quæ poſt ipſam incarnationem fuit operatus, & ſatis eſt horum operum præceſſio in diuinæ mentis præſcientia.

Tertium argumentum. Chriſtus de facto meruit ſuam reſurrectionem: Ergò eadem ratione potuit mereri ipſam incarnationem, atque adeo ne quid perfectionis merito Chriſti detrahamus, concedendum eſt de facto meruiſſe. Antecedens libenter admittitur à Theologis. Et conſequentiã probo, quia tantum bonum fuit cõmunicatum humanitati per reſurrectionem Chriſti, quantum per ipſius incarnationem: ergo eadem eſt ratio vtriuſque præmij, & ſi Chriſti meritum ad vnum ſe extendit, etiam ad aliud ſe potuit extendere.

Quartum argumentum. Si qua ratio veroſimilis aſſignari poteſt, ob quam Chriſtus ſuam incarnationem non meruerit, ea potiſſimum eſt, quod omnia eius merita fundabantur tanquam in prima merendi radice in ipſa diuini Verbi incarnatione: ſed hæc ratio non ſufficit auferre rationem meriti à Chriſti operibus reſpectu incarnationis ipſius: ergo, &c. Minor, in qua ſita eſt tota argumenti difficultas, probatur. Antiqui Patres meruerunt ſaltem de congruo, incarnationem Chriſti Domini, vt conſtat ex doctrina S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 11. quam communiter amplectũtur Theologi, de qua dicemus ſolut. ad vlt. Sed eorum merita innitebantur Chriſti incarnationi, eiuſq; paſſioni, & morti, vt habet fidei doctrina. Quia non eſt datum nobis aliud nomen ſub cœlo,

in

in quo oporteat nos ſaluos fieri, vt dixit Petrus Act. c. 4. ergo prædicta ratio nõ obſtat merito Chriſti cõparatione ad ipſam diuini verbi incarnationem.

Confirmatur. Beata Virgo meruit de congruo, imo de condigno incarnationem Chriſti, & tamen eius meritum in Chriſti incarnatione, & paſſione fundabatur, & in ipſis Chriſti meritis à Deo in æternitate præuiſis. Ergo prædicta ratio non obſtat. Probatur antecedens. Beatiſſima Virgo meruit de condigno eſſe matrem Dei. ergo & meruit incarnationem Dei: nec enim aliter ipſa mater Dei eſſe poterat, niſi diuinum verbum ex eius puriſſimis ſanguinibus carnem aſſumeret humanam.

§. 2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum eſt, quod meritum debet antecedere præmium, ſed omnia Chriſti merita poſteriora fuerunt eius incarnatione: ergo Chriſtus nõ meruit incarnationem ſuam, hypoſtaticamque diuini verbi vnionem cum humanitate.

§. 3. *Notanda pro quæſt. intelligentia.*

IN hoc dubio, quòd attinet ad factum nulla inter catholicos opinionum reperitur diuerſitas: vniuerſi enim fatentur in 4. diſt. 4. & Thomiſt. 3. p. q. 2. ar. 11. Chriſtum nullateous ſuam incarnationẽ promeruiſſe: cuius oppoſitum docuerunt Fotiniani hęretici, aſſerentes Chriſtum Dominum per bona opera ſuam meruiſſe diuinitatem. Huius hæreſis meminit S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 11. & 4. contra gentes cap. 28. vbi grauiſſimis ea & ſcripturæ teſtimonijs, & Theologicis rationibus confutat, & euertit. Tota ergo cõtrouerſia Theologica in hac difficultate verſanda de poſſibili procedit, dum quidam arbitrantur non fuiſſe poſſibile, ſecundum abſolutam Dei potentiã, quod Chriſtus ſuam meretur incarnationẽ. Alijs vero e contra opinãtibus. Sed & hi non eadem omnino via procedunt, num eorum nonnulli cenſent, quod per opera ipſam incarnationem præcedentia potuit Chriſtus, ſi abſolutam potentiã attendamus, ſuam mereri incarnationẽ, nonnulli vero non Chriſto, ſed eius humanitati iſtud antecedens meritum concedunt. Denique alij hoc vtrumque negant eſſe poſſibile. Cenſent tamen poſſibile fuiſſe, quod Chriſtus operibus ſequentibus, quæ vel tempore, vel natura fuerunt incarnatione poſteriora ipſam potuit mereri. In his, & alijs inter ſe diſſentiũt graues Theologi, quæ in huius dubitationis diſcurſu a nobis erũt adnotanda.

Pro deciſione ergo difficultatis huius. Supponenda eſt fidei veritas, quæ aduerſus antiquiores hæreticos grauiſſimis Conciliorum, & Patrum diffinitionibus conſtat, nempè, ꝙ Chriſti humanitas, aut eius partes, vna excepta materia prima, vel pura, vel conſtituta ſub gradu formæ corporeo (hoc enim non ad fidem, ſed ad philoſophicam diſputationem ſpectat) non extiterunt prius tempore, quam diuino verbo fuerint vnitæ, ſed in eodem inſtanti, quo anima fuit creata, fuit etiã verbo coniuncta, & in eodẽ inſtanti, quo Chriſti caro fuit caro humana, fuit etiam caro Chriſti, & Dei. Vide in Cõcil. Epheſ. 1. Cõſtantinop. 5. in Lateranenſi ſub Martino I. & in alijs Concilijs, & Patrũ decretis, in quibus damnantur errores Neſtorij, Petri Conſtantinopol. Epiſc. Fotini, & aliorũ hæreticorũ, qui diuerſis modis Neſtorij, & eius hæreſi in Conc. Epheſino damnatæ adhæſerunt. Ex hac fidei veritate, illud conſectarium manifeſtè deducitur, quod certa etiam eſt fide credendum, videlicet, Chriſtum, aut eius humanitatem non prius tempore meruiſſe diuini verbi incarnationem, quam ipſa in rerum natura facta extiterit, quia neque Chriſtus, neq; eius humanitas, neq; aliqua eius pars formaliter ſumpta ipſi præextiterunt incarnationi ſecundum aliquam temporis prioritatem: quod ſi non præextiterunt, neq; prius tempore meruerunt. Hoc ſuppoſito fundamento prima ſtatuitur concluſio.

§. 4. *Prima concluſio.*

CHriſtus non meruit incarnationem, neq (quod idem eſt) vnionem diuini verbi cum humanitate. Hanc concluſionem nonnulli Theologi, quibus annumerandus eſt Medin. 3. p. q. 2. ar. 11. exiſtimant certã eſſe fidei veritatem, verum ego, alijs quibuſdã aſſentiens Theologis, non tantam certitudinem in ea reperio. Exiſtimo quidem eius oppoſitum periculoſum eſſe, & non ſatis tutum in fide, tum propter probationes mox ſubiungendas. Tum etiam quia periculum habet illius Fotiniani erroris, cuius paulo ante meminimus. Sed tamen cenſeo nõ eſſe expreſſum errorem, quia vniuerſa teſtimonia, quibus iſta concluſio probatur, vt plurimum probant efficaciter, quod nõ pręceſſerint aliquot merita in Chriſto, aut in eius humanitate, quibus ſuam mereretur incarnationem. Non vero tantam efficaciam habent ad probandum Chriſtum non meruiſſe incarnationem operibus, quæ poſt ipſam fuit operatus. Sed iam probatur concluſio, quæ ſi non eſt certa ſecundum fidem, eſt nihilominus veriſſima, quam docent vniuerſi Theologi in diſt. citata, legantur ſpeciatim Scotus q. 2. & Marſil. 3. par. quæſt. 5. Sitque prima probatio communis ipſe Theologorum conſenſus in hac veritate tuenda, qui cum ſit in re grauiſſima, non poteſt non magnam ſententiæ contrariæ temeritatem inducere.

Secundo probatur ex illis omnibus ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, in quibus ſacrum incarnationis myſterium ſpecialiſſimæ Dei gratiæ, & beneuolentiæ tribuitur, quod cum proprietate fieri non potuiſſet, ſi Chriſtus merito de condigno ipſam promeruiſſet incarnationem, & hypoſtaticam vnionem verbi cũ humanitate. Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, Luc. 1. *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto*, ad Titum c. 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, &c.* & c. 3. *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri*, ad Rom. c. 5. myſterium incarnationis donum appellatur, & gratia. Similiter Io. c. 1. etiam ſimpliciter appellatur gratia. *de plenitudine*, inquit, *eius omnes accepimus*, & gratiam pro gratia. Duobus his locis non ſolum gratia dicitur reſpectu noſtri, ſed ſimpliciter gratia, & donum. Quo inſinuatur non ſolum comparatione ad nos, ſed abſolutè, & reſpectu etiam ipſius Chriſti, eiuſque humanitatis, donũ eſſe & gratiam Dei ſpecialiſſimam.

Probatur deinde expreſſiſſimis S. Aug. teſtimonijs in

in lib. de bono perſeuerant. c. vlt. lib. de correctione, & gratia c. 11. lib. de prædeſt. Sanct. c. 15. cuius loci verba ſuperius retulimus Tract. 105. in Ioan. lib. 13. de Trinit. c. 17. & in Enchirid. c. 40. his locis, & alijs, quam ſæpius repetit nulla merita præceſſiſſe ex parte naturæ humanæ, quibus tantum hoc beneficium mereretur. *Nam ille homo,* inquit Auguſt. *vt à verbo Dei Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus eſſet vnigenitus filius, vnde hoc meruit? Humana merita hic conticeſcant, quæ perierunt per Adam, vt regnet gratia, quæ regnat per Dominum Ieſum Chriſtum.* Aduerte, quod illa vox, *homo*, qua vtitur Aug. in cit. verbis nõ humanum ſuppoſitum, ſed ipſam naturã humanam ſignificat, loquiturque Aug. iuxta modum, quo in Cantico, quod incipit. *Te Deũ laudamus*, canit Eccleſia. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem &c.* vbi hominem idem pollet, atq; humanitatem. Hæc teſtimonia, & alia ſimilia ſacræ ſcripturæ, & Patrum efficaciſſimè quidem conuincunt, quòd Chriſti humanitas non meruit operibus prioritate, vel tẽporis, vel naturæ, ipſam incarnationem præcedentibus hoc tantum hypoſtaticæ vnionis beneficiũ: ſed ſicut fuit ſummè gratuitum, ex ſummaq; miſericordia ortum comparatione ad cæteros homines, ita & reſpectũ ipſius humanitatis Chriſti ſummè quoq; fuit liberale & gratuitum, nec vllam habuit iuſtitiæ rationem. Et concluſio in hoc ſenſu intellecta videtur eſſe fidei veritas. Cæterum non tam certa mihi apparet, vt dixi, ſi ad ipſum Chriſtum referatur, & ad merita, quæ ipſa incarnatione verbi fuerunt poſteriora. Tũ quoniam non mirum, quod incarnationis myſteriũ comparatum ad ipſum Chriſtum aliquam induat iuſtitię rationem, quamuis comparatione ad omnes puras creaturas, inter quas ſimul connumeratur ipſa Chriſti humanitas, fuerit opus ſummæ gratiæ, maximæ liberalitatis, infinitæque miſericordiæ. Tum etiam, vt ex infra dicendis cõſtabit illa ratio meriti, quæ in Chriſti operibus ipſam incarnationẽ ſequẽtibus fundaretur, nõ impediret rationem liberalitatis, & miſericordiæ, quæ in hoc ſacro myſterio reperitur.

Sed iam rationibus eadẽ probatur concluſio. Prima, Mereri, ſicut & operari præſupponit eſſe, nam res omnis ſicut ſe habet ad eſſe, ita & ad operari, priꝰ ad eſſe, deinde ad operari: Eſt. n. eſſe prima omnium actualitas: ergo impoſſibile eſt, quod Chriſtus ſuum eſſe mereretur: atq; adeo neq; potuit ipſam incarnationem mereri. Nam Chriſtus, inquantum homo, per incarnationem verbi totũ ſuum eſſe acquiſiuit.

Confirmatur, Chriſtus neque in quantum Deus, neque in quantum homo, nec denique in quantum Deus homo, ſuam meruit incarnationem: ergo nullo modo meruit. Antecedens quo ad ſingulas ſui partes oſtenditur. Et prima quidem eius pars, videlicet, quod non vt Deus meruerit, nulla vel explicatione eget, nam vt Deus non eſt meriti capax. Secunda vero pars, puta, quod non vt homo meruerit. Probatur. Non meruit meritis antecedentibus ipſam incarnationem, quia certa fide aduerſus Fotinianam hæreſim, credendum eſt Chriſtum non fuiſſe hominem ante ipſam diuini verbi incarnationem: neque meritis ipſam incarnationem ſequentibus, quia meritum, ſi modo miràcula ſecludimus, & ad potentiam tantum ordinariam attendimus, ſecundum quam hæc noſtra procedit concluſio, nequit eſſe poſterius præmio, meritum namque conſtituit ius ad præmium ſuſcipiendum: atque adeo præmium ſua natura poſterius eſt merito: ergo nullatenus eam meruit. Tertia item antecedentis pars, nimirum, quod non meruit, vt Deus homo, eodem prorſus argumento probatur, quo probauimus, eum non meruiſſe vt hominem.

Secunda ratio. Prima radix meriti nequit cadere ſub merito, ſed incarnatio fuit prima radix omnium meritorum Chriſti, præſertim qua ratione fuerunt merita infiniti valoris, nam hac ratione prima eorũ radix non fuit habitualis gratia, neq; eſſe potuit, ſed ipſa gratia vnionis: ergo non potuit cadere ſub Chriſti meritis, eſſeque eorum præmium.

Confirmatur. Ea ratione Theologi 1. 2. q. 114. ar. 5. docent primam gratiam non poſſe cadere ſub merito eius hominis iuſti, in quo eſt, quia eſt prima radix omnium meritorum eius. Ergo eadem ratione gratia vnionis, ſeu, quòd idem eſt, verbi incarnatio non potuit cadere ſub Chriſti meritis.

Dices forſan, quod hæc ratio vt plurimum procedit de merito condigni, non vero de merito congrui, quoniam prima gratia poteſt cadere ſub merito congrui eius hominis, in quo ſuſcipitur: ergo Chriſtus ſaltem de congruo potuit ſuam incarnationem mereri.

Huic obiectioni. Primo reſpondetur, falſum omnino eſſe, quod homo primam ſuam gratiam de cõgruo mereatur, de qua re 1. 2. loco citato diſputari ſolet à S. Tho. interpretibus, & nos in ſolutione ad 4. huius dubij non nihil dicemus.

Secundo reſpondetur non eſſe eandem rationem de prima gratia, & de incarnatione verbi. Nam ad primam gratiam præſupponitur ſubiectum exiſtens imo adiutum & eleuatum per ſupernaturalia Dei adiutoria, quæ Theologi vocare ſolent gratiam præuenientem. Cuius virtute is qui iuſtificatur poterit de congruo primam gratiam ſibi promereri. At in Chriſto ante incarnationem non præſupponitur ipſum ſubiectum meriti, nimirum Chriſtus: Præterea, aliud eſt etiã diſcrimen inter gratiam, & incarnationem. Quod incarnatio eſt prima radix omniũ meritorũ Chriſti ſiue ſint de congruo, ſiue de condigno: quia eſt cauſa meritorum in quantum eſt cauſa omnium operationum Chriſti, id eſt, prout conſtituit ipſum ſuppoſitum operans, ex cuius dignitate omnes eius actiones valorem ſibi meritorium vendicant: gratia vero habitualis in puro homine radix quidem eſt, & principium omnium meritorum de condigno, non tamen omnium meritorum de congruo, iuxta multorum Theologorum ſententiam, qui in operationibus præcedentibus ex gratia præuenienti, imo & in operationibus bonis moraliter, quæ ex nullo ſpeciali ſupernaturali auxilio prodeunt, exiſtimant reperiri rationem meriti de congruo, de quo alias.

Tertia ratio, incarnatio Chriſti fuit opus maximum & ſummum diuinæ miſericordiæ, & quod eſt omnium meritorum fundamentum & radix: ergo decuit quamplurimum diuinam prouidentiam, vt incarnatio Chriſti non eſſet præmium alicuius meriti, ſed ex ſumma Dei liberalitate & gratia, omni titulo iuſtitiæ ſecluſo, ſuam omnem originem traheret.

Vlti-

Vltima ratio eſt fere eadem cum illa ratione ſecunda, qua probauimus præcedenti dubio Chriſtum, prout meruit reſurrectionem ſuam, non promeruiſſe bonum infinitum, videlicet, ipſum eſſe diuini verbi humanitati communicandum. Et rationis vis ad hoc reducitur. Quod ſi incarnatio Chriſti fuit præmium meritorum Chriſti, fuit ſine dubio præmium adæquatum, & quo plenè ſatisfactum eſt toti debito, quod ex Chriſti meritis inſurrexit, & ex conſequenti omnia bona ſpiritualia, quæ nobis per Chriſtum conferuntur, non ſunt debita meritis ipſius Chriſti, ſed ex ſola Dei liberalitate, & gratia donantur. Hoc autem dici non poteſt ſalua fidei veritate, vt tunc probaui: ergo nullatenus eſt dicendum Chriſtum meruiſſe ſaltem merito de condigno incarnationem ſuam, hipoſtaticamque verbi vnionem. Sed neque vero de congruo eam promeruit. Tum propter cauſam dudum aſſignatam, videlicet, quia incarnatio diuini verbi fuit prima radix, primumque fundamentum omnium Chriſti meritorum, ſiue de congruo ſint, ſiue de condigno. Tum etiam, quia vt dicemus, circa ſolutionem quarti argumenti, omnia Chriſti merita ſunt de condigno, nullumque Chriſto fuit meritum tantum de congruo.

§.5. *Secunda Concluſio.*

CHriſtus ſecundum abſolutam etiam Dei potentiam non potuit ſuam mereri incarnationem. Hæc concluſio non tam certa eſt, vt præcedens, quæ de facto, & de potentia tantum ordinaria procedebat, quam proinde negant Theologi nonnulli egregiè docti, ſed & eam nobiſcum etiam multi alij graues affirmant Theologi, quam ego exiſtimo valde conſentaneam S Doctoris doctrinæ 3. par. q. 2. a. 11. vbi quaſi per ſe notum præſupponit, quod Chriſtus ſuam incarnationem mereri minime potuerit. Et quidem illa ſecunda ratio, quam præcedenti dubio formauimus, non ſolùm procedit de potentia Dei ordinaria, verum & de potentia abſoluta. Augeoq; in hunc modum rationis illius efficaciam & vim. Chriſti incarnatio fuit cauſa efficiens omnium meritorum Chriſti: ergo non potuit habere rationem præmij reſpectu eorum meritorum. Probo conſequentiam. Quia idem reſpectu eiuſdem eſſet cauſa, & effectus, & quidem in eodem genere cauſæ, nimirum, efficientis. Incarnatio enim cauſa fuit efficiens meritorum Chriſti, & ſi ipſa incarnatio eſt præmiũ meritorum, ipſa merita fuerunt effectrices cauſæ incarnationis, cauſa enim meritoria cauſa efficiens eſt: atque adeo incarnatio in genere cauſæ efficientis cauſa eſt, & effectus meritorum Chriſti, quod nihil poteſt abſurdius dici ſecundum phyloſophiæ principia: ergo, &c.

Qui contrarium noſtræ opinionis opinantur, vt hoc diluant argumentum: dicunt, incarnationẽ cauſam fuiſſe meritorum Chriſti efficientem phyſicam merita vero Chriſti fuerunt eiuſdem incarnationis cauſa etiam efficiens, ſed moralis. At non inconuenit, quod vnum & idem ſit cauſa, & effectus reſpectu eiuſdem, ſecundum has diuerſas rationes, & diuerſa cauſarum genera, ita quod ſit cauſa phyſica, & effectus moralis.

Sed contra hanc ſolutionem ſic inſto. Incarnatio Chriſti non ſolum in genere phyſico, ſed etiam in genere morali, imo potius in genere morali, cauſa fuit meritorum Chriſti. Tribuit enim illis valorem infinitum meritorium, quod non tam fecit phyſicè, quam moraliter, vel, vt verius dicam, eminenti quadam ratione vtrumque complectente genus, & phyſicum, & morale: ergo ſi fuit morale præmium eorundem meritorum, cauſa fuit, & effectus in eodem genere morali.

Præterea probatur iſta concluſio, Chriſtus nõ potuit mereri ſuam incarnationem, neque meritis ipſam præcedentibus, neque vero ſubſequentibus: ergo nullo modo mereri potuit. Conſequentia ex diuiſionis ſufficientia eſt manifeſta. Antecedens vero pro prima parte eſt manifeſtiſſimum, nam Chriſtus non potuit præexiſtere ante verbi incarnationem, nam ſi fingamus eius humanitatem præextitiſſe in alio ſuppoſito, videlicet ſuppoſito proprio, & ſibi connaturali, quod fuit poſſibile ſecundum Dei omnipotentiam, ille homo non eſſet idem homo perſonaliter cum Chriſto, ſed alius omnino: atque adeo quamuis ille homo mereretur incarnationem Chriſti, nõ inde liceret inferre, quòd Chriſtus eam meruerit. Probatur vero illud antecedens, quoad poſteriorem partem, quæ procedit de meritis ſequentibus ipſam incarnationem. Illa merita præſupponũt per ſe & eſſentialiter Chriſti incarnationem, eo quod ab ea totum ſuum valorem meritorium participarunt: ergo impoſſibile eſt, quod ipſam meruerint: Implicat enim, quod meritum per ſe, & eſſentialiter præſupponat in merente præmium ſuſceptum.

At dices forſan cum Authoribus contrariæ ſententiæ, quod potuit Deus Chriſto conferre illud beneficium incarnationis cum dependentia à ſequentibus meritis. Ita quod ſi Chriſtus ſequentibus operibus non illud promeruiſſet, Deus auferret ab ipſo iſtud beneficium, quod ei cum prædicta dependẽtia contulerat, & ſub hac lege, quod ipſum promereretur ſequentibus meritis. Ad eum modum, quo princeps poſſet militi dare equum, & arma, ea lege, & conditione, vt ſtrenuè ſe in bello gereret, & quod alias ab ipſo auferret.

Hæc ſolutio, meo iudicio, eſt ſatis impertinens, quia eſto admittamus ea omnia, quæ ipſa confingit, non poterit inde aliud inferri, niſi quod Chriſtus in tali caſu continuationem ſuſcepti beneficij, nimirũ, incarnationis meruiſſet, non vero quod mereri poſſit ipſam incarnationis ſubſtantiam, quam per ſe præſupponebant ſuſceptam ipſa Chriſti merita, ſiue data eſſet dependenter, ſiue independenter, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus. Et quidem in hac cõcluſione non de incarnationis continuatione, deq; eius perſeuerantia tractamus, ſed de ſubſtantia tantum illius loquimur, nam de continuatione, in alia concluſione dicemus.

§.6. *Tertia concluſio.*

SEcundum abſolutam Dei potentiam fieri potuit, vt ipſa Chriſti humanitas, imo & eius anima, mereretur Chriſti incarnationem quantum ad eius ſubſtantiam. Iſta concluſio communiter admittitur à grauiſſimis Theologis. Illam inſinuat Caietan. 3. par. quæſt. 2. art. 11. & tota eius difficultas conſiſtit

in

in ipſius intelligentia,& explicatione. Vnde ſigillatim explicemus oportet diuerſos modos,quibus hoc meritum fieri poſſet.

Et primus modus eſt, quem paulo ante inſinuauimus,videlicet, quod Chriſti humanitas prius tempore quam ſumeretur à verbo fuiſſet in alio ſuppoſito,videlicet,in ſuppoſito ſibi cõnaturali,& proprio, nam tunc per opera,quæ ex gratia, & charitate proficerentur, ſpeciali Dei promiſſione, & ordinatione accedente, per quam illa opera referrentur ad incarnationem tanquam ad præmium, eſſent meritoria ipſius incarnationis. Hunc modum inſinuauit Palud.in 3. d. 1.q. 1.

Alius modus eſſe poſſet, ſi ſupponamus verã eſſe ſententiam, quæ non paucis Theologis viſa eſt probabilis, videlicet, quod Chriſti humanitas exiſtat per propriam exiſtentiam creatam, quamuis non per propriam ſubſiſtentiam, ſed per ſubſiſtentiam diuini verbi ſubſiſtat. Tunc enim non difficile eſſet intelligere, quod humanitas, quatenus per propriã extitit exiſtentiam, prius natura quam aſſumeretur ad ſubſiſtentiam, & perſonalitatem verbi, habuit actionem ſupernaturalem ex charitate, & gratia prodeuntem, per quam interueniente ſpeciali Dei promiſſione, & ordinatione mereretur ipſam hypoſtaticam vnionem, nec in hoc ego video aliquam impoſſibilitatem,quicquid quidam graues Theologi dicant, Caietanum in loco citato repræhendentes,quia hunc modum ſecundum abſolutam Dei potentiam exiſtimauerit eſſe poſſibilem. Etenim licet ſecundum communem rerum ordinem ſubſiſtentia ſit modus neceſſarius naturæ ſubſtantiali ad operandum, tamen ſi ſupponamus naturam exiſtere abſq. ſubſiſtentiæ modo, quæ obſecro vrgens ratio prohibet,quin Deus poſſit conferre virtutem naturæ ita exiſtenti ad operandum? Et hoc vel ex eo ſuadetur poſſibile, quod ratio ſuppoſiti ſeu, quod idem eſt, ſubſiſtentia non formaliter, & intrinſecè pertinet ad rationem actiui principij, ſed tantum ſe habet, vt conditio ſecundum naturæ ordinem neceſſaria, quatenus conſtituit ipſum operans,vt quod. ergo modus iſte non debet impoſſibilis cenſeri, ſi ad abſolutam Dei potentiam recurramus.

Tertius modus fingi poſſet,qui etſi ſecundum ordinariam Dei potentiam nullatenus ſit admittendus, neque bene conſentiat incarnationis myſterio quicquid Dur.loc. ſuperius cit.& Dionyſ. Ciſterciẽſ. in 3.d.1.q.1.ar.1.in 2.p.exiſtimauerint,de qua re 3. p.q.3.ar.3.diſſeritur à S.Thom.interpretibus,& ab alijs Theologis in 3.d.1. Secundum tamen abſolutã potentiam Dei non videtur eſſe infactibilis. Et in hoc conſiſtit,quod prius natura vel tempore humanitas aſſumpta fuerit ad exiſtentiam verbi diuinam, quam ad eius ſubſiſtentiam. Ita quod exiſtat exiſtentia Dei,non vero diuina ſubſiſtentia ſubſiſtat. Tunc enim non difficile intelligeremus, quod Chriſti anima, ſeu tota eius humanitas per operationes, & ex gratia habituali, & ex diuina procedentes exiſtentia mereretur vnionem hypoſtaticam verbi cum humanitate, ideſt, aſſumptionem humanitatis ad ipſã diuini verbi ſubſiſtentiam.

Sed rogat quiſpiam, quale meritum iſtud fuiſſet, ex condigno,an ex congruo, perfectum, & ex rigore iuſtitiæ, an imperfectum potius? Reſpondeo, quod in duobus prioribus modis certum eſt illud meritum non poſſe perfectum eſſe, & exactæ iuſtitiæ, quia nec eſſet ex proprijs, nec ex alias indebitis: ſed in Dei gratia,& liberalitate fundatum. An verò poſſet dici de condigno necne, non vacat in præſentia explicare, ſed huius dubietatis reſolutionem petat diligens lector ex quæſtione ſexta ſequenti, vbi diſputabimus num gratia capitis committi potuit puræ creaturæ. De tertio autem modo pluſculum eſt difficultatis. Nam ex altera parte videtur eſſe illud meritum perfectum, & rigoroſum, ac planè infinitum: quatenus fundatur in vnione humanitatis,ſeu rationalis animæ ad verbum ſecundum rationem exiſtentiæ,quam ab eo ſuſcipit: Sed ex parte altera vrget argumentum, quod in tali caſu diuinum verbum non mereretur, neque formaliter intraret in ratione principij merentis, ſed ipſa humanitas, ſeu rationalis anima mereretur duntaxat, & ſi præſuppoſita diuina exiſtentia à verbo deſumpta, non tam neceſſaria ad merendum, formali ratione meriti conſiderata, quam ad operandum. Vnde verbi exiſtentia humanitati communicata parum, aut nihil conferret ad illius meriti valorem, atque adeo totus aut ferè totus meritorius valor ad habitualem, gratiam animæ collatam eſſet referendus, & ex conſequenti non eſſet meritum perfectum, & rigoroſum. In hanc poſteriorem ſententiam propendo, exiſtimoque de illo merito eodem fore modo cenſendum, atque de merito puræ creaturæ. Quamuis non negauerim aliquid congruitatis maioris in illo merito reperiri propter dignitatem prouenientem humanitati ex prædicta coniunctione ad verbum. Quæ quidem coniunctio,quia non eſſet ſumma,quam cum Deo poteſt habere natura creata: maior enim eſſet, & excellentior coniunctio humanitatis ad infinitam ipſius verbi ſubſiſtentiam, idcirco illa dignitas humanitatis non eſſet tanta, quæ tribueret infinitum valorem meritorium eius operationi. Itaque meritum illud videtur quoddam medium tenere inter meritum puræ creaturæ, & meritum Chriſti hominis Dei. Sed cum non accederet ad infinitum ſummum meriti valorem, non poſſet ex rigore iuſtitiæ mereri hypoſtaticam vnionem verbi cum humanitate, quæ præmium eſſe non poteſt, niſi ſummi,& infiniti meriti. Sed rogas, an ſaltem ſufficiens eſſet ad merendum vnionem patris, vel Spiritus ſancti cum humanitate, vel alia quauis creata natura ſimilem ei quam ipſa humanitas in illo caſu haberet cum verbo,ita quod de rigore iuſtitiæ mereretur illa humanitas ſic verbo vnita, quod diuinus Pater ſuam exiſtentiam communicaret alicui naturæ creatæ, & ſi non mereretur, nec mereri poſſet de iuſtitiæ rigore communicationem ſubſiſtẽtiæ ipſius perſonæ patris.

Theologi qui cenſent infinitatem Chriſti meriti reducendum eſſe ad humanitatem Chriſti, prout eleuatam, & dignificatam per gratiam vnionis. (Cuius ſentẽtiæ meminimus præcedenti articulo dubio tertio loquentes de ſatisfactione Chriſti, & eius valore) conſequentur, niſi ego fallor, tenerentur huic dubitationi affirmatiuè reſpondere. Nam ſi dignitas humanitatis prouenienſ ex hypoſtatica vnione ad verbum, ſufficiens eſt ad tam excellenter dignificandum ipſius humanitatis operationem,vt eam

Digitized by Google

conſtituat meritum infinitum, & ſufficiens ad merẽdum ex rigoroſa, & exacta iuſtitia hypoſtaticã vnionem Patris cum humanitate, quare negandum erit, hanc vnionem humanitatis ad Verbum, de qua loquimur, ſufficientem eſſe ad dignificandum, & humanitatem, & eius actiones, vt poſſint mereri ex iuſtitia rigoroſa, & perfecta ſimilem vnionem. ſ. quantum ad ſolam exiſtentiam Patris, aut Spiritus ſancti cum humanitate, aut quauis alia creata natura.

Nos autem, quibus illa ſententia nunc citata, nec in articulo præcedenti placuit quoad ſatisfactionis valorem, neque modo placet quantum ad valorem meriti, ſed exiſtimamus neceſſarium eſſe, & ad ſatiſfactorium, & ad meritorium infinitum valorem, quod is qui meretur, & ſatisfacit ſit verus Deus, & verus homo, ita vt natura humana, & diuina perſona ſimul conſtituant vnum merentem, aut vnum ſatisfacientem; & quod dignitas humanæ naturæ, qualiſcunque ſit, & quantacunque non ſufficit conſtituere infinitam ſatisfactionem, aut infinitum meritum. Conſequenter dicere tenemur, quod illud meritum non eſſet ſufficiens, vt de rigore iuſtitiæ mereretur prædictam illam vnionem Patris, aut Spiritus ſancti, cum natura creata ſolius exiſtentiæ communicatiuam. Sed hæc ſint obiter dicta, vt diligens lector ex his paucis, quæ diximus plura ipſe commentetur, & eam opinionem ex his eligat, quæ ſibi gratior fuerit, eique videatur probabilior.

§. 7. *Quarta concluſio.*

CHriſtus Dominus neque meruit, neque mereri potuit ſuę incarnationis circumſtantias, v. g. tẽporis loci, quod ex tali matre naſceretur, &c. Prior huius concluſionis pars, quæ de facto procedit, à quibuſdam Theologis modernis negatur, ſed certè nõ video qua probabili ratione in contrariam ducâtur ſententiam. Sed quidquid de aliorum ſit opinione, neque enim omnia probare tenemur, & ſi graues habeant aſſertores: primam hanc noſtræ concluſionis partem ſic probo. Primo. Iſtæ circunſtantię, & aliæ ſimiles tenent ſe ex parte incarnationis, conſtituuntque vnum opus cum eius ſubſtantia, ergo tenẽt ſe ex parte principij totius meriti Chriſti, & ex conſequenti nõ cadunt ſub ipſius merito. Confirmatur. Totum myſterium incarnationis cum omnibus ſuis circunſtantijs pertinet ad diuinam prædeſtinationẽ tanquam præcipuum ipſius diuinæ prædeſtinationis opus: nam prædeſtinatio non ſolam rei prædeſtinatæ ſubſtantiam attendit, ſed ſingulas ei circunſtantias præſcribit, illas præcipuè ſine quibus ipſa rei ſubſtantia ſubſiſtere nequit, cuiuſmodi ſunt circunſtantiæ temporis, loci, & ſimiles. Sed prædeſtinatio Chriſti nullam omninò cauſam habuit præter ipſam liberalem & gratioſam Dei voluntatem: ergo Chriſtus non meruit prædictas ſuæ incarnationis circumſtantias. Sed ex altiſſima Dei prouidentia, nobis per eius Prophetas manifeſtata, fuerũt ab æterno diſpoſitæ, non habita ratione ad meritum aliquod ſiue puræ creaturæ, ſiue Chriſti. Probatur ſecundo. Circũſtantiæ prædictæ non magis fuerunt liberæ Chriſto, vt homini, quam ſubſtantia incarnationis eius, non enim ipſe liberè elegit tempus, aut locum ſuæ natiuitati, aut matrem ex qua naſceretur, ſed hoc totum ex ordine ſolius diuinæ prouidentiæ dimanauit, non ergo Chriſtus magis meruit has circunſtantias quã incarnationis ſubſtantiam, eo quod omnia iſta ſe tenent ex parte incarnationis, & vnum conſtituunt cũ ipſa, vt paulo ſuperius dicebam.

Tertio probatur. Si attendamus rationem propriam meriti, & præmij, meritum debet præcedere præmium, & non è conuerſo: ergo quando magna non fuerit neceſſitas, non debemus hunc ordinẽ immutare, & inuertere, neque id patitur ea diuinæ prouidentiæ ſuauitas, quam ſeruat in diſponendis, & regulandis rebus omnibus, earum ſe naturis, & conditionibus accomodans, niſi quando grandis myſterij neceſſitas aliter poſtulauerit. Quæ neceſſitas in præſenti oſtendi minimè poterit.

Quarto probatur. Sicut homo cum iuſtificatur non meretur primam gratiam, neque mereri poteſt, ſic nec meretur eius circunſtantias, videlicet, quod tali tempore, tanta cum intenſione, & perfectione ei cõferatur: ſed hæc omnia ad ſolam Dei miſericordiam, & liberalem donationem ſunt reuocãda, eo quod hæ circunſtantiæ ſe tenent ex parte primæ gratiæ, quæ principium eſt totius meriti, & vnũ efficiunt principium cum illa; ergo id ipſum dicendũ eſt de circunſtantijs incarnationis Chriſti, quæ fuit radicale principium omnium ipſius Chriſti meritorum. Certè in ordine gratiæ proportionabiliter loquendum eſt ad ea, quæ contingunt in ordine naturæ, quod quemadmodum ad naturæ authorem pertinet non ſolum conferre potentiam, quæ eſt operandi principiũ, ſed etiam omnes circunſtantias, quę ex parte eius ſe tenent, & hoc independenter à quocũq. alio extrinſeco, v. g. Ad authorem rationalis naturæ non ſolum ſpectat conferre homini intellectũ, & voluntatem: Sed etiam conſtituere has potentias in certo gradu intenſionis, & perfectionis, & hoc independenter ab omni actione hominis. Ita ad Deũ auctorem gratiæ ſimiliter ſpectat, vt ea quæ in iſto ordinem ratione principij obtinent, ab ipſo tantum conferantur ab omni merito humano independenter, & præſertim independenter ab ea operatione, quæ per ſe pendet ex tali principio, ſicut merita puri hominis pendent ex prima gratia, & Chriſti merita ex eius incarnatione. Eo quod huiuſmodi principiũ nequit exequi officium principij, imo & ſimpliciter eſſe nequit, niſi ſub talibus circumſtantijs, aut ſimilibus conſtitutum.

Hæc argumenta efficaciſſimè probant primam concluſionis partem, quæ de facto procedit, & ſimiliter probant ſecundam eius partem, quatenus de ordinaria lege, & potentia loquitur. Non tamen tantam vim habent ad eius probationem, prout ad potentiam Deo abſolutam ſe extendit. Sed ſuadent probabiliter, eamque efficiunt probabilem, & ſi non certam.

§. 8. *Quinta concluſio.*

CHriſtus neque merui[illegible]que mereri potuit, ſi propriè de merito fi[illegible]ermo, ipſam ſuæ incarnationis continuationẽ. Hanc concluſionem quoad vtramq. partẽ negant quidã Theologi in primis graues, putantq. ad Chriſti dignitatem eiuſque meriti

excel-

Digitized by Google

excellentiam attinere, quod prædictam ipſe meruerit incarnationis continuationem. Sed noſtra cócluſio probatur, & primo quoad priorem eius partem, quæ non de poſſibili, ſed de facto procedit.

Principio, vtor illo argumento iam ſuperius bis inſinuato, nimirum, quod ſi Chriſtus meruit ſuæ incarnationis continuationem, ita quod continuatio incarnationis fuit præmium meritis Chriſti reſpondens, ſequeretur quod omnia alia ſpiritualia bona, quæ nobis per Chriſtum obtinentur, non propter ipſa Chriſti merita, ſed ex mera Dei liberalitate donētur. Hanc ſequelam probaui ſuperius ex eo, quod ipſum diuinum eſſe verbi humanitati communicatum præmium eſſe ſufficientiſſimum, vt adæquate reſponderet toti valori meritorum Chriſti: atque adeo poſtquam Chriſtus hoc præmium accepit, nihil ei amplius ex iuſtitia debetur. Et ſupponamus ad maiorem huius argumenti claritatem, ad eiuſque efficaciam oſtendendam, illam ſententiam, quam ex quibuſdam Theologis ſuperius retuli, nimirum, quod Deus ex iuſtitia commutatiuæ debito teneretur remunerare, & præmiare Chriſti merita. Qua ſuppoſita ſententia, noſtrum argumentum id contédit, & meo iudicio, id probat efficaciter, quod poſtquam Deus retribuit Chriſto pro ſuis meritis loco præmij incarnationis continuationem, nihil ei amplius ex iuſtitia debet, cum præmium ſuis meritis adæquatum ei tribuerit, atque adeo totum amplius, quod illi dat non ex iuſtitia retribuit, ſed ex gratia donat. Quod tamen, vt ſuperius aduerti, nulla eſt ratione admittendum.

Secundo eandem concluſionem ſic probo. Id quod per ſe eſt principium alicuius meriti, nequit eſſe præmium meriti eiuſdem, ſed incarnatio Chriſti eſt per ſe principium primum, & radicale omniū meritorum Chriſti; Ergo non poteſt eſſe ipſorum præmium. Dices hoc argumento tantum conuinci, quod ipſa ſubſtantia incarnationis nequiuerit eſſe præmium meritorum Chriſti, nihil autem de eius continuatione probat. Contra ſic arguitur. Continuatio principij, & radicis meritorum non magis poteſt reſpectu ipſorum habere rationem præmij, quam ipſa ſubſtantia eiuſdem principij, ergo vera eſt noſtra concluſio. Antecedens probatur. Continuatio talis principij non ponit in numerū cum ipſa eiuſdem principij ſubſtantia. Nam ſicut S. Tho. loquens 1. p. q. 104. ar. 1. ad 4. de creatione, & conſeruatione rerum dicit, quod conſeruatio rei nō eſt ſimpliciter actio diſtincta ab eius creatione, ſed eſt eadē creatio continuata, ita productio ſubſtantialis principij meritorum, & eius continuatio non ſunt duæ diſtinctæ actiones, ſed vna & eadem. Vnde ſicut productio non poteſt cadere ſub merito, ita neque eius continuatio.

Confirmatur primo. Prima radicalis merendi facultas nequit cadere ſub merito, nam id quod ſecundum ſe principium eſt, nequit eſſe terminus, & finis. Præmium autem rationem habet finis, & termini, ergo cum incarnatio Chriſti ſecundum ſe ſit prima, & radicalis facultas omnium meritorum Chriſti, nullo modo etiam quantum ad ſui continuationem potuit eſſe præmium meritorum eius.

Confirmatur ſecundo manifeſto, & efficaci argumento. Continuatio primæ gratiæ in puro homine iuſto, non poteſt cadere ſub merito, & oppoſitum aſſerere, eſſet errare in fide, ſecundum quam fateri tenemur, nullum hominem poſſe mereri ſuam perſeuerantiam in gratia: at qui mereretur gratiæ continuationem, mereretur ſine dubio perſeuerantiam in gratia. Sed non alia ratione homo iuſtus nō poteſt gratiæ continuationem mereri, niſi quia prima gratia eſt primum, & radicale merendi principium in quocumque puro homine iuſto, & nulla alia poteſt aſſerri à Theologis veroſimilis ratio, propter quam continuatio gratiæ nequeat eſſe meritorum præmium, niſi quia repugnat, quod principium meriti ſit ipſius meriti terminus, & finis: Ergo cum incarnatio Chriſti ſit primum principium, & radix omnium meritorum in Chriſto, ſicut prima gratia in homine iuſto, nulla verò ſimili ratione affirmari poterit, quod Chriſtus de facto eius meruerit continuationem.

Ad plenum huius ſecundi argumenti cum ſuis cōfirmationibus intelligentiam illud eſt obſeruādum. Quod ſicut potentia naturalis intellectus, aut voluntas, &c. Poteſt quidem ſe ipſam per ſuas operationes perficere, ita quod eius perfectio habeat rationem termini reſpectu ſuarum actionum. At non poteſt ſui continuationem, aut conſeruationem cauſare, hoc enim non ad ipſam potentiam, ſed ad eius authorem pertinet, eiuſdem enim vniuerſalis, & primæ cauſæ eſt conſeruare rem, cuius eſt producere: atque adeo continuatio ſeu conſeruatio potentiæ nullatenus habet rationem termini operationum ipſius potentiæ. Ita primum merendi principium, primaque & radicalis merendi facultas poteſt quidem ſuis meritorijs actionibus propriam mereri perfectionem, & ita gratia meretur proprium augmentum, & Chriſtus ſuis meritis promeruit quandā incarnationis ſuæ perfectionem, puta, immortalitatem, & gloriam corporis, ſuique nominis exaltationem. At continuationem, ſeu conſeruationem ſuæ ſubſtantialis entitatis minimè poteſt proprijs actionibus mereri, eo quod continuatio, vt dixi, non ponit in numero cum ipſa principij ſubſtantia, & cum eius prima productione, atque adeo tenet ſe ex parte principij meritorum, & nequaquam habere poteſt rationem termini.

Vltimo tandem probatur concluſio. Continuatio incarnationis diuini verbi per ſe pertinuit ad ipſam Chriſti prædeſtinationem. At prædeſtinatio Chriſti nullum habuit meritum, ſed ad ſolam Dei ſummæ gratuitam, & liberalem voluntatem eſt referenda. Ergo nullatenus Chriſtus ſuæ incarnationis continuationem promeruit. Maior probatur. Chriſtus fuit prædeſtinatus Filius Dei, vt eſſet Redēptor hominum, & vt eſſet caput, & hominum, & Angelorum, & vt hominum peccata ſua morte deſtrueret, ſuaque reſurrectione ſpiritualem eorum vitam repararet, & ſtabiliret. *Mortuus enim eſt*, inquit Paul. Rom. 4. *Propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*: ergo non ſolum ipſa incarnationis ſubſtantia quantum ad ſui primam productionem fuit independenter ab omnibus meritis prędeſtinata, & præordinata ab æterno, ſed etiam quātum ad ſui continuationem, & perſeuerantiam.

Confirmatur ex illo Paul. Ro. 1. *Qui*, ſcilicet Chriſtus, *prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum* ſpi-

Digitized by Google

ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri. Ex quibus verbis conſtat, quod prædeſtinatio Chriſti non in ſola incarnationis ſubſtantia terminata fuit, ſed ad ſanctificationem noſtram, & mortuorum reſurrectionem ipſa Chriſti virtute operandam pertranſit: ergo incarnationis continuatio non ex meritis, ſed ex ſola Dei prædeſtinatione ortum habuit.

Hactenus de prima parte concluſionis, quæ de facto procedit, agebamus, quam argumenta propoſita, niſi decipior, veram eſſe demonſtrant. Denique ad poſteriorem concluſionis partem, quæ de poſſibili loquitur, tranſeundum eſt. In qua non negauerim, quod ſi abſolutam Dei potentiam attendamus, ſicut homo iuſtus poteſt continuationem ſuæ primæ gratiæ mereri, ita potuerit Chriſtus mereri incarnationis continuationem, ſed id tamen affirmo in poſteriori concluſionis parte, quod illud meritum eſſet quidem meritum quaſi ab extrinſeco ex ſola Dei acceptatione, & promiſſione, non verò ſuam vim meritoriam ex principio intrinſeco, videlicet, ex gratia vnionis participaret. Etenim cum non fiat mutatio in ipſa gratia vnionis, vt ſupponimus, ſed ſemper eandem naturam retineat, etiam ſi Deus velit acceptare eius opus tanquam illius præmij meritorium, & reuera ordinet opus illud ad continuationem incarnationis tanquam ad præmium promerendum, non tamen illud opus participabit ex ipſa gratia vnionis huiuſmodi vim meritoriã. Quia gratia vnionis non habet virtutem ad merendum ſuam continuationem, neque illam poteſt proinde Chriſti operibus communicare: atque adeo ab extrinſeco tantum, & ſecundum quid Chriſti operatio poſſet eſſe per abſolutam Dei potentiam meritum continuationis incarnationis Chriſti. Et idipſum cenſeo dicendum de homine iuſto, quod ſi per abſolutam Dei potentiam mereatur ſuæ gratiæ continuationem, & perſeuerantiam tale meritum non emanabit ex ipſa gratia, ſed ab extrinſeca tantũ Dei ordinatione. Quæ res elucidationem accipiet maiorem ex dicendis in quæſtione ſexta ſequenti. Ex iſtis ergo in hunc modum formo argumentum pro ſecũda concluſionis parte. Gratia vnionis nullã conferre põt virtutem Chriſti operationibus, qua poſſint mereri continuationem incarnationis. ergo etiam per abſolutum Dei potentiam Chriſtus, propriè, & rigoroſè loquendo de meritò, non potuit talẽ continuationem mereri, ſed meritò duntaxat impropriè dicto, cuius tota vis meritoria fundetur in extrinſeca Dei ordinatione, & non in intrinſeco ipſius operis valore ex vnionis gratia deſumpto.

Confirmatur. Gratia vnionis de facto tribuit operibus Chriſti totum illum valorem meritorium, quẽ ſecundum omnem potentiam eis poteſt conferri: ergo per nullam potentiam creſcere poteſt intrinſecus meritorum Chriſti valor. Patet antecedens, quia de facto confert eis valorem meritorium infinitum. At infinito nequit eſſe maius, Ergo, &c.

Sed eſt argumentum contra vtramque partem huius concluſionis. Homo iuſtus de facto meretur de congruo ſuæ gratiæ conſeruationem: ergo, & Chriſtus meruit, aut ſaltem mereri potuit de congruo ſuæ incarnationis continuationem, & perſeuerantiam. Conſequentia ex paritate rationis conſtare videtur, & antecedens admittunt vniuerſi Theologi cum tractãt de merito hominis iuſti. Huic argumento neganda eſt cõſequentia. Et ratio diſcriminis eſt, quod meritum congrui, quo iuſtus homo ſuæ gratiæ continuationem meretur, non tam ab ipſa gratia, quam à voluntate operantis procedit, iuxta modum inferius in hoc dubio explicãdum. At Chriſtus non potuit habere meritum, cuius tota vis meritoria non fundaretur in gratia vnionis: quoniam totus valor meritorum Chriſti reducitur ad eius eſſe perſonale, in quo principaliter conſiſtit ipſa vnionis gratia. Vt autem modo dicebamus, gratia vnionis nullam poteſt conferre virtutem meritoriam Chriſti operationibus, qua eius cõtinuationem mereãtur ſicut nec gratia habitualis operationibus iuſti hominis vim meritoriam cõferre valet, per quã eius perſeuerantiam & continuationem promereri queant.

§.9. *Soluuntur argumenta in oppoſitum.*

AD argumenta, quæ à principio huius dubij informauimus, oportet deinceps reſpondere. Ad primum dicitur in more ſcripturarum ſacratũ poſitum eſſe, vt tunc res dicantur fieri, quando apparent, vel in ſe, vel in ſuis manifeſtantur effectibus. Iuxta quem modum, dixit Chriſtus, poſt ſuam reſurrectionem Matth. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*, cum tamẽ ante ei data fuiſſet, ſed quia tunc eius manifeſtatio inchoabat, ideo dixit tunc ſibi dari. Ad eundẽ ergo modum dicitur Apocal. c. 5. dignum eſſe Agnum accipere diuinitatem, ideſt, dignum vt eius manifeſtaretur diuinitas. Quã manifeſtationem petebat Chriſtus Ioan. 15. cum ad Patrem dicebat, *Clarifica me pater apud temetipſum claritate, quam habui prius quam mundus fieret*. Quo loco petebat clariſſimam, & illuſtriſſimam ſuæ diuinitatis manifeſtationem, quæ multis quidem claruit, ſed mirabilibus, glorioſiſſimiſque præcipuè reſurrectionis, & aſcenſionis operibus. Ita interpretantur Rupertus, Cartuſienſ. Caiet. & alij communiter interpretes. In eodem ſenſu intelligitur Paul. in illis verbis citatis. *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Eadem etiam intelligentia accomodari poteſt illi teſtimonio adducto ex Pſalm. 44. *Propterea vnxit te Deus, &c.* Nam tunc Chriſtus potuit dici vngi cum eius vnctio, ideſt, vnio diuinitatis ad carnem mundo innotuit, quam vnctionem ob id Chriſtus promeruit, quia iuſtitiam dilexit odioque habuit iniquitatem. Non refragatur huic intelligentiæ Hye. in ep. ad Princip. & Ambr. ad Heb. c. 1. Sed huius vltimi teſtimonij alias duas reperies intelligẽntias à nobis ſuperius aſſignatas, quæ nõ minus ſunt accommodatæ ad literalẽ eius ſenſũ. Et potiſſima, vt crediderim interpretatio eſt ea, quã tunc ex S. Aug. retuli, videlicet, quod dictio, *propterea*, non meritoriam, ſed finalem cauſam denotat, ideſt, vt diligeres iuſtitiam, &c. Anſelmus, & Beda ad Hebr. 1. ita intelligunt. Non diſſentit Cyrill. 8. lib. theſauri, c. 1. ad fin.

Ad ſecundum argumentum negatur antecedens. Ad primam eius probationem, conceſſo antecedente negatur conſequentia, quoniam Chriſti meritum in eo ſenſu eſt infinitum, quod habuit omnem eum meritorium valorem, qui neceſſarius eſt ad merẽdũ

totum

totum id quod potuit cadere ſub merito, idest, illud totum, quod poteſt habere rationem præmij. At incarnatio Chriſti nullatenus habere poteſt præmij rationem reſpectu operationũ Chriſti, eo quod eſt primum principium, primaq. radix omnium earũ,& totius valoris meritorij, quæ eis poteſt ineſſe.

Ad ſecundam probationem. Primo reſpondeo, quod licet admittatur totum, quod illa probatio cõtendit, adhuc non ſequitur Chriſtum ſuam incarnationem meruiſſe. Nam totum illud meritum non ad Chriſtum, ſed ad eius humanitatem pertineret. At quod bonitas Chriſti verbi incarnationem mereretur, diximus non eſſe impoſſibile ſecundum abſolutam Dei potentiam. Cæterum quoniam argumentum contendit probare, quod Chriſti humanitas ſecundum ordinariam Dei legem,& potentiam Verbi incarnationem meruerit: Idcirco Secundo reſpondeo, quod Chriſti humanitas non prius naturæ ordine fuit præintellecta exiſtens, quam intelligeretur à verbo aſſumpta. Et primo quidem quod non præintelligeretur exiſtens exiſtentia diuina, ſuppono in præſentia ex his quæ 3.p.q.3.a.3.dici ſolet adverſus Duran. qui exiſtimauit humanam naturam prius rationis ordine aſſumptam fuiſſe ad exiſtentiã Dei tribus perſonis communem, quam fuerit aſſumpta ad ipſam verbi perſonalitatem. Quæ ſententia ſi non eſt error, eſt tamen parum in fide tuta. Quia ex illa videtur ſequi naturam humanam à tota Trinitate fuiſſe aſſumptam, atque adeo, quod Deus, vt communis toti Trinitati, eſt homo,& ex conſequenti, quod non ſolus filius ſit homo, ſed Pater etiam,& Spiritus ſanctus, quę eſt manifeſta hæreſis. Quod aũt fuerit præintellecta exiſtens propria exiſtentia, vt cũ Scoto cenſuerunt,& cenſent multi Theologi, mihi non apparet verum.

Cenſeo enim cum S. Thom. 3. par. q. 17. ar. 2. in Chriſto vnicam tantum exiſtentiam reperiri, ipſam, videlicet, diuini verbi exiſtentiam, qua ſimul cum verbo exiſtit ipſa, Chriſti humanitas. Quo fit nullatenus humana natura in Chriſto præintellecta fuerit exiſtens ante vnionem hypoſtaticam,& ex conſequenti, neque in ea potuit aliquod præintelligi opus meritorium, quo ipſa humanitas verbi incarnationẽ mereretur. Sed illa ratio qua humanitatis Chriſti præexiſtentia ſecundo argumento principali huius dubitationis probatur, non eſt omnino facilis ad diſſoluendum. Cui argumento negandum eſt illud antecedens, nimirum, quod Chriſti humanitas prius fuit creata, quam aſſumpta. Admitto quidem duas ibi mutationes reperiri (ſi modo mutationis nomine appellari poſſunt) ſcilicet creatio animæ, totiuſque humanitatis productio,& aſſumptio eiuſdem humanitatis ad verbum. Inter quas iſte fuit ordo, quod creatio animæ humanitatiſque productio (quæ ad vnam pertinent mutationem) præſuppoſita fuit, vt in via,& quaſi in fieri ad aſſumptionem. At in facto eſſe,& in termino, è contra aſſumptio fuit præintellecta humanitatis productioni. Itaque hæc propoſitio eſt vera, prius natura humanitas Chriſti producitur, quam ſit aſſumpta: Hæc autem falſa: humanitas prius eſt producta, quam aſſumpta. Sed è contra eſt concedendum, quod prius fuerit aſſumpta, quam producta. Ad verificandum autem illam propoſitionem, humanitas prius producitur quam ſit aſſumpta, non eſt neceſſe, quod humanitas prius habuerit actum exiſtendi, quam fuerit aſſumpta ad ſubſiſtentiam verbi, ſed ſat fuerit, quod quantum erat ex vi creationis rationalis animæ, ac productionis totius humanitatis, ipſa humanitas tenderet ad actum exiſtentiæ propriæ,& ſibi connaturalis, qui tamen impeditus fuit, per ipſam verbi exiſtentiam humanitati hypoſtathica vnione communicatam, quæ diuini verbi exiſtentia præuenit ipſam naturalẽ humanitatis exiſtentiam, ſicut & diuina verbi ſubſiſtentia præuenit ſubſiſtẽtiam humanam. Et ratione huius præuentionis aſſumptio in facto eſſe,& in termino prior fuit rationalis animæ creatione, ac prior itidem ipſa totius humanitatis productione, quamuis in fieri res è contra ſe habuerit.

Neque mirum alicui eſſe debet, quod iſtæ duæ mutationes ita ſe haberent in excellentiſſimo incarnationis myſterio, quod ea, quæ prior fuit in fieri,& in via, fuerit poſterior altera in facto eſſe,& in termino. Ita, quod prior mutatio præuenta eſſet à poſteriori ex parte termini,& quaſi impedita, ne proprium terminum, in quem tendebat, attingeret. Neque vero hęc doctrina ob id eſſet falſitatis arguenda, ſi nullum poſſemus ſimile ex ordine naturali inuenire. Nam de hoc myſterio dictum eſt ab Auguſt. epiſtol. 3. ad Voluſ. quod *ſi eius rationem quærimus non erit mirabile, ſi exemplum vero non erit ſingulare.* Sed nihilominus tentandum erit ad maiorem huius rei perſuaſionem ei aliquale in ordine rerum naturalium ſimile inuenire. Et mihi illud ſe offert, quod in intellectu noſtro iuxta S. Thom. doctrinam quam eius diſcipuli ex ipſo colligunt 1. par. quæſt. 27. artic. 1. Duæ reperiuntur actiones formalibus rationibus diſtinctæ, nimirum, dicere, idest productio verbi,& intelligere, quæ eſt ipſa obiecti in verbo contemplatio. Inter quas operationes talis reperitur ordo, quod intelligere prout eſt in via,& quaſi in fieri, præſupponitur addicere. Nam vt S. Thom. inquit, 1. par. quæſt. 34. artic. 1. ex eo intellectus producit verbum leonis,& non equi, quia cognoſcit leonem,& non equum, atque adeo productio verbi per ſe pendet ex cognitione illius rei cuius verbum producitur. Cæterum ex parte termini,& quaſi in facto eſſe, è contra res ſe habet. Nam intelligere, prout eſt obiecti contemplatio, præſupponit ipſum dicere, quia præſupponit verbum productum, in quo fit intellectio,& ipſa obiecti contemplatio.

Sed in communi poſſumus huius rei aſſignare rationem, quæ in eo ſita eſt, quod prioritas naturæ nõ eſt aliud quam prioritas cauſalitatis, vt ex Ariſtotelicis poſt prædicamẽtis in c. de priori facile erit intelligere: At non eſt mirum quod aliqua vna mutatio, prout eſt in via,& veluti in fieri, ſit cauſa alterius,& quod prout eſt in termino, in ſuoque complemento ſit eiuſdem mutationis effectus, præſertim in diuerſo genere cauſalitatis. Sicut in materia noſtri ſecundi argumenti contingit. Nam humanitatis productio, prout in fieri,& in via, eſt materialis cauſa aſsũptionis, eo quod aſſumptio eſt ab alio ad ſe ſumptio,& ob id res aſſumenda debet præſupponi ſaltem in fieri ad aſſumptionem. Aſſumptio autem ex parte termini prior eſt humanitatis productione,& creatione rõnalis animæ, eo quod creatio nequit aſſequi

ſuum terminum formalem, ſcilicet, eſſe, niſi dependenter ab aſſumptionis termino, nimirum, à verbi ſubſiſtentia: quæ eſt formalis terminus aſſumptionis. Et quia terminus reducitur ad formam, idcirco humanitatis productio, animæque creatio pendĕt ab aſſumptione quaſi in genere cauſæ formalis. Et veriſſimum proinde eſt, ſi formalis ſermo fiat, quod Chriſti humanitas prius aſſumpta fuit quam creata. Quamuis in genere materialis cauſę, debeat cōcedi, quod prius creabatur quam aſſumpta fuiſſet. Non deſunt Theologi, qui concedant in genere cauſę materialis humanitatem prius fuiſſe creatam, quã fuerit aſſumpta. Verum ergo non video, qua ratione hoc concedi poſſit, ſi cum S. Tho. cenſemus humanitatem in Chriſto non exiſtere niſi per verbi exiſtentiam, & quod exiſtētia non communicatur niſi perſonæ, ſeu hypoſtaſi (vtrumque enim dicit 3. p. q. 17.) Nam ſi hæc ſententia vera eſt, in nullo genere cauſæ humanitas potuit exiſtere priuſquam eſſet ad verbi hypoſtaſim aſſumpta. Nam alias exiſtentia immediatè fuiſſet communicata humanæ naturæ, & non immediatè hypoſtaſi, quod S. Th. doctrinæ contradicit. Cuius veritatem nūc ſuppono, quia in eius probatione immorari non licet, ne plus nimio ab intento noſter hic tractatus diuertat.

Ad confirmationem negatur antecedens, probationi verò dicitur. Quod ſi proportionatum, & connaturalem rerum ordinem attendamus, præmium non debet antecedere meritũ, ſed è contra: habet. n. præmium rationem finis comparatione ad meritũ, quod proinde prius quidem eſt in intentione, executione vero poſterius. Poteſt tamen fieri ſupernaturali Dei virtute, & potentia, vt propter cauſam aliquam neceſſariam immutetur naturalis hic ordo, ita vt præmium meritum antecedat, habeatque meritum quendam modum finalis cauſæ. Et ita contigit in merito Chriſti comparatione ad gratiam antiquorũ patrum, quæ rationem habuit præmij meritorum Chriſti, prout anteceſſerunt in diuina præſcientia. Sed tamen hæc mutatio fieri non poteſt, ſi id quod præcedit, habet rationem principij, & radicis ipſorum meritorum. Itaque ſi gratia antiquorum Patrum principium fuiſſet, & radix meritorum Chriſti, haudquaquam eſſet poſſibile, quod ipſa gratia antecederet Chriſti merita. Vnde cum Chriſti incarnatio ſit prima radix omnium meritorum Chriſti, & valoris meritorij infiniti, qui in ipſis reperitur, per nullam potentiã fieri potuit, quod opera Chriſti ipſa incarnatione poſteriura eandem mererentur incarnationem.

Aliter diluere ſolent hoc argumentum nonnulli Theologi aſſerentes, quod ſolutio anticipata non eſt actus iuſtitiæ, ſed liberalitatis, & gratiæ eius, qui ita pretium exoluit. Vnde incarnatio conſiderata in ratione anticipati præmij meritorum Chriſti non poſſet habere rationem actus iuſtitiæ, atque adeo neque propriè eſſet præmium. Hæc tamen ſolutio, niſi quid amplius ei addamus, ſufficiens eſſe non poteſt. Quoniam licet in ſolutione anticipata aliquid gratiæ, & libertatis inuoluatur, id nempe, quod ad temporis anticipationem pertinet, eſt nihilominus ſimpliciter actus iuſtitiæ, quatenus pretium, quod anticipatè ſoluitur, eſt adæquatum mercedi ſuſcipiendæ. Erit autem præfata ſolutio, mea ſententia, valde apparens, imo in ea fundabitur ratio efficax aduerſus ſententiam contrariam, ſi ei addamus, quod quando ſolutio ex natura rei, quæ aliud non patitur, aliter fieri nequit quam anticipare, non poteſt ibi reperiri vera ratio iuſtitiæ. Quia iam tota ſolutio in ratione ſolutionis conſideranda erit quantum ad id præcisè, quod eſt eſſe anticipatam, in quo iuſtitia non eſt, ſed pura liberalitas. Et quia hoc in præſentia ita contingit: non enim aliter meriti, & præmij ratio conſtabit niſi præmium anticipetur, ideo nulla eſt iuſtitia, atq. adeo, nec meriti, neque præmij ratio.

Ad tertium argumentum conceſſo antecedenti, neganda eſt cōſequentia. Cuius probationi dicitur, falſum eſſe, quod per reſurrectionem per ſe primo, & formaliter tãtum bonum fuerit communicatum humanitati, quantum per incarnationem. Etenim reſurrectio, vt ſupra dicebam, per ſe primo, & formaliter tantum terminatur ad reunionem partium ſeparatarum, ex quarum reunione integra conſurgit humanitas. Quod autem hæc vnio partium terminetur ad diuinum verbi ſuppoſitum, habuit ſe ibi cōſequenter, & quod ad vim reſurrectionis attinet, per accidens.

Sed arguit quis contra hanc ſolutionem, reſurrectio non ſolum eſt reunitio earum partium, quæ fuerant ſeparatę, ſed præterea requiritur, quod terminetur ad idem ſuppoſitum in quo ſubſiſtebant partes ante ſeparationem: alias enim ſi reunitio ad aliud terminaretur ſuppoſitum, non reſurgeret ille homo qui fuerat mortuus, ſed alius. Ergo in Chriſti reſurrectione, & in eius formali, & primario termino, nō ſolum ipſa partium reunitio, & naturæ integritas debent attendi, ſed etiam identitas diuini ſuppoſiti: atque adeo Chriſtus, quatenus meruit reſurrectionē tantum meruit bonum quantum fuit humanitati per incarnationem communicatum.

Hoc argumentum non eſt contemnendum, cuius difficultati viri magni ingenij, & eruditionis præcipuè ſuccumbentes, exiſtimarunt Chriſtum verè meruiſſe ipſum diuinum verbum eiuſque vnionem ad humanitatē, quæ per Xp̄i reſurrectionem facta fuit. Nam in triduo mortis Chriſti ſicut non erat humanitas, ſed eius partes exiſtebant ſeparatæ, vt 3. p. q. 50 ar. 4. d. ita neque diuinum verbum humanitati erat vnitum, cuius vnio facta eſt per reſurrectionem: atque adeo hoc ipſo, quod Chriſtus ſuam meruit reſurrectionem, meruit quoque per ſe, & formaliter ipſum diuinum verbum, vt humanitati reuniendũ, ac proinde tantum bonum meruit, quantum fuit incarnationis bonum. Dicunt præterea huius ſententiæ authores, per accidens fuiſſe ad Chriſti reſurrectionem, & ſimiliter ad meritum, quo Chriſtus ipſe ſuam reſurrectionem promeruit, quod humanitatis Chriſti partes in triduo mortis vnitæ præextiterunt diuino ſuppoſito: atque adeo, quod ita ſe habuit vnio diuini verbi ad humanitatem in reſurrectione, atque ſi non præexiſteret vnitum ipſis humanitatis partibus.

Sed his non obſtantibus in noſtra adhuc perſiſtimus ſententia, propter rationes ſuperius commemoratas, & expoſitas.

Et ad argumentum modo formatum reſpondetur. Verum quidem eſſe, quod ipſa reſurrectionis ratiò poſtulat, vt natura ex partibus reunitis integra-

ta

ta in eodem ſubſiſtat ſuppoſito, in quo ſubſiſtebat ante partium ſeparationem, ſed non eſt tamen de ratione intrinſeca reſurrectionis neceſſarium, quod natura reintegrata, alia ſpeciali actione à reintegratione diſtincta, tali ſuppoſito vniatur, ſed benè permittit, quod vnio reintegratę naturæ ad illud ſuppoſitum ſe habeat conſequenter, & concomitanter ad ipſam partium reunionem, ad ipſamq. naturæ reintegrationem, vt contigit in Chriſti reſurrectione, eo quod diuinum ſuppoſitum vtrique humanitatis parti, & animæ, & corpori in triduo mortis permanſerat vnitum. In quo caſu nulla maior virtus, & efficacia neceſſaria eſt ad vniendum ſuppoſitum reintegratæ naturæ, quam ad ipſam reintegrandam naturam per reunitionem ſeparatarum partium: neque maius miraculū eſt vnitio humanitatis reintegratę ad verbum, quam ipſa humanitatis partiū reunitio. Neque natura propriè loquendo accipit aliquid per illam verbi vnionem, quod ad ipſam nō pertineret. Nam quatenus verbum erat vnitum ipſius naturæ partibus, ad eam pertinebat vti eius ſuppoſitum. Ita quod facta naturæ reintegratione naturaliter conſequutum fuit, quod maneret tali ſuppoſito vnita. Vnde formaliſſimè loquendo hæc reunitio verbi cū integra humanitate, non tam eſt tribuenda Deo, vt reſurrectionis authori, quam eidem, vt authori incarnationis. Quoniam ex illa antiqua vnione in ipſa incarnatione facta hęc reſultauit reunitio diuini verbi ad integram humanitatem effecta partiū reunione per reſurrectionem, fuitq. proinde iſtud reunionis verbi ad humanitatem miraculum conſequēs ad miraculum incarnationis.

Ex his manifeſta ſupereſt argumenti ſolutio. Diſtinguendum eſt enim antecedens iuxta traditā doctrinam in hunc modum, quod ſi ſit ſenſus, neceſſarium eſſe, quod vnio reintegratæ naturæ ad idē ſuppoſitum ſpeciali actione ipſius reſuſcitantis, & reintegrantis naturam, fiat, falſum eſt antecedens. Nam quod ita fiat, per accidens eſt reſurrectioni. Si vero ſit ſenſus, neceſſariam eſſe illam vnionem naturæ ad prædictum ſuppoſitum, vndecumque talis vnio proueniat, ſiue fiat per ſe, & directè, ſiue concomitanter ſe habeat, verum eſt antecedens: ſed in hoc ſenſu intellectum, nihil concludit contra noſtram ſententiam. Quia non ſequitur, quod vnio naturæ ad præcedens ſuppoſitum fiat ex vi reſurrectionis. Et ex cōſequenti non oportet, quod is qui reſurrectionem meretur, ſimul quoque talem reunionem ad ſuppoſitum mereatur.

Id vero quod aſſerunt authores ſententiæ contrariæ, nimirum, per accidens fuiſſe ad Chriſti reſurrectionem, ſecundum eum modum quo de facto contigit, quod diuinum verbum permaneret vnitum ipſis humanitatis partibus, exiſtimo eſſe falſum. Quia ſi verbum non eſſet vnitum partibus humanitatis, duplex interueniret miraculum in Chriſti reſurrectione, nempe reintegritas humanitatis per reunitionem partium facta, & iterata aſſumptio humanitatis ad verbi ſubſiſtentiam, & hoc poſterius eſſet multo maius miraculum, & excellentius diuinę potentiæ opus. Nos autem contendimus, quod de facto vnum tantum contigit in reſurrectione miraculū, quod fuit ipſa humanitatis reintegratio. Aliud vero poſterius conſequenter ſe habuit, & concomitanter, & potius conſequutum fuit ex vi magni illius & primi miraculi incarnationis, quam ex vi reſurrectionis de nouo factæ, vt dudum aduertebam. Quæ animaduerſio euacuat vim huius difficultatis. Nam ſi miraculum illud reaſſumptionis totius humanitatis reintegratæ ad verbi ſubſiſtentiam, ex ipſa reſurrectionis opere per ſe fuiſſet conſequutum, fateri teneremur, quod Chriſtus quatenus ſuis operibus per ſe primo reſurrectionis miraculoſū opus meruit, mediatè etiam, & ſecūdario promeruit illud conſequēs reunionis verbi ad humanitatem miraculum. Quod ego non libenter admitterem.

Sed adhuc vrget nos difficultas, quæ ſe è veſtigio opponit. Quod verbum corpori perſiſteret vnitum in triduo mortis non ortum habuit ex ſola verbi incarnatione, nam ſuppoſita S. Th. ſententia 1. p. q. 76. ar. 3. & 4. vbi legatur Caiet. quam hauſit ſine dubio ex doctrina Ariſt. nimirum, quod reſolutio fiat vſq. ad materiam primam in morte cuiuſuis animalis etiam hominis, neceſſum eſt fateri, quod Chriſto mortuo in eius materia prima nō permanſit eadem corporeitatis forma, quæ fuerat ipſo Chriſto viuente, ſed quod à forma cadaueris aliud eſſe corporeum acceperit. Diuinum autem verbum non fuerat nudæ materiæ communicatum, ſed prout induebat gradū corporeum ab anima Chriſti rationali ſuſceptum. Ergo hoc eſſe corporeo a materia ſublato, ſi ordinē rerum attendamus, non perſiſtebat diuinum eſſe verbi in materia illa, eo quod dependenter ab anima Chriſti rationali, ei fuerat communicatum: atq. adeo nouo opus fuit miraculo, vt in corpore cadauerico permanſerit diuinum verbum hypoſtaticè vnitum, & ex conſequenti fatendum eſt Chriſtum ſuis meritis hoc nouum meruiſſe miraculum. Quod ſi admittimus, iam ipſa reddit argumenti prioris difficultas, nempe, quod Chriſtus tantum promeruit bonum, quantum fuit bonum incarnationis, promeruit namque diuinum verbum, vt cadauerico Chriſti corpori vniendum.

Non eſt leue hoc argumentum, neque facile occurrit ſufficiens eius ſolutio. Mihi videtur dicendū cum Caietan. 3. p. q. 6. art. 1. & 6. quod & ſi regularis naturæ ordo poſtulare videbatur, quod in ipſo verbi incarnationis inſtanti diuinum ipſius verbi eſſe non prius partibus humanitatis, præſertim parti materiali, quam toti vniretur humanitati, quia non prius partes quam totum exiſtunt, ſed è contra totum prius natura exiſtit, quam partes, in ipſo enim, & ad eius exiſtentiam exiſtunt partes. Tamen propter myſterij rationem, eo quod verbū aſſumebat humanitatem nunquam dimittendam quoad eſſentiales eius partes, immutatus fuit hic ordo, & prius natura exiſtentia diuini verbi communicata fuit corpori, id eſt, materiæ illi ſingulari, quæ prę parata fuit à Spiritu ſancto, & ex puriſſimis B. Virg. ſanguinibus accepta, vt ex ea ſimul cum anima integraretur tota Chriſti humanitas, quam communicaretur toti ipſi humanitati. Vnde eſſe verbi illi materiæ communicatum non habuit in illa communicatione intrinſecam dependentiam ab eo corporeitatis gradu, quem Chriſti materia ab eius anima ſuſcepit, atque adeo in morte illo ſublato, alioque à cadaueris forma aduentente, permanſit ſine miraculo in eadem materia.

Quar-

Digitized by Google

poſteriorem. Et quoniam primus effectus fuit præcipuus, & magis propinquus ſubſtātiæ incarnationis Chriſti, idcirco abſolutè dicendum eſt, quod non meruerunt ſubſtantiam incarnationis, cōcedendum eſt tamen illam promeruiſſe ſecundum quid, ideſt, comparatione ad illum minus principalem effectum.

Hæc ſententia probatur. Incarnatio Chriſti Domini quātum ad priorem effectum eſt prima omniū meritorum radix: gratia enim collata per Chriſtum, principium eſt totius meriti. Quoad ſecundum verò effectum non eſt radix, & principium merendi: non enim eſſentialis meriti ratio, aut ipſe meritorius valor ex apertione cœleſtis regni per ſe pendet. Ergo præclara veterum Patrum opera nequaquam primū incarnationis meruerunt effectum, meruerūt autem effectum ſecundum, & minus præcipuum. Et qui nō fuit illis merendi principium, niſi dumtaxat finale, quatenus cœleſtis ianuæ apertio tenet ſe ex parte vltimi præmij, nempe gloriæ. Quæ ſolum finalis cauſæ influxum habere poterit reſpectu meritorum. Ergo incarnatio Chriſti Domini quantum ad primum effectum nō cadit ſub merito antiquorum Patrum, bene tamen quoad ſecundum effectum. Iſtam ſententiam tenet S. Bonau. vbi ſupra, Alex. Alenſ. 3.p. q.9. membro 3. Verum eſt, quod hi authores non omnino ſibi conſentiunt. Etenim D. Bonau. exiſtimat Patres antiquos meruiſſe de condigno incarnationem Chriſti quoad ſecundum effectum, Alenſ. verò tantum admittit meritum de congruo.

§.3. *Sententia S. Thomæ proponitur, & declaratur.*

VLtima ſententia quā docet S.Th. 3.p.q.2. art. & in.3. ad Anibal. d.4. dicit, Patres antiquos meruiſſe de congruo incarnationem Chriſti Domini, etiam ſecundum eius ſubſtantiam, nullatenus verò de condigno.

Pro reſolutione notandū eſt, in duplici ſenſu poſſe intelligi Patres antiquos meruiſſe accelerationē incarnationis Chriſti. Alter eſt, quod propter merita Patrum Verbum citius in mundum veniret, quàm per diuinum conſilium fuerat diſpoſitum priuſquā, noſtro intelligendi modo, Deus merita Patrum præuidiſſet. Alter ſenſus eſt, quod Deus ante præuiſionē meritorum veter. teſtam. Patrum decreuit quidem Filium ſuum in mundum mittere, non autem deſignauit certum tempus, in quo illum eſſet miſſurus, ſed quantum ad hoc expectauit merita Patrum, quibus in ſua æternitate præuiſis, præfiniuit determinatum tempus incarnationis Filij ſui. Ad eū modum, quo quidam doctiſſimi interpretantur ſententiam Scoti aſſerenus, Chriſtum Dominum fuiſſe prædeſtinatum ante præuiſionem peccati primi parentis. Dicunt enim, quod ante præuiſionem huius peccati ſtatuit Deus vt Verbū fieret caro, at verò in illo priori rationis nō definiuit Deus qualem carnem aſſumpturum eſſet Verbum, paſsibilem ne, an impaſsibilem, ſed hoc poſt præuiſionem peccati originalis decreuit. Quo ſuppoſito, ſequentibus concluſionibus rem iſtam explico.

Reſoluitur quæſtio.

§.4. *Prima concluſio.*

SI acceleratio incarnationis Chriſti in priori ſenſu ſumatur, improbabiliter diceretur, Patres antiquos accelerationem incarnationis Chriſti promeruiſſe. Probatur primo. Hic ſenſus manifeſtè inuoluit mutationem diuinæ voluntatis, & diuini conſilij; ergo improbabilis eſt, & abſurdus. Probatur antecedens. Iuxta hūc ſenſum præſupponimus, Deum ante præuiſa Patrum merita, ſtatuiſſe determinatum tempus incarnationis Chriſti, & quod tandem meritis præuiſis, aliud tempus eidem futuræ incarnationi deſignauit. At hęc manifeſta eſt diuini conſilij, diuineq; voluntatis mutatio: ergo.

Secundò probatur ex illo ad Gal.4. *Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, &c.* Hęc autem temporis plenitudo quid deſignat aliud, quàm tempus diuino conſilio determinatum? ergo non antea Verbum carnem aſſumpſit, quàm adueniret tempus illud, quod fuerat per diuinum cōſilium diſpoſitum: atque adeo Patres antiqui non meruerūt neque de condigno, neque de congruo accelerationē incarnationis Chriſti, in hoc priori ſenſu acceptā.

Ex quo ſequitur, quod ſimpliciter, & abſolutè negandum eſt, Patres antiquos meruiſſe accelerationē incarnationis Chriſti. Quoniam acceleratio incarnationis, ſi propriè, & ad rigorem ſermonis ſumatur, primum ſenſum à nobis expoſitum reddit. Acceleratio enim, ſecundum nominis proprietatem, deſignat, quod res citius fiat, quàm aliàs eſſet facienda.

§.5. *Secunda concluſio.*

SI acceleratio incarnationis in poſteriori ſenſu ſumatur, cū aliqua probabilitate dici poteſt Patres antiquos meruiſſe incarnationis Chriſti accelerationem, ſed multo probabilius oppoſitum aſſeritur.

Prima pars concluſionis probatur argumento primo ex propoſitis à principio dubij. Et præterea probatur, quoniam argumenta, quę ex aduerſo obijciuntur, habere poſſunt apparentem ſolutionem.

Secunda pars concluſionis probatur. Primo. Decretum de incarnatione Chriſti futura, fuit actus diuinæ prædeſtinationis Chriſti, ſed prædeſtinatio cū ſit pars perfectiſſima diuinæ prouidentiæ, diſponit omnia quoad ſingulares etiam circunſtantias, temporis, & loci, &c. ergo in illo decreto diuino de Chriſti incarnatione futura, quod ante præuiſionem meritorum antiquorum Patrum præintelligitur, diſpoſitum fuit nō ſolum de ſubſtantia incarnationis, ſed etiam de tempore determinato, in quo erat futura: atque adeo cum hoc diuinum decretum ſit penitus immutabile, Patres antiqui nequaquam meruerunt, vt Chriſti Domini acceleraretur incarnatio.

Secundo probatur. Merita Patrum antiquorum præuiſa in Dei æternitate fuerunt in Chriſti meritis fundata, ſed hoc verum eſſe non poteſt, ſi contraria ſentētia vera eſt: ergo, &c. Maior eſt fidei Catholicæ veritas, vti ſuperius ex c.4. Actorū oſtendi. Et probatur minor. Non potuerunt in diuina præſcientia præuideri Chriſti merita in aliquo rationis ſigno,

ſigno,ante præuiſionem meritorum Patrum,ſi vera eſt ſententia contraria: ergo,&c. Probo aotecedens. Chriſti merita non potuerunt prǫuideri in æternitate,niſi quatenus cognoſcebantur,vt exiſtentia in aliqua determinata temporis differentia. Sed iuxta cõtrariam ſeutentiam merita Chriſti non potuerunt præcognoſci vt exiſtẽtia in aliquo determinato tempore ante præuiſiooem meritorum Patrum: quoniam ait iſta ſententia, Deum non deſigoaſſe determinatum tempus incarnationi Chriſti,niſi poſt prǫuiſa Patrum merita:ergo Patres antiqui non meruerunt determinationem temporis,in quo futura erat incarnatio Chriſti.

Poſſet huic argumento dici, quod vt Patrum merita inniterentur meritis Chriſti, non fuit neceſſe vt merita Chriſti præuiderentur vt exiſtentia in aliqua temporis differentia,ſed ſatis fuerit,quod præcognoſcerentur à Deo vt infallibiliter euentura, non determinando in hoc,vel in illo tempore. Contra hoc ſic arguitur: Patrũ merita innitebantur meritis Chriſti non in communi, nec in confuſo cõſideratis, ſed determinatè,& in indiuiduo, innitebãtur enim paſſioni Chriſti præuiſæ prout futura erat ſub Pontio Pilato cum omnibus ſingularibus circunſtantijs, quibus fuit ornata: ergo prǫſupponebant merita Chriſti in certo, & determinato tempore futura ſub reliquis ſingularibus poſitam circunſtantijs, quæ ad eorum ſpectabant indiuiduationẽ. Probatur conſequentia. Quoniam circunſtantia temporis eſt vnum ex neceſſario requiſitis ad indiuiduationẽ operis meritorij.

Secundo impugnatur illa ſolutio. Ex ea ſequitur, quod Patres antiqui ſimpliciter meruerunt incarnationem Chriſti Domini,ita quod nõ eſſet homo,niſi præceſſerint ipſa Patrum merita. Conſequens non admittitur à Theologis: ergo. Probatur ſequela: Filius Dei non veniret, quandiu non definiretur à Deo certum, & determinatum tempus, in quo erat futurus, & oppoſitum diceretur improbabiliter. Sed iuxa illam ſolutionem definitio determinati tẽporis præſupponebat Patrum merita: ergo Patres ſimpliciter meruerunt,vt Dei Filius veniret in mundum: ita quod ſi non extarent eorum merita, nunquam de facto Verbum fieret caro.

Duæ propoſitæ concluſiones intelligẽdæ ſuot tam de merito congrui, quàm de merito condigni, nam eadem ratio eſt de vtroque merito, quod attinet ad has concluſiones, vt conſtat ex rationibus factis in earum probationem. Verum eſt,multo certiores eſſe has concluſiones,ſi de merito condigni intelligãtur.

§.6. *Tertia concluſio.*

IMprobabiliter aſſeritur, Patres antiquos meruiſſe de cõdigno incarnationẽ Chriſti Domini quoad ſecundum eius effectum, ſcilicet, apertionem regni cæleſtis. Statuitur iſta concluſio contra Alex. Alenſ. & contra S. Bona. Et præſertim contra S. Bonau. qui meritum de condigno comparatione ad hunc effectum in Patrum operibus agnouit. Probatur primo, totum opus noſtræ redemptionis à Chriſto Domino operatum fuit ex liberaliſſima Dei miſericordia, omni noſtra iuſtitia de medio ſecluſa, iuxta illud Paul. ad Titum cap. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Sed apertio regni cæleſtis pertinet ad opus noſtræ redemptionis tanquam vnum ex potiſſimis eius operibus: ergo fuit ex liberaliſſima Dei miſericordia. Atque adeo improbabiliter aſſeritur, quod Patres antiqui meruerint de condigno hunc effectum, quoniam meritum de coodigno, eſt meritum de iuſtitia.

Hoc argumentum nullam poteſt aliam ſolutionẽ habere, niſi quod merita Patrum quæ de condigno meruerunt hunc effectum, innitebantur iocarnationi Chriſti Domini, prout fuit cauſa primi effectus, nimirum iuſtificationis, & renouationis per gratiã, & ex conſequenti tota iuſtitia, quæ inerat meritis Patrum, reducebatur ad liberalitatem,& miſericordiã Dei,qua Deus fuit vſus nobiſcum,dãdo nobis Filium ſuum, vt cauſam primi effectus incarnationis eius. Ad eum modũ quo noſtra merita, quibus meremur gloriam, reducuntur ad miſericordiam Dei, qua liberaliter nobis confert primam gratiam. Et idcirco ſicut gloria, quæ correſpondet meritis noſtris de cõdigno, ſolet appellari gratia, iuxta illud Paul. ad Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna*, eo quod tota iuſtitia, & condignitas meritorum fundatur in gratia,& miſericordia Dei: ita apertio regni cæleſtis dicitur propriè opus diuinæ miſericordiæ, quamuis reſpoodeat Patrum meritis de condigno,eo quod eorum condignitas,& iuſtitia innitebantur diuinæ miſericordiæ.

Iſta ſolutio vtcumque effugit vim argumenti, & ſufficiens eſt vt eximat ſententiam contrariã ab omni erroris periculo: ſed nihilominus non apparet ſimpliciter ſufficiens, vt illa ſeoteotia ſit probabilis.

Arguitur primo contra illam. Non apparet probabile,quod opus noſtrǫ redemptionis in aliquo potiſſimo eius effectu,qualis eſt apertio ianuæ regni cǫleſtis, ita ſit opus iuſtitiæ, ſicut eſt glorificatio iuſtorum. Etenim iuſtificatio ſimpliciter in ſacris literis 1. ad Timoth. 4. & apud ſanctos Patres appellatur merces, & corona iuſtitiæ. At opus redemptioois noſtræ,ſemper appellatur in ſacris literis abſque vlla diſtinctione primi effectus, & ſecundi effectus, opus miſericordiæ, vt conſtat ex teſtimonio citato ad Titum 3. & Rom. 5. donum vocatur,& gratia, & nuſquam appellatur opus iuſtitiæ: ergo.

Secundo arguitur contra eandem ſolutionem. Apertio regni cæleſtis neceſſaria,& infallibili conſequutione fuit conſequuta mortem, & paſſionẽ Chriſti, in qua Chriſtus ſanguinem ſuum obtulit exuberantiſſimum pretium noſtræ redemptionis: ſed nulla merita de condigno præceſſerunt in præuiſione diuina mortem,& paſſionẽ Chriſti Domini. Etenim tota ſacra ſcriptura mortem Chriſti ad ſolam Dei gratiam,& miſericordiã reducit, iuxta illud Rom. 9. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis*, ideſt, ſuã miſericordiam, & gratiam. *Cum enim peccatores eſſemus*, ſecundum tempus, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt:* ergo apertiooem regni cæleſtis nulla præceſſerunt merita de condigno in præuiſione diuina. Maior eſt certiſſima veritas, & colligitur ex eo quod in Chriſti Domini paſſione velum templi ſciſſum eſt in duas partes,etenim eiuſmodi veli ſciſſura deſignauit apertionem ianuæ regni cœleſtis, ſicut & ipſum velum operiens tabernaculum ſignificabat nondum eſſe apertam, & propalatam ſanctorum viam, vt inquit Apoſt. ad Hebr. cap. 9.

Con-

Confirmatur, vt Chriſtus mereretur nobis perfectam peccatorum remiſſionem, & quoad culpam, & quoad pœnam, nulla præceſſerunt merita de condigno ex parte noſtra: alias enim non gratis, & misericorditer eſſent nobis cõdonata peccata per Chriſtũ, quod eſt hæreſis: ſed apertio regni cæleſtis pertinet ad remiſſionem peccatorum, pertinet enim ad remiſſionem pœnæ damni, imo eſt ipſa remiſſio huius pœnæ damni: ergo &c.

Vltimo probatur concluſio. Mereri de condigno, vt Deus toto generi humano aperiret portam cæleſtem, ſolum pertinet ad illum, qui eſt præditus gratia capitis, quæ eſt gratia virtualiter vniuerſalis, & communis. Sed ſolus Chriſtus præditus fuit gratia capitis, & omnis alia gratia quantacunque ſit, eſt gratia perſonalis: ergo mereri de condigno apertionem ianuæ regni cæleſtis ad ſolum Chriſtum pertinuit. Maior patet. Apertio ianuæ cœleſtis, eſt bonum commune toti generi humano: ergo non poteſt eſſe effectus neque in eſſe phyſico, neque in eſſe morali gratiæ perſonalis, ſed gratiæ capitis duntaxat, cuius eſt proprium influere in omnia membra corporis myſtici. Hoc argumentum eſt efficaciſſimum, & conuincit improbabilitatis oppoſitam ſententiam.

§.7. *Quarta concluſio.*

PAtres antiquæ legis meruerũt de congruo incarnationem Chriſti Domini & quoad ſubſtãtiam, & quoad tempus, & quoad eius effectus, & quoad omnes ipſius circunſtantias. Hanc concluſionem docet S. Th. 3. p. q. 2. art. 11. & expreſſis in 3. d. 4. q. 3. & conſenuunt vniuerſi eius diſcipuli in citatis locis. Et probatur, incarnatio Chriſti cum fuerit poſterior tempore Patribus antiquis, potuit cadere ſub ratione meriti illorum: & in operibus iuſtis ſanctorum Patrum, in eorumque orationibus, & clamoribus aſſiduis, quibus Deum deprecabãtur pro iſto beneficio ſupremo, reperiebatur magna congruitas, vt acceptarentur à Deo: erat enim valde congruum, vt Deus exaudiret clamores amicorum ſuorum, & eorum obſequia acceptaret vt ſibi gratiſsima: ergo rationi conſentit, Patres antiquæ legis meruiſſe de congruo Chriſti Domini incarnationem.

Sed eſt argumentum contra hanc concluſionem. Ex illa ſequitur, quòd opus noſtræ redemptionis nõ fuit ex ſumma gratia, & miſericordia Dei. Cõſequẽs non continet ſanam doctrinam, vt conſtat ex dictis concluſione præcedenti: ergo. Probatur ſequela. Meritum de congruo importat aliqualem rationem iuſtitiæ: alias enim impropriiſsimè appellaretur meritum, etenim meritum dicit reſpectum ad præmiũ, & mercedem. Præmium autem, & merces denotant retributionem debitam ex aliquali iuſtitia. Ergo ſi antiqui Patres meruerunt de congruo incarnationẽ Chriſti, aliqua ratio iuſtitię conſtituenda eſt ex parte hominum, vt hoc beneficium incarnationis Chriſti à Deo ſuſciperent, & ex conſequenti non fuit ſummè gratuitum, & liberale.

Et cõfirmatur. Quamplures grauiſsimi Theologi in materia de gratia, hac ratione mouentur potiſsimum ad negandum meritum de congruo reſpectu primæ gratiæ. Quoniam, inquiunt, ſi admittimus eiuſmodi meritum, ex neceſsitate tenemur admittere primam gratiam nõ conferri ſummè gratis, ſed admiſceri in eius collatione aliquam rationem iuſtitiæ: ergo ſimiliter in præſentia, ſi reſpectu incarnationis Chriſti conſtituimus aliquod meritum de congruo, tenemur admittere hoc beneficium non fuiſſe collatum ex ſumma gratia, & liberalitate Dei.

Ad argumentum negatur ſequela. Pro cuius intelligentia, & explicatione quartæ concluſionis notandum eſt primo, quod inter meritum de cõdigno, & meritum de congruo duæ potiſsimum verſantur differentiæ, ad quas quædam aliæ reducuntur.

Prima eſt, quod meritum de condigno induit rationẽ iuſtitiæ apud Deum, imperfectè tamen, vtpote fundatæ in gratia, & miſericordia Dei. Meritum verò de congruo nullum induit meritum ex iuſtitia, ſed tantum eſt amicabile debitum: regulatur enim iſtud meritum non per leges iuſtitiæ, ſed per leges amicitiæ, ſecũdum quas congruum eſt, & maximè decens, quod amicus ſuum amicum exaudiat, eiuſque opera, & officia ſibi grata habeat, & propter ipſa moueatur ad aliquid faciendum. Ad hanc differentiam reducitur, quod meritum de cõdigno habet infallibilem effectum apud Deum, meritum autem de congruo non item, vt dicunt Sancti. Quoniam lex amicitiæ non eſt adeo ſtricta atque lex iuſtitiæ: non enim poſtulat lex amicitiæ, vt amicus ſemper, & in omnibus ſuum amicum exaudiat.

Ex hac prima differentia ſequitur, quod inter peccatorem exiſtentem in mortali, & Deum, nequit reperiri meritum de congruo. Patet, nam inter huiuſmodi peccatorem, & Deum non conſtat vera amicitia: ergo neque meritum inducens debitum amicabile, quale eſt meritum de congruo. Fateor quidem congruum eſſe, vt Deus exaudiat peccatorem ſupplicantem, & deprecantem pro venia. Verum hæc congruitas tota ſe tenet ex parte diuinæ miſericordiæ, cuius proprium eſt miſereri, & parcere. Et nullo modo ſe tenet ex parte peccatoris, qui quandiu in mortali exiſtit, nihil præter infernum apud Deum meretur, vt inquit Aug. *Quid merebaris peccator, quid merebaris, niſi infernum?* Meritum autem de cõgruo poſtulat, vt congruitas teneat ſe ex parte vtriuſque extremi: & hominis operantis, ac merentis, & Dei præmiantis.

Secunda differentia eſt, quod ad meritum de condigno requiruntur tria. Primum, quod operans ſit in gratia, & amicitia Dei. Secundum, quod operatio vel formaliter, vel virtualiter, vel ſaltem habitualiter fiat propter Deum ſummè dilectum. Tertium, quod ex inclinatione gratiæ, & charitatis dirigatur in illud bonũ, & præmium, quod mereretur. Neque eſt ſatis, quod dirigatur in illud bonum ex ſola libertate liberi arbitrij operantis. De duobus autem primis requiſitis nulla eſſe poteſt dubitatio. Probatur autem tertium requiſitum: quoniam ſi operatio dirigatur in præmium ſupernaturale non ex inclinatione gratiæ, & charitatis, ſed ex ſola naturali libertate operantis, ſequitur, quod talis operatio non ſit omnino proportionata ſupernaturali præmio, neque Deo ſupernaturali præmianti: & ex conſequenti non habet omnimodam dignitatem ad illud præmium, neque illud meretur de condigno. Patet ſequela. Præmium, vt ſupponimus, eſt ſimpliciter, & vndequaque ſupernaturale. At eiuſmodi operatio

quam-

quamuis ſit ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, eſt tamen naturalis quantum ad directionem, qua dirigitur in illud præmium: ergo non eſt illi ſufficienter proportionata.

Ad meritum autem de congruo neceſſariæ ſunt, & ſufficiunt duæ primę conditiones, imo tertia non debet adeſſe, quoniam ſi adſit, iam non erit meritum congrui, ſed condigni. Itaque ad meritũ de congruo requiritur, quod operatio in qua conſiſtit meritum, non dirigatur in pręmium ex inclinatione gratiæ, & charitatis, ſed ex ſola libertate operantis, qui pro ſuo arbitratu refert talem operationem in illud pręmiũ, ad quod ipſa operatio, prout procedit à gratia, & charitate, nullam ex ſemetipſa relationem habet, & in hoc conſiſtit congruitas, quod Deus acceptet huiuſmodi operationem, tanquam meritum illius pręmij, non propter condignitatem perfectam, quam operatio habet cum illo pręmio, quia reuera non habet, ſed quia eſt opus bonum factum propter Deũ, & procedens ab amico Dei.

Hæc doctrina colligitur ex S. Tho. 1.2.q.114.a.3. Ex qua ſequitur Patres antiquæ legis non meruiſſe de cõdigno incarnationem Chriſti, meruiſſe tamen illam de congruo. Pro quo aduertendum eſt, quod gratia cuiuſcunque iuſti, vno excepto Chriſto, qua ratione eſt gratia, & forma ſupernaturalis ordinis, & ex intrinſeca inclinatione ſua refert ſuas operationes in pręmium ſupernaturale, nimirum, in vitam æternam, iuxta illud Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, vbi loquebatur Chriſtus de ſpiritu gratiæ quem accipiunt homines iuſti. Quatenus vero eſt gratia particularis, & perſonalis non refert operationes in præmium, & in bonum commune multis, ſed in premium, & bonum particulare ipſius operantis, in quo differt à gratia capitis, qualis eſt grana Chriſti Domini, quia hæc gratia, cum ſit virtualiter communis, & vniuerſalis, ex ſua inclinatione, & natura refert operationes in bonum commune totius Eccleſiæ. Tunc ergo dico, quod cum gratia collata Patribus antiquis, eſſet gratia perſonalis, non referebat ex ſe ipſa operationes Patrum in Chriſti Domini incarnationem, quæ erat bonum commune totius generis humani, atque adeo operationes Patrum, quantumcunque eſſent ſanctiſſimæ, non valuerunt de condigno mereri Chriſti Domini incarnationem. Cæterum potuerunt illam mereri de cõgruo. Quia ſancti Patres ex libertate propria poterant referre ſuas operatiões ſanctas in iſtud bonum impetrandum.

Ad argumentum ergo, quod fecimus contra quartam concluſionem, neganda eſt ſequela, quoniam, vt conſtat ex dictis, meritum de congruo nullum inducit debitum ex iuſtitia. Quod ſi quæras. Quare ergo appellatur meritum? Reſpondetur, quod impropria, & lata acceptione meritum vocatur, nõ ob aliud, niſi quia eſt operatio in qua reperitur congruitas ad illud præmium, congruitatem habens non ſolum ex parte Dei, & diuinæ bonitatis, ſed etiam ex parte ipſius operantis, & ex cõſequenti operans præſefert quandam ſimilitudinem merentis, & Deus effigiem quandam præmiantis, & idcirco ipſa operatio habet quandam meriti ſimilitudinem: & ob id appellatur meritum quadam cum improprietate, & latitudine.

Ad confirmationem reſpõdetur, illam rationem communiter vſurpatam à Theologis, ſi primo aſpectu conſideretur, parum habere momẽti. Cæterum optimam habet probabilitatẽ, ſi melius inſpiciatur. Etenim cum ſupponendum ſit ex neceſſitate, quod inter peccatorem exiſtentem in mortali, & ipſum Deum, nullum reperiatur meritum amicabile, quia nulla eſt amicitia peccatoris ad Deum, ſi admittimus in illo reperiri aliquod meritũ, virtualiter dicimus tale meritum pertinere ad rationem iuſtitiæ. Nam cum non poſſit regulari per leges amicitiæ, regulandum erit ex neceſſitate per leges iuſtitiæ. Quare merito Theologi grauiſſimi deteſtantur meritum de congruo in homine peccatore, quia vident ſequi iſtud magnum incõueniens, nimirum, quod ſit conſtituenda aliqua ratio iuſtitiæ in peccatore reſpectu ſuæ iuſtificationis, & ſuæ primæ gratiæ.

Ex his ſupereſt explicata quarta concluſio, circa quam breuiter aduerte, quod licet tantum procedat iſta concluſio de Patribus Moſayçe legis, extendenda tamen eſt ad omnes iuſtos, etiam legis naturæ: quia cum cognouerint explicitè, vel implicitè diuinum conſilium de incarnatione Verbi futura, liberum illis fuit ſuas operationes ſanctas in hunc finem referre, vt impetrarent à Deo incarnationis beneficium, quod erat ſufficiens, vt illud mererentur de cõgruo. Verum eſt tamen quod ſpeciali ratione ſolẽt Theologi tribuere hoc meritum de cõgruo Patribus legis Moſaycæ, & illis quibus datum eſt ſignum circunciſionis, eo quod ijs Patribus promiſſum fuit incarnationis beneficium. Nam cæteris iuſtis legis naturæ nulla facta fuit promiſſio incarnationis Chriſti, vt inquit Paul. ad Roman. 10. [Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis ad confirmãdas promiſſiones Patrum, gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.]

§. 8. *Soluuntur argumenta in oppoſitum.*

AD argumenta facta pro prima ſententia reſpõdetur. Et ad primum. Dicitur primo, Patres antiquos ipſam incarnationis Chriſti ſubſtantiam, & deſideraſſe, & petijſſe, & ob id dicebatur Chriſtus deſiderium collium æternorum. Et deſideratus cunctis gentibus. Neque illæ petitiones, de quibus in argumento, aliò tendebant, quam vt Chriſti incarnationem impetrarent. Secundo reſpõdetur, antiquos Patres, conſiderata miſeria, quam patiebantur, deſideraſſe quidem conditionato quodam deſiderio accelerationem incarnationis Chriſti: ſed tandem ſuum deſiderium conformabant diuinæ voluntati, & diſpoſitioni, atque adeo quamuis inſinuauerint Deo ſuum conditionatum deſiderium, non tamen abſolutè petebant accelerationem incarnationis. Ad eum modum Chriſtus Matt. c. 26. dicebat: *Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte*: ſed continuò addidit: *Veruntamen non ſicut ego, ſed ſicut tu vis*. Sic intelligenda ſunt teſtimonia adducta in primo argumento.

Ad ſecundum argumentũ poſſet primò reſpõderi, quòd id, quod eſt principium meriti, ſi eſt propriè, & formaliter principiũ influens in ipſum, non poteſt eſſe pręmium eiuſdem meriti, vt efficaciter oſtendit ſecundum noſtrum argumentum, quidquid dicat Fran-

Franciſcus à Cartagena in ho. de prædeſtinatione hominum, & Angelorum diſcurſu 9. vbi iſte author loquitur contra S. Th. locis citatis, & cōtra communem ſententiam Theologorum aſſerentium, quod id quod eſt principium meriti, non poteſt cadere ſub merito, & contra manifeſtam rationem ſuperius in hoc dubio expoſitam. Cęterum ſi non eſt propriè principium, ſed tantum requiſita conditio ad meritum, non inconuenit, quòd ſit præmium eiuſdē meriti. Quemadmodum miles ſtrenuè pugnans poteſt mereri à duce equum, & arma, quæ fuerunt illi neceſſaria conditio ad ſtrenuè pugnandum. Tunc ergo ad propoſitum dico, quod incarnatio Chriſti nō fuit propriè principium illius meriti de congruo, quo Patres meruerunt ipſam incarnationem, ſed fuit tantum conditio neceſſario requiſita ad iſtud meritū.

Pro quo aduertendum eſt, quod quantum ad hoc idem eſt iudiciū ferendum de incarnatione Chriſti, & de gratia collata Patribus propter incarnationem Chriſti, & eius merita futura. Etenim incarnatio principium fuit, & cauſa meritorum antiquorū Patrum mediante gratia ipſis collata Patribus in virtute Chriſti futuri. Gratia autem, quia non dirigebat, vt diximus, opera Patrum ad incarnationem Chriſti impetrandam, & merendam, non habebat propriā rationem principij influentis vim meritoriam illis operibus: ſed tantum erat conditio requiſita, tenens ſe ex parte operationis, conſtituens ipſum operantē in gratia, & amicitia Dei, quæ eſt conditio prærequiſita ex parte ſubiecti ad meritum de congruo. Et idcirco non inconuenit, quod Chriſti incarnatio ceciderit ſub meritis Patrum, quamuis hoc modo fuerit eorum principium.

Hæc ſolutio olim mihi placuit, ſed nunc diſplicet. Primo, quia falſum ſupponitur, quod gratia ſit tantum conditio requiſita ad meritum de congruo, & non ſit propriè principium influens in ipſum vim meritoriam. Quod probo. Ad rationem meriti de congruo requiritur formaliter, & eſſentialiter, quod opus habeat congruitatem reſpectu præmiantis, & præmij, participatam ex dignitate operantis, vt iam explicuimus: itaque tam in merito de congruo, quā in merito de cōdigno verum habet id, quod dicitur Gen. 4. *Reſpexit ad Abel, & ad munera eius*, id eſt, prius quam Dominus reſpiceret dignitatem munerum, reſpexit ad dignitatem Abelis offerentis munera, quia dignitas munerum in ordine ad meritū oritur ex dignitate offerentis: ergo gratia, quæ fuit in Patribus antiquis, rationem habuit principij influentis valorem meritorum in ipſa opera Patrum.

Secundo. Ex illa ſolutione ſequeretur, quod Patres antiqui meruerint de congruo non ſolū Chriſti incarnationem, ſed etiam gratiam illis collatam per Chriſtum, à qua procedebant ipſa opera meritoria. Conſequēs à nullo Theologorū hactenus fuit aſſertum: ergo. Probatur ſequela. Illa gratia, iuxta aſſignatam ſolutionem, non fuit propriè principiū meritorum, ſed tantū requiſita cōditio: ergo potuit ſub illis meritis cadere. Confirmatur, quoniā, vt aſſerit prędicta ſolutio, in hac parte idem eſt iudicium ferēdum de incarnatione Chriſti, & de gratia collata per ipſum: ergo eadem eſt quoad meritū vtriuſque ratio. Prętermiſſa ergo illa ſolutione. Reſpōdetur ad illud argumentum, quod Chriſti Domini incarnatio fuit cauſa & gratiæ, & meritorum in Patribus antiquis, non prout fuit poſita in executione: nam vt ſic fuit poſterior tēpore & gratia, & meritis Patrū: ſed fuit cauſa gratiæ, & meritorum Patrum, prout præceſſit in diuina diſpoſitione, & præuiſione. Nolo dicere, quòd ipſa incarnatio executioni in tempore noſtro mandata, nō fuerit cauſa gratiæ Patribus veteris teſtamēti collatæ, hoc enim, ſalua fide, negari minimè poteſt: ſed id aſſero, quod modus, ſub quo fuit cauſa eorum, nō eſt ipſa realis eius executio, ſed prout fuit præuiſa in Dei præſcientia, & prout fuit acceptata à Deo quaſi ex tunc pro nunc. Habuitq; ſe Deus erga antiquos Patres ad eū modum, quo ſe haberet mercator, qui daret merces pro pretio, quod certò ſcit ſe accepturū, non ab eo, cui merces tribuit, ſed ab alio, quē ſcit pro eo infallibiliter ſoluturum, à quo tamen non exigit obligationem, vel quia abſens eſt, vel alia ex cauſa, ſed ſcit, quod cum venerit & potēs erit ſoluere, & de facto omne ſoluet debitum, ab eo, cui dat merces, contractum. Etenim nō eſt cōmentandum, quod Dei Filius ante incarnationem ſuam quidquā Deo promiſerit ſoluendum, cum incapax tunc certò eſſet talis promiſſionis faciendæ: ſed Deus certò ſciens Verbum futurum eſſe carnem, & præuidens ingentes eius in ſua humanitate futuros theſauros, amoremque ipſius eximium ad homines, ex quo magnū quodcunque pretiū non dubitaret pro eis exſoluere, hac, inquam, certa pretij expectatione, & omnia antiquis Patribus peccata dimiſit, & ſupernaturalia contulit dona, gratiam videlicet, & adoptiuam filiationem multis Spiritus ſancti donis aſſociatam. Vnde exemplum eius, qui promiſit pretium pro redemptione captiui, non in omnibus quadrat, ſed in eo ſolum, quod is, qui libertatem concedit, nō facit niſi expectato futuro pretio, & quod is, qui promiſit, verè dicitur captiuum liberare, quando pretium quod promiſerat, perſoluit, etſi multo tempore ante ſolutionem fuerit liberatus.

Quo ſuppoſito, dico, quòd opera antiquorum non meruerunt incarnationē Chriſti, prout in diuina diſpoſitione, & præuiſione præceſſit, id eſt, non meruerūt, quod Deus ſua diuina diſpoſitione prędefiniret ab ęterno incarnationē Chriſti in tēpore futuram: ſed prius ſecundum rationem prædefiniuit Chriſti incarnationem, quam pręuideret ipſa Patrū merita. At Patres antiqui meruerūt de congruo Chriſti incarnationem quantum ad temporalem eius executionem, nam vt ſic fuit poſterior eorum meritis. Et non inconuenit, quod aliquo modo in eſſe morali, ſit effectus meritorū Patrum: quemadmodum medium habet rationem effectus reſpectu finis prout eſt in intentione: eſt autem cauſa effectiua eiuſdem finis, prout ponitur in executione. Igitur incarnatio Chriſti ſecundum quod fuit cauſa per modum finis & gratiæ, & meritorum antiquorum Patrum, nullo modo fuit præmium eorundem meritorum.

Sed arguitur contra hanc ſolutionem dupliciter. Primo incarnatio Chriſti, & eius paſſio, quatenus poſita in executione, fuit cauſa meritoria totius gratiæ collatæ Patribus, & omnium etiam meritorum ipſorum Patrum. Etenim Chriſtus paſſione ſua non ſolum meruit gratiam conferendam fidelibus noui teſtamenti. Sed meruit, & omnem gratiam conferendam poſt ipſam mortē, & antea collatam. Vna forſan

ſan excepta gratia, ſcilicet, collata Adæ in ſtatu innocẽtiæ: ergo incarnatio Chriſti Domini, etiam prout fuit poſita in executione, non potuit cadere ſub Patrum meritis.

Arguitur ſecundo. Incarnatio Chriſti erat infallibiliter futura ex ordine diuinæ ordinationis, & prædeſtinationis Chriſti. Imo erat quodam modo debita mundo ratione promiſſionis diuinæ; ergo etiam ſi non interueniſſẽt merita Patrum, incarnatio Chriſti de facto eſſet futura. Rurſus: ergo impertinenter ſe habuerunt Patrum merita ad incarnationẽ Chriſti, non autem ſunt admittenda merita impertinentia apud Deum: ergo, &c.

Ad primum, dicitur primo, quod incarnatio Chriſti quamuis in executione poſita fuerit cauſa meritoria, & gratiæ, & meritorum Patrum, de qua re nõ vacat in præſentia ad longum differere, ſatis fuerit dicere, quod ſicut is, qui ſoluit pretium, quod promiſit pro captiui libertate, verè tunc dicitur liberare captiuum, etſi iam olim in libertatem fuerit aſſertus, ita Chriſtus cum exſoluit pretium, verè antiquos Patres redemit, & cauſauit eorum gratiam, quæ libertatem ſpiritus facit formaliter. Legatur Mag. Sot. in 4. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 3. paulo poſt principium. Nihilominus tamen, quia fuit poſterior tẽpore meritis antiquorum Patrum, potuit ſub ipſis meritis cadere ex quadam congruitate. Vnde illa doctrina S. Th. & communis, ſcilicet, quod id quod eſt cauſa meriti, nõ poteſt cadere ſub eodem merito, eſt limitanda ad id, quod taliter eſt cauſa meriti, quod eſt prior ipſo, & quod per modum efficientis principij, quod ad ſuam efficientiam, poſtulat exiſtentiã actualem, cauſa eſt ipſius meriti. Nam ſi fuerit poſterior tempore, relinquitur locus, vt cadat ſub merito de congruo. Quamuis fortaſſis non poſſit cadere ſub merito de cõdigno. Quemadmodum ſi quis ſe obligauerit ſub ſignato chyrographo ad dandum centũ pro redemptione Petri: quamuis actualis exhibitio illorũ centum ſit cauſa moralis redemptionis Petri præcedentis, & libertatis eius, nihilominus poterit cadere ſub meritis de congruo ipſius Petri redempti. Itaque Petrus poſtquam fuerit poſitus in libertate per obſequia libera, quæ exhibet ei qui ſe adſtrinxit dare illa centum, mereretur de congruo actualem exhibitionem illorum, mereturque vt redemptor libentiori animo det, quam alias eſſet daturus. Ita in præſenti, opera bona antiquorum Patrum meruerunt de congruo, vt Deus exhiberet de facto beneficium incarnationis, quod alias ex vi ſuæ promiſſionis ipſe exhibiturus erat, & ſi per impoſſibile diuinæ voluntati poſſet accidere aliqua noua affectio, merebãtur illa opera quantum erat ex ſe ipſis, quod Deus libentiori animo conferret mundo hoc beneficium, quàm aliàs illud eſſet collaturus.

Secundo reſpondetur, quod incarnatio Chriſti in executione poſita, ſi ſola conſideretur, non habet rationem cauſæ meritoriæ gratiæ, & meritorum antiquorum Patrum, ſecũdum & gratiæ, & meritorum ſubſtantiam, & ſecundum eum modum, quo præceſſerunt in ſeipſis (nam aliud eſt de conſummatione, quam per Chriſtum poſt eius paſſionem, & reſurrectionem acceperunt.) Etenim meritum aliquã anteceſſionem debet habere reſpectu præmij. Vnde incarnatio Chriſti conſiderata præciſè vt fuit poſita in executione poſterius tempore gratia, & meritis Patrum, nõ potuit eſſe cauſa meritoria eorum, fuit autem meritoria eorũ cauſa, quatenus conſideratur ſub illa præuiſione diuina, quæ anteceſſit gratiam, & merita Patrum. Quo fit, vt in executione poſita cauſa fuerit meritoria gratiæ collatæ Patribus ſecũdum eius ſubſtantiam, nõ abſolutè ſumpta, ſed prout habuit vim adimplendi promiſſionem factã Patribus, & efficacem diuinę mentis intẽtionem, qua ab æterno ſtatutum fuit vt Filius Dei in carnem veniret, vt pro omnium peccatis moreretur, omnibuſq; mereretur ſalutem, & primã, & vltimam: & quod nullus, niſi per Chriſtum, gratiam aſſequeretur. Sicut realis pretij exhibitio in caſu ſuprapoſito non aliter cenſeretur cauſa moralis redẽptionis Petri, niſi quatenus eſt complementum neceſſarium illius obligationis, quæ præceſſit Petri redemptionem. Tunc ergo dico ad argumentũ, quod Patres antiqui meruerunt quidem de congruo incarnationẽ Chriſti in executione abſolutè conſideratam, non autem meruerunt illam ſecundũ quod fuit complementum diuinæ pręordinationis, & promiſſionis: nam ſicut non meruerunt quod pręceſſerit in intentione Dei, ſed hoc ex ſola Dei miſericordia, & gratia ortum habuit, ita neque eius exequutionẽ meruerũt ſub illa formali ratione, qua fuit completiua promiſſionis. Vnde Patres meruerunt quidem Chriſti incarnationem promiſſam à Deo, ſed non vt promiſſam, namque promiſſionis implemẽtum formaliter ad eum ſpectat duntaxat, ad quem aliqua ratione pertinuit iſta promiſſio.

Hæc doctrina explicari poteſt exemplo ex cauſa finali deſũpto, quod nullatenus erit ineptũ, eò quod Chriſti incarnatio ad modum finalis cauſæ gratiam antiquorũ iuſtorum promeruit. Bene ſtat, quod quis mereatur alicui ſanitatem, & tñ quod nõ mereamur eidem ipſammet ſanitatẽ, quatenus in eius præfuit intentione, ipſum mouens metaphoricè, & per modum cauſæ finalis. Vnde & ſi ſanitas in executione daretur infirmo propter illius hominis merita, non diceretur dari pro meritis ea ratione qua eſt terminus intentionis, & deſiderij præcedentis in volũtate infirmi: quia talis intentio nõ pertinuit ad merentẽ, ſed per accidẽs ſe habuit ad ipſum, & ad eius merita. Et ſi quis effectus quem faceret ſanitas, prout intẽta ab infirmo, non pertineret ad ipſum merentem: ita in pręſentia, quia Chriſti incarnatio fuit cauſa gratię antiquorum prout à Deo intenta, hoc non pertinuit ad merita antiquorum Patrum: atque adeo incarnatio Chriſti prout fuit cauſa gratiæ, & meritorum antiquorum Patrum nullo modo fuit ipſorum pręmium, neque de condigno, neque de congruo.

Ad ſecundum reſpondetur primò, quòd, vt inquit Caiet. in opuſculo de fide c. 9. nihil inconuenit, quod id, quod eſt debitum alicui vno titulo, fiat ei debitũ alio nouo titulo, v. g. Chriſto Domino debita erat gloria ſui corporis debito quaſi naturali, propter perſonalem vnionem naturæ ad Verbum: & eadem gloria fuit illi debita debito morali, propter merita ipſius Chriſti. Ita dico in præſenti, quod beneficium incarnationis, debitum mũdo titulo diuinæ promiſſionis, potuit ei fieri debitum alio nouo titulo, nimirum propter merita Patrum.

Secundo reſpondetur, quod quamuis hoc beneficium infallibiliter eſſet futurum ex vi diuinę præordina-

dinationis, & promiſſionis, nihilominus merita Patrum non fuerunt impertinentia. Nam licet non fuerint ſimpliciter neceſſaria, quia incarnatio Chriſti non dependebat ex merito Patrum, neque cuiuſuis creaturæ, ſed ex ſola diuina promiſſione, vt apertè Paul. ad Ro. 3. in illis verbis ait, *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? abſit.* Quorum planus ſenſus is eſt, quod promiſſio qua Deus promiſit Patribus beneficium incarnationis, abſoluta fuit omnino imdependens à fide, & operibus hominum: ſic adeo vt quamuis nullus aſſentiret Deo promittenti, neque vlla interueniret Patrum merita, diuina promiſſio ſuum ſortiretur effectum. Id ipſum inſinuat ipſe S. Pau. ad Ro. 4. *Ideo ex fide, vt vera eſſet promiſſio:* Sed tamen Patrum merita habuerunt optimam decentiam, vt ex quadem cōgruitate impetrarēt à Deo illudmet beneficium, quod alias Deus exhibiturus erat mundo ex vi ſuæ diuinæ promiſſionis. In qua re optimè actum eſt cum hominibus, & cum tota humana natura, vt aliqualem gloriam poſſit habere ſuper hoc diuinum beneficium, eo quod puri homines, Patres ſcilicet, antiqui, illud vtcunque ſuis operibus meruerint, ſuiſque orationibus à Deo impetrauerint. Hactenus de primo argumento.

Ad primam confirmationē iam dictum eſt, quod Patres antiqui nullo modo meruerunt incarnationem, quatenus incarnatio eſt cauſa meritorum ipſorum Patrum.

Præterea dicitur, quod inter gratiam, & incarnationem Chriſti, quod attinet ad præſens, eſt latum diſcrimen: quoniam gratia vt ſit principium, & cauſa meriti, neceſſe eſt, quod præexiſtat in anima merentis. Quia eſt eorum cauſa per modum principij efficientis, & formalis. Et ita nullo modo cadere poteſt ſub illo merito, cuius ipſa eſt cauſa, & principiū. Incarnatio vero potuit eſſe cauſa meritorū antiquorum Patrum, ad modū cauſæ finalis, & ob id potuit eſſe tēpore poſterior ipſis meritis, atque adeo potuit aliquo modo ſub eiſdē meritis cadere. Fuitq; proinde cauſa quaſi in genere cauſę finalis, & effectus ipſorum meritorum quaſi in genere cauſę efficientis, in quo nulla eſt repugnantia, & implicatio: & nihilominus potuit eſſe tempore poſterior illis, vt fuit de facto, & ex hac parte potuit cadere aliquo modo ſub illis meritis.

Ad ſecundā confirmationē patet ſolutio ex dictis ad ſecundū argumentum. Negandū eſt enim omnino Patres antiquos meruiſſe de cōgruo ſuā gratiam, quia nō meruerūt incarnationem, quatenus fuit eius cauſa. Concedi tamen poteſt, quod meruerunt de cōgruo conſummationē ſuæ gratiæ, & gratiā omnem collatam fidelibus noui teſtamenti. Hoc patet, quia meruerunt incarnationē ſecundum quod eſt poſita in executione, ſed incarnatio vt ſic fuit cauſa & conſummationis gratiæ antiquorum Patrum, & omnis gratiæ noui teſtamenti: ergo meruerunt etiam conſummationē ſuæ gratiæ, & gratiam noui teſtamenti, per illā regulam, Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, &c. Neque verò eſt incōueniens, quod inadęquatè antiqui Patres ſuæ gratiæ conſummationem mererentur, itaque meritū terminaretur directè ad incarnationē prout erat totius gratię conſummatiua in toto humano genere, & quia eorū gratia ſub hac vniuerſali ratione comprehendebatur, inadæquatè ſub iiſdem meritis caderet. Secundo reſpondetur, quòd ſicut gratia per opera bona poteſt eam ſui conſummationem mereri, quæ eſt per gloriam futura: gratiam enim mereri vltimā hominis felicitatem, quam gloriam vocamus, non eſt aliud, quàm mereri ſuipſius cōſummationem, eſt namque gloria gratia conſummata. Ita nihil repugnat, quod Patres olim meruerint ſuæ gratiæ conſummationem directè, & ex vi meritorum.

Ad tertium argumentum negatur conſequentia, & ſatis bene reſponſum eſt ei inter arguendum. Ad replicam negatur, quod Patres potuerint mereri de condigno beneficiū incarnationis, propter rationem à nobis aſſignatam circa quartā concluſionem.

Ad cōfirmationem vltimam, quamplures Theologi libenter admittunt, quod per abſolutā Dei potentiā Patres antiqui potuerunt de condigno mereri Chriſti Domini incarnationem. Quoniam potuit Deus peculiari quadam prouidentia dirigere, & referre diuina quadam directione merita Patrum ad iſtud bonum commune toti mundo, qua ſuppoſita directione, opera Patrū eſſent meritoria de condigno huius tanti boni. Sed tamen in illo caſu opera Patrum nō haberēt ex gratia collata per Chriſtum, quod eſſent meritoria de condigno incarnationis Chriſti, ſed illud haberent ex peculiari Dei prouidētia, & ordinatione. Ita ſoluunt hoc argumentum plerique Theologi. Et addunt nonnulli, quod ob id in tali caſu verum interueniret condigni meritum, cui ex iuſtitia, etſi non rigoroſa, debita eſſet diuini Verbi incarnatio loco præmij, quia promiſſio Dei in tali caſu oneroſa fuiſſet, ideſt, exigēs ad ſui adimplementū opus aliquod ex parte eius, cui fiebat promiſſio. Vnde tali opere poſito, inſurgeret iuſtitiæ meritoriæ ius in operante, quo illi debita fieret promiſſionis adimpletio. Colliguntq; hanc ſententiam ex illo Gen. 22. quod dixit Deus Abrahæ: *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti vnigenito tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum,* &c. ex quo loco videtur colligi, quod Abraham facto illo, quo voluit Iſaac filium ſuum immolari Deo, meruit de condigno benedictionem, quam ibi accepit, quæ planè benedictio, fuit promiſſio naſcituri Meſſiæ venturi, vel, vt formalius loquar, promiſſio naſcituri Meſſiæ ex ſemine ipſius Abrahæ.

Sed breui reſolutione rem iſtam abſoluam. & primo aſſero. Improbabile eſt, quod antiqui Patres, aut eorum quiſpiam de condigno Chriſti incarnationē meruerint. Patet hoc ex dictis circa 3. concl. Dico præterea ſecundo, quod neque etiam meruerunt, vt Chriſtus ex eorum deſcenderet genere, tribu, aut familia. Loquor ſimiliter de merito cōdigni. Probatur primo, quia hoc meritum non pertinet ad gratiam ſingularis hominis, cum bonum iſtud quod merentur, ſit bonum vniuerſale, & commune: ergo, &c. Secundo probatur. Iſtud bonum eſt infinitum, & ſummum, nam licet huiuſmodi meritū ſuppoſuerit efficacem Dei voluntatem de Verbo in carnem venturo, at hoc nō tollit, quod familia, quę ſibi hoc tantum bonum ſuis meritis applicaret, reuera non mereretur ſummum, & infinitum bonum. Quia bonum illud quod Abraham, aut Dauid ſibi, ſuæque familiæ applicaret, eſt infinitum, & illud ſibi ante

non erat debitum: ergo faceret ſuis meritis ſibi debitum infinitum bonum. Sed hoc non poteſt meritis puræ creaturæ competere, quia ſunt valoris finiti: ergo, &c. Et id, quod hic affertur in contrarium ex 22. c. Geneſis, eſt impertinens ad id, quod probare intenditur. Etenim ibi non præceſſerat Dei promiſſio de Meſſia ex ſemine Abrahæ naſcituro, ſi ipſe Abraham obediuiſſet Deo circa filij ſui Iſaac immolationem, ſed poſt factũ obedientiæ ſuperuenit promiſſio, cui Deus iuſiurandum præmiſit, vt non in opere Abrahæ, ſed in diuino Verbo tam grandi iuramento firmato, promiſſionis firmitas poneretur, iuramenti huius magnitudinem, & vim ponderauit Paul. ad Heb 6. expendantur loca ex Paul. adducta in ſolutione ad ſecundum huius difficultatis. Ponderandumque valde eſt, nuſquam Deum Abrahæ dixiſſe, ſi feceris rem hanc benedicam tibi, &c. ſed *quia feciſti*, vt oſtenderet promiſſionis certitudinem non pendere ex aliquo facto ipſius Abrahæ, ſed ex ſolo Dei firmiſſimo verbo, tanta iuramenti ſolẽnitate confirmato. Quamuis ipſa Abrahæ obedientia occaſio fuerit diuinæ promiſſionis ipſi factæ: ſumpſit enim Deus ex ea promittendi occaſionem.

Dico tertio. Non eſt improbabile, quod ſecũdum potentiam abſolutam Dei, Patres antiqui potuerint de condigno incarnationem Chriſti promereri, nimirum, interueniente Dei promiſſione oneroſa. Sed oppoſitum eſt mihi probabilius, Priorem partem aſſertionis concedimus multis Theologis ita exiſtimantibus, è quorum numero eſt Mag. Medina 3. p. loco citato. Poſterior antem pars probatur. Poſita illa Dei oneroſa promiſſione, opus præſtitum ab eo cui fuiſſet facta promiſſio, non eſſet condignum tanto præmio, neque vllam ad ipſum intrinſecã haberet maiorem proportionem, quam ſi promiſſio non præceſſerat: ergo inter meritum illud, & præmium non alia condignitas, & proportio eſſet, quã quod promiſerat Deus ſe daturum tale præmium, ſic operanti, ſed hęc tota condignitas ſolam facit fidelitatis obligationem, & non iuſtitiæ, quia nõ eſſet condignitas rei ad rem, ſed conditionis requiſitæ ex parte promittentis, adhibitæ ex parte eius, cui facta fuerat promiſſio: ergo impropriiſſimè aſſeritur ibi reperiri meritum de condigno, cum talis meriti ratio non ad fidelitatem promittentis, ſed ad operis meritorij condignitatem, ſi non totaliter, magna tamen ex parte eſſet referẽda. Nam inter rem, & rem, puta, inter meritum, & præmium nulla eſſet æqualitas, aut æqualitatis proportio, niſi quæ ex promiſſione, & ordinatione Dei proueniret, quæ extrinſeca prorſus eſſet, & ſecundum quid. Vnde & ſolam iuſtitiæ rationem ſecundum quid in merito poſſet conſtituere.

Ex his ſupereſt ſolutũ argumentum tertium cum ſuis confirmationibus, argumenta verò quæ pro ſecunda formauimus concluſione, ex dictis circa quartam concluſionem poterit Theologus facili opera diluere.

Hæc omnia, quæ de meritis Patrum veteris legis tam fusè diſcuſſimus, applicanda ſunt ad ſolutionem quarti, & vltimi argumenti principalis huius ſecũdi dubij. Cuius occaſione iſthæc de antiquorum Patrum meritis dicta fuere. Igitur ad quartum illud argumentum neganda eſt minor propoſitio, maiori conceſſa. Eius probationi vtraque antecedentis conceſſa præmiſſa, negatur conſequentia, & ratio differentiæ inter Patrum merita, quibus Chriſti incarnationem meruerũt, & meritum illud, quod fingimus in Chriſto eſt duplex.

Prima, quæ ſatis eſt manifeſta, in hoc ſita eſt, quod merita Patrũ fuerunt de congruo duntaxat, quę non tam in lege iuſtitiæ, quã in lege amicitiæ fundãtur, atque adeo non magnũ apparet inconueniens, quod cum id, quod eſt prima merendi radix, primumque principium, poſterius eſt ipſis operibus meritorijs, cadat ſub ipſorum merito de congruo. Quia totum, quod ibi eſt formaliter ad meriti rationem ſpectãs, non tam in ipſa operum condignitate, & æqualitate, (quàm iuſtitiæ ratio, & lex poſtulat) quam in ſpeciali Dei beneuolentia fundatur: & quoniam hæc beneuolentia nõ tam innititur illi principio, illiq; primæ merẽdi radici, nimirum Chriſti incarnationi, quam ipſi liberali Dei voluntati, idcirco meritũ de cõgruo nõ repugnat, quin potius decet quamplurimũ ipſam amicitiæ legem. Cæterum meritum Chriſti eſſet de condigno, tum quia cum ſit ſecundũ ſe infinitum in ratione meriti, nihil mereri poteſt, quod nõ ex iuſtitia, & ex vi ipſius operis mereatur, atque adeo hoc ipſo, quod Chriſti incarnatio ſub Chriſti meriti poteſtate conſtitueretur, indueretq; præmij rationem, continuo ipſum Chriſti meritum mereretur eam de condigno. Infinitas.n. meriti poſtulat, vt ex perfecta iuſtitia, & exacta mereatur totũ id, quod habere poſſit præmij rationẽ. Tum etiam, quia ſi ex cõgruo tm̃ Chriſtus ſuã ſequentibus operibus incarnationẽ mereretur, oporteret dicere, ꝙ incarnatio non habuit ſimpliciter dependentiã ab illis Chriſti meritis, ſed quod abſque vlla dependentia diuinũ Verbum vnitũ fuit humanitati. Et hoc eſt manifeſtũ, quia cũ merita de congruo non induant infallibilẽ acceptationẽ ex parte præmiantis, non potuit in eis fundari incarnationis myſterium, quod perpetuũ eſt, & firmiſſimũ, ac beneficium penitus irreuocabile. At lex amicitiæ, ad quã pertinet meritum congrui, nullatenus poſcit, quod beneficium iam ſuſceptum, vt perpetuum, & irreuocabile reſpondeat in ratione præmij operibus ipſius tale beneficium poſſidentis, imo hoc eſſet impertinens, & otioſum. Et quidem officioſa illa amicitiæ opera, quæ beneficium independenter, & irreuocabiliter collatum ſequuntur, ad amicabilem quidem gratitudinem ſua natura pertinẽt, ad meriti autem rationem nequaquam, ſi ad beneficium ſuſceptum comparentur. Vnde beneficium ipſum materia quidem eſt gratitudinis, non verò meriti. Quod crediderim veriſſimum, etſi opera ſequentia non innitterentur ipſi beneficio ſuſcepto.

Secunda differentia, quę ex dictis colligitur ea eſt, quod ſi huiuſmodi ſequens meritum in Chriſto admittamus, conſequenter eſſet dicendum, Chriſtum meruiſſe incarnationem ſuam, ea ratione qua eſt ipſius meriti radix, & cauſa: totus namque cuiuſuis meriti Chriſti valor fundatur in gratia vnionis, ſaltem radicaliter, etſi immediatè à gratia habituali deriuetur. At Patres antiquæ legis non ea ratione Chriſti incarnationem meruerunt, qua fuit cauſa gratiæ ipſorum, in qua illa fundabantur merita cum omni ſuo valore, meruerunt quidem Chriſtum prout futurum ſua gratiæ, ſuorumque meritorum conſum-

ma-

matorem, nō vero prout ipſammet gratiam, & merita, quæ ex ea procedebant quantum ad ſubſtātiam cauſauit. Eſtque ad plenam, & nunc, & ſuperius dictorum intelligentiam aduertendum, quod etſi mēte fingamus, verbum abſque vlla promiſſione præcedenti carnem aſſumpſiſſe, fateri nihilominus debemus, quod poſtquam fuit caro factum, ad ipſum ſpectabat omnem noſtram gratiam conſummare, & perficere: eo quod gratia pertinet ad Chriſtum, vt ad primum eius fontem, & originem: eſtque in eo ſicut in ſubiecto adæquato, cui competit quaſi per eſſentiam, vti q.2.a.2. & q.3.a.1. dicebamus. Vnde iure optimo Chryſoſt. hom. 13. in Ioan. Chriſtum fontē gratiarum omnium appellat. Et ob id, inquit, dicitur Ioan. 1. quod *gratia, & veritas per ipſum facta eſt:* non data, ſed facta dicitur, vt ex proprijs Chriſti denotaretur emanaſſe. *Damus enim*, ait Chryſoſt. *quod ab alio accepimus, facimus verò ea, quæ in noſtra præhabebamus poteſtate.* Ex quo ſequitur, quod vt Patres vet. teſtam. meruerint Chriſtum vt conſummatorem totius gratiæ non neceſſe fuerit, quod diuinā promeruiſſent de Chriſto venturo pollicitationem, aut eius aduentum, prout fuit diuinæ pollicitationis completiuus, ſed ſatis fuit, quod abſolutè, & quaſi materialiter ipſum promeruerint. Non nego quin promiſſio de aduentu Chriſti fuerit neceſſariò præſuppoſita ad meritum de congruo veterum Patrum. Nam certè illa ſemota, neque eorum mens ad tanti beneficij deſiderium aſſurgeret, neque eorum opera quidpiam haberent valoris ad tam ſublime, tam excellens, tamque infinitum bonum vlla ratione impetrandum, aut promerendum. Sed id tantū affirmo, quod eorum merita, licet præſupponerēt neceſſariò incarnationis promiſſionem, nō tamen formaliter ex parte præmij reſpiciebant vt promiſſam: ita quòd mererentur eam qua ratione fuerat à Deo promiſſa. Nam ſicut Patres veteres nullatenus mereri potuerunt, quod Deus Filij ſui aduentum es promitteret, ita neque merita ipſorum ad hoc valuere, vt ſuā Deus ipſis adimpleret promiſſionem (ſi de ipſa, deque eius adimplemento formaliter loquamur) & ſi rem promiſſam meruerint. Quod ſatis ſuperque fuit, vt Chriſtum mererentur tanquam gratiæ cōſummatorem.

Cæterum vt intelligi valeat, Chriſtum meruiſſe gratiam Patribus antiquis collatā quantum ad ſubſtantialem eius entitatem, & quantum ad formalem effectū, quē ipſis conferebat, vt reuera meruit quando noſtra fuit carne indutus, duo fuerunt neceſſaria: Alterum, quod ab æterno præceſſerit promiſſio diuina de incarnatione Verbi futura, aut ſaltē voluntas Dei efficax, cuius virtute incarnatio Verbi omni cum certitudine, & infallibilitate futura eſſet: ita quod præcognoſci poſſit in æterna Dei præſcientia, quod Chriſtus infallibiliter exoluturus erat ipſum neceſſarium noſtræ redēptioni pretiū. Alterum verò quod Verbum caro fieret, ea formali ratione, vt id quod erat præuiſum in Dei præſcientia, & diuina prouidentia, efficaci interueniente eius voluntate, diſpoſitum de humani generis redēptione pretioſo Chriſti ſanguine exequenda, debitū acciperet complementum. Nam aliàs nulla cū proprietate Chriſtus paſſione ſua dici potuiſſet mereri, cauſareque gratiā illam, quæ iam olim præceſſerat in veteribus iuſtis hominibus. Sicut qui poſt libertatē captiui pro eius redemptione promiſſum reddit pretium, non ob aliud tunc dicitur moraliter efficere redemptionem captiui iam prius factam, niſi quia dat pretium, ex cuius promiſſione, & expectatione præceſſerat ipſa captiui liberatio. Ex quo infero, quod cum Patres antiqui, vt dudum dicebam, nō meruerint primum Chriſti aduentum ea formali ratione, qua fuit promiſſionis diuinę completiuus, aut illius efficacis voluntatis, cuius conſilio diſpoſitum fuit hoc excellens myſteriū, ſicut multo minus meruerū, quod Deus vellet efficaciter illud beneficium mundo conferre, aut quod ipſum hominibus promiſerit. Idcirco non mereri potuerūt Chriſtum prout fuit cauſa illius gratiæ, quæ in ipſis præceſſit, etſi meruerint eum prout eiuſdem gratiæ conſummatorem. Ex quo tandem ſequitur noſtræ ſolutionis veritas, nimirum quod non meruerint Chriſti incarnationem prout fuit radix, & principiū eorundem meritorum. Quia non ipſam meruerunt prout cauſa fuit gratiæ ipſorum Patrum, quantum ad ipſius ſubſtantiam, ex qua omnia eorum merita ſuum omne ſortiebantur valorem. Et hæc ſufficiant ad illius quarti argumenti ſolutionem.

Verum inſtat quis contra omnia, quę hactenus diximus: Si Chriſtus ſuam incarnationem nō meruit, quam tamen antiqui Patres promeruerāt, ſequitur, quod meritū Patrum perfectius fuit merito Chriſti. Conſequens non eſt vllatenus admittendū: ergo, &c.

Reſpondeo, quod Chriſti meritum multis partibus Patrum veterum exceſſit merita: nam Patres de congruo, Chriſtus de condigno meruit, illi ex lege amicabili meruerunt, Chriſtus verò ex toto iuſtitiæ rigore.

Contra ſequitur, quod ſaltem ex parte termini, ideſt, ex parte præmij eſſet perfectius meritum Patrum, quia meruit incarnationem, quam Chriſti meritum non attigit.

Negatur ſequela, quia Chriſtus ob id non meruit ſuam incarnationem, quia fuit cauſa omnium eius meritorum, & ita repugnauit ei eſſe præmium meritorum eorundem. At potuit Chriſtus applicare ſua merita ad incarnationem Patris, & de rigore illam meruiſſet.

Sed vt intelligamus modum loquendi, quo hactenus vtebamur, aſſerentes Chriſti incarnationem per modum cauſæ finalis promeruiſſe & gratiam, & bona opera antiquorum Patrum, duo ſunt breuiter aduertenda.

Primum eſt, quod incarnationis Chriſti nomine comprehendimus ipſum Chriſtum, & eius opera meritoria, præſertim paſſionem, proprijq; ſanguinis effuſionem, quibus ipſi redemit humanum genus, gratiamque meruit, & gloriam vniuerſis, qui iuſti ſunt, fuerunt, & erunt. Vnde Chriſtus non ſolum dicitur ab origine mundi incarnatus, ſed & agnus occiſus. Apoc. c. 13.

Secundum eſt, quod cū dicitur Chriſtum per modū cauſæ finalis meruiſſe Patribus veteribus gratiā, nō debet ſumi rigoroſè modus finalis cauſæ. Etenim cauſa finalis præcedit in intentione agentis mouens ipſum ad ſui conſequutionem. Itaque finis præcedit, non quia futurus eſt, ſed vt fit futurus, & iuxta hunc modum mouet, & cauſat finaliter. Cæterum Chriſti incarnatio nō vt eſſet futura, cauſabat, aut mouebat, (loquimur latè de motione) ſed quia futura erat.

Itaque præuidens Deus eam infallibiliter eſſe futuram, ipſius intuitu gratiam contulit antiquis Patribus. Dicitur autẽ cauſare per modum finis, eo quod non fuit cauſa illius gratiæ prout exiſtens, quæ eſt cõditio cauſæ efficientis, & cauſalitatis eius, ſed prout apprehenſa, & per Dei voluntatem, & intentionem acceptata. Qui eſt modus magis ad finalem cauſam, quam ad efficientiam pertinens.

Ad confirmationem verò illi quinto argumento ſuppoſitam, quæ de B. Virginis meritò procedebat oportet deinceps dicamus. Quam rem Mag. Medin. loco citato erudite, & fusè proſequitur, & ob id nos difficultatẽ iſtã breuiter explicabimus. Igitur in illa dubitatione. Num videlicet beatiſſima Virgo de condigno meruerit eſſe Chriſti matrem, Gabriel, & Almainus in 3. d. 3. partem affirmatiuam tuentur, quibus adhærent quidam doctiſſimi moderni. Sententiam oppoſitam docent quamplures alij, exiſtimantes meruiſſe quidem de congruo, vt aſſumeretur in Chriſti Domini matrem, non autem de condigno. Et quidam ex ijs auctoribus, inter quos eſt Mag. Med. exiſtimant oppoſitum non eſſe ſatis tutũ in fide, & probant, quoniam ſi B. Virg. meruit de condigno, vt eſſet Chriſti mater, ſequitur, quod meruit de condigno Chriſti Domini incarnationem. Conſequens aduerſatur fidei Catholicæ, qua confitemur incarnationem Chriſti fuiſſe Dei beneficium, ſumma liberalitate, & gratia mundo collatum: ergo, &c. Probatur ſequela: nam ſi meruit ſe eſſe Chriſti matrem, meruit ex conſequenti quod Filius Dei aſſumeret naturam humanam ex puriſſimis eius ſanguinibus, in quo conſiſtit incarnatio Filii Dei.

Reſpondent auctores contrariæ ſententiæ, Virg. beatam non meruiſſe ſimpliciter, & abſolutè, quod Dei filius aſſumeret carnem humanam: ſed ſuppoſito decreto diuino, quo Deus ſua liberali voluntate decreuit, vt Verbum fieret caro, beata Virgo meruit de condigno, vt carnem, quam Verbum aſſumpturũ erat, ex ipſa ſuſciperet: hoc autem non fuit ſimpliciter mereri incarnationem, ſed duntaxat ſecundum quid, quantum ad determinationem perſonæ, ex qua verbum carnem aſſumeret: & ita ad argumentũ negant ſequelam.

Iſta ſolutio vehemẽter impugnatur à Mag. Med. & exiſtimo eius argumenta eſſe adeo efficacia, vt cõtrariam ſententiam reddant parum probabilem, & non tam conſentaneam ſacris literis, & fidei, ſicut eſt ſentẽtia ipſius Mag. Med. Verum crediderim, quod illa argumenta poſſunt habere aliqualem ſolutionẽ: & idcirco non efficiunt omnino improbabilem ſententiam oppoſitam, quæ poterit defendi ſalua fide, & abſque vllo erroris periculo.

Argumenta, quibus probauimus dubio præcedenti Patres antiquos non de condigno, ſed tantum de congruo meruiſſe incarnationis beneficium, ferè omnia adduci poterunt ad probandum Virginem beatam tantum de congruo meruiſſe, vt aſſumeretur in Chriſti Domini matrem. Illud argumentum præcipuè eſt ponderandum. Quod mereri tantum hoc bonum ad ſolum infinitum meritum attinere potuit. Quia reuera, quod verbum ex beatiſſima naſceretur Maria, infinitum fuit bonum: nam fuit ipſummet verbum naſcens, & natum. Vt autem B. Virgo hoc tantum pręmium ſibi debitum ex non debito faceret, merito egebat ſimpliciter infinito, quale, & quantum ſolum ipſum Chriſti meritum eſſe potuit. Præterea, nulla verò ſimili ratione dicitur, quod de iuſtitia meruerit illud tantum, tamque excellens bonum, quod Chriſti merita de facto non attigere. Nam omnia bona, ad quæ Chriſtus ſua applicuit merita infra boni huius excellentiam ſubſiſtunt.

SECTIO III. DVBITATIO III.

An Chriſtus meruerit gloriam eſſentialem animæ ſuæ.

TErtio loco diſputanda ſuccedit in hoc tertio quintæ quæſtionis articulo ea difficultas, quæ & grauiſſima eſt, & inter graues Theologos magna concertatione exagitatur, num, videlicet, Chriſtus gloriam eſſentialem animæ ſuæ meruerit, in qua quæſtione ſimul explicabimus an meruerit habitualem gratiam, & immortalitatem, gloriamque corporis, atque ipſam ſui nominis exaltationem. Probaturque primo affirmatiua ſententia, nimirum, quod Chriſtus eſſentialem animæ ſuæ meruit gloriam.

§. 1. *Argumenta pro parte affirmatiua.*

PRimum argumentum deſumitur ex illo Iſa. 53. *Pro eo, quod laborauit videbit, & ſaturabitur, &c.* Ecce quemadmodum Propheta viſionem, qua Chriſti animam diuinam intuetur eſſentiam, labori ipſius Chriſti tribuit, vt præmium reſpondens merito: ergo, &c.

Secundum argumentum. Probabile eſt, quod Chriſto fuerit collata gratia per propriam ipſius Chriſti diſpoſitionem, quæ ordine naturæ in genere cauſæ materialis ipſam gratiam præceſſerit: ſicut in iuſtificatione impij contritio in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & quaſi materialis ipſam iuſtificantem gratiã præcedit. Sed talis diſpoſitio non potuit non eſſe meritoria, ſaltem gloriæ, ad quam Chriſtus fuit acceptatus, & admiſſus; ergo vera eſt affirmatiua ſententia. Probatur minor. Illa operatio, ſaltem vt fuit poſterior gratia in genere cauſæ efficientis, & formalis, & prout fuit per ipſam gratiam informata, habuit omnia requiſita, vt eſſet meritoria gloriæ. Nam fuit à ſubiecto omnibus modis grato, & gratia vnionis, & gratia habituali, fuit ſupernaturalis operatio gloriæ proportionata, fuitque prior ſecundum naturæ ordinem ipſa animæ gloria, quemadmodum & gratia, per quam formabatur prius naturæ ordine fuit animæ Chriſti collata, quam ei daretur gloria, & præterea prædicta operatio quatenus à gratia procedebat, per ſe tendebat ad gloriam tãquam ad propriũ finem ipſi operationi proportionatum. Nam gratia ſua natura tendit ad gloriam, omneſque proprias actiones in hunc eundem dirigit finem. Hæ autem conditiones ſufficientiſſimæ ſunt ad conſtituendam rationem meriti. Ergo illa operatio verè fuit meritoria gloriæ. Conſulto dixi paulo ſuperius, ſaltem gloriæ, quoniam licet, ſi vera eſt ſententia, quæ nobis in primo articulo huius quintæ quæſtionis viſa fuit probabilior, nempe, gratiam vnionis, habituali

Digitized by Google

etiam gratia ſecluſa, ſufficere ad meritum, videatur quibuſdam neceſſaria conſequentia dicendum, quod illa ſupernaturalis Chriſti operatio, prout fuit diſpoſitio antecedens habitualem gratiam, meruit ipſammet gratiam, hoc tamen vt poſtea dicemus, certum nõ eſt, neque illa conſequutio tam eſt efficax, vt quibuſdam viſa fuit. Et præterea illa ſententia non eſt omnibus probata, idcirco in argumento facto ſupponendo ea quæ ſunt omnibus communia, de merito tantum gloriæ loquuti ſumus.

Et confirmatur hoc argumentum, ex illa communi Theologorum doctrina, quæ in præſentia non probanda eſt, ſed ſupponenda, quæ aſſerit contritionem per quam impius iuſtificatur, prout eſt formata per charitatem, & gratiam, meritoriam eſſe gloriæ. Et affirmat communior opinio, quod meretur illum eundem gloriæ gradum, qui reſpondet ipſi primæ gratię, ad quam ipſa contritio diſponit: Ergo eadem prorſus ratione concedendum eſt, quod illa Chriſti operatio quatenus in genere formalis cauſæ, poſterior fuit habituali gratia, meritoria fuit eius gloriæ, quæ huic habituali gratiæ reſpondebat.

Hoc ſecundum argumentum cum ſua confirmatione, quod attinet ad meritum gloriæ, non ſolum videtur procedere ſuppoſita ſententia, quæ docet, datam fuiſſe Chriſto gratiam ex propria diſpoſitione ipſam in genere cauſæ materialis antecedente, ſed etiam in alia Theologorum ſententia, quæ exiſtimat non antecedentem, ſed ſolam concomitantem diſpoſitionem reperiri in Chriſti ſanctificatione. Nam ſupernaturalis Chriſti operatio, quatenus ex grana procedebat, potuit eſſe prior ordine naturæ, quam gloria eidem Chriſti animæ collata, qui prioritatis ordo ſufficit ad conſtituendum meritum.

Tertium argumentum. Quod in eodem inſtanti temporis ſimul ſint meritum, & præmium, nihil detrahit à ratione meriti: ergo quod Chriſtus in primo ſuæ incarnationis inſtanti gloriam animæ fuerit aſſequutus, non impedit quo minus ea verè, & propriè meruerit, atque adeo nulla eſt cauſa ſufficiens ad negandũ Chriſtum gloriam ſuæ animæ meruiſſe. Conſequentia patet, quoniam contrariæ ſententiæ auctores ea ratione tantum negant Chriſti meritum reſpectu gloriæ animæ, quia in primo inſtanti ſuę cõceptionis Chriſtus fuit beatus. Sed probatur antecedens. In eodem inſtanti quo homo iuſtus augmentũ gratiæ meretur, recipit ipſum augmentum, quod libenter admittunt vniuerſi Theologi, cum de materia meriti hominis iuſti in communi loquuntur; ergo verum eſt antecedens.

Confirmatur. Quia meritum comparatur ad pręmium, vt cauſa moralis ad effectum, ſed non repugnat, quod cauſa, & effectus in eodem inſtanti incipiant eſſe, nam in eodem inſtanti, quo Deus creauit Solem, ipſe illuminauit aetem. Nec inconuenit, quod præmium, neque à merente, neque à merito phyſicè producatur, ſed ab extrinſeco, ſcilicet à Deo præmiãte. Quoniam Deus cum non à temporis ſucceſſione in ſuis operationibus pendeat, in eodem inſtanti poteſt conferre præmium, in quo eſt meritum, vt Sol, quo inſtanti creatus fuit, lumen produxit in aere. Nec etiam quicquam refert, quod meritum, vt quibuſdam placet, neque mihi diſplicet, comparatur ad præmium, non ſolum, vt cauſa moralis ad ſuum effectum, verum etiam vt via ad terminum. Nam in eodem inſtanti reperiri poſſunt via, & terminus, vt patet in illuminatione diaphani, quæ prout eſt mutatio quædam rationem habet viæ ad lumen, & tamen in eodem inſtanti ſunt illuminatio, & lumen in diaphano. Similiter vltima diſpoſitio ad formam comparatur ad ipſam, vt via ad terminum; ſunt tamen in eodem inſtanti vltima diſpoſitio, & ſubſtantialis forma. Conſtat ergo ex his omnibus non eſſe contra rationem meriti, quod præmium ſit ſimul cũ ipſo in eodem inſtanti, ſed quod ſufficerit ex parte meriti ſola naturę prioritas.

Sed dices forſan, quod licet ad rationem meriti in communi non ſit inconueniens vllum, quod præmium ſimul ſit in eodem inſtanti cum merito, id tamen non eſt admittendum de præmio vltimo, nimirum, de beatitudine, & gloria. Cuius rei eam aſſignabis rationem, quæ ex S. Thom. doctrina colligitur, videlicet, quod meritum procedit à gratia imperfecta: præmium autem à gratia perfecta, & conſummata: repugnat autẽ ſimul eſſe in eodem ſubiecto gratia perfecta, & imperfecta. Contra hanc rationem ſic argumentor.

Sitque quartum principale argumentum. Non inconuenit quod aliquid in eodem inſtanti perfectũ ſit, & imperfectum, ita vt prius natura ſit imperfectum, & poſterius natura perfectum. Nam huius rei multa poſſunt ferri exempla ex mutationibus inſtantaneis petita. In illuminatione enim prius natura lumen eſt imperfectum, quam perfectum: prius eſt enim in fieri, quam in facto eſſe. At res prout eſt in fieri imperfectior eſt ſe ipſa, prout eſt in facto eſſe. Et ſimile exemplum habetur in productione inſtantanea cuiuſuis formæ, ſiue ſubſtantialis ſit, ſiue accidẽtalis. Item contritio iuxta communem Theologorum doctrinam in eodem inſtanti perfecta eſt, & imperfecta, nam prout gratiam in genere cauſæ materialis antecedit imperfecta eſt, vtpote informis, vt autem in genere cauſæ formalis, & efficientis eſt eadem gratia poſterior, perfecta eſt, & formata: ergo non inconuenit dicere Chriſti gratiam in eodem inſtanti imperfectam fuiſſe, & perfectam: ab eaque, vt imperfecta proceſſiſſe meritum, quod ad eandem gratiam, vt perfectam, fuit terminatum, tanquam ad vltimum, & maximum præmium.

Confirmatur. Non poterit facile aſſignari ab auctoribus ſententię contrarię quę nam ſit illa imperfectio gratię ad meritum requiſita, cui repugnet perfectio eiuſdem gratię, quam per ſe poſtulat vltimum præmium; ergo illa aſſignata ſolutio voluntaria magis, quam rationabilis apparet. Explico antecedens. Omnis imperfectio requiſita ad meritum ex parte gratiæ, vel ſe tenet ex parte ipſius habitus gratię, vel ex parte actus, per quam meretur vltimũ prĕmium. Sed neutra harum imperfectionũ intrinſecam habet repugnantiã cũ perfectione debita vltimo prĕmio: ergo, &c. Probo minorẽ pręmiſſam. Ex parte gratię habitualis nulla alia imperfectio conſiderari poteſt, niſi minor eius intenſio, ſed ad rationẽ præmij vltimi non per ſe requiritur maior intenſio gratię, nam ſatis probabile eſt, & forſan verũ, quod

gratia,

Digitized by Google

gratia, quam anima defert cum exit à corpore, non acquirit in patria maiorē ſui intenſionem habitualē ea quam habuit in via, & ſi alijs multis perfectionibus exornetur. Similiter ex parte actus ſiue intellectus, ſiue voluntatis, per quem Chriſtus potuit mereri gloriam, nulla imperfectio alia intrinſecè pugnās cum perfectione gloriæ fingi poteſt, quam quod fuerit Dei cognitio obſcura, & enigmatica qualis habetur per fidem, & quod ex parte voluntatis eſſet actus ſpei, aut amoris Dei per cognitionem fidei regulatus, ſed hi actus imperfecti non fuerunt Chriſto neceſſarij ad merendum gloriam, potuit enim mereri per cognitionem Dei ortam ex ſcientia infuſa, quæ nullam habet cum beatifica Dei viſione repugnantiam, ſed potius conuenientiam. Potuit itidem mereri per actum charitatis regulatum à prædicta cognitione Dei per infuſam ſcientiam habita, qui quidem actus charitatis, vt ex primo huius dubij articulo conſtat, ſimul eſſe poteſt cum actu beatificæ viſionis. Denique actus ſpei formaliter non eſt omninò neceſſarius ad meritum, ſed ſatis fuerit implicita, & virtualis ſpes, quæ in ipſo actu meritorio includitur, vt contingit in actu, quo homo iuſtus augmentum gratiæ meretur, qui non habet formalem actum ſpei reſpectu illius augmenti gratiæ in eodem inſtanti conferendi, nam quod quis habet, quid ſperat, vt inquit Paul. Rom. 8. ergo nulla imperfectio ſignabilis eſt ex parte gratiæ merentis, quæ ſimul in eodem inſtanti non compatiatur ſecum ipſam gloriam, quæ eſt vltimum præmium, eiuſque omnis perfectio.

Quintum argumentum. Potuit fieri, quod Chriſtus gloriam animæ ſuæ meruerit, ſed hoc meritum nihil derogat Chriſti dignitati, quinimò ad eius atti net excellentiam; ergo de facto tribuere debemus Chriſto iſtud ſuæ gloriæ meritum. Conſequentia ex communi regula Theologorum eſt manifeſta, iuxta cuius præſcriptum, ea omnia ſunt Chriſto tribuenda, quæ magis eius dignitatem extollunt. Maior conſtat ex argumentis factis, quæ ſi non probant factum efficaciter, probant tamen poſſibilitatem.

Minorem verò probo. Duplex tantum imperfectio poſſet fingi prouenire Chriſto illo merito poſito. Altera quod ipſa gloria animæ non potuerit eſſe in Chriſto in primo ſuæ conceptionis momēto, atq. adeo quod neceſſum eſſet, vt Chriſtus pro aliquo temporis inſtanti non eſſet ſecundum partem ſuperiorem beatus, & comprehenſor: quod in magnam Chriſti imperfectionem cederet. Hæc autem imperfectio, vt conſtat ex duobus argumentis præcedentibus, non neceſſario infertur ex prædicto Chriſti merito. Altera quod animæ beatitudo, & ſumma felicitas non eſſet Chriſto connaturalis, neque ei fuerit collata ex connaturalitatis debito. Sed nec etiam imperfectio hæc ſequitur in Chriſto illo merito poſito. Quod patet, quia nulla eſt repugnantia, quod vtroque titulo, & connaturalitatis, & moralis debiti meritorij fuerit Chriſto data animæ gloria, ſicuti fuit ei collata gloria ſui corporis, excellenſque ſui nominis exaltatio. Imo quod hoc duplici titulo Chriſtus habeat animæ ſuæ gloriam, ad magnam eius pertinet honoris dignitatem. Nam quod ex iure connaturalitatis ei fuerit animæ gloria debita, & data & quod ſimul ex proprio opere, labore, & merito eam habuerit, ad magnam Chriſti excellētiam pertinet, quod S. Tho. loquens 3. par. quæſt. 59. de poteſtate Chriſti iudiciaria eruditè docuit. Et ratio eſt aperta, quia poſſidere aliquod magnum bonum pluribus titulis, & multiplicatis iuribus, præſertim ſi ſint iura diuerſarum rationum, poſſidentis honorem, & auctoritatem nullatenus deprimit, quin potius extollit. Quemadmodum ſi quiſpiam Regis filius cui hereditario iure debetur aliqua ciuitas nouum ius, nouumque titulum ad eius poſſeſſionem acquireret per victoriam ex Tiranno ciuitatem occupanti reportatam, in magnam gloriam, & auctoritatem eius cederet talis ciuitatis poſſeſſio, & ſpetiali ratione illa ciuitas in toto regno ad ipſum pertineret, magiſque, & non immeritò, de illius ciuitatis dominio, & poſſeſſione gloriatur princeps, quam de toto Regno ſola hæreditate comparato. Igitur non eſt deneganda Chriſto ſpecialis illa dignitas, quæ ei prouenire potuit ex eo, quod gloriam ſuæ animæ mereretur.

Sexto arguitur. Chriſtus meruit gloriam ſui corporis: ergo meruit ſimiliter gloriam animæ.

§. 2. *Pro parte negatiua.*

IN oppoſitū eſt, quod in illo noſtro antiquo prothemate habetur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre*, vbi expendendum eſt non dixiſſe Euangeliſtam gloriam excellentibus Chriſti operibus promeritam, ſed quaſi vnigenito à patre illi datam, ideſt, quia vnigenitus eſt Patris. Supponimus probabilem intelligentiam S. Auguſt. quod gloriæ nomine Ioannes ipſam animæ Chriſti gloriam intellexerit.

§. 3. *Referuntur variæ DD. ſententiæ.*

IN hac dubitatione exponenda, diuerſæ ſunt ſententiæ Theologorū, quare, vt noſtram ſtatuamus opinionem, neceſſum fuerit eas breui enumeratione colligere.

Prima ergo ſententia in vno extremo affirmat Chriſtum non ſolum gloriam animæ ſuæ mereri potuiſſe, verum quod & ipſam de facto meruit. Docuerunt iſtam ſententiam Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 1. c. 7. Albert. Magnus in 3. diſtinct. 18. ar. 4. & 7. Maioris, Gulielmus de Rubione, Baſolis, & alij quidam in eadem diſtinctione. Alex. Alenſ. 3. par. quæſt. 17. membr. 4. ar. 1. ad vltimum, reputat hanc ſententiā probabilem, quamuis contrariæ, vt probabiliori adhæreat. Vnde immeritò hic author à quibuſdam S. Thom. interpretibus ſolet pro hac ſententia abſolutè citari. Huius ſententiæ authores de gloria tantum loqui videntur, vno excepto Alex. de Ales, qui de gloria, & de gratia hanc ſententiam cenſuit probabilem.

Secunda ſententia in alio extremo docet, quod Chriſtus neque de facto meruit, neque vero mereri potuit animæ ſuæ gloriam. Ita docuit Scotus in 3. d. 18. in quam ſententiam inducitur, quia gloria, inquit, animæ Chriſti eſt tam ſublime, & excellens bonum, quod ſub nullo merito cadere potuit. Verum quicquid ſit de huius ſententiæ probabilitate, de qua in huius dubitationis diſcurſu dicemus, ratio

Scoti

Digitized by Google

Scoti eſt impertinens. Quoniam, vt probatum reliquimus, Chriſti meritum fuit in ratione meriti ſimpliciter infinitum; atque adeo ſub eius meritorio valore potuit cadere gloria animæ Chriſti quantacumque polleat excellentia. Hanc eandem ſecūdam ſententiam docuit Henricus de Gandauo, ſed falſo etiā innititur fundamento, dicit enim fuiſſe impoſſibile, quod Deus humanitatē aſſumeret, niſi ex vi aſſumptionis gloria communicaretur eius aſſumptæ animę. Id autem quod omninò neceſſarium eſt non cadit ſub aliquo merito, neque vero cadere poteſt. Verum ſuperius q. 1. & 2. probauimus falſum eſſe iſtud Gandauenſis fundamentum, & quod potuit verbū humanitatem in puris naturalibus aſſumere, & quod non fuerit omninò neceſſaria reſultantia gratiæ, & gloriæ in humanitate aſſumpta. Eidem ſecundæ ſententiæ fauet S. Thom. 3. par. q. 19. artic. 3. & ex eius diſcipulis plerique iſti adhærent ſententiæ. Sed ſunt alię ſententię, quæ inter has duas extremas medium tenent.

Eſt ergo tertia ſententia, quæ cum ſecunda docet Chriſtum de facto, neque gratiam, neque gloriam animæ ſuę meruiſſe, ſed cum ſententia prima fatetur, quod potuit mereri Chriſtus gloriā animæ ſuę. Ita docent S. Bonauentura Riccardus, & alij quidē in 3. diſt. 18.

Quarta ſententia docet cum ſecunda opinione, Chriſtum haudquaquam meruiſſe de facto gloriā animæ ſuæ, aſſeritque cū ſententia prima, quod ſi abſolutus ſermo fiat, potuit Chriſtus eſſentialem animæ ſuæ beatitudinem mereri. Et in his duobus conſentit tertiæ opinioni, ſed ab ea tamen differt ſimul, & à prima, in eo quod ait Chriſtum nullo modo potuiſſe, etiam ſecundam abſolutam Dei potentiam, eſſentialem animæ gloriam promereri, ſuppoſito, quod eam habuerit ex primo ſuæ incarnationis inſtanti per modum propriæ paſſionis ex hypoſtatica vnione deriuatæ, vt eam habuit de facto. Docuit iſtā ſententiam Mag. à Medina, quæ & doctiſſimis alijs S. Thom. interpretibus non diſplicet 3. par. quæſt. 19. art. 3.

Quinta ſententia admittit Chriſtum, neque gratiam, neque gloriam animæ ſuæ promeruiſſe, affirmat tamen, quod meruit vtriuſque cōtinuationem. Ita docet Gab. in 3. d. 18.

In huius propoſitæ difficultatis deciſionem ſupponendum eſt, id quod ſuperius q. 1. & 2. explicuimus, & dudum aduerſus Henricum de Gand. aduertimus, fieri potuiſſe ſecundum abſolutam Dei potentiam, quod verbum humanam naturam omni ſupernaturali ornamento deſtitutam ſibi hypoſtaticē copularet. De facto tamen id non effecit, ſed humanitas à verbo aſſumpta ab inſtanti incarnationis excellentiſſimis gratiæ, & gloriæ donis ſemper fuit exornata. Quæ dona etſi per ſimplicem reſultātiam non emanauerint ex ipſa vnionis gratia, vt in art. 2. q. 3. multis oſtendimus, fuerunt tamen Chriſto quodam iure connaturalitatis debita, eo quod naturalis eſt Dei filius. Hoc ſuppoſito ad quæſtionis propoſitæ reſolutionem accedo, quam ſequentibus concluſionibus terminandam fore exiſtimaui.

§. 4. *Prima concluſio.*

SI potentiam Dei abſolutam contemplemur potuit Chriſtus, & gratiam, & eſſentialem animæ ſuæ gloriam promereri. Aduerſus quartā ſententiā præſens ſtatuitur concluſio, quam tamen affirmant cæterarum opinionum auctores, præſertim quod ad gloriā attinet. Nam de gratia Theologi illi qui exiſtimant vnionis gratiam in Chriſti non eſſe ſufficiēs principium meriti, ſed neceſſariam ei fuiſſe ad merēdum habitualem gratiam, non facilè hanc concluſionem concedunt. Et loquentur quidem conſequenter, quia primum meriti principium minimè poteſt ſub aliquo merito cadere. Verum nobis hæc ſententia non placuit ſuperius in 1. art. huius 1. q. exiſtimauimus enim probabiliorem eſſe ſententiam affirmātem, quod gratia vnionis in Chriſto aliqua cognitione ſupernaturali interueniente, ſufficientiſſimum principium fuit ad ſatisfactionem & meritum. Quo ſuppoſito probatur hæc prima concluſio, quoad vtrāque ſui partem, nimirum, vt procedit de gratia, & de gloria. Potuit verbum humanam aſſumere naturam abſque gratia, & gloria cum aliqua cognitione ſupernaturali ex parte intellectus, quæ vel eſſet cognitio fidei, vel luminis Prophetici, aut denique infuſæ ſcientiæ. Sed tali caſu poſito faciliimum eſt intelligere, quod Chriſtus, & gratiam, & gloriam animæ ſuæ meruerit: ergo vera eſt hæc prima concluſio. Probatur minor. Illa hypotheſi data poterat Chriſtus ſtudioſam exercere operationem, quam eius voluntas, referret in ſupernaturalem finem ex aliquo Dei ſpeciali auxilio adiuta, & applicare ad gratiā, & gloriā loco præmij ſuſcipiēdā, ſed talis operatio eſſet meritoria, & quidem valoris infiniti, quatenus procedebat ab operāte infinitè grato per gratiā vnionis: ergo, &c. Hæc ratio eſt manifeſta, quæ ſola proinde ſufficiet ad huius concluſionis primæ confirmationem. Verum qui maiorem comprobationem poſtulauerit, recurrat ad argumenta, quæ in fronte quæſt. pro affirmatiua ſententia formauimus, quæ vt minimum conc. iſtam efficaciter probant.

Sed aduertendum eſt circa rationem modo factā, & circa ipſam 1. conc. Quod hæc concluſio poterit verificari, etiam ſi ſupponamus, quod Chriſti anima in primo incarnationis inſtanti, gratiam fuerit, & gloriam adepta. Sed tunc neceſſum erit dicere, quod illa cognitio ſupernaturalis, quam diximus Chriſto eſſe neceſſariam ad merendum ſupernaturale præmium, non poterat procedere à lumine fidei, aut à quouis alio lumine intrinſecam obſcuritatem, & ineuidentiam habēte: repugnat enim obſcura, & ineuidens cognitio in eodem temporis inſtanti in eodēque ſubiecto cum viſione Dei faciali, & intuitiua, in qua conſiſtit eſſentialis animæ gloria. Quo circa neceſſaria tunc eſſet cognitio ex infuſa ſcientia procedens, nam hæc nullam habet cum viſione beatifica incompoſſibilitatem. Sicque intelligeremus Chriſtum, & gratiam, & gloriam animæ mereri, quatenus prius natura quam illi infunderetur gratia, & daretur gloria, infuſum eſſet eius intellectui ſcientificum lumen, præſtitumque voluntati eius ſpeciale auxilium, quorum principiorum virtute Chriſtus in ſupernaturalem prodiret actionem, qua gratiam, &

glo-

Digitized by Google

gloriam animæ mereretur. Et cum diuina actio, qua gratiam, & gloriā loco præmij Chriſti animæ Deus infunderet, non expoſcat temporis ſucceſſionem, in eodem inſtanti quo Chriſtus mereretur gratiam, & gloriam, à Deo præmiante reciperet.

His quæ nunc diximus non omnes conſentiunt Theologi: arbitrantur enim nonnulli, & hi quidem egregiè periti, quod lumen infuſæ ſcientiæ, niſi conſequenter ſe habeat ad lumen gloriæ ad ipſamque beatificam Dei viſionem, minimè poteſt euidentem Intellectui præſtare cognitionem myſteriorum gratiæ, Trinitatis, incarnationis, &c. Ex qua doctrina inferunt contra ſententiam noſtram, quod illud lumen infuſæ ſcientiæ collatum animæ Chriſti prius natura, quam ei lumen gloriæ infunderetur, non poſſet facere euidentem ſupernaturalium myſteriorum notitiam in Chriſti intellectu, ſed ineuidentem, & obſcuram, quæ cognitio cum non poſſit eſſe ſimul in eodem inſtanti cum beatifica viſione, oportet dicere, quod operatio meritoria ex tali cognitione proueniens nequiret in eodem inſtanti eſſe cum eſſentiali gloria animæ Chriſti, atque adeo neceſſum fuerit, quod meritum Chriſti præcederet tempore ipſam eius animæ gloriam. Et ita præfati Theologi reſolutoriè dicunt, impoſſibile ſimpliciter fuiſſe, quod Chriſtus ipſam animæ ſuæ mereretur gloriam, & quod eam in primo inſtanti incarnationis acceperit. Quod tamen de habituali gratia non dicunt, quia cognitio ineuidens nō ei repugnat.

Cæterum nos aliter exiſtimamus de lumine ſcientiæ infuſæ: cenſemus enim illud ex natura ſua conſequenter ſe habere ad lumen gloriæ, ad beatificamque viſionem (ſi modo vt quibuſdam placet non eſt idemmet gloriæ lumen) nec enim ad ſtatum viæ lumen iſtud pertinet, in quo ſtatu per fidem, per obſcuram enigmaticamque cognitionem ambulamus, & non per ſpeciem, vt Paulus 2. Corint. 5. teſtatur. Vnde per accidens eſſet omninò, & præter regularem rerum ordinem, quod huiuſmodi infuſę ſcientię lumen, prius vel tempore, vel natura intellectui conferatur, quam eidem intellectui infundatur gloriæ lumen. Et hoc eſt ſummopere obſeruandum pro his, quæ ſequenti concl. dicemus. Exiſtimo tamen quod lumen iſtud infuſæ ſcientiæ, etſi magnam in ſua claritate à beatifica viſione perfectionem ſumat, non tamen eius claritas eſſentialiter ab ipſa pendet beatifica viſione, ab ipſoque gloriæ lumine. Sed ſi in intellectu ſeorſum ponatur, euidentiam ei ſupernaturalium myſteriorum faciet, non ſolum in atteſtante (quæ euidentia forſan non pugnat cum Dei viſione.) Sed etiam euidentiam à poſteriori ex ſupernaturalibus effectibus deſumptam. Nam ex his effectibus, quorum quidditatiua, imo, & forſan comprehēſiua cognitio haberi poteſt extra verbum, oriri valet euidens cognitio myſterij Trinitatis, qua euidentia ſuppoſita, facillimum erit euidenter noſſe per ſcientiam infuſam reliqua gratiæ myſteria. Hæc inſinuari quidem iſto in loco potuerunt, vt diligens lector eorum examen adhibeat, ad longum autem tractari non poterunt: ſed eorum diſputatio ad proprium locum eſt reſeruanda, ſcilicet, ad q. 10. & 11. 3. p. Qua ſententia ſuppoſita facilè intelligitur noſtræ concl. veritas, nimirum, quod in eodem primo Chriſti incarnationis inſtanti, potuit ipſe Chriſtus & gratiam & animæ ſuę gloriam mereri, & vtramque ei loco præmij à Deo collatam ſuſcipere.

Nonnulli Theologi ex his, qui cenſent habitualē gratiam non fuiſſe Chriſto ſimpliciter neceſſariam ad merendum, dicunt potuiſſe Chriſtum mereri ipſam gratiam habitualem, & ſimiliter eſſentialem gloriam per actionem procedentem ab ipſamet gratia, ſi in genere cauſę diſpoſitiuę, & materialis eamdem gratiam antecederet, quia à gratia ipſa habituali, in illo naturę inſtanti virtutem participaret meritoriam, qua poſſet mereri habitualem gratiam poſterius natura ſuſcipiendam. Quæ ſententia inſinuata etiam fuit à nobis ſupra quęſt. 4. in quodam argumento pro 2. concl. facto. Et reuera non eſt improbabilis, ſed vt verum fatear, multo probabilius eſt oppoſitum. Quia de ratione pręmij eſt (miraculis ſecluſis) quod ſit omninò poſterius merito, pręſertim in genere cauſę efficientis. Et forſan eſt infactibile ſecundum omnem potentiam, quod aliqua actio mereatur illud principium à quo per ſe, & in ratione meriti procedit effectiuè, & quod neceſſariò pręſuppouitur in ipſo merente. De qua re ſufficiant, quę diximus pręcedenti dubio. Quocirca impoſſibile apparet, quod Chriſtus habitualem ſuam gratiam ea operatione meruerit, quæ ab ipſamet gratia in genere cauſę effectiuę, & formalis procederet. Iſta ſufficiant pro 1. conc. in quibus nonnulla habentur, quę ſequentis concl. probationi quamplurimū referrent.

§. 5. Secunda concluſio.

CHriſtus de facto non meruit gratiam habitualem, nec eſſentialem animę ſuę gloriam, cuius oppoſitum exiſtimo parum eſſe probabile, ſed nec erroris nec temeritatis cuiuſpiam vllum habere periculum. Exiſtimo concluſionem hanc quoad eius primam partem, quæ affirmat Chriſtum, nec gratiam, nec gloriam meruiſſe, vniuerſis fere iunioribus Theologis eſſe probatam, quam cum Magiſtro in 3. d. 18. & cum S. Thom. in loco circa 2. ſententiam citato docuerunt fere omnes antiqui Theologi grauioris præſertim authoritatis, illis exceptis, quos pro 1. opinione retulimus. Probaturque hæc primæ concl. pars. Et principio, ne quidpiam in noſtra doctrina confuſionis miſceatur, probanda eſt quatenus de gratia habituali procedit. Omnis Chriſti operatio, & præſertim illa prima, quam ingrediens in mundum habuit, & qua teſtante Paul. ad Heb. 10. Chriſtus nos ſanctificauit, proceſſit ex virtute charitatis, ex alijſque infuſis virtutibus humilitatis, obedientiæ, religionis, &c. ſed hæ virtutes ex natura ordinis gratiæ, & magnis ſemotis miraculis, habitualem gratiā in ſubiecto præſupponunt, eo quod gratia eſt prima earum radix, & comparatur ad ipſas vti eſſentia ad proprias paſſiones, naturaleſque potentias: ergo omnis Chriſti ſupernaturalis, & meritoria operatio præſuppoſuit gratiam habitualem, ex qua tanquam ex prima radice effectiua proceſſit, & ex conſequenti non potuit eſſe meritoria primæ gratiæ, iuxta ea, quę circa finem præcedentis concl. dicebamus. Conſequentia negari nequit, & minor à grauiſſimis ſuſcipitur Theologis cum S. Thom. 1. 2.

q. 110.

Digitized by Google

q. 110. art. 3. Maior vero probatur. Omnis operatio animæ Chriſti fuit perfecta, imo perfectiſſima in ſuo genere: ergo ſupernaturalis operatio, & præſertim illa prima, quæ fuit quaſi radix totius meriti Chriſti, proceſſit ex ſupernaturalibus virtutibus ipſius animæ Chriſti infuſis. Probatur conſequentia (nam antecedens iniurioſus eſſet Chriſto, eiuſque dignitati qui negaret.) Operatio ſupernaturalis, quæ non procedit ex habitu infuſo in operante potentia reſidente, imperfecta eſt, perfectio enim operationis requirit, vt potentia operetur per formã ſibi intrinſecam: alias enim non operabitur modo ſibi connaturali, & proportionato, ſed quaſi ab extrinſeco: Atque adeo eius operatio non potuit non eſſe imperfecta: ergo, &c.

Confirmatur. Voluntas Chriſti humana non potuit viribus naturæ in actum ſupernaturalis dilectionis Dei prodire, quod ſecũdum fidei doctrinam debet eſſe nobis certiſſimum, nec verò ex ſola gratia vnionis vim habuit ad eliciendum huiuſmodi charitatis actum, vt in 1. art. huius quæſt. oſtendimus. Ergo neceſſarium illi fuit ſupernaturale aliquod principium, vt ſe in prædictum actum exereret. Hoc autem principium, ſi non fuit habitus charitatis humanæ Chriſti voluntati infuſus, debuit eſſe ſpeciale auxilium ſupernaturale. Sed operatio voluntatis ex huiuſmodi proueniens auxilio, nequit eſſe in ſuo genere, in ſuaque ſpecie perfecta, quoniam auxilium iſtud non habet rationem principij effectiui purè intrinſeci, ad modum formæ actuantis, & perficientis voluntatem, vt à ſe ipſa operetur, ſed potius operatur, vt ab extrinſeco mota, & per modum inſtrumenti Dei ipſam ſpeciali ſuo auxilio mouentis. Auxilium namque actuale non eſt aliud quam motio quædam ſupernaturalis Dei, in voluntate operante ſuſcepta: ergo vt operatio Chriſti meritoria perfecta fuerit neceſſum omninò fuit, quod ex habito charitatis infuſo procederet.

Secundo probatur. Gratia habitualis immediatiorem habuit habitudinẽ ad Xp̃i animã, quã omnis operatio intellectus, aut voluntatis Xp̃i: ergo prius ordine naturæ habitualis gratia infuſa fuit animæ Chriſti, quam ipſa anima in operationem aliquam ſupernaturalem prodijſſet: & ex conſequenti cum meritũ, vt ſæpe diximus, nequeat eſſe poſterius præmio, fateri tenemur gratiã, abſque vllo merito fuiſſe Chriſto collatam. Conſequentia eſt manifeſta. Quia illud prius ordine temporis conuenire debuit Chriſti animæ, quæ immediatiorem ad eam habitudinem habuit ex vi hypoſtaticę vnionis. Antecedens verò conſtat ex dictis à nobis q. 1. ar. 2. nam ex illius art. doctrina manifeſtum fiet legenti, quod gratia habitualis, vel fuit propriæ paſſio hypoſtaticæ vnionis, per modumque propriæ paſſionis ſimplici emanatione reſultauit, vt graues fatentur Theologi, vel vt nobis magis probatum fuit, non per ſimplicem reſultantiam emanauit, ſed noua Dei actione fuit infuſa, ad modum tamen proprietatis naturalis, eo quod fuit ei debita connaturali iure, ratione hypoſtaticę vnionis. Ex hac immediata gratiæ ad Chriſti animam habitudine probauimus in 1. ar. illius 2. q. nullam præceſſiſſe operationem diſpoſitiuam in Chriſti anima ad eius habitualem gratiã. Et quãuis huiuſmodi admitteremus diſpoſitionem ordine naturæ, & priorem ipſa gratia in genere cauſæ materialis, concedẽdum eſſet nihilominus, gratiam priorem eſſe eadem operatione in genere cauſæ efficientis, & formalis, ac proinde fatendum eſt, talem operationem nullatenus fuiſſe ipſius gratiæ meritoriã. Iuxta ea, quæ circa finem primæ concluſionis dicebamus. Neque relinquitur locus ſolutioni, quã poſſet quis adhibere aſſerens, operationem iſtam non ab ipſa procedere habituali gratia, ſed ab auxilio ſpeciali, atque adeo in nullo genere cauſæ gratiam habitualem fuiſſe in Chriſti anima præſuppoſitam. Huic, inquam, ſolutioni non eſt locus, eo quod præſupponimus ex ſuperius dictis ſatis probatum, quod gratia habitualis ſimpliciter eſt immediatior animæ Chriſti, quam quælibet operatio, vnde ſaltem in genere cauſæ formalis debet præcedere ipſam operationem.

Hac eadem ratione fit manifeſtum, quod non ſolum illa prima Chriſti operatio non fuit habitualis gratiæ meritoria, verum quod nec etiam meruit virtutes ſupernaturales infuſas, charitatẽ, religionẽ, &c. Quoniam virtutes iſtæ immediatiorem habent ad Chriſti animam habitudinem, quam quælibet ſupernaturalis Chriſti operatio. Etenim facultas operandi ſupernaturaliter, & conſentaneè ad naturam gratiæ, quam facultatem virtutes præſtant, prius pertinet ad potentias animæ Chriſti quam ipſa ſupernaturalis operatio, nam actus primus immediatius pertinet ad operatiuam potentiam quam actus ſecundus: ergo ſupernaturales Chriſti operationes per ſe, & ex natura rei præſuppoſuerunt in Chriſti anima virtutes infuſas: ſuppoſito, quod iam virtutes infuſæ quam eius actiones ſint Chriſti animæ connaturales, vt in hac ratione ſupponimus. Itaque is fuit connaturalitatis, & conſecutionis ordo inter ſupernaturales Chriſti animæ perfectiones, quod ex ipſa vnionis gratia, quæ fuit prima omnium ſupernaturalium perfectionum radix, immediatè oriebatur connaturalitatis habitudo in Chriſti anima ad habitualem gratiam, vt ad formam perfectiuam, & eleuatiuam eſſentiæ ipſius animæ ad ſupernaturalem finem, & ordinem. Ex gratia verò habituali in eſſentia animæ Chriſti ſuſcepta tamquam ex proxima, & formaliori radice conſequutæ fuerunt in potentijs ipſius animæ ſupernaturales infuſæ virtutes. Ex quibus tandem proceſſerunt ſupernaturales, & meritoriæ Chriſti actiones. Hunc ordinem inuertere quidem potuit Deus ſua vtens infinita potentia, ob quam Dei poteſtatem concedi debet prima noſtra præcedens conc. Verum, quod de facto hac abſoluta, & infinita poteſtate vſus non fuerit, nulli ſapienti poterit eſſe dubium. Cum Deus niſi magna, & vrgens cauſa extiterit, ſuauiter vniuerſa diſponat, & iuxta modum ipſis rebus proportionatum. Quæ vrgẽs fuerit cauſa propter quam Deus illum ordinem gratiæ vnionis connaturalem immutauerit, aſſignare erit difficillimum. Quia reuera nulla extat.

Probatur deinde eadem concluſionis pars quatenus de gloria procedit. Lumen gloriæ immediatiorem habuit habitudinem ad Chriſti animam, quam quæuis ipſius animæ ſupernaturalis operatio: ergo Chriſtus accepit lumen gloriæ abſque aliqua interueniente operatione, atque adeo ſine proprio merito.

Eut-

Digitized by Google

Euidens eſt conſequentia quatenus de facto, & de potentia ordinaria procedit, vt ex dictis conſtat. Antecedens verò patet ex ratione quam paulo ante fecimus ad probandum Chriſti animam accepiſſe gratiam ſine meritis. Etenim gloriæ lumen neq. minorem ad gratiam neq. remotiorem ſortitur habitudinẽ, quam caritas, & cæteræ ſupernaturales virtutes, imo prima virtus, ſeu primus habitus, qui competit gratiæ ſecundum ſuam naturam, eſt lumen gloriæ, ſicut viſio beata, quæ eſt propria luminis gloriæ operatio, eſt potiſſima gratiæ cõſummatio, & perfectio. Nam licet in puro viatore, in quo gratia imperfectũ habet ſtatum, prima virtus, quæ ex eius ſequitur eſſentia, ſit lumen fidei, at hoc per accidens eſt gratiæ, ex imperfectioneq. ſtatus prouenit; In Chriſto aũt in quo gratia eſt tanquam in ſuo præcipuo, imo, & adequato ſubiecto, ac proinde ſibi magis connaturali, iuxta ſuperius dicta q.2. non debet conſiderari in ſtatu imperfecto, ſed potius perfectiſſimo, ſuæque naturæ magis proportionato, & in quo ipſa gratiæ vis & poteſtas explicetur perfectè, & ſecundum modum ſibi magis connaturalem. ergo ex ipſa Chriſti gratia primo, & immediatè abſq. vlla intentione actione, reſultauit in intellectu Chriſti gloriæ lumen, atque adeo abſque vllo merito Chriſtus lumen obtinuit beatificum, & ipſam proinde eſſentialem animæ beatitudinem.

Probatur ſecũdo. Omne Chriſti meritum habuit ortum ex eſſentiali gloria animæ. ergo ipſa gloria non fuit præmium alicuius Chriſti meriti. Hæc conſequentia manifeſtiſſima eſt ex his, quæ ſæpe repetiuimus, & inculcauimus, nimirum, quod meriti principium nullatenus poteſt ſub ipſo merito cadere. Antecedens verò probatur. Prima operatio quam habuit Chriſtus ex parte intellectus, in qua potuit totũ eius meritum fundari, fuit viſio beatifica: quod ſic oſtendo. Non fuit actus fidei, nec alia quęcunque inevidens, & obſcura Dei cognitio, nam cum tali Dei cognitione non ſe poterat compati ipſa eſſentialis animæ gloria, quam ſupponimus datam fuiſſe Chriſti animæ in primo incarnationis inſtãti: Nec verò fuit cognitio Dei habita per ſcientiam infuſam, quoniã huiuſmodi ſcientia, vt explicauimus circa præcedentem conc. per ſe conſequitur lumen gloriæ, & viſionem beatam; nec potuit vllatenus præcedere naturæ prioritate, niſi Deus connaturalem rerum ordinem abſoluta ſua potentia immutaſſet, quam immutationem ſine vrgenti cauſa ſapientiores Theologi non admittent. ergo neceſſum fuit, vt prima operatio eſſet viſio Dei clara, & facialis.

Dicet quiſpiam, Ipſa Dei viſio, prout eſt principium dilectionis Dei cum reſpectu ad creaturas, potuit eſſe principium meriti ſui ipſius, prout eſt principium amoris Dei, vt eſt in ſe ipſo ſummum bonũ, omni reſpectu ad creaturas ſecluſo, ſed viſio Dei clara hac poſteriori ratione conſiderata, eſſentialis eſt animæ gloria: ergo formaliter gloria animę potuit cadere ſub merito Chriſti.

Reſpõdetur primo, quod hęc ſolutio & obiectio vt plurimum procedit de potentia Dei abſoluta, nã certum eſt, quod ſecundum regularem, & naturalẽ ordinem, clara, & facialis Dei viſio prius ratione fertur in Deum, prout eſt in ſemetipſo ſummum verũ, & ſummum bonum, quam prout eſt ratio, & cauſa bonitatis creaturarum. Nos verò de facto loquimur naturalemq. rerum ordinem ſequimur in hac conc. & non abſolutam Dei potentiam attendimus.

Secundo reſpondeo, quod nec etiam ſecundum abſolutam Dei potentiam apparet factibile, quod viſio Dei clara, & intuitiua non prius attingat Deum, prout eſt in ſe ſummum verum, ſumumq. bonũ, quã attingat ipſum, vt eſt ratio, & cauſa bonitatis creaturarum: eo quod per claram viſionem videtur Deus ſicuti eſt in ſe ipſo, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*. Igitur nullus põt fingi modus quo tueri poſſint aduerſarij ſententiam ſuam, puta, Chriſtũ per meritum proprium, eſſentialem animæ ſuæ fuiſſe gloriam aſſecutum.

Confirmatur. Ea animæ beatitudo de facto eſt Chriſto tribuenda, in qua magis Deo aſſimiletur. Sed Chriſti anima in eo aſſimilatur magis Deo, quod per modum naturę abſque alia pręſuppoſita actione ipſam diuinam intueatur eſſentiam, ſecundum quod eſt ſummum ens, ſummum verum, ſummumq. bonum: nam potiſſima Dei perfectio in eo ſita eſt, quod naturali quadam neceſſitate ſuam intuetur eſſentiam, ſuamq. ipſam bonitatem neceſſariò proſequitur amore. ergo ſimiles actiones in Xp̃o ſunt conſtituendæ, non alijs prioribus, vel temporis, vel naturæ ordinis præſuppoſitis, ſed quaſi per modum naturalis inclinationis habitæ.

Hæc quæ inſtruximus præcipua ſunt, & magis fundamentalia argumenta ad huius veritatis comprobationem, alia minutiora paſſim reperies apud claſſicos Theologos. Vnde ad alias noſtræ 2. conc. partes tranſeamus. Et quidem in ſecunda parte, quæ contrariam ſententiam parum eſſe probabilem affirmat, qui attentè argumenta, quæ pro prima parte fecimus cõſiderauerit, & ea ęqua librauerit lance, parũ reperiet difficultatis. Sunt.n. argumenta illa adeo manifeſta, vt nullum benè diſpoſitum intellectum non conuincant. Miſſum facio pauciſſimos eſſe authores quibus cõtraria ſententia probetur. etſi olim nonnulli graues eam fuerint tutati. Quidam vt veram. Quidam, vt aliquantulum probabilem.

Tertiam vero concluſionis partem, quæ ab omni erroris, & temeritatis nota contrariam eximit ſentẽtiam, negauit Mag. Medina citato in loco, verum poſterioribus S. Thom. interpretibus, tam grauis hæc cenſura non probatur. Et quidem meritò, nam ſine vrgentiſſima cauſa non ſunt damnandi graues authores, qui, hanc tenuerunt ſententiam vel eam probabilem reputarunt. Albert. Magn. Altiſiod. Alex. Alen. & alij. Præſertim quod rõnes à nobis pro noſtra ſentẽtia factæ, quæ vt dicebã sũt ad eius corroborationẽ præcipuę, eã ſolutionẽ admittũt, quæ aliqualiter põt cẽſeri probabilis, nimirũ, quod per actum ſciẽtiæ infuſæ ex parte intellectus, & per actũ dilectionis Dei, ab eadẽ ſciẽtia regulatũ, meruerit Chriſtus ipſã eſſentialẽ animæ ſuæ beatitudinẽ, quæ in eodẽ inſtãti tẽporis eſſe potuit cũ prædictis actibus meritorijs ordine naturæ præcedẽtibus. Itaq. auctores qui ſtatuũt meritũ eſſẽtialis glorię in Xp̃o, nõ negãt qn talis gloria eſſet Chriſto debita ex vi natiuitatis, & quaſi ꝓprietas in primo incarnationis inſtãti ipſã hypoſtaticam vnionem conſequens, quod qui negaret temere ſatis loqueretur, & forſan in fide erraret. Sed admiſſa iſta veritate, dicũt hanc gloriam fuiſſe

datam

datam Chriſto Domino duplici titulo. Altero ex vi natiuitatis, quia erat vnigenitus Patris. Altero ex vi meriti, quod etiam pertinet ad Chriſti dignitatem, ſuppoſito, quod ſine carentia gloriæ potuit mereri illam, vt præcedenti diximus concluſ.

§.6. *Tertia concluſio.*

SVppoſito illo modo, quo Chriſtus de facto eſſentialem animæ ſuæ gloriam accepit, per nullam potentiam fieri potuit, vt illam mereretur. Statuit hanc concl. Medin. loco cita. quem ſequuntur nonnulli ex iunioribus S. Thom. diſcipulis, quæ & mihi placet, ſed non in eo fortaſſis ſenſu, in quo ab ipſis aſſeritur. Etenim eorum quidam, ob id negant, Chriſtum potuiſſe animæ gloriam ex proprijs meritis accipere, ſecundum eum modum, quo ipſam habuit de facto, quia arbitrantur gloriam animæ Chriſti per ſimplicem reſultantiam ex hypoſtatica vnione promanaſſe per modum propriæ paſſionis, nulla vera interueniente Dei actione. Quæ ratio apud me parum habet momenti, quia non admitto huiuſmodi naturalem promanationem. Nam ſi ſuperius q. 2. art. 2. eam negaui reſpectu habitualis gratiæ Chriſti, multo maiori ratione debeo illam negare, cum loquor de eſſentiali animæ Chriſti gloria. Quoniam cum gloria non tam in habitu luminis, aut charitatis, quam in ipſa actuali Dei intuitina viſione eſſentialiter conſiſtat, manifeſtum apparet non potuiſſe ſimpliciter ſequi per naturalem aliquam reſultantiam. Tum quia actus vitalis à viuente potentia elicitus, impropriiſſimè dicitur ſimplici reſultantia, & effluxu procedere, quantûcunque naturaliter, & neceſſario ſequatur. Tum præcipuè, quia ad facialem Dei viſionem, iuxta probabiliſſimam, & forſan certiſſimã Angelici Doct. ſententiam 1. p. q. 12. a. 2. vnũ principium neceſſario requiritur, quod ad naturalẽ reſultantiam, & effluxum minime pertinere poteſt, hoc autem principium eſt ipſa Diuina eſſentia per modũ ſpeciei intelligibilis humano intellectui vnita. Et quis vero dicat, quod hæc diuinæ eſſentiæ intellectualis vnio conſequuta fuerit in Chriſto per ſimplicem emanationem, nulla noua Dei actione interueniente, ex ipſa verbi ad humanitatem hypoſtatica vnione? ego vero aduerſus ita dicentem non argumento, ſed riſu contenderem. Non negauerim, imo tota mẽte crediderim, hanc intelligibilẽ vnionem quodam iure connaturalitatis humano Chriſti intellectui fuiſſe debitam, repugno tamen dicenti eã effluxiſſe ex hypoſtatica vnione quadam naturali, & ſimplici reſultantia, ad eum modum, quo riſibilitas rationalem conſequitur eſſentiam.

Alij vero Theologi illam impoſſibilitatem, de qua loquitur noſtra concl. inde ſibi perſuadẽt, quod putant non potuiſſe ſimul ſtare in eodem temporis inſtanti animæ Chriſti gloriam, & eius meritum. Quoniam, inquiunt, omnis ſupernaturalis cognitio, in qua illud poſſet fundari meritum, etſi ab infuſa ſcientia procedat, intrinſecam tamen obſcuritatem inuoluit, & ineuidentiam ſupernaturalium gratiæ myſteriorum, cum qua proinde ſtare nequit facialis Dei viſio. Verum nos longe probabilius, ni fallimur, exiſtimauimus circa primam concl. cognitionem ſupernaturalem à ſcientia infuſa elicitam, euidentem eſſe, & claram in quocunque conſtituatur intellectu, nã ratio ſcientiæ infuſæ intrinſecam poſtulat euidentiam: alias enim non ſcientia, ſed fides, aut quid ſimile eſſet. Vnde meritum in hac cognitione fundatum non impoſſibile fuit in eodem temporis inſtanti cum beatifica Dei viſione reperiri, quam tamen ordine naturæ præcederet, quæ præceſſio, vt inter arguendum oſtendimus, ſufficiens eſſet ad meriti rationem.

His igitur prætermiſſis noſtræ concluſionis fundamentis, quæ minus ſufficientia ſunt ad fundandam prædicti meriti impoſſibilitatem. Senſus quem nos in tertia concluſione intendimus, is eſt, quod nulla ratione fieri potuit, vt Chriſtus eſſentialem animæ ſuæ beatitudinem mereretur, ſuppoſito, quod eam acceperit modo connaturali, & proportionato ipſi hypoſtaticæ vnioni. Qui modus in hoc conſiſtit, quod beatitudo eſſet prima perfectio, & operatio, quam haberet Chriſti anima verbo vnita. Ita quod nec ordine temporis, nec ordine naturæ alia quæuis ipſam præiret operatio, ſed ipſa potius eſſet omnibus prior, primaque aliarum omnium operationum Chriſti radix. Et quidem cum beatitudo eſſentialis debita eſſet Chriſto iure connaturalitatis, eo modo, quo circularis motus debitus eſt corpori cœleſti, (quo exemplo in quæſtione ſecunda vtebamur) vt ſeruaretur hæc connaturalis proportio, naturaleque ius beatitudinis eſſentialis ad hypoſtaticam vnionem, neceſſum fuit, vt prima operatio animæ Chriſti à verbo aſſumptæ ipſa eſſet facialis Dei viſio, nec aliqua alia actio inter animam aſſumptam à verbo, & ipſam beatificam Dei viſionem intercederet, ſicut inter corpus cœleſte, & circularem motum, nulla alia interceſſit mutatio. Et reuera ſi actio illa medians inter Chriſti animam, & eſſentialem eius gloriam, non eſſet eidem animæ connaturalis, & neceſſaria, ſed ab eius libertate procedens, qualis eſſe debuit operatio meritoria, nullus ſanæ mentis dicere poſſet, quod Chriſtus acceperit beatitudinem animæ admodum naturalis proprietatis, & vt ſibi iure connaturalitatis debitam. Opponuntur enim modi iſti, ſcilicet, libertatis, & connaturalitatis. Non nego intelligi poſſe, quod animæ gloria fuerit Chriſto data duplici titulo, nempè, vt debita iure cõnaturalitatis propter hypoſtaticam vnionem, & iure morali ex proprijs Chriſti meritis reſultanti, nã hoc in gloria corporis ipſiuſmet Chriſti fateri tenemur, vt inferius dicemus: ſed id tamen affirmo, quod ſi ita data fuiſſet gloria animæ Chriſti, minimè fuiſſet ſeruatus ille modus, qui requiritur ad hoc, quod gloria detur animę per modum naturalis proprietatis, & vt perfectio ſibi debita connaturalitatis iure, ſed potius indueret modum cuiuſdam aduẽtitiæ, & extraneæ perfectionis, etſi re ipſa connaturalis eſſet perfectio, naturaliq; iure Chriſto debita. Et quoniã S. Tho. indicauit, & quidem rationabiliter, non fuiſſe decens, vt in glorificatione animæ Chriſti, non fuiſſet ſeruatus modus iſte connaturalitatis, idcirco aſſeueranter dixit, non potuiſſe Chriſtum eſſentialẽ animæ ſuæ gloriam mereri: quia, poſita prædicti modi obſeruatione, repugnabat tale meritum.

Sed dices, quare fuit indecens Chriſto talis modi prætermiſſio, cum potius videatur decentiſſimum, quod Chriſtus ſua operatione meritoria gloriam

animæ ſibi compararet, vt gloria rationem præmij, & coronę haberet in Chriſto, ſicuti habet in reliquis beatis. Et præterea, quia hoc modo Chriſtus aliqualiter à ſemetipſo eſſentialem ſuæ animæ beatitudinem habuiſſet, & non totaliter ab extrinſeco ſuſceptam, quod non poterat non cedere in magnam ipſius Chriſti dignitatem, grandemque ſuæ animæ excellentiam.

Reſpondetur, quod cum creaturæ rationalis perfectio in aſſimilatione ad Deum potiſſimum cooſiſtat, vt prędicant paſſim ſacrę literę, imo & ipſi Einici agnouerũt Philoſophi, Plato, Seneca, Plinius, &c. ob id eſſentialis animæ Chriſti felicitas eo ſuam pręcipuè perfectionem ſortirur, quo magis Dei beatitudinem, & felicitatem imitatûr. Deus autem idcirco ſumma cum perfectione beatus eſt, ſummeque felix, quod non libertate, ſed neceſſitate naturali ſuã omnem poſſidet beatitudinem, perfectionem, & gloriam. Eſſentialis ergo animæ Chriſti felicitas eo perfectior eſt, quo ipſi animi eſt connaturalior, minuſque ab eius libertate pendens. Præterea cum Chriſtus ſit valde proportionatum, & adæquatum gratiæ ſubięctum, non debuit gratia in ipſo nec ſecundum ordinem temporis, nec ſecundum naturæ ordinem, ab imperfecta ad perfectam progredi, ſed ex vi ſuæ productionis, ſeu infuſionis, vel vt alijs placet, emanationis, debuit eſſe ſummè perfecta. At ſi eam Chriſtus ſuis actionibus promeruiſſet, gratia prius ordine naturæ imperfecta fuiſſet, quam perfecta, quia quamdiu non intelligitur conſummata per gloriam, neceſſum eſt imperfecta præintelligatur. Quam imperfectionem, vt S. Tho. & alij graues Doctores, qui eius ſententiæ ſubſcripſere à Chriſti gratia penitus eliminarent, aſſeuerantiſſimè docuerunt, Chriſtum Dominum gloriam animæ ſuæ nequaquam meruiſſe. Iudicantes valde fuiſſe Chriſto indecorum, & indecens ab imperfecto ad perfectum in ordine gratiæ progredi, quia tam grandis, tamque excellens huius ſubiecti gratiæ, nempè, Chriſti perfectio, hunc progreſſum non patitur. Namque progreſſus iſte à ſtatu imperfecto ad perfectum, ex ſubiecti imperfectione, & potentialitate prouenire ſolet. Perfectio autem quæ ex ratione præmij, & coronæ deſumi poſſet in Chriſti gloria, ſatis, ſuperque ſaluatur in gloria corporis Chriſti: quam ipſe poſt multa, magnaque ſuæ virtutis opera, vt eximium & pręclarum ſuorum laborum præminm reportauit.

Quin & addiderim, quod titulus hic præmij, & coronæ non tam glorioſus fuiſſet Chriſto, quam per modum ſolius connaturalitatis, abſque vllis meritis gloriam & immortalitatem corporis recipere, niſi ad humani generis reparationẽ fuiſſet neceſſarius, valdeq; expediens ad ipſam gloriæ Dei exaltationẽ, Nam abſolutè, & ſimpliciter multo maior perfectio eſt, & dignitas, tantam & animæ, & corporis gloriã ex ſeipſo, & quaſi ex principijs ſibi intrinſecis habere, quam per modum præmij, & coronæ ab alio expectare. Nã qui expectat meritiſq; , ac laboribus aliquid quærit, facto ipſo proteſtatur bonum, quod ita inſequitur, ſibi, ſuæque naturę debitum non eſſe, ſed eius duntaxat pręmiatoris proprium eſſe, apud quẽ illud meretur, & recipere conatur per modum præmij. Verum dicet quiſpiam, & quidem non irrationabiliter, quod hęc omnia, quæ hactenus diximus, nihil amplius efficiunt, quam quod Chriſtus meritis ordine naturæ præcedentibus animę gloriam non ipſam meruerit, verum nihil probant de operibus, quæ vel temporis, vel naturæ poſterioritate eandem animæ gloriam fuerunt conſequuta. Nam ij, qui ex nouioribus Theologis arbitrantur, Chriſtum vel meruiſſe, vel potuiſſe mereri eſſentialem animæ ſuæ gloriam, non tam ad præcedentia merita, quam ad ſubſequentia recurrunt, affirmantes, quod operibus ſequentibus potuit Chriſtus gloriam ipſam mereri, Quare vt noſtro plenè ſatisfaciamus officio, hunc etiam merendi modum oportet ſecludamus, & efficaciter expugnemus. Contra quem ſic argumentor.

Primo. Opera ſubſequentia eſſentialẽ animæ gloriam, nõ aliter potuerunt illam mereri, quam ſi fingamus eam fuiſſe collatam animæ Chriſti dependẽter à ſubſequẽtibus meritis eiuſdemmet Chriſti, ſed quod gloria ita fuerit data Chriſto, non conſentit modo, quem diximus in concluſione pręcedenti, decere Chriſti dignitatem, ac proinde de facto fuiſſe ſeruatum in ipſius animæ glorificatione: nam ſicut Chriſto ratione hypoſtaticæ vnionis debita fuit iure connaturalitatis gloria animæ, ita fuit ipſi debitum, quod independenter ab omni merito & pręterito, & futuro conferretur. Id enim, quod per modum naturæ datur, abſolutè datur, & abſque vlla conditione interueniente, & abſque dependentia ab aliqua operatione libera, quia libertas, vt dicebam, naturæ contraponitur: ergo, &c.

Præterea. Etſi fingamus cum tali operum ſubſequentium dependentia collatam fuiſſe Chriſti animæ eſſentialem eius felicitatem, adhuc non ſequitur, quod operibus illis ſubſequentibus Chriſtus mereretur, aut mereri potuerit ipſam animæ gloriam ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam conſideratam, ſed eius duntaxat continuationem: quia gloria in tali caſu, ſecundum ſubſtantiam ſuam præcederet in anima realiter ſuſcepta omne eius meritum, vt neceſſarium ipſius meriti principium. Et quamuis commentemur, animoque fingamus, quod niſi Deus præuideret, quòd Chriſtus bene vſurus erat & gratia, & gloria ſibi datis, quodque in multa bona opera proditurus eſſet, non conferret ei gratiam & gloriam, adhuc etiam non ſequitur, quod propter opera ſubſequentia tanquam propter merita Deus contuliſſet Chriſto gratiam, & gloriam, quia illa operum ſubſequentium præuiſio tantum haberet rationem conditionis requiſitæ, & ipſa pręuiſa opera haberent, duntaxat rationem effectus infallibiliter futuri. Nã quod effectus per ſe pendens ex animæ Chriſti gloria tanquam ex principio à quo & ſubſtantialem meriti rationem, & meritorium valorem ſortitur, vere eamdem animi gloriam mereatur, ego propter ſolam Eccleſię authoritatem id definientis crederem, ſolaque eius authoritas ſuadere me poterit, quod in hac meriti ratione non inuoluatur manifeſta contradictionis implicatio. Scio, dicet Franciſcus à Cartagena diſcurſu nono citato, idipſum quod ibi de prima gratia dicebat, nimirum quod potuit Deus dare homini gratiam primam non abſolutè, ſed quaſi mutuatam, vt eam ipſe poſtea ſuis operibus mereretur. Exemplum illud afferens de duce dante

Digitized by Google

equum & arma militi: cuius exempli meminimus præcedenti dubio.

Idq; ipſum dicere poterit de gratia vnionis, quod veluti mutuatione quadam daretur Chriſto cum dependentia à futuris eius operibus, & meritis. Miror planè virum ingenioſum, quod videns & prudens non ſolum à ſententia S. Thomæ, ſed à communiori Theologorum doctrina diſceſſerit propter iā futilem, tamq; inanem ſui diſcurſus imaginationem, abſque vllo fundamento, & authoritate confictam. Et primo quidem fictio illa de prima gratia non admodum grata apparet ſanæ doctrinæ. Nam cum catholica veritate teneamur credere, primam gratiam non cadere ſub merito de condigno eius, in quo ſuſcipitur, imo nec alterius cuiuſuis puræ creaturæ, illa doctrina magis erit conſentanea huic chatolicæ veritati, quæ impoſſibilitatem talis meriti fundare conatur. Quia ſi tam facilè poſſumus adinuenire modum, quo prima gratia cadat ſub merito, certè nō exactam valemus aſſignare rationem, propter quam Deus non conferat homini primam gratiam propter huiuſmodi meritum.

Dices, ſufficere nobis ſcripturæ ſacræ authoritatem, ex qua conſtat gratiam primam non ex operibus, nec ex meritis conferri, nam vt Paulinis vtamur verbis, *Si ex operibus gratia iam non gratia*. Rom. 11. Bene habet. Nam hac reſponſione euadent citatus Author, & alij, quibus eius ſententia ſūmoperè placet, omne erroris periculum, nec.n. ego vt periculoſam in fide eorum doctrinam reprehendo, ſed vt minus ſanæ doctrinæ conſentaneam auerſor. Et rogo. Ex quo ſacræ ſcripturæ teſtimonio conuincere me poterit contrariæ ſententiæ author, vt conſtanter affirmem primam gratiam non conferri de facto homini vt mutuatam, & propter merita ſequentia? Nam quid aliud habemus ex ſacris literis, niſi quod gratia prima non datur ex operibus, vt nunc nunc ex Paulo referebam? At quis non videat non omni cū improbabilitate, ſed magna cū apparētia dici poſſe, Paulum ibidem ſola antecedentia opera excluſiſſe, quæ in ipſa Dei gratia non fundantur? Nam ad literam de operibus Moſaycæ legis, ſub quibus, vt grauiſſimis placet authoribus, opera etiam naturæ legis comprehendit, loquebatur duntaxat. Præterea quid amplius in iſto loco Pau. intēdebat, quam quod alio dixit in loco ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis, quem effudit in nos abundè*, Ecce vides de quibus operibus loquatur Apoſtolus, & quæ opera à noſtra iuſtificatione, & renouatione eliminet, certè non alia niſi ea, quæ fecimus nos ante ſuſceptam iuſtitiā. Nec ei in mentem venit, quod opera gratiam ſubſequentia meritoria eſſe poterant ipſius gratiæ. Quæ ob id à noſtra iuſtitia non excluſit.

Præterea, non cogit nos omnino ad excludendum iſtud ſequens meritum primæ gratiæ, quod in ſcripturis ſacris non iuſtitiæ, ſed ſoli Dei miſericordiæ impij iuſtificatio tribuatur, vt tribuitur certè non ſemel, aut bis, ſed millies, ſuntque tam peruia cunctis huius rei teſtimonia, vt non ſit neceſſe ea in præſentia referre. Sed id eſt a nobis oſtendendum, quod is modus loquendi ſcripturæ ſacræ non penitus eliminat à fidelium mentibus, illius ſubſequentis meriti exiſtimationem. Quoniam illa gratiæ primæ mutuatio, quam prædictus author fingebat, nō eſt opus iuſtitiæ, ſed diuinæ liberalitatis, & miſericordiæ. Quod vel ipſa ratio mutui nobis manifeſtè oſtendit, mutuare enim non iuſtitiæ, ſed liberalitatis, & gratię opus eſt, & ob id Theologi, & Iuris periti Carolo Molinæ in vſurarum materia contra fidem erranti non conſentientes, dicunt non licere quidpiam ratione mutui vltra ſortem recipere, aut expectare, quia cum mutuum opus ſit non iuſtitiæ, ſed gratiæ, gratis dandum eſt, & abſque vlla commoditatis expectatione, quæ gratiæ & gratitudinis limites exear. Et ob hanc eandem cauſam non defuerunt quidam graues Theologi, e quorum numero fuit Adrianus Pont. Maxim. in 4. tract. de eleemoſyna, qui putauerunt, quod per mutuum adimpleri poteſt præceptum de elargienda eleemoſyna: quod ſane præceptum non eſt iuſtitiæ, ſed puræ miſericordiæ: ergo cum illa primæ gratiæ mutuatio reuera ſit diuinæ miſericordiæ opus, facilè interpretaremus ſcripturas ſacras, quæ iuſtificationem impij ad ſolam Dei reuocant miſericordiam, quamuis admittamus illud ſubſequens meritum. Quoniam tota iuſtitia, quæ in ipſo fundari poteſt, non valet auferre veram liberalitatis, & miſericordiæ rationem ab illa gratiæ antecedenti collatione, quæ cuiuſdam mutuationis rationem induit.

Dices vlterius his omnibus, quod etſi ſcripturis ſacris prædictam ſolutionem apparenter accommodare poſſimus, non tamen Eccleſię definitionibus, & grauiſſimis Sanctorū Patrum decretis, quibus apertè definitur nullam iuſtitiæ interuenire rationem in opere iuſtificationis impij.

Sed huic ſolutioni duo obſtant. Primum, quod cū ſcriptura ſacra ſit vnum ex præcipuis totius noſtræ religionis, & veritatis catholicæ fundamentis, & ex qua potiſſimum reuincendi ſunt Hæretici, quia & ipſi nobiſcum ſacram ſcripturam admittunt, debet Theologus, ſi bene ſapiat, ſuos omnes extendere neruos, vt ipſas noſtræ fidei veritates ad ſcripturam ſacram, quantum fieri poterit, reducat, eiuſque teſtimonijs corroboret.

Secundo obſtat, ꝙ omnes Eccleſiæ definitiones, quæ in Concilijs, & Patrum decretis de hac re aduerſus Pelagianos extāt, in ſacris fundantur ſcripturis, & nihil aliud definierunt, quam id quod ex ſcripturis ſacris colligi Sancti Patres cenſuerunt. Legantur Concilia Africana omnia, quæ aduerſus Pelagianos fuerunt coacta Legaturque Innocentius I. in epiſtola quam reſcripſit ad Patres Conc. Mileuitani, quæ habetur inter epiſtolas Auguſtini epiſt. 93. & in epiſto. 91. ad Patres Cartaginenſes Concilij, & legantur etiam epiſtolæ, quas Patres vtriuſq; Concilij ad ipſum Innocentium conſcripſerunt, quæ ſunt 90. 92. inter Aug. epiſtolas. Ex quibus omnibus conſtabit, verum eſſe id, quod nunc dicebamus: ergo eandem explicationem patitur Eccleſiæ definitio, quæ de prima gratia habetur in Eccleſia, quā admittit ipſa ſcriptura ſacra. Et hoc ipſum vel ex eo confirmo, quod Patres in Concil. cit. & alijs in locis, in quibus de hac re tractauerunt, aduerſus tantum hæreticos Pelagianos inſtituebant ſermonem, qui nihil de operibus gratiam ſubſequentibus, quorum meritum in Chriſti gratia fundatur loquebantur, ſed to-

tum iuſtificationis negotium ad naturalem humani arbitrij facultatem reuocabant: & in huius peſtilentiſſimi dogmatis extirpatione laborauerunt, & quidem ſatis feliciter, priſci illi Eccleſiæ Patres. Hæc tā minutatim ſum proſecutus, quia vellem ſuadere iunioribus Theologis, vt omnia inconuenientia attentiſſima conſideratione meditentur, priuſquam à cōmuni Theologorū doctrina recedāt, & quod magis ipſas fidei veritates rationibus ex principijs Theologiæ petitis conentur ſtabilire, quam quibuſdam metaphyſicis argutijs infirmare. Et licet non ego tantus ſim, vt Theologos vel mediocriter doctos docere debeam, & valeam, ipſa tamen rei veritas in hac parte ſe prodit, & quod ego vel inchoare in huius rei perſuaſionem nequeo, ipſa ſola perficit.

Sed iam rationibus agamus contra illam doctrinā de gratiæ mutuatione. Vel illa primæ gratiæ collatio tribuit dominium, aut quaſi dominium gratiæ ei cui confertur, ita quod verè, & propriè dicatur illam gratiam propriam eſſe eius cui eſt collata, vel nullum conſtituit gratiæ dominium in ipſam ſuſcipiente. Si dicas primum, ergo iam verè datur prima gratia homini abſque dependentia ab eius meritis, quia illud dominium, quod acquirit gratię ex vi infuſionis eius, ſine merito datur, atque adeo ſine meritis fit illa prima iuſtificatio. Item ſi per illam gratiæ collationem transfertur in ſuſcipientem ipſius gratiæ dominum, ad quid obſecro confinigtur illa mutuatio gratiæ? Dices, quòd vocatur mutuatio, eo quod ſuſcipiens accepit illam cum dependentia ab operibus ſequentibus, ita quod Deus repetet eandem illam gratiam ab ipſo, ſi operibus ſequentibus non eam mereatur. Contra vel illa opera ſequentia ſunt adhibenda ex vi præcepti, vel ex conſilio tantum: Si ex vi præcepti: ergo gratia auferetur ab illo non bene operanti, non quia illam ſuis operibus nō meretur, ſed potius quia non operando, cum teneatur, ipſam demeretur. Si vero ex conſilio: ergo ibi nullum mutuationis reperitur veſtigium, nam is qui mutuò aliquod accipit bonum, tenetur reddere aliud eiuſdem ſpeciei, vel ſaltem aliquid ei ęquiualens, &c. Hęc dicta ſint de prima parte illius principalis antecedentis, ad ſecundam deinceps transſeamus.

Si igitur ſecundum admittis, nimirum, quod illa gratiæ collatio non conferat ipſius dominium ei cui confertur. Sequitur, quod opera, quod ex illa gratia procedunt, non ſint coram Deo meritoria, neque valorem meritorium ab ea participent, & ex conſequenti, quod neque ipſam gratiam mereri poſſint. Sequelam probo. Nullus meretur niſi ex his quæ propria eius ſunt, & quorum habet dominium, ſeu quaſi dominium; eſt enim de intrinſeca meriti ratione, vt qui meretur, aliquid proprium exhibeat ei apud quem meretur, in cuius reciprocam equiualentiam recipiat præmium ex bonis ipſius præmiantis deſumptum. Si ergo gratia non ſit propria ei cui cōfertur, non poterit eſſe principium merendi, nec poterit valorem meritorium operibus ex ipſa procedētibus præſtare.

Simile omnino argumentum ei, quod nunc de prima gratia formauimus, fieri poteſt de gratia vnionis, prout eſt principium meritorum Chriſti. Nam vel gratia hæc propria eſt Chriſto, vt homini, vel non. Si primum, ergo independenter ab omni merito collata fuit hæc gratia Chriſti humanitati. Si ſecundum: ergo non potuit eſſe principium cuiuſpiam meriti: atque adeo nec Chriſtus, vt homo, mereri potuit ipſam vnionis gratiam ſibi collatam.

Secunda ratio, quæ communis eſt, & ad primam gratiam, & ad incarnationem Chriſti: ſumitur ex eo, quod dubio præcedenti inſinuaui, videlicet, quod præmium anticipatum, ſi aliter non poteſt præmij rationem ſortiri, niſi anticipatè, & ante meritorum exiſtentiam conferatur, præmium reuera non eſt. Sicque in forma conſtituo argumentum. Incarnatio non aliter poteſt eſſe præmium meritorum Chriſti, niſi quatenus ipſa merita vel tempore vel natura præcedunt, nam eſt impoſſibile, quod ſit ipſis meritis poſterior, cum ſit primum eorum efficiens principium, primaque radix: ergo ab intrinſeco repugnat ei: quod ſit verè, & propriè meritorum Chriſti præmium. Probo euidenter conſequentiam. Cui ab intrinſeco repugnat habere locum proportionatum præmio, & quem præmium ex natura præmij poſtulat, repugnat quoque, & ab intrinſeco ipſa eſſentialis præmij ratio. Et in omnibus iuſtitiæ commutationibus, exiſtimo hoc argumentū eſſe demonſtratiuum, & manifeſtarium. Itaque ſi conſtituamus rem aliquam cui ex natura rei, & ab intrinſeco repugnat aliter vendi, quam ſolutione anticipata, talis res ſua natura eſt inuendibilis, & inepta venditioni, ſed neceſſum eſt titulo gratuito conferatur.

Quod oſtēdo primo. Anticipata ſolutio, vt dicebā ſuperius, formaliter conſiderata, prout anticipata eſt, nihil habet, quod ad rationem attineat iuſtitiæ. ſed opus duntaxat eſt liberalitatis, & gratiæ: ergo res illa, quæ non aliter emptionis, & venditionis contractui afferri poteſt, quam ſub anticipata ſolutione, inuendibilis prorſus eſt ſecundum regulas iuſtitiæ.

Patet hæc conſequentia. Quoniam anticipata ſolutio, vt anticipata, nequit regulari, & menſurari per iuſtitiam, & per eius leges, & regulas, quia non ad iuſtitiam, ſed ad gratiam, & liberalitatem pertinet. Vlterius. Ergo talis res ſua natura eſt inuendibilis.

Probatur hæc poſterior conſequentia. Quia venditio, & emptio non per leges liberalitatis, & gratię, ſed per leges tantum iuſtitiæ regulantur; atque adeo inuendibilis cenſeri debet res illa, cui ab intrinſeco, & ex propria ſui natura repugnat pretium, niſi anticipata ſolutione conſignatum, cum talis pretij exhibitio non niſi per liberalitatis leges, quæ ſunt ad emptionem & venditionem impertinentes, poſſit regulari, & iuſtitiæ legibus nullatenus ſubijciatur.

Confirmatur. Si oppoſitum demus, ſequeretur, ꝙ ex parte vendentis reperiretur tantum opus iuſtitiæ cōmutatiuæ, & quod huic iuſtitiæ operi deberet neceſſario ex parte ementis reſpondere opus ſimul iuſtitiæ, & liberalitatis, ac gratiæ, Conſequens eſt chimericum, & dictu abſurdiſſimum. Quoniam gratia, & liberalitas, non iuſtitiæ, ſed gratiæ, & liberalitati reſpondent: ergo, &c. Loquor in hac ratione, & in tota hac doctrina de repugnantia, quę ab intrinſeco, & ex natura rei, quæ venditur, prouenit. Nam ſi ab extrinſeco proueniret, nempè ex defectu ementiū, præſentis pecuniæ, &c. illud non inconueniret, nec redderet rem huiuſmodi inuendibilem.

Probatur ſecūdo. Quod res aliqua nō aliter poſſit contractui venditionis ſubijci, niſi ſub anticipata

pretij

pretij ſolutione, non aliunde prouenire poteſt, quam ex eo, quod talis res ſua natura inepta eſt emptionis, & venditionis contractui, ad ſolamque poteſt gratuitam donationem pertinere, nec aſſignabilis eſt alia cauſa, etiam ſi fingendi detur licentia. ergo vera eſt illa doctrina à nobis præſuppoſita. Ex qua ad noſtrum intentum manifeſtè deducitur, quod nec incarnatio Chriſti habere potuit rationem præmij reſpectu meritorum eius, nec prima gratia reſpectu meritorum alterius cuiuſuis hominis iuſti, nec denique eſſentialis animæ Chriſti gloria comparatione ad ea opera, quæ ipſam gloriam fuerunt conſecuta, & vim omnem meritoriam ab ea participarunt, & ſi non vt à radicali, & primo, à proximo tamẽ, & immediato principio. Quo fit, Chriſtum nullatenus mereri potuiſſe eſſentialem gloriam animæ ſuæ, quo ad eius ſubſtantialem entitatem.

De continuatione autem eiuſdem eſſentialis gloriæ exiſtimo proportionabiliter eſſe loquendum, ad eum modum quo dubitatione præcedenti de incarnationis continuatione loquebamur, nimirũ, quod de potentia ordinaria tale meritum non decebat, quia non eſt bene proportionatum naturæ ipſius gloriæ, Chriſto debitæ ex vi hypoſtaticæ vnionis. Quoniam non ſolum eſt ei debita quantum ad ſui inchoationem, verum etiam quoad perſeuerantiam, & ſtabilem continuationem, quam & ipſa gloriæ natura per ſe poſtulat, eo quod eſt perfecta vltimi finis aſſecutio. Vnde debuit conferri animæ Chriſti non in tranſcurſu, & per tranſitum, vt data fuit Paulo, in illo ſuo mirabili raptu, quem Aug. & Tho. alijque Authores grauiſſimi non ſine magno fundamento docuerunt, ſed dari debuit Chriſto permanenter per modum æternæ vitæ, & inuariabilis ſtatus: atque adeo non fuit relicta ſub dependentia meritorum Chriſti ſequentium. De potentia vero abſoluta non repugnat Chriſtum meruiſſe huius glorię continuationem. Non quidem quod ipſa Chriſti opera ex principio intrinſeco, à quo procedebant, meritoriã hanc haberent virtutem. Nam totam ęam, quam ab huiuſmodi principio habere potuerunt, habuerunt de facto, eo quod infinitum ſortita ſunt valorem: ſed ab extrinſeca Dei ordinatione, & promiſſione, quæ vt ſuperius dicebam, nequit conſtituere perfectam & intrinſecam rationem meriti.

9.7. *Soluuntur argumenta initio quæſtionis propoſita.*

ARgumentis à principio huius tertij dubij propoſitis, deinceps ſatisfaciamus oportet. Ad primum reſpondetur, in illo Iſaiæ loco non fieri ſermonem de beatifica animæ Chriſti viſione. In quo conueniunt vniuerſi illius loci interpretes. Quamuis non omnino ſibi ipſis conſentiant in aſſignando literali eius ſenſu. Conueniunt quidem omnes Vaticinium illud Iſaię ad Chriſti reſurrectionem, vel ad ea, quæ Chriſto poſt glorioſam ſui corporis immortalitatem contingere, referendum eſſe. Conſentiũt enim vniuerſi interpretes: Iuſtino mart. in 2. dial. pro Chriſtianis, dicente, quod cum Iſaias à principio capitis manifeſtam de Chriſti paſſione tractationem inſtituiſſet: ab illis tamen verbis, *Generationem eius quis enarrabit?* ad Chriſti reſurrectionẽ ſermonem conuertit, & ad ea, quæ poſt reſurrectionem, & Chriſto, & eius Eccleſiæ acciderunt. De qua re legatur etiam Aug. lib. 1. de conſenſu Euan. c. 31. Ad quę tamen bona viſio, & ſaturitas debeant referri, non tam apud omnes conſtat: quamuis ea diuerſa, quæ dicunt, nullatenus ſibi ipſis repugnent. S. Hierony. refert Chriſti viſionem & ſaturitatem ad fructum paſſionis eius, qui in militanti Eccleſia reſultauit, dicit enim *Videbit, ſcilicet Chriſtus poſt reſurrectionem, & aſcenſionem ſuam Eccleſiam in toto orbe diffuſam, & multiplicatam, eiuſque fide ſaturabitur.* Non refragatur huic interpretationi Cyril. Alex. eundem verſans locum, quamuis 70. Interpretum ſequatur verſionem, ſecundum quam non eſt legendum *videbit & ſaturabitur*, ſed ita legitur. *Et vult dominus auferre laborem animæ eius, oſtendere ei lumen, & formare intelligentia, &c.* Itaque illud verbum, *Videbit*, in verſione 70. explicatur illis verbis, *oſtendere ei lumen:* aliud verbum, *Saturabitur*, exponitur verbis ſequentibus. *Formare intelligentia.* Sicque ait Cyril. [vult enim Deus Pater auferre laborem animæ eius, ſcilicet Chriſti, ideſt, crucis triſtitiam commutare gaudio, monſtrando illi translatos in lucẽ, qui quondam erant tenebræ, ideſt, qui quondam errauerunt, quibus etiam ſapientiſſimus Paul. in epiſt. ad Epheſ. c. 5 ſcribit, *qui quondam tenebræ nunc autem lux in Domino.*] Et paulo inferius, exponens Cyril. quid deſignent verba illa, *Formare intelligentia*, ita inquit, *qui verſantur in peccatis, & creaturam præ creatore colũt, deforme habent cor, & animum fœdiſſimum, ad quendam enim dictum eſt voce Hierem. c. 22. Ecce non ſunt oculi tui, nec cor tuum pulchrum. Sed cũ fidem in Chriſto amplectuntur, transformantur intelligibiliter ad diuinam eius & excellentem pulchritudinem.* Et fere ſtatim ſubdidit, *Vult autem Deus & Pater intelligentia, ideſt, ſapientia ſua eos qui in ipſum credunt formare, ipſique conformes reddere per ſanctificationem in ſpiritu.* Hęc interpretatio ex antecedentibus ibidem verbis conſtat, ex illis, videlicet, *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longeuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*, ideſt, proſperabitur in eius longeuo ſemine, nimirum in fideli Eccleſia vſque ad finem ſeculi duratura opus ſanctificationis, in quo Dei conſiſtit voluntas, vt dicebat Paul. 1. ad Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Et hoc quidem in manu Chriſti. Quaſi diceret Propheta, virtute paſſionis, & meritorum eius hæc proſperabitur fidelium ſanctificatio. Quam proſperitatem nunc Chriſtus intuetur, eaque ſaturatur, ideſt, magno gaudio, magnaque delectatione ipſam intuens perfunditur. Quod ſane gaudium eſſentiali Chriſti felicitati magnum, etſi accidẽtariũ, ornamentum affert. Non enim deneganda eſt Chriſti animæ huiuſmodi accidentalis ſuæ glorię perfectio: cuius totale complementũ tunc habebit, quando ſeculi huius rebus omnibus peractis, & ad conſummationem deductis, tradiderit Regnum Patri, & Deo, quando & ipſi omnia plenè erunt ſubiecta. Quando, videlicet, iuſti omnes ſummo ei amore, vt cœleſti Regi, & capiti, plenitſſima obedientia parebunt, & humili et feruientes affectu, glorioſe cum ipſo regnabunt. Et cum vniuerſos ſui populi, militantis, ſcilicet Eccleſiæ hoſtes pedibus ſuis conſternatos peſſundabit, æternisque ſupplicijs addictos in

Digitized by Google

inferni carceribus poſitos irridebit. Nec enim ante accidentaria Chriſti gloria ſuum omne ſortiebatur adimplementum. Quod non obſcurè inſinuauit Chryſ. ſuper c. 5. Matth. in imperfecto. Verſans illa verba, *Peregrè profectus eſt. Ad regna cœleſtia*, inquit, *aſcenſurus, & ad Patrem ſuum, peregrè ſe iturum dicit, propter charitatem Sanctorum, quos relinquebat in terris*. Et ſubdit. *Chriſtum maiori dilectione teneri in terris dilectione gloriæ, quam habebat in cœlis*. Et alia ibi dicit quamplurima, ex quibus conſtat felicitatẽ Chriſti non omne ſuum complementum adhuc accepiſſe, quamdiu Sãcti, qui ſunt eius corporis membra in terris militant, & grãdes propter ipſum perſecutiones tolerant. Et quidem, quid ni hoc verum ſit, cum Sanctorum labores, & perſecutiones Chriſtus proprias, & ſibiipſi reputat illatas? Vt Act. 9. dixit Paulo *Quid me perſequeris?*

Aliter interpretantur alij verba illa, *Videbit & ſaturabitur*. Videlicet, quod illa viſio ad ipſam Chriſti reſurrectionem referatur. Quæ interpretatio ſatis apertè colligitur ex illis verbis 70. Interpretum. *Oſtendere ei lumen*. Nam quandiu Chriſti corpus exanime iacuit in ſepulchro, in mortis erat tenebris conſtitutum; tunc autem vidit lucem, cum fuit reſurrectionis gloria dotatum. Cui veritati conſentit id, quod Micheas cap. 7. in perſona Chriſti mortem alloquentis dixit, *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia recidi, conſurgam, cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt*. Quaſi diceret, cum mortuus in ſepulchro iacuero, Dominus mihi lucem reſtituet, me ad immortalitatis vitam ſuſcitando. Etenim non ob id tantum Chriſtus è mortuis ſuſcitatus dicitur vidiſſe lucem, quia hoc corporeum intueatur lumen: ſed potiſſimum, quia immortalitatis, & exaltationis ſuæ gloria potitur, innumeriſque glorioſiſſimis exornatur & animæ, & corporis dotibus; omni ab anima paſſibilitate, omnique mortalitate à corpore ſecluſis. Satis namque conſuetum eſt literis ſacris, ea quæ felicia ſunt, ac proſpera, & quæ præcipui gaudij, & lætitiæ materiam præſtant, lucis nomine appellare. Sicut è contra infelicia, & calamitoſa, tenebræ vocari ſolent. Multa huic rei atteſtantia loca in ſacris ſcripturis paſſim reperies, quæ non vacat in præſentia recenſere, ſufficiat illud quod habetur Eſther cap. 8. vbi de populo Iudaico, qui beneficio Regis Aſſueri, Reginæ Eſther interuentu, & magna ſolicitudine impetrato, extremi ſupplicij, cui ex Regis ſententia tenebatur addictus, timorem à ſe repulit, in hunc modum dicitur. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium*. Et illud Iſa. 9. *Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. Vnde meritò Chriſtus à mortuis reſurgens, dicitur vidiſſe lucem, & quod ei Deus lumen oſtendit. Sed & ſaturitatem quoque tunc eatenus accepit, quatenus & ſumma fuit fruitione perfuſus, ſuaque omni felicitate abſque vllo humanarum paſſionum impedimento potitus. Sed & ipſa quoque vndequaque perfecta corporis ſuſcitati immortalitas, & gloria non ineptè Saturitatis voce nuncupatur, idest, omnimoda gloriæ plenitudo. Quam Deus ſapientia ſua in ipſa Chriſti humanitate effecit, formans glorioſiſſimum Chriſti corpus omni pulchritudine ornatum, vt 70. Interpretum verbis vtamur, *Et formare*, inquiunt, *intelligentia*. Ad cuius ſimilitudinem *Reformabit* ipſe Chriſtus aliquando *corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, vt Paul. ad Philipp. 3. nos admonitos eſſe voluit. Non refragatur huic intelligentiæ Cyril. loc. cit. Ad quam intelligentiam pertinet verſio alia, quæ loco illius verbi, *Videbit*, ita habet. *Texet glorioſè*. Quæ verſio ab Hebræorum mente non diſſentit. Et horum verborum is eſt ſenſus. Texet opere picturato, oſtro, auro, & imaginibus corpus ſuum ſacrum. Qua ſane ornatiſſima, glorioſaque textura artificioſè nobis, & graphicè Propheta depinxit ipſam Chriſti corporis è ſepulchro ſurgentis immortalitatem, & gloriam.

Ad ſecundum argumentum. Magiſter Medina, cui fuit perſuaſum habitualem gratiam fuiſſe Chriſto collatam ex diſpoſitione ordine naturæ in genere cauſæ materialis præcedenti, reſpondet, quod idcirco per illam ſupernaturalem actionem, quæ fuit diſpoſitio ad gratiam, Chriſtus nec gratiam, nec gloriam meruit, quia fuerunt ſimul in eodem inſtanti temporis cum ipſa ſupernaturali actione. Cæterum hæc ſolutio probabilis eſſe poteſt, qua parte de gratia procedit, quamuis non ob id, quod illa operatio, & gratia fuerint ſimul tempore in Chriſti anima: quia, vt ex dictis conſtat, non eſt contra rationem meriti, & præmij eorum ſimultas in vnico temporis inſtanti, nam ſatis fuerit, quod meritum ordine naturæ præcedat. Sed quoniam illa operatio, etſi præcederet gratiam in genere cauſæ materialis, præſupponebat eandem in genere cauſæ efficientis, & formalis. At præmium, vt ſæpè dixi, non debet, neque vero ſine miraculo poteſt meritum antecedere, ad ipſumque præſupponi: præſertim ſi præſupponatur vt eius cauſa, vt hic contingit. Verum qua parte de gloria procedit iſta ſolutio, merito diſplicuit poſterioribus S. Tho. interpretibus. Quia ex ea tantum ratione, quod illa operatio fuerit ſimul tempore cum animæ Chriſti gloria, nullatenus ſufficienter colligitur, eam non fuiſſe ipſius gloriæ meritoriam. Nam cũ gratia in Chriſto fuerit prior gloria, ſecundũm naturæ ordinem, commodè intelligitur, quod operatio illa, etiam prout informata gratia, & charitate, fuit prius ordine naturæ, quam ipſa animę gloria, atque adeo eius meritoria.

Igitur illa prætermiſſa ſolutione, reſpondeo iuxta ea, quæ dixi ſuperius quæſt. 4. Chriſtum non accepiſſe habitualem gratiam aliqua diſpoſitione mediãte, quæ prior eſſet ipſa gratia. Etſi, vt ibi aduerti, diſpoſitio eandem gratiam concomitans in Chriſti ſanctificatione rationabiliter conſtituatur. Quæ tamen concomitans diſpoſitio vel fuit amor viſionem beatificam conſequens, prout liber, & meritorius, iuxta modum in primo dubio huius articuli expoſitum, vel fuit actus charitatis per ſcientiam infuſam regulatus. Et ſiue vno, ſiue altero modo fuerit: præſupponebat viſionem beatificam, imo & amorem Dei beatificum, & neceſſarium, vt in illa quæſt. 4. ex poſui, in quibus actibus eſſentialiter conſiſtit animæ gloria. Et quidem ſicut ad actum fidei ſupernaturalem non ponitur in alijs hominibus viatoribus aliqua præcedens diſpoſitio, eo quod per ſe loquendo eſt primus hominis viatoris actus, quem habet erga Deum: ita in Chriſto ad primum ſupernaturalem intellectus actum non debet poni aliqua diſpoſitio præce-

Digitized by Google

præcedens. Hic vero primus actus in Chriſto non fuit actus fidei, vel ſcientiæ infuſæ, vt ex ante dictis conſtat, ſed viſio facialis, & intuitiua diuinæ eſſentiæ, in qua eſſentialiter ſita eſt animæ gloria, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

Ad confirmationem facilè reſpondetur, non eſſe eandem rationem de contritione, & de prima operatione Chriſti ſupernaturali. Quoniam contritio eſt diſpoſitio ad gratiam, prout in genere cauſæ materialis ipſam gratiam præcedit, & quia vt formata gratia, & charitate tempore præcedit gloriam: idcirco põt eſſe, & de facto eſt ipſius gloriæ meritoria, ſiue mereatur eundemmet gloriæ gradum, qui primæ gratiæ reſpondet, ſiue alium nouum, vt quibuſdam placet, de qua re alias eſt diſputandum. Prima vero Chriſti operatio neq; gratiam, neque gloriam vlla ratione antecedit, ſed vel eſt ipſa gloria ſecundũ ſubſtantiam, vel eſt operatio ipſammet gloriam ordine naturæ *præſupponens*. Et ex hoc ſupereſt explicatum reliquum, quod in eodem ſecundo argumento ad eius finem additur.

Ad tertium argumentum breuiter dico. Ita ſe res habere, quod ſimultas tẽporis meriti, & præmij, non tollit eſſentialem meriti, aut præmij rationem. Nec ob id negauimus Chriſtum meruiſſe gloriam animæ ſuæ, quia non poſſent in eodẽ inſtanti ſimul eſſe meritum, & præmium: nam hoc falſum eſſe crediderim, etiam ſi ſermò fiat de vltimo præmio, nec S. Tho. vnquam contrarium aſſeruit, quidquid dixerint nonnulli Thomiſtæ. Nam cum prima par. q. 62. ar. 4. dixit, Angelum in primo inſtanti ſui eſſe nõ potuiſſe ſimul mereri gloriam, & eam aſſequi, quia nõ poſſunt eſſe ſimul gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi, & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi: de eo tantum loquebatur merito, quod in fide, & ſpe fundatur, & e à vocauit imperfectam gratiam, cui actus fidei, & ſpei aſſociãtur. Quod ſane meritum nequit eſſe in eodem temporis inſtanti cum vltimo præmio, videlicet, gloria. Nos vero cum meritum, & præmium vltimum in eodem inſtanti poſſe reperiri diximus, haudquaquam de iſto merito loquebamur: ſed de illo quod fundatur in cognitione per ſcientiam infuſam habita, quæ cognitio, etſi imperfectior ſit viſione beata, non tamẽ cum ea pugnat.

Sed dices. Omne meritum includit ſpem conſequendi præmij, ſed ſpes nequit eſſe ſimul cum præmio, præſertim vltimo, ex quo formaliter pendet ipſa ſpei ratio: nam quod habet quis, quid ſperat? Ergo meritum nequit ſimul eſſe cum vltimo præmio: Reſpondetur, quod ſi legem regularem & ordinariam attendimus, ita plane eſt, quod meritum vel formaliter includit ſpem, ſpeique actum, vel illam præſupponit ordine temporis, vel naturæ priorem (loquor de ſpe largo modo, prout extenditur ad deſiderium, vt Chriſti meritum, quo ſui corporis meruit gloriam comprehendam) at ſi potentiam Dei abſolutam contemplemur, non eſt neceſſaria ſpes ad meritum, niſi quatenus ipſemet actus meritorius eſt implicita quædam expectatio præmij, ea ratione, qua naturæ ordine ipſum præcedit. Et hoc modo poſſet contingere meritum in Chriſto, ſecundum abſolutam Dei potentiam. Concedimus ergo illi 4. argumento, omnia quæ aſſumit, quatenus de abſoluta lege, & potentia procedunt. Probat enim efficaciter illud argumentum cum ſua confirmatione, non repugnare merito ex intrinſeca meriti ratione, quòd ſit in eodem inſtanti temporis cum præmio etiam vltimo, & maximo.

Ad quintum argumentum neganda eſt minor. Probationi dicitur, quod ſi Chriſtus animæ ſuæ gloriam meruiſſet, non quidem ſequeretur illud primum inconueniens Chriſti dignitati contrarium, quod in illo argumento explicatur, ſequeretur tamẽ inconueniens aliud ſecundum. Quoniam gloria non daretur animæ Chriſti modo ſibi debito. Debetur enim ei qua ratione eſt naturalis Dei filius, quod prima eius operatio eſſet ſummè perfecta in ſuo genere, eo quod Chriſtus eſt operans ſummè perfectus, ac proinde in ſua operatione non debuit procedere ab imperfecto ad perfectum, etiam ſecundum ordinem naturæ, ſed ab operatione ſummè perfecta inchoare debuit, quæ eſſet prima radicalis cauſa aliarum omnium operationum, quæ non tam eſſent perfectæ.

Hæc autem perfectiſſima animæ Chriſti operatio, ipſa eius fuit eſſentialis gloria. Itaque ſi Chriſtus ipſam animæ ſuæ gloriam meruiſſet, non operaretur, vt agens ſummè perfectum, ſed vt imperfectum potius, cuius proprium eſt ab imperfecto ad perfectum procedere, eiuſque gratia non eſſet omni ex parte perfecta, plene neque actuata, ſed potentialitatis admixtionem haberet imbibitam, ex qua ſola prouenit hic modus procedendi ab operatione, nempè, minus perfecta ad magis perfectam, ob id enim agẽs ſic operatur, quia exit de potentia ad actũ, vt S. Th. dixit 1. p. q. 85. ar. 3. Vt hanc ergo imperfectionem à Chriſti anima, & ab eius gratia auferamus, omnis ratio meriti reſpectu eſſentialis gloriæ animæ releganda eſt à Chriſto, cui ſumma in ordine gratiæ tribuenda eſt perfectio. Neſcio planè an inconuenientia alia, quæ Theologi aſſignare ſolent ad excludendum huiuſmodi meritum à Chriſto, ſufficiant (ſi res bene expendatur ad totalem huius meriti eliminationem.) Iſtud autem inconueniens, quod eſt iudicio meo manifeſtiſsimum, exiſtimo ſufficiens eſſe ad fundandam hanc Theologicam veritatem. Ad illud autem, quod in hoc 5. argumento de iudiciaria Chriſti poteſtate intermiſcetur, num videlicet, eam meruerit, & quo tempore ei fuerit conceſſa, dicam in ſolutione argumenti ſexti.

DVBITATIO I. APPENDIX.

An Chriſtus meruerit gloriam ſui corporis, ſuique nominis exaltationem.

IN ſexto, & vltimo huius tertij dubij argumento ea difficultas examinanda proponitur, quæ niſi ab alijs me prioribus, & doctioribus, præſertim à Magiſt. Med. magna cum diligentia, & eruditione fuiſſet examinata, non poſſem non in eius explicatione longam diſputationem texere, ſed breuiter agam, quoniam ad alia neque minus vtilia, neque minus difficilia propero: ergo ea eſt huius ſexti argumenti dubitatio. Num Chriſtus gloriam ſui corporis, ſuique nominis exaltationem meruerit. Qua

in re

Digitized by Google

in re & cum hæreticis, & cum catholicis nobis ſunt manus conſerendæ,& ſi compendioſo certamine. Ab hæreticis ergo inchoandum eſſe cenſeo, vt peſtilenti primum euulſa radice ſaluberrimum fructum colligere poſſimus, ſanam, videlicet doctrinam ſtatuere. Igitur Caluinus, in ea fuiſſe videtur ſententia, quod Chriſtus nihil ſibi meruerit, ſed quod omne eius meritum,ad nos. ad noſtramq; vtilitatem ſit referendum, Quod ex duobus ſibi perſuadet.

§.1. *Proponuntur argumenta pro parte negatiua.*

PRimo, quia in ſcriptura ſacra nuſquam fit mentio de merito Chriſti comparatione ad præmiũ ipſi Chriſto conferendum; ſed totum refertur ad nos. Neque vſquam legitur Chriſtum aliquid pro ſe ipſo petijſſe à Patre, ſed totum pro nobis, vt conſtat Ioannis 17. per totum capitul. ad Roman. 4. ibi, *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*,& ex ſequenti cap. quinto, id ipſum colligitur.

Secundo probat, ſi Chriſtus meruit gloriam ſui corporis, ſuiq; nominis exaltationem, ſequitur, quod non tantum debeamus Chriſto in opere redemptionis noſtræ, quantum ſacræ literæ prædicant, quia nõ tam propter nos, quam propter ſemetipſum, propterque gloriam ſuam humiliatus fuiſſet, & mortuus, Vt in ſimili argumentabatur Cyril. aduerſus hæreticos Arianos in lib. 3. theſauri cap. 2. Ita inquiens. *Sin vero (vt ipſi dicunt) exaltatus poſt incarnationem eſt filius Dei, & factus ſublimis, quod ante non habebat, pro ſe magis incarnatus eſſet, quam pro hominibus: Sibi enim magis ſecundum nos profuit, quam hominibus. ita non pro noſtra ſalute magis quam vt ipſe exaltaretur; nomenque maximum aſſequeretur, homo factus eſſet.* Et fere ſtatim inquit, *quomodo pro nobis mortuus eſt, ſi pro morte Deus ipſe, ac filius Dei appellatus eſt?* His ſimilia reperies apud Athanaſium in oratione ſecunda contra Arianos, ex qua oratione violentum videtur deſumi argumentum pro ſententia Cal. Sępius enim ibi repetit Athan. exaltationem Chriſti, quam Paul. commemorat & claritatem, & gloriam, quam Chriſtus petijt à Patre, Ioan. 17. non ad ipſum Chriſtum, ſed ad nos pertinere. Et inter alia hæc dicit Athan. fruſtra innituntur Ariani coniunctioni iſti *Ideo*, dum à Paul. dicitur, *Ideo & Deus exaltauit illum*. Non enim præmium virtutis nec præſtantiam in proficiendo verbis ſignificauit: ſed cauſam ſublimationis in nos redundantis. Ecce quẽadmodum rationem præmij à Chriſti gloria, & exaltatione excluſit, & ex conſequenti omnem quoque rationem meriti à Chriſti operibus comparatione ad ipſius Chriſti exaltationem; & totum ad nos dixit pertinere.

Confirmatur. Nam multo magis ſplendeſceret eximia Chriſti charitas erga homines, quam ſacræ literæ mirè commendant, ſi Chriſtus nullum commodum, nullumque præmium ex ſuis laboribus, ex ſuaque paſſione reportaſſet, ſed in ſpiritualem hominum vtilitatem, & vitam & mortem ſuam liberaliter, & totaliter expendiſſet: ergo ita factum eſſe credere debemus, cum ex ſacris literis non conſtet oppoſitum.

Hæc tamen Caluini ſententia manifeſtus eſt error in fide, & aperta hæreſis. Vniuerſique Patres paſſim docuerunt oppoſitum. Sed vt rem iſtam diſtinctius, & clarius exponamus, duas contra Calu. aſſertiones ſtatuo.

§.2. *Prima concluſio.*

CHriſtus verè ſibi meruit glorioſam ſui nominis claritatem,& exaltationem. Hæc aſſertio eſt expreſſa fidei veritas.

Probatur primo manifeſtis ſcripturæ ſacræ teſtimonijs, Paul. ad Philippen 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Illa dictio, *Propter*, meritoriam deſignat cauſam, vt textus ipſe præfefert manifeſtè,& Sancti Patres vnanimi conſenſu dixerunt. Legatur Aug. tract. 104. in Ioan. vbi inter alia, quæ ad hoc propoſitum magna cum eruditionis copia dicit, exponens obiter hæc Paul. verba. Sic ait. *Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium.* Et Ambroſ. eundem locum verſans, ſic dixit. *Quid & quantum humilitas mereatur oſtendit*, ſcilicet Paul. *verbis prædictis*, vbi apertè docet, quod propter meritum humilitatis dedit Deus Chriſto nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c. Hæretici Caluiniſtæ dicunt dictionem, *Propter*, non cauſalitatem, ſed conſecutionem deſignare. Verum hæc interpretatio primum aduerſatur Patrum intelligẽtiæ: vniuerſi enim cum prædictum Pauli teſtimonium verſant, cauſalitatem cognouerunt, per hanc vocem deſignatam. Expendantur verba ex Ath. paulo ante citata, quibus affirmauit, quod importat illa dictio, *propter*, ſeu ideo, cauſam ſublimationis in nos redundantis. Præterea hæc dictio, *propter*, & ſimiles, ſi cum proprietate ſumantur cauſalitatẽ important: ſunt enim cauſales dictiones, vt authores latinitatis paſſim aduertunt. At verba ſcripturæ ſacræ omni cũ proprietate ſunt accipienda, vt ſuperius ex Aug. animaduertimus, & manifeſta ratio dictat. Nam ſi liceat cuique liberè ad figuratã, & impropriam intelligentiam recurrere, nihil certum poſſit ex ſacris ſcripturis haberi. Tandem ſi dictio prædicta, & ſimiles non cauſalitatem meritoriã in ſacris ſcripturis denotant, ex nullo earum loco poſſet colligi, Chriſtum hominibus quidpiam meruiſſe. Quod aſſerere manifeſtus eſſet in fide error; ergo, &c. Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*. Et multa alia in toto cap. reſiduo habentur, quæ nihil aliud deſignant, quam gloriã & exaltationẽ nominis Chriſti, eiuſq; externum ſplẽdorem, mirabilemq; gloriam, quam Chriſtus laboribus, & paſſione ſua obtinuit. Apoc. c. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem, gloriam, & fortitudinẽ.* Diciturq; Chriſtus accepiſſe diuinitatem, quatenus paſſione ſua meruit ſuæ diuinitatis manifeſtationem, itaq; & Angelis, & hominibus conſtaret, in ipſiſque infernis locis eſſet manifeſtũ, quod Chriſtus eſt verus Deus, vnigenituſq; Dei filius, ac omnis proinde lingua ſiue ſua ſpõtè, ſiue coacta & inuita confiteatur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. In hoc enim conſiſtit glorioſa nominis Chriſti exaltatio, & dona-

tum

Digitized by Google

rum ei eſſe nomen, quod eſt ſuper omne nomen, nimirũ, vnigeniti filij Dei: quod ſane nomẽ, vt Ambr. cit. in loco, & vniuerſi Patres aduertunt, datum fuit Chriſto per vnionis gratiam, in ipſo ſuæ incarnationis inſtanti, ſed manifeſtationem prædictam accepit poſtquam reſurrexit à mortuis. Vnde Auguſt. tract. 104. cit. inquit, *Hæc eſt glorificatio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ab eius reſurrectione ſumpſit exordium.* Io. 17. in hunc modum Chriſtus Patrem orabat, *Clarifica me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret*, hanc claritatem, ſeu, vt alij legunt, gloriam, ipſam eſſe Chriſti diuinitatem, cuius manifeſtationem in ſui corporis glorificatione, in ſuique nominis exaltatione Chriſtus petebat, docent vnanimiter Eccleſiæ Patres, quoties de re iſta eis incidit ſermo. Legantur ſpeciatim Aug. in tract. cit. ſuper Ioan. Athan. & Cyril. loc. cit. Deficeret me dies in referendis ſcripturæ ſacræ pro iſta veritate teſtimonijs. Circa ſequentem concluſionem adducã alia, quæ ad hanc primam concluſionem comprobandam valde conferre poterunt.

Probatur ſecundo concluſio ex grauiſſimis Patrũ teſtimonijs, qui hanc apertiſſimè veritatem vnanimi conſenſione docuerunt Cyril. lib. 4. the. cap. 2. Baſil. 4. lib. contra Eunomium. Ambro. & Auguſt. loc. cit. Legatur etiam Auguſt. lib. 3. contra Maximinum c. 2. & lib. 1. de conſenſu Euang. cap. 31. & ſuper illud Pſalm. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltauit caput.* Qui locus ſcripturæ ſacræ etiam eſt maniſeſtiſſimus pro hac veritate confirmanda. Athanaſius in oratione citata hanc apertiſſimè veritatem docet, cuius & Cyril. mentem aperiemus continuo. Denique vniuerſi Patres hanc veritatem, vel expreſsè docent, vel cum de hac re eis incidit ſermo, tanquam certam in veritate catholica præſupponunt. Legatur Hugo de Sancto Victore lib. 1. de ſacramẽ. par. 2. cap. 6. Theologi, & Scholaſtici omnes cũ ſuo magiſtro in 4. diſt. 18. hanc veritatem vt certam & indubitatam vnanimi conſenſione docuerunt.

Ratione tandem Theologica hæc veritas manifeſtè probatur. Chriſtus ſecundum fidem fuit viator, ac proinde meriti capax, & eius operationes fuerunt proportionatæ huic præmio, omneſque alias conditiones ad meritum requiſitas habuerunt. Ergo de facto Chriſtus hoc prẽmium ſibi meruit, minor quo ad ſecundam partem, puta, quod Chriſti operationibus non deeſſent conditiones requiſitæ ad meritũ, conſtat ex retro à nobis diſputatis, & aſſertis. Quod vero proportionem habuerint cum hoc præmio, ſcilicet, glorioſa nominis Chriſti exaltatione, probatur. Humilitatis virtus, eiuſque operatio magnam habet proportionem cum præmio, quod exaltatione, & claritate conſtat, iuxta id, quod Chriſtus dicebat, Luc. cap. 7. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*, ſed Chriſtus valde ſe corã Deo humiliauit, humillimaque ei fuit obedientia ſubiectus in omnibus ſuis actionibus: ergo omnimodam habuerunt proportionem Chriſti operationes cum præmio exaltationis, & gloria ſui nominis. Quod non latuit Paulum, cum loco citato Chriſti exaltationem ad humilem ipſius obedientiam reuocauit, & non ad charitatem, nec ad religionem, nec ad alia virtutum opera, cum tamen potuiſſet.

§. 2. SECVNDA ASSERTIO.

CHRISTVS verè & propriè ſui corporis immortalitatem, & gloriam promeruit. Iſta aſſertio quibuſdam Theologis apparet non tam certa vt præcedens, atque adeo dicunt eam quidem veriſſimam eſſe, ad fidem tamen nõ pertinere. In hanc ſententiam ob id ducuntur, quia omnia, inquiunt ſcripturæ ſacræ, & Patrum teſtimonia, in quibus de Chriſti merito, quo gloriã ſuam, & claritatẽ ipſe promeruit, fit ſermo, commodam habent intelligentiam, ſi ad exaltationem, & glorificationẽ Chriſti nominis, de qua in aſſertione præcedenti, referantur. Verum alijs Theologis, & ijs quidem grauiſſimis aliud apparet, cenſent enim hanc ſecundam aſſertionem non inter probabiles Theologorum opiniones connumerandam eſſe, ſed vt certam fidei veritatem fore credendam. Ita cenſet inter alios Mag. Med. loco ſuperius citato, & mihi ita dicendum apparet. Et probo. Primo, ex quibuſdam ſcripturæ ſacræ locis, qui non commodè interpretari poſſunt, niſi de gloria, & immortalitate corporis Chriſti. Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Quod ſi velimus ſcire, quænam fuerit hæc gloria, & vnde inchoauerit, explicuit nobis ipſe Chriſtus eodem cap. fere ad finem. *Quoniam ſic ſcriptum eſt*, inquit, *& ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die.* Quod prius dixerat intrare in gloriam ſuã, nunc dixit reſurgere à mortuis tertia die. Ad Hebr. c. 5. qui, nempè, *Chriſtus in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Huius loci memini ſuperius in 2. art. huius 5. quæſt. dubit. 1. cui duas expoſitiones adhibuimus quoad illam eius partem, qua dicitur, exauditum fuiſſe pro ſua reuerentia. Nunc vero ponderandum eſt, manifeſtè colligi ex hoc teſtimonio Chriſtum oraſſe, ac deprecaſſe Deum, vt ipſum à morte liberaret, ideſt, per glorioſam reſurrectionem eum à mortis poteſtate, & vinculis erueret, pro qua re fuit exauditus à Deo pro ſua reuerentia, ideſt, vel quia reuerentiam humilem ipſe exhibebat Patri, vel quia merebatur exaudiri, eo quod omni reuerentia, & honore eſſet digniſſimus. Cuius exauditionis meminit Regius Vates pſal. 15. vbi in perſona Chriſti loquens ſic inquit, *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem:* ergo Chriſtus pro gloria ſui corporis orauit Patrẽ, ipſamque proinde, & impetrauit, & meruit.

Sed hoc teſtimoniũ & ab hæreticis, qui hanc cõcl. 2. omnino negant, & à catholicis Theologis, qui eã non eſſe in fide certam exiſtimãt, diuerſis modis infirmari poteſt. Calu. enim illud, pro ſua reuerentia, ſic debere intelligi, ait. Exauditus eſt à ſuo metu. Ita ꝙ Chriſtus ex metu æternæ damnationis oraret Patrem, nõ pro glorioſa corporis reſurrectione, ſed ne ab æterna vita excluderetur, perpetuiſq; addiceretur ſupplicijs, in quo fuit à Patre exauditus. Hæc intelligentia plena eſt hæretico, blaſphemo, & ſathanico

ſpiritu,

ſpiritu,quam eruditè ſatis confutauit Robertus Bellarminus in 1. Tom.ſuarum controuerſiarum, controuerſia 2. generali lib.4.c.8.ad finem. Cui nihil mihi ſe offert addendum, quod alicuius poſsit eſſe momenti ad prædictam intelligentiam confutandā. Reuiſat lector, quæ loco citato dixi circa huius teſtimonij expoſitionem, ex quibus conſtabit hanc ſtultiſsimam Caluini intelligentiam contrariam eſſe Patrum menti.

Catholici autem Theologi id nobis poſſunt opponere,quod ex hoc loco colligitur quidem Chriſtum & impetraſſe,& meruiſſe reſurrectionem ſui corporis, non verò eius immortalitatem, & gloriam. Verum hæc obiectio,& euaſio parum videtur habere fundamenti, tum quia Chriſtus orabat Patrem, vt eum abſolutè à morte ſaluum faceret, ideſt, vt ipſum immunem redderet a tota mortis poteſtate. At ſi ſolam reſurrectionem abſque corporis immortalitate peteret, certè non abſolutam à morte libertatem deſideraſſet,neque eam impetraſſet oratione ſua. Nam ſi reſurrexiſſet mortalis,& iterum moriturus, non eſſet ſaluus à morte factus ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundum quid duntaxat, ſcilicet, pro illa vice. Tum quia certum eſt, Chriſtum petiiſſe eam reſurrectionem, quam impetrauit à Patre, impetrauit autem reſurrectionem immortalis, & glorioſi corporis, reſurrexit enim Chriſtus, vltra non moriturus. *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis*,inquit Paulus,*iam non moritur,mors illi vltra non dominabitur*. Certè negari non poteſt, quin hanc totalem,& plenariam exemptionem à mortis dominio Chriſtus petierit, pro ipſaque orauerit.

Sed eſt & aliud teſtimonium pro hac veritate ſummopere expendendum. Ad Hebræos 2.*Videmus Ieſum propter paſsionem mortis,gloria,& honore coronatum*. Et ferè ſtatim ſubdit Paul. *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat,authorem ſalutis eorum per paſsionē conſummare*, ſeu,vt alij legunt,*conſummari*. In quo teſtimonio in priori eius parte expreſsè aſſeritur,quod propter paſſionem ſuam Chriſtus gloria, & honore fuit coronatus. At certum eſt,quod glorioſa corporis Chriſti immortalitas comprehenditur ſub corona honoris, & gloriæ,qua Chriſtus decoratus eſt, & coronatus: ergo hanc Chriſtus fuit aſſecutus per ſuam paſſionem, ideſt, propter meritum ſuæ paſſionis, hoc enim deſignant illa verba Pauli, *propter paſsionem mortis*.

Præterea ponderandum eſt in ſecunda parte eiuſdem teſtimonij,illud verbum *conſummare*, ſeu *conſummari*, denotat enim conſummationem gloriæ, quæ conſummatio ſine dubio facta fuit in ipſa corporis immortalitate, & in alijs dotibus ad ipſam pertinentibus.Chriſtus enim à primo ſuę conceptionis inſtanti fruebatur eſſentiali animæ gloria, quæ tamen ob id non erat conſummata, quia nec ipſam animam penitus impaſſibilem, nec Chriſti corpus reddebat immortale,omnique glorioſo ornamento decoratum. Vnde cum in puncto reſurrectionis hūc omnem glorię effectum Chriſtus fuit aſſecutus, ſimpliciter fuit conſummatus,ideſt conſummata gloria præditus.

Quartum teſtimonium eſt illud, quod ex Apoc. cap.5.retulimus pro concluſione præcedenti,in quo ponderanda ſunt illa verba, *Accipere diuinitatem*, etenim Chriſtus nō aliter diuinitatem accepit,quam exuens ſeruilem modum, quem in corruptibili carne aſſumpſerat. Nam hac ratione Paul.ad Philip.2. dixit, quod Chriſtus in incarnatione *exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*,ideſt,quatenus corruptibili corpore ad ſeruiendum idoneo, & parato, ipſam diuinitatis maieſtatem occultauit, quæ tunc manifeſtata fuit cum interna Chriſti animæ gloria, quam ex vi hypoſtaticæ vnionis à primo ſuæ conceptionis inſtanti habuerat latitātem, & reconditam, ſemetipſam in glorioſam corporis immortalitatem, & impaſsibilitatem explicuit. Neque verò alia ratione potuit cum proprietate Chriſtus dici diuinitatem accepiſſe: nam quandiu in natura corruptibili, & mortali perſiſteret, quantacūque alia & honoris, & authoritatis gloria ſplendeſceret,ſemper eſset ſeruili forma indutus, ſemperq; exinanitus diceretur. Vnde quando Chriſtus voluit tribus ſelectis diſcipulis quoddam ſuæ maieſtatis, & diuinitatis veſtigium oſtendere, non ſolo magnifico Patris teſtimonio à lucida nube delato contentus fuit,ſed quandam immortalitatis, & impaſſibilitatis corporeæ eis ſimul ſpeciem exhibuit. Nam integra Chriſti gloria, & eius humanitatis manifeſtatio, hoc vtrunque poſtulat,nimirum & ipſam corporis immutationem,quæ proportionata ſit internæ animę gloriæ,& ipſi Chriſti diuinitati,& illud itidem manifeſtum Patris teſtimonium, quo Chriſtum verum eſse Dei Filium, Patriſque chariſſimum vnigenitum conſtet: & hanc gloriam Petrus 2.can.c.1. intendebat nobis explicare,cum dixit: *Sed ſpeculatores facti illius magnitudinis, accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum*, &c. & ferè ſtatim ſubiunxit: *Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam*, &c.

Duo pertinebant ad Chriſti gloriam,& magnitudinem. Alterum,quod corporeis oculis cernebatur; quod Petrus inſinuauit illis verbis, *Speculatores facti illius magnitudinis*. Et alterum,quod corporeo percipiebatur auditu; quod Petrus vltimis illis verbis denotauit, ſcilicet, *quam vocem nos audiuimus*,&c. Et hanc gloriam, ſeu claritatem petebat Chriſtus à Patre, Ioan.17. illis iam citatis verbis, *Clarifica me Pater*, &c. Expendenda præterea ſunt omnia verba citati teſtimonij, ex Apoc. 5. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem,& diuinitatem,& ſapientiam,& fortitudinem,& honorem, & gloriam, & benedictionem*. Denique vniuerſa ſcripturę ſacræ teſtimonia,ex quibus conſtat, Chriſtum ſuam exaltationem meruiſſe, confirmant hanc aſſertionem ſecundam. Quoniam totius exaltationis Chriſti exordium à reſurrectione incepit,vt Aug.expreſſis verbis ſuperius citatis dixit. Et Athan.oratione citata his verbis docet: *Etſi ſicut homo mortuus fuerit, attamen vt vita exaltatus ſit reſurrectione*. Et certè iſti Patres,& quos ſuperius pro aſſertione præcedenti citaui,illam exaltationem,quam Paulus ad Philip.2.dixit, Chriſtum humilitate,obediētia, & morte promeruiſſe, ad eius reſurrectionem reducunt,qua Deus Chriſtum exaltauit. Expendatur hic ille locus ex Iſa.c.53.concluſ. præced.citatus.

Præterea ratione in ſcripturis ſacris fundata hanc eandem confirmo veritatem, ſimulque illam apparentem ſolutionem impugno,qua Theologi contrarium

Digitized by Google

rium noſtræ concluſionis ſentientes, hæc omnia labeſactare ſuo iudicio poterunt, videlicet, Chriſtum reſurrectionem quidẽ ſuam meruiſſe, immortalem autem vitam, & glorioſam nequaquam. Sic arguo. Chriſtus eam vitam per reſurrectionem ſibi dandam promeruit, quæ apta eſſet, & proportionata eius exaltationi, & gloriæ, & in qua conſtitutus poſſet cœlum conſcẽdere, & ad dexteram Patris ſedere. Sed tantæ huic excellentiæ, & gloriæ proportionata non potuit eſſe vita mortalis, & corruptibilis, ergo debuit eſſe incorruptibilis vita, & clariſſimis immortalitatis dotibus donata, quam proinde Chriſtus ſua humilitate, & paſſione promeruit. Minor eſt cunctis Theologis manifeſta, neque poteſt vlla ratione in dubium reuocari. Maior vero propoſitio apud me apparet fidei veritas. Nam fateri tenemur cum Paulo loco nũc citato, Chriſtum humilitate, & paſſione totũ illud meruiſſe, ſcilicet, ſui exaltationem, manifeſtationem ſuæ diuinitatis, quod eſſet illi donatum nomen, quod eſt ſuper omne nomen, omniũ, & hominum, & Angelorum ſubiectionem, & obedientiã, & confeſſionem denique illam, qua omnis lingua cõfiteatur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, ideſt, ſedens ad Patris dexteram. Si ergo Chriſtus ſuam reſurrectionem ad hunc finem promeruit, vt per ipſam ad tantam deueniret exaltationem, & gloriam, cui abſque vitæ immortalitate, nulla ratione proportionatus eſſe poterat, quo pacto negare quis audebit, quod glorioſam reſurrectionẽ meruerit, non qualis fuit reſurrectio Lazari, aut pueri ab Eliſeo ſuſcitati, ſed qualis neceſſaria erat ad prædictam Chriſti maieſtatem, & gloriam?

Hæc ratio non obſcurè inſinuatur ab Aug. tract. cit. in Ioan. vbi ponderans præfatum Pauli teſtimonium, dicit, exaltationem à reſurrectione incępiſſe, & ad gloriam Dei Patris fuiſſe terminatam. Itaque reſurrectio fuit ipſa prima Chriſti exaltatio, & ea quam Paul. affirmat debitam fuiſſe Chriſto propter humilitatem, & obedientiam, & Crucis mortem. Et quidem ex hoc Pauli teſtimonio, apertiſſimum in hunc modum argumentum formo, Chriſtus meruit omnem illam exaltationem de qua ibi Paulus loquebatur, præmiſit namque Apoſt. verba illa, *propter quod*, quibus meritum omnis ſequentis exaltationis denotatur. Sed quis negare audebit ſub exaltationis voce Paul. comprehendiſſe reſurrectionem glorioſam, qua ad immortalem vitam ſecundum fidem Chriſtus ſurrexit, cum illa magna Chriſti fuerit exaltatio? Imo reſurrectio abſque immortalitate, diminutè, & ſecundum quid exaltatio diceretur. Neque vero eam reſurrectionem Paulus exaltationem vocaret, quæ tandem in glorioſum ad Patris dexteram conſeſſum terminaretur, qui includeret vitæ reparatæ immortalitatem, & gloriam.

Confirmatur primo. Chriſtus ſecundum inferiorem partem verus fuit viator: ergo eius via per ſe tendebat in corporis gloriam, & immortalitatem, & hanc proinde ſuis meritis promeruit, vt terminũ ad quem per ſe, & immediatè totus eius viæ ſtatus referebatur.

Confirmatur ſecũdò. Si Chriſtus per reſurrectionem mortalis, paſſibilis, & iterum moriturus reſurgeret, non conſtitueretur extra ſtatum viæ, quia ſemper maneret ſecundum inferiorem animæ portionem aptus ad ſatisfaciendum, & merendum, ergo illa perfectio per quam per ſe primo conſtitutus fuit Chriſtus in ſtatu perfectiſſimi comprehenſoris, & omni ex parte felicis, & beati, fuit corporis immortalitas, & gloria. Et de hac loquebatur Chriſtus Luc. 24. cum dixit, *Hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*. Nam tunc cum adhuc non ſplenduiſſet aſcenſionis gloria, non in aliam videtur intraſſe gloriam quãdo hæc dicebat. Deriuatio igitur, & redundantia gloriæ animæ ad corpus fuit terminus propriiſſimus viæ Chriſti, qui ſolus ſufficeret eũ plenè beatum conſtituere, & nihil aliud ſine illo. Ex his omnibus, alijſque ſimilibus, quę conſulto prætermitto, exiſtimo hanc ſecundam aſſertionem certam eſſe fidei veritatem.

§. 4. *Soluuntur argumenta initio dubitationis propoſita.*

AD argumenta, quæ pro Cal. ſententia, vel blaſſemo potius errore propoſuimus, non difficile reſpondebitur. Et primo quidẽ argumento dicitur, manifeſtè conſtare ex teſtimonijs ſcripturæ ſacræ, quæ in probatione conc. adduximus Caluinum mẽtitũ fuiſſe in caput ſuum: ſunt enim multa innumera ſcripturarum teſtimonia, ex quibus apertiſſimè conſtat Chriſtum pro gloria ſui corporis, proque ſui nominis exaltatione, quam ſæpius Patrem oraſſe. In cuius rei confirmationem adduci poteſt illud ex pſal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, &c. Quo loco diuinus Pater non aliter voluit Chriſto Gentilem populum in hæreditatem tribuere, quam præſuppoſita ipſius Chriſti petitione, & oratione: atque adeo fatendũ eſt, Chriſtum oraſſe Patrem, eique propria obtuliſſe merita, vt extenſionem imperij, & regni ſpiritualis ad Gentilitatem acciperet. Neque enim Chriſtus abſque obſecrationibus, & meritis calceamentum ſuum in Idumçam extendit. Miſſum facio illud argumentum eſſe ſatis debile, etſi hçreticis valde familiare: *Non habetur in ſcriptura expreſſum, ergo non eſt certum ſecundum fidem*: nam ſufficit haberi ex certiſſima Eccleſiæ traditione Patrum monumentis teſtata.

Secundo argumento dicitur, quòd quamuis admitteremus, Chriſtum eſſentialem ſuæ animæ gloriam meruiſſe, iſtud argumẽtum nullas haberet vires: quia cum diuinum Verbum nullam in ſeipſo perfectionem acquireret ex huiuſmodi gloria, eo quod in ſemetipſo ab æterno præhabet eminentiſſima quadam cõtinentia eam omnem perfectionem, quæ & in gloria animæ, & in gloria corporis reperiri poteſt: nullatenus debet dici ipſum veniſſe in mundum propter aliquam perfectionem ſibi acquirendam, ſed tota ſui aduentus vtilitas ad nos, ad humanamque noſtram naturam pertinet: non tamen negandum eſt, quin poſtquam Deus propter nos homines, & propter noſtram ſalutem humanam aſſumere naturam decreuit, voluerit eam ijs ſupernaturalibus exornare muneribus, præclariſſimiſque & gratiæ, & gloriæ dotibus illuſtrare, quæ ipſam à diuino Verbo in vnitatem perſonalem aſſumptam naturã quamplurimum decerent. Hoc enim ad ipſam diuini Verbi maieſtatem pertinuit, fuitq; omni rationi

con-

Digitized by Google

conſentaneum, vt poſtquam Euangelium Ioannis in prioribus noſtri prothematis verbis dixerat, *Verbū caro factum eſt*, poſſet mox ſubiungere, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis* Sed hæc omnis perfectio, quam Verbum vt ſuæ dignitati decentiſſimam aſſumpſit, in ſpiritualem noſtram & dignitatem, & vtilitatem ceſſit; ſicut honor, & gloria capitis, ad eius membra refunditur. Siquidem, vt olim multi putauerunt hæretici, Chriſtus non eſſet verus Deus, vnum, ac idem ſuppoſitum cum diuino Verbo, ſed per gratiam, aut per merita propria, vel ipſam cum diuinitate realem vnionem, vel alium quendam coniunctionis modum ad ipſam diuinitatem fuerit aſſecutus, tunc illud argumentum efficaciſſimam vim haberet. Nam homo ille Chriſtus ab hæreticis confictus, veniſſet certè per ſe primò propter maximam ſui vtilitatem, propter acquirendum illud tantæ, tamque excellentis dignitatis faſtigium, quod ex ſeipſo non habebat, & cuius tanta eſſet dignitas, vt infinito exceſſu ſuperaret omne illud bonum, quod nobis ex Chriſto potuit prouenire.

Et in hoc poſteriori ſenſu argumentabātur Cyri. & Ath. contra hæreticos Arianos loco in hoc primo argumento citato. Non vacat in præſentia in ſpeciali recenſere modum illum hæreticum vnionis Chriſti ad Deum, quem Patres iſti prædicta argumentatione confutarunt. Quem vix ipſi intelligebant, vtpote inintelligibilem, & inconſtantem. Quoniam autem teſtimonium Athanaſij magis aliquantiſper nos vrget, duo ſunt aduertenda in eius doctrina, quam in oratione prædicta 2. & in oratione 4. vel ſermone 4. ſequenti tradidit. Alterum eſt, quod cum illam particulam *Ideo*, in illis Pau. verbis, *Ideo*, ſeu, vt nos legimus, *Propter quod & Deus exaltauit*, negat importare virtutis præmium, non abſolutè negare intendit, cauſam meritoriam denotare, cum expreſſis verbis ibidem eam fateatur: ſed tantū negauit, Chriſtum propter ſua opera humilitatis, obedientiæ, &c. in diuinitate profeciſſe, aut aliquid obtinuiſſe perfectionis, quam in ſemetipſo excellentiſſimè nō prius haberet. Quæ intelligentia manifeſta eſt ex ipſis Athanaſij verbis ſupra citatis, ponderandum eſt illud verbum *proficiendo*. Alterum verò in doctrina Athan. adnotandū illud eſt, quod cum omnem humanitatis Chriſti exaltationem, & excellentiam ad nos, ad noſtramq; vtilitatem referendā eſſe dixit, & quod nobis, & pro nobis eam poſtulauit à Patre, minimè negauit, ipſam Chriſti humanitatem fuiſſe per reſurrectionem exaltatam, & ad magnificam gloriā euectam, nam hoc verbis expreſſiſſimis in vtraque oratione affirmat. Sed id tantum magnus hic pater Athanaſius intendit, quod Chriſtus eā exaltationem, & gloriam non accepit vt ſibi ſimpliciter neceſſariam, quia cum eſſet verus Deus, diuina, infinitaq; gloria, & maieſtate præexcellens, nulla creata glorificatione indigebat, ſed illam accepit propter ipſius humanitatis, quam aſſumpſerat indigentiam, quæ ex ſua ſpecie conſiderata, egena erat, & pauper, etſi omnis peccati expers, & vt ex ipſa humanitate in omnes homines deriuaretur. Ita quod in ipſo tāquam in capite tota humana natura exaltata fuit, & glorificata, iuxta eum modum, quo Paul. ad Epheſ. cap. 2. dicebat, *Conuiuificauit nos, conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto*. Quo loco ad litteram loquebatur Apoſtolus de ipſa humanitatis Chriſti exaltatione per reſurrectionem, & aſcenſionem facta. Vt hanc fuiſſe mentem Athanaſij apertè cognoſcamus, notentur illa verba orationis 2. Sed caro aſſumpta ab ipſo, illa eſt, quæ in eo, & ab eo inungitur, vt ſanctificatio, quæ in Dominum, vt in hominem infertur, in homines deinde ab eo dimanaret. Quod in ijs verbis de ſanctificatione expreſſit, quam ſæpius ibidem de exaltatione dixit.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens. Nam Chriſti charitas, vel ex eo in hominum redēptione, excellentiſſima quadam claritatis irradiatione emicuit, quod eam ſui corporis exaltationem, & gloriā, quæ eius humanitati ex vi hypoſtaticæ vnionis propria erat, & connaturalis, atque adeo debita, noluit ſibi aſſumere, niſi magnis & vitæ, & mortis ſuæ laboribus interuenientibus, quos pro ipſa humani generis redemptione, & ſalute ferre voluit, & tolerare. Vnde re ipſa Chriſtus nihil ſibi acquiſiuit, quod aliàs ad eum etiam, vt hominem, propter hypoſtaticam vnionem non ſimpliciter attineret. Solumque nouum titulum, nouumque ius meritorium ſibi comparauit, ſine quo mediante noluit eorū bonorum, quæ ſibi tam erant debita, & connaturalia, vſum, & poſſeſſionem accipere. Quare ſi cum rigore loquamur, cōcedi debet, quod Chriſtus nec vt Deus, nec vt homo propter vtilitatem propriam, noſtram fuit ſalutem operatus, ſed totus eius labor, omniſque operatio ad ipſam humani generis ſpiritualem vtilitatem ſpectauit. Et ob id Chriſtus in ſacris literis non ſemel noſtrum ſemetipſum appellauit ſeruum, nobiſque ſeruientem, vt Iſaiæ c. 53. adnotauit Cyril. Quia propriū ſerui eſt, omnes ſuas operas, omneſque labores non in proprium commodum, ſed in ſolam Domini ſui vtilitatem expendere. Et hactenus dictum ſit de hac diſputatione, quatenus cum hæreticis erat tractanda.

DVBITATIO II. APPENDIX.

In qua agitur de modo, quo Chriſtus meruit gloriam ſui corporis.

CVm Catholicis Theologis deinceps agendum eſt. Nam licet omnes in ea conueniant ſententia, quod Chriſtus ſui corporis meruerit gloriam, non omnes tamen eundem in hac veritate explicanda modum ſeruant.

§. 1. Referuntur DD. ſententiæ.

SCotus in diſtinctione 18. quæſtione vnica, docet, Chriſtum non immediatè per ſe, ſed indirectè ſui corporis gloriam promeruiſſe, nam directè, & per ſe primò ſolum meruit remotionem illius impedimenti, quo ex peculiari diſpēſatione gloria animæ detinebatur, ne refunderetur ad corpus. Magiſt. ſenten. in ead. diſt. quem S. Th. & plerique ſequuti ſunt Theologi, abſolutè fatetur, quod meruit per ſe, & directè ipſam corporis gloriam, & non alicuius impedimenti remotionem.

§. 2.

§. 2. *Pro deciſione dubitationis.*

AD intelligendam harum opinionum diuerſitatem, & ad veritatem ſtatuendam, notãdum eſt. Quod quamuis vniuerſi Theologi in ea conueniant ſententia, quod ea eſt natura, & ratio eſſentialis animæ beatitudinis ſiue in Chriſto ſiue in aliquo quocũque homine beato, quod cum anima corpori coniungitur, non ſe contineat intra ipſam animam, ſed ad corpus coniunctum deriuetur, illudque immortale, impaſſibile, ac denique glorioſum efficiat. Quo autem modo id fiat, nõ ſatis conſtat: nam multi Theologi opinantur, quod hæc corporis glorificatio, facta reunione ipſius corporis ad animam, reſultat ſimplici quodam effluxu, & emanatione ex ipſa animæ gloria, ſicut riſibilitas oritur ex rationali hominis eſſentia. Alij verò non pauci arbitrantur hãc corporis glorificationem per ſe attinere ad gloriam animæ, eſſeque illi quodam iure connaturalitatis debitum non vero ſimplici emanatione ex ipſa deriuari ſicut dicebamus gloriã animæ deberi Chriſto ratione hypoſtaticæ vnionis. Quæ ſit harum opinionum probabilior, non vacat in pręſentia diſcutere. Mihi quidem prior ſententia ob id gratior eſt, & plauſibilior, quod magis extollit vim, & efficaciam eſſentialis gloriæ, quæ in beatifica Dei viſione conſiſtit: Et quoniam S. Auguſt. hanc ſententiam docuiſſe videtur epiſt. 56. ad Dioſcorum in his verbis. *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus.* Expendendum eſt illud verbum, *redũdet*, denotat enim diffuſionem, quæ ſimplici fit reſultantia. Huic opinioni videtur adhæſiſſe Scotus d. cit. Quoniam ſi ſententiam, quam ſecundo loco retulimus, veram eſſe putaret, non poſſet conſequenter loquens dicere, Chriſtum meruiſſe remotionem impedimenti, quo gloriam animæ Chriſti detinebatur ne refunderetur ad corpus. Nam ſi per ſimplicẽ reſultantiam non eſſe apta nata effluere, nullo egeret appoſito impedimento, vt non deriuaretur ad corpus. His ſuppoſitis hanc ſtatuo concluſionem, quę ſit prima huius diſputationis cum catholicis.

§. 3. *Prima concluſio.*

CHriſtus non remotionem impedimenti cuiuſpiam per ſe primo, & directè meruit, ſed ipſam ſui corporis gloriam. Iſta concluſio primo probatur ex communi Theologorum ſententia, rariſſimi enim ſunt Theologi, quibus arrideat Scotica illa opinatio. Probatur ſecundo. Gloria animæ Chriſti nullo extrinſeco appoſito impedimẽto detinebatur, ne ſe diffunderet ad corpus, etiam ſuppoſita ſententia quam probabiliorem eſſe cenſui, nimirum, quod ex natura ſua gloria corporis ſimplici reſultantia ex animæ gloria deriuetur. ergo Chriſtus non meruit alicuius impedimenti remotionem, ſed eius meritũ tendebat ad ipſam corporis gloriam.

Probatur antecedens. Non egebat Deus aliquod impedimentum opponere, vt impediret gloriæ corporis ab animæ gloria emanationem, & fluxum, ſed per ſolam diuini ſui concurſus ſubtractionem potuit faciliime naturalem illum effluxum ſuſpendere. ergo non eſt abſque rationabili cauſa fingẽda alicuius extrinſeci impedimẽti appoſitio: præterquamquod vix poſſet aſſignari impedimẽtũ, quod vim haberet ad impediẽdũ illũ gloriæ corporis effluxum. ergo, Xp̃s p̱ ſe primo meruit vt Deus influeret cũ ipſa animę beatitudine gloriam immortalitatis in corpus.

Tertio probatur. Eſto gloria corporis aliquo extrinſeco fuiſſet impedimento detenta, non inde vllatenus colligitur, quod Chriſtus per ſe primo, & directè illius impedimenti remotionem mereretur: ergo Scoti ſententia nullo modo eſt admittenda, ſed ſententia potius contraria quam noſtra ſtatuimus concl. Probatur antecedens. Meritũ per ſe primo, & directè reſpicit, vt p̃miũ, illud bonũ, q́ eſt proportionatum ipſi merito, & eſt propter ſe ipſum appetibile tamquam vltimum, & finis, huiuſmodi autem bonum fuit gloria corporis Chriſti ſecũdum ſe ipſam, ablatio verò impedimenti tantum erat appetibilis, & deſiderabilis propter ipſam corporis gloriam. ergo Chriſtus gloriam ſui corporis per ſe, & directè meruit, impedimenti verò remotionem indirectè tantum & ſecundario. Ad eum modum quo is qui offert pretium pro libertate captiui, qui vinculis detinetur, non per ſe primo ſoluere intendit vinculum, quod eſt impedimentum libertatis, ſed ipſam captiui libertatem quærit, & pro ipſa pretium offert, vinculorum verò ſolutionem indirectè, & ſecundario, quatenus medium eſt neceſſarium ad finem per ſe primo intentum, libertatem, nimirum, captiui: Ex his etiam, quæ in natura contingũt, aliud huius rei deſumi poteſt exemplum. Cum ignis calefacit aquam, non per primo intendit remotionem impedimenti, videlicet, frigiditatis excluſionem, ſed directè intendit calorem introducere, & ſi fieri nequeat, niſi prius in aliquo genere cauſæ impediens frigiditas ab aqua excludatur. Sed contra hanc cõc. præſertim contra ſenſum in quo hæc vltima concluſionis probatio procedit, duo ſe offerunt argumenta, quæ difficultate non carent.

Primum. Chriſtus id tantum meruit reſpectu gloriæ ſui corporis conſequendæ, quod illi dandum erat à Deo, & fuit datum de facto loco præmij. Sed Deus nihil aliud Chriſto dedit comparatione ad gloriam ſui corporis, præter impedimenti extrinſeci remotionem: ergo id tantum Chriſtus meruit, ſaltem per ſe primo, & directè. Maior apparet manifeſta, quia meritum dicitur per reſpectum ad præmium, quod ęſt à præmiante recipiendum. Minor verò probatur. Si ſupponamus deriuationem corporeæ gloriæ in Chriſto ab extrinſeco prouenire impedimento, impedimento ſublato gloria corporis naturali, & neceſſario effluxu redundauit ad corpus, abſque ſpeciali Dei concurſu, ſed ſolus generalis, & ordinarius cõcurſus fuit ſufficiens. At id quod neceſſario conſequitur ex intrinſecis ipſius merentis principiis, impropriiſſime dicitur dari à præmiante per modum præmij: ergo id tantum Chriſtus loco præmij ſuſcepit, illa hypotheſi data, quod pertinuit ad impedimenti remotionem, nam totum aliud à ſemetipſo habuit.

Secundum argumentum, Cum duæ perfectiones ita ſe habent, quod vna pendet intrinſecè ab alia, ab eaque naturaliter dimanat, impoſſibile eſt,

quod quis ſecundam perfectionem mereatur, quin prius naturæ ſaltem prioritate mereatur primam, eo quod ſecunda nequit haberi niſi dependenter à prima, ſicut nullus poſſet mereri fieri riſibilem, quin prius natura mereretur fieri rationalem. Sed gloria corporis in Chriſto, iuxta ſententiam quam vt probabiliorem acceptauimus, per ſe, & intrinſecè pendet ex gloria animæ, ex ipſaque naturali conſequio reſultat: ergo non potuit Chriſtus gloriam corporis mereri, niſi prius naturæ ordine ipſam animæ ſuæ promeruiſſet gloriam. Quam tamen, vt ſuperius definiuimus, nullatenus meruit: atque adeo nec videtur meruiſſe corporis gloriam, niſi vt plurimum indirectè, quatenus videlicet, meruit impedimenti remotionem.

Primum argumentum non tam facilem habet ſolutionem, quàm nonnulli arbitrantur Theologi, qui ſi in forma illud, & proponerent, & diſſoluerent, maiorem fortaſſis difficultatem experientur. Vtuntur duobus illis exemplis adductis in vltima conclu. probatione quorum poſterius eſt valde impertinens ad huius argumenti ſolutionem, quia ignis effectiuè producit calorem expellendo frigiditatem, atque adeo quid mirum, quod ipſa introductio caloris ſit per ſe, & principaliter intenta ab igne, vt vltimus ſuæ operationis finis? Cæterum ipſa corporis gloria non aliter à præmiante tribuitur Chriſto merenti, quam remouendo eius impedimentum, quo ſublato ex intrinſecis animæ Chriſti gloriæ principijs ſequitur pleniſſime ipſa corporis gloria. Aliud ſimile de captiui redemptione eamdem ferè difficultatem habet, quando is, qui captiuus detinetur, eſt ſimpliciter perſona libera, cuius proinde libertas vinculis ſublatis in ſuum ſe actum exerit. Nam ſi conditionis eſſet ſeruilis, præter vinculorum ſolutionem reſtaret adhuc ipſa libertatis facultas.

Igitur vt tueamur Chriſtum directè, & per ſe primo ipſam corporis gloriam meruiſſe, ſatius erit recurrere ad illam concluſionis probationem, qua oſtēdimus ibi nullum fuiſſe extrinſecum impedimentū appoſitum. Cæterum huiuſmodi impedimento admiſſo reſpondendum cēſeo, quod ſi inter meritū, & præmium phyſica eſſet conſideranda efficientia, & proportio, veriſſima eſſet Scoti ſentētia, quæ aſſerit præmium per ſe, & directè merito Chriſti reſpondens, non corporis eius gloriam ſecundum ſubſtantiam, ſed remotionē prædicti impedimenti dūtaxat fuiſſe; & ipſam corporis gloriam ea tantum ratione fuiſſe ſecundarium, & indirectum præmium, quatenus ex remotione impedimenti dependebat. Nam totū aliud non à præmiante, ſed ab ipſo Chriſto merente, id eſt à gloria ſuæ animæ proueniret.

Verumtamen proportio, & efficientia reſpectu præmij non phyſicè, ſed moraliter eſt conſideranda, nimirum, vt cadit ſub intentione vtriuſque, & merentis & pręmiantis, Qua ratione quamuis Deus per modum præmiantis non aliter concurreret ad conferendum Chriſto gloriam corporis propter eius merita, quam auferendo impedimentum extrinſecum, quo emanatio gloriæ corporis, & effluxus impediebatur, verè nihilominus diceretur, quod per ſe primo in ratione præmij contuliſſet Chriſto ipſam corporis gloriam: eo quod Chriſtus per ſe primo intendebat ſuis meritis eam comparare, & non per ſe primo, & directè remotionem cuiuſpiam impedimenti curabat. Nam ſi per poſſibile vel impoſſibile eodem perſeuerante impedimento, Deus contuliſſet Chriſto gloriam corporis, & principali intentioni ipſius Chriſti merentis, & eius meritis ſine dubio ſatisfeciſſet. Et quidem quod abſimilis omninò poſſit eſſe cauſalitas moralis, à cauſalitate phyſica, ita vt cauſa, quæ in eſſe phyſico cauſa per accidens eſt reſpectu alicuius effectus, ſit per ſe moralis cauſa effectus eiuſdem, res eſt cunctis ſapientibus manifeſta. Nam qui ignem applicaret ad vrendam vicini ſui domum, cauſa quidem eſſet per accidens vſtionis domus in eſſe phyſico, eſſet tamen cauſa per ſe in ratione morali.

Proportionabiliter ad ea, quæ diximus de merito gloriæ corporis Chriſti, dicendum erit ad illud ſimile de redemptione captiui. Quod qui pecunias pro redemptione offert, non per ſe primo intendit ſolutionem à vinculis, ſed captiui libertatem quomodocumque fiat, ita quod ſi fieri poſſet abſque vinculorum ſolutione, qui tali modo libertatem integram daret captiuo, faceret ſatis redimentis intentioni. Quod manifeſtum argumentum eſt, redemptorem non per ſe intendere ſolutionem à vinculis, ſed ipſam captiui libertatem; quamuis is qui libertatem dat captiuo, phyſice loquēdo, nihil aliud faciat, quam eum è vinculis eruere.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur per diſtinctionem maioris præmiſſæ, quæ diſtinctio ad hoc reducitur, quod is, qui caret vtraq. perfectione, non poteſt poſteriorem mereri, quin prius natura priorem mereatur. At ſi per accidens ſupponamùs, quod quis primā, & radicalem perfectionē habeat, ſecunda vero careat perfectione, commode intelligitur, quod poſſit mereri perfectionem ſecundam, qua caret, & quod non meretur primam. Et tunc dicendum eſt, quod non meretur perfectionē ſecundam, prout in prima radicatur, ex ipſaque oritur. Sed quatenus prouenit à præmiante extrinſeco, quomodocunque proueniat. Iuxta hunc modū contigit Chriſti meritum reſpectu gloriæ corporis ſui. Hæc dicta ſufficiūt ad ſolutionē 6. arg. principalis huius 3. dubij, cui argumento neganda eſt conſequentia. Et ratio diſcriminis inter gloriam animæ & gloriam corporis duplex eſt, quod ad præſens attinet. Prima, quod gloria animæ eſt beatitudo eſſentialis, & potiſſima perfectio Chriſti, vt hominis, atq. adeo non debuit Chriſtus per aliquod tempus ipſa carere, ſicut caruit gloria corporis. Nec ordo debitus ipſius gloriæ naturæ debuit inuerti, ita quod ſciētia infuſa, aut aliud quoduis ſupernaturale lumen, vel tempore, vel natura anteuerteret ipſum gloriæ lumen, beatificamque viſionem. Secunda, quod ad opus redemptionis noſtræ non fuit neceſſe, vt Chriſtus animæ gloria careret, quod tamen neceſſarium fuit reſpectu gloriæ corporis. Nam ſi Chriſtus gloria animæ, & gloria ſimul corporis præditus fuiſſet à primo ſuæ incarnationis inſtanti, viator non eſſet, ſed omni ex parte beatus, & cōprehenſor, atq. adeo nec nobis quicquam mereri poſſit, nec pro nobis ſatisfacere, nec pretioſus eius ſanguis infinitum fuiſſet noſtræ redemptionis pretium. Vnde actum eſſet de nobis, & de noſtra ſalute, vt Aug. ſuper cap. 8. Io. trac. 38. mirabili conſecutione his verbis deducit.

Si

Digitized by Google

Si pati nollet non pateretur, ſi non pateretur, ſanguis ille non funderetur, ſi ſanguis ille non funderetur, mundus non redimetur. Agamus itaque gratias, & poteſtati diuinitatis, & miſerationi infirmitatis eius.

Quamuis ex his arg. 6. difficultas exauſta relinquatur, ad complementum tamen doctrinæ duas adhuc aſſertiones ſtatuendas eſſe duxi, ex quibus conſtet ea omnia, quæ Chriſtus ſibi promeruit.

§. 4. *Secunda concluſio.*

CHriſtus non ſolum meruit eã ſui nominis exaltationem, & gloriam, quam poſt mortem fuit aſſecutus, ſed eum omnem honorem, eamque omnẽ ſuæ dignitatis manifeſtationem, quam, dum mortalem vitam ageret, fuit aſſequutus, ſiue hunc honorẽ hancque claritatis excellentiam immediatè acceperit à Deo, ſiue ab Angelis, ſiue ab hominibus, ſiue à quauis creatura, v. g. teſtimonium quod de Chriſto Saluatore recenter nato Angeli præſtiterunt, humilis paſtorum Chriſti paruuli in præſepio iacentis viſitatio, magnifica orientalium, ſapientiumque regum in Bethelem adoratio, ipſum diuini patris teſtimoniũ, quo, & in Iordane, & in monte Tabor Chriſtum, vt verum vnigenitum, & dilectiſſimum filium agnouit, cunctiſq. magiſtrum, & doctorem fideliſſimum propoſuit, aliaq. huius generis opera, quæ ad excellentiam & dignitatem Chriſti manifeſtandam contulerunt, præmia fuerunt meritorum eius. Prior cõc. pars cõſtat ex prima aſſertione ex duabus, quas contra Calu. & alios hæreticos propoſuimus. Poſterior verò pars probatur. Omnia illa, quæ recenſuimus in conc. potuerunt habere rationem præmij: ergo Chriſti meritum cum eſſet ſimpliciter infinitũ, extendit ſe ad hæc omnia. Conſequentia patet, quia infinitas meriti in hoc conſiſtit, quod conferat ius merenti ad totum illud quod, per ſe loquendo, induere poteſt præmij rationem. Antecedens verò probatur. Honor, & dignitas, quæ ex prædictis geſtis & operibus ſequebantur nõ dimanarunt ex vnione hypoſtatica, nec ex ipſa gloria animæ Chriſti, ſed ab extrinſeco prouenerunt. Quare ergo non poterant præmij rationẽ ſortiri cõparatione meritorũ Xp̃i? Confirmatur, honor ſua natura eſt virtutis præmiũ. ergo totus honor, qui ex illis omnibus proueniebat Chriſto, præmium fuit virtutis eius, ideſt, operum, quæ ab hæroicis Chriſti virtutibus emanarunt.

Secundo probatur eadem conc. pars. Illa manifeſtatio, & claritas dignitatis Chriſti non ſolum ad ipſum attinebat, ſed etiam ad homines, vt facilius, & promptius ei fidem adhiberent, ſed ea omnia, quæ ſpiritualem noſtram vtilitatem promouent, meruit Chriſtus, ergo, &c.

Tertio probatur ex illo Io. 12. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Quæ verba dixit pater Chriſto petenti ſuam ſanctificationem, & ſenſus eſt, quod iam antea eum clarificauerat à tempore natiuitatis ſuæ, & quod deinceps in morte, & poſt mortẽ ipſum quoq. clarificaturus erat. ergo Chriſtus peteret ſuam clarificationem, eam etiam quam ante reſurrectionem fuit aſſecutus, negari nequit, quin ipſam fuerit ex rigore iuſtitiæ promeritus.

§. 5. *Tertia concluſio.*

CHriſtus meruit regiam dignitatem, ſupremi capitis auctoritatem, ſummum ſacerdotium, ac poteſtatem itidem iudiciariam, denique meruit omnem eam perfectionem, & excellentiam, & ſpiritualem, & temporalem, quæ Chriſto potuit competere exceptis duntaxat gratia vnionis, gratia habituali, eſſentiali animæ gloriæ, & virtutibus, ac donis infuſis, vltima pars concluſionis in qua fit exceptio à Xp̃i meritis, ſatis conſtat ex ſuperius dictis. Et nonnihil ad maiorem eius explicationem paulo inferius dicemus. Quoad reliquas vero partes. Iſta concluſ. in communi poſita inde ſuadetur, quod, hæc omnia, habere potuerunt rationem præmij comparatione ad merita Chriſti: ergo aſſerendum eſt Chriſtum, cuius meritum fuit ſimpliciter infinitum, ea omnia meruiſſe. In ſpeciali verò de Regia dignitate Mag. Sot. in 4. d. 47. q. 1. a. 2. exiſtimat Chriſtũ proprijs meritis acquiſijſſe ius, vt noſtrum eſſet caput, & Iudex, Regiam vero dignitatem, regalemq. Regni cœlorum titulum nullis meritis ſibi comparauit, ſed ex vi hypoſtaticæ vnionis iure naturali ei competit.

Hanc ſententiam ego improbabilem non reputo, ſed contraria, quam in conc. propoſita affirmaui, lõge probabiliorem cum pleriſq. recentioribus Theologis eſſe crediderim, Primo propter idemmet teſtimonium ex Lucæ cap. 1. deſumptum, quo ipſe magis Sot. ſuam confirmauit ſententiam. Sic dixit Angelus Beatiſſimę Virgini. Lucæ primo de naſcituro Chriſto loquens. *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Cui teſtimunio aliud adiungo ex c. 7. Danielis, vbi de æterno Chriſti regno vaticinans Propheta, ſic ait. *Aſpiciebam ego in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & linguæ ſeruient ei, &c.* Ex his locis colligo, Chriſtum ius & titulum regnandi ſuis meritis impetraſſe, & accepiſſe à Deo per modum præmij.

Quod colligo primo, ex eo quod in teſtimonio Danielis ſub eodem verborum tenore dicitur antiquũ dierũ. ſ. Patrem, ſeu Deum tribus diuinis perſonis cõmunẽ dediſſe filio poteſtatẽ, honorẽ, & regnũ. At honorẽ, & excellentiã ſuis operibus Chriſtus promeruit, honor. n. vt retro dicebam, præmiũ virtutis eſt. ergo ſimiliter regnũ ex proprijs accepit meritis.

Colligo ſecundo ex illis verbis, *Dedit Dominus Deus*, deſignant. n. non conſequutionem naturalem in Chriſto, ſed ſpecialem traditionem à Deo factam per modum præmiãtis, nam illa vòx, *Deus*, deſignat Deum, vt gubernatorem, & prouiſorem vniuerſalẽ, ad quem proinde ſpectat, & mala plectere, & bone præmiare. Et vox alia, *Dominus*, deſignat auctoritatem, quæ requiritur in præmiante: qui enim meretur ſubijcitur ei à quo meretur, præmiator vero officium quaſi domini obſequia ſibi exhibita remunerationis exequitur.

Colligo tertio ex illis verbis Danielis, *Et in conſpectu eius obtulerunt eum*, Nam hæc verba videntur deſignare præſentationem Chriſti, & operum, ac me-

Digitized by Google

ritum eius in conſpectu patris, quorum intuitu quaſi motus ipſe Pater, dedit ei poteſtatem honorem, & regnum. Conſentit illud Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ex quo teſtimonio conſtare videtur, patrem non dediſſe Chriſto, vt homini, regiam poteſtatem ſuper vniuerſum orbem, niſi præſuppoſita eius poſtulatione, & oratione, quæ nō potuit nō eſſe meritoria. Dices forſan, ꝙ in hoc loco nō ſit ſermo de regno Chriſti abſolutè, ſed ſecūdū eius extenſionē ad populum gentilicum, quam Chriſtus à Deo impetrauit, & meruit. Non tamen meruit abſolutè ius ipſum regium ſuper ſpecialem Dei populum Iudaicum, qui erat ſedes Dauid patris eius. Nam de hoc regno, in alio verſo præcedenti eiuſdem Pſal. dixerat ipſe Chriſtus. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon montem ſanctum eius.* Hoc regnum non precibus, & poſtulationibus impetrauit, ſed ab ipſo Deo iure naturalis filij accepit, à quo fuit rex conſtitutus, eū primū eum hominem conſpexit, tunc nimirum, cum verbum caro factum eſt. Et vt Angelus ſignificaret hoc regnum Chriſto competere non ex meritis, & ex vi poſtulationis, & orationis cuiuſpiam, ſed ſolo iure hęreditario, dixit Beatiſſimæ Virgini, quod erat daturus ei Dominus ſedem Dauid Patris eius, ideſt, ſuccedet in regia ſede Dauid patris ſui per modum naturalis hæredis.

Non eſt hæc inerudita ſolutio, ex qua probabiliter inferendum erit, quod regalis Chriſti auctoritas reſpectu Iſraelitici populi, ad quem fuit ſpecialiter miſſus, vt miniſter circumciſionis, & quaſi ſeruus, vt in externa apparebat forma, ſed ſecundum ſibi debitam auctoritatem, verus, & naturalis rex, reſpectu, inquam, huius populi iure tantum hæreditario: & non meritorio regiam obtinuit dignitatem. At cōparatione ad populum gentilicum, qui ante Chriſti aduentum non vocabatur populus Dei, & quod non erat ſpeciale Dei peculium, & patrimonium, non tam hæreditario iure (quamuis nec hoc ius totaliter ſit excludendum à Chriſto) quod orationibus, & meritis obtinuit.

Sed nihilominus oppoſitum verius apparet. Vnde ſic argumentor contra aſſignatam ſolutionem. In eodem ſigno naturæ, & rationis, quo fuit Chriſto datum ius regnandi ſupra Iudaicum populum, fuit & datum ſimile ius ſupra totum vniuerſum. Nam ex eodē principio, ſcilicet, ex vi gratiæ vnionis vtrūque ius æqualiter dimanauit, & non dependenter ab alio, non enim ex iure regnandi, quod Chriſtus habet ſupra Iſraeliticam plebem, ortum habuit in eo ius regnandi ſupra gentilem populum, ſed vtrūque ei competit, quia verus, & naturalis eſt altiſſimi filius, cui ex æquo omnes populi omneſque ſubijciūtur nationes. ergo ſi Chriſtus ius regnandi ſuper gētilicum populum merito, & oratione obtinuit à patre, fateri debemus, quod abſolutè, & ſine diſtinctione vlla ius, & poteſtas regnandi ex meritis competit Chriſto. Hanc ſententiam videtur docuiſſe Paul. ad Rom. 14. in hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorū, & viuorū dominetur. Poteſtas enim dominatiua non eſt alia in Chriſto, quam ipſa regia poteſtas, & hic modus loquendi viuorum, & mortuorum vniuerſos homines, & vtrūq. populum Iudaicū, & Gentilē complectitur. Fateor poſſe hoc teſtimonium explicari, de externa manifeſtatione. De qua intelligitur illud Mat. vlt. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.*

Probatur ratione hæc eadem concl. pars. Quod Chriſtus abſque meritis regiam obtinuerit dignitatem, non poteſt colligi ex eo, quod regnandi ius ſit ei naturale, nam auctoritas ſacerdotalis, Iudiciaria poteſtas, ſupremi capitis excellentia iure quoque naturali competunt Chriſto. Et tamen excellentiſſimæ hæ dignitates ex meritis ſunt Chriſto collatæ, quod & Magiſt. Sotus, libentiſſimè conceſſit, & expreſſe docuit S. Th. de poteſtate iudiciaria 3. p. q. 59. art. 3. Nec verò repugnat huic regiæ dignitati, quod haberet in Chriſto rationem præmij ex eo, quod fuerit ei data in primo ſuæ conceptionis inſtanti, quia, vt ex ſuperius dictis conſtat, ſufficit in merito prioritas naturæ. Nec vero apparenti aliqua ratione dici poteſt, quod ius regium fuerit in Chriſto principium, & radix merendi, ob quam cauſam incapax eſſet rationis præmij. ergo nulla eſt ratio ob quam non potuerit ſub meritis Chriſti cadere eius regia dignitas. Rurſus. ergo cum ad Chriſti dignitatem ſpectet, ad eiuſq. meriti excellentiā, quod hæc dignitas, & vniuerſæ aliæ, quibus nō repugnat ab intrinſeco cadere ſub merito, fuerint datæ Chriſto duplici titulo, ac iure, & connaturalitatis, & meriti, ſine cauſa rationabili aſſeritur, Chriſtum non fuiſſe proprijs meritis aſſecutum ipſam regiam dignitatem.

Confirmatur primo. Chriſtus meruit dominium rerum omnium præſertim hominum. Sed eadem ratio eſt de poteſtate regia, quæ de poteſtate dominatiua, Si modo non eſt eadem omnino poteſtas, ergo, &c. maior probatur: primo ex teſtimonio Paul. dud. cit. ex c. 14. ad Rom.

Secundo. Emptio tribuit ius dominatiuum ementi, ſed Chriſtus magno nos pretio emit, dicēte Paul. 1. Cor. 6. ergo hoc titulo competit Chriſto ius dominatiuum ſuper vniuerſos homines. Sed Chriſtus, cū nos emit, meruit coram Deo, ergo, &c.

Cōfirmatur ex doctrina S. Th. qui 3. p. loc. cit. docet, & probat, quod Xp̄s iudiciariam poteſtatem ex proprijs meritis fuit adeptus, in q. aūt præcedēti 2. 2 a. 1. ad 3. videtur docere, in Chriſto eadē eſſe ſm̄ rē poteſtatē regiam ſacerdotalē, & legiſlatricē, ſub qua ſine dubio legiſlatrice poteſtate iudiciaria comprehenditur. ergo S. Th. qua ratione dixit Chriſtū meruiſſe iudiciariā poteſtatē, diceret id ipſum de poteſtate Regia, quod & nō obſcurè inſinuauit in illo a. 3 q. 59. ad primum, legatur Aug. pro iſta ſententia lib. de vnit. eccl. c. 7. & 8. Ex iſtis quæ de regia dignitate diximus facilè erit coniectari, quid de reliquis dignitatibus, & excellētijs, quas in concl. enumerauimus, ſit dicēdū. Nā eadē prorſus eſt de eis omnibus ratio. Hoc loco ideſt obſeruandum, quod licet abſolutè loquendo maior perfectio ſit excellentiorq. dignitas, quod hæ ſimileſque dignitates connaturali modo habentur, quam ex meritis, vt de corporis gloria dixi ſuperius, tamen ſuppoſito ſemel, quod ſubiectū, cui tribuūtur eſt in ſtatu merēdi, vt reuera fuit Chriſtus, ad perfectionem maiorem, maioremque gloriam pertinet, quod duplici titulo habeantur, & naturali, & meritorio, præſertim ex iure meritorio rigoroſo, & infinito, quale fuit ius meritis Chriſti reſpondens.

Sed

Digitized by Google

Sed quæ rit quiſpiam. Quo tempore accepit Chriſtus has dignitates, & poteſtates, vt ſuorum meritorum præmium S. Tho. opuſc. 20. lib. 3. c. 12. 13. & 14 expreſſe docet Chriſtum ab ipſa ſua temporali natiuitate accepiſſe poteſtatem regiam: & cum hæc poteſtas annexas ſibi habuerit reliquas poteſtates, vt ex eodem S. Tho. paulo ante referebamus, & de poteſtate iudiciaria dicit, quod regiam conſequitur dignitatem in 3. p. q. 59. ar. 4. ad 1. Videtur conſequenter dicendum ex mente S. Tho. quod Chriſtus cum primum fuit natus has omnes poteſtates accepit, quas ante natiuitatem in vtero matris exiſtens ſuis humanis meruerat actionibus, illa præſertim actione cuius meminit Paul. ad Heb. 10. & meminerat prius Propheta Regius Pſal. 39. & nos eius in ſuperioribus non ſemel tantum meminimus, quæ fuit illa prima voluntatis actio, qua, Chriſtus præceptum Dei de morte pro hominum redemptione ſubeunda ſibi impoſitum, acceptauit. cęterum hæc ſententia difficultatem patitur non leuem.

Et ſic arguo, Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis meruit poteſtatem regiã, & poteſtates alias, quæ huic fuerunt annexæ. Ergo tunc accepit illam, & non debuit expectari tempus natiuitatis eius. Eo vel maximè, quod hæc regia dignitas, cum ſuis annexis poteſtatibus non ſolum competit Chriſto ex vi meriti, ſed potiſſimum ex vi hypoſtaticæ vnionis, quæ facta fuit in ipſo incarnationis inſtanti.

Poſſet huic argumento reſponderi ſi propoſitam velimus tueri ſententiam, quæ prima ſpecie apparet S. Tho. doctrina in citat. opuſc. 20. Quod cum hæc regia poteſtas cum ſuis annexis eſſentialiter pertineret ad actus exteriores, ad externamque gubernationem in homines exercendam, neque conueniebat Chriſto, nec fuit ei danda, vſque dum prodiret in hanc viſibilem lucem, & eſſet à matre ſeparatus. Nã dum erat in ſacrato puriſſimoque ſuæ genetricis vtero reputabatur ſecundum humanitatem, quaſi pars eius, & ita nondum erat pro illo ſtatu capax, vt deputaretur Princeps, caput, Sacerdos, & Iudex omnium hominum. Quoniam hæ dignitates expoſcunt perſonam in viſibili, & tractabili ſtatu poſitam, & quæ per ſe ipſam operari poſſit, vt perſona totaliter ab alijs omnibus diſtincta, & ſeparata numero, & ſi officio valde coniuncta, vti caput ſuis copulatur membris.

Secundo reſpõdeo. Mihi verò ſimilius eſſe, quod in eodem inſtanti incarnationis, in quo Chriſtus hãc Regiam meruit dignitatem, illam accepit, fuitque ex tunc deputatus dominus vniuerſorum, & ſupremus cęleſtis Regni Princeps. Itaque ex tunc ſcriptũ geſtat in fœmore ſuo magnificum illum titulum, quem vidit, & legit S. Ioan. Apocalyp. c. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Nec S. Thom. huius docuit contrarium, quoniam loquebatur de regia, & dominatiua Chriſti poteſtate quantum ad externam eius manifeſtationem, & actualem vſum: ad quem non videbatur idoneus Chriſtus, vt homo, quandiu in ſanctiſſimo matris vtero concluſus detinebatur. Secus autem, quoad deputationem, ad hãc enim ſatis ſuperque fuit, quod à primo incarnationis momento fuerit perfectus vir, perfectaque ratione pollens, ſecundum quam exactiſſimè poterat, & Regis, & Sacerdotis, & Iudicis munia exequi. Et quidẽ quod in puncto natiuitatis Chriſti Regia eius dominatiua ſplenduerit poteſtas, ipſiuſque cœperit vſus, qui conſiderauerit ea, quæ natiuitatis nocte ab Angelis, à paſtoribus, & proximis tunc diebus à Magis orientalibus Regibus geſta à ſac. Euangeliſtis narrantur, haudquaquam id poterit in dubium reuocare.

Quod qui non plenè intellexerit, legat Aug. in quodam ſermone de Epiphaniæ ſolemnitate ita dicentem. *Quis eſt iſte Rex tam paruus tam magnus? nõdum in terris loquens tam in cœlis edicta proponens?* Hoc Auguſt. dixit, quia Chriſtus in puncto ſuæ natiuitatis vt ſe omnium rerum oſtenderet Dominum, vſumque vniuerſalis ſui dominij inchoaret, nouam formauit ſtellam, in qua totum omnium rerum ordinem omnemque naturæ facultatem excellenti virtute ſuperauit. Vt autem ſeipſum Regem Regum apertè demonſtraret; eamdem ſtellam nuntium deſignauit ad Orientales Reges, ipſos ad ſtabulum, & Pręſepe vocans, vt eum ibi, & humili proſtratione & myſtica munerum oblatione vniuerſalem recognoſcerent, ſuſciperent, & venerarentur Regem. Quia ergo Chriſtus tũc primum cum natus fuit Regalis poteſtatis vſum initiauit, idcirco S. Thom. dixit tunc accepiſſe Regiam poteſtatem, fraſim ſcripturæ ſacræ imitatus, quæ tunc ſolet dicere res fieri quando primum factæ apparent.

Sed noua tunc difficultas inſurgit. Si in primo inſtanti incarnationis Chriſtus ob id accepit Regiam poteſtatẽ, quia erat illi debita ex vi hypoſtaticæ vnionis, & non debuit ſine grandi vrgentique neceſſitate ad tempus aliud eius traditio differri, cum in illo inſtanti Chriſtus eſſet perfectiſſime talis poteſtatis capax: Sequitur, quod hæc poteſtas data fuit Chriſto prius ordine naturæ ſeu rationis, quam in ipſo intelligamus aliquam præceſſiſſe operationem. Conſequens autem aduerſatur his quæ diximus: ergo falſa eſt hæc nunc tradita doctrina, vel ſaltem non cohærens his, quæ diximus antea. Sequela patet. Regia poteſtas, non in actu, ſed in habituali depotatione conſiderata, non pendet per ſe ab aliqua actione ſuſcipientis eamdem poteſtatem. Sed à ſola ſuſcipientis capacitate, iure ſufficienti poſito. ergo ſi poteſtas hæc conuenit Chriſto ex vi hypoſtaticæ vnionis, dici debet quod ipſam nulla eius expectata operatione accepit: atque adeo quod fuit ei data antequam in actualem prodirent actionem, qua eam promereri poſſet. Minor etiam probatur. Præmium, miraculis ſecluſis quæ non ſunt ſine vrgentiſſima cauſa admittenda, nequit ordine naturæ antecedere meritũ. Igitur ſi Chriſtus hanc poteſtatem accepit prius natura quam in actualem exiret operationem, poteſtas hæc non potuit eſſe præmium cuiuſpiam meritoriæ Chriſti actionis.

Confirmatur. Si regia poteſtas debita fuit Chriſto ex vi hypoſtaticæ vnionis, ſequitur quod reſultauit per ſimplicem emanationem & effluxum ab ipſa hypoſtatica vnione, ſeu ex humanitate verbo hypoſtaticè vnita, & ex conſequenti, quod prius ordine naturæ conuenit Chriſto, quam in aliquam ipſe prodiret actionem. Ea enim quæ ſimplici emanatione ex principijs intrinſecis alicuius ſubiecti dimanant, non pendent ab aliqua ipſius ſubiecti actione: quin potius omnem præueniunt, & anteuertunt. ergo re-

gia poteſtas omnem in Chriſto actionem præceſſit, atque adeo non ei fuit ex meritis collata. Sequela videtur manifeſta, quia nulla apparet rō ob quã poteſtas hæc tam connaturalis, & debita Chriſto ratione hypoſtaticæ vnionis, non fuerit in eius humanitate ad modum propriç paſſionis per ſimplicem effluxum, & reſultantiam conſequuta, qui cum non tam eſſet phyſicus quam moralis effluxus, non neceſſe fuit, quod oriretur ex formali aliquo principio actiuo, ſed optimè reducitur ad ſuppoſitum, & ad infinitam eius dignitatem: ſicut dicebamus ſuperius de valore meriti infinito.

Hoc argumẽtum cum ſua confirmatione, eaſdem ferè vires habet de reliquis poteſtatibus ſacerdotali & iudiciaria, atque etiam de authoritate, & excellentia capitis. Sed de poteſtate ſacerdotali ſpeciale ſe offert argumentum, quod ſit ſecundum.

Per illam primam actionem qua Chriſtus mortẽ pro nobis ſubeundam acceptauit, quam vt ſępe diximus, habuit in primo incarnationis inſtãti, vſus fuit ſacerdotali poteſtate, nam vt ex S Th. 3. p. q. 22. a. 2 ad 3. colligitur, Chriſtus ſemetipſum Deo obtulit. Vnde inquit, quod in paſſione nõ primum ſeipſum immolauit, & ſanctificauit, ſed nouo modo, puta, cruento: ergo illa operatio præſuppoſuit in Chriſto ſacerdotalem poteſtatem. Rurſus. Illa operatio fuit primum meritum, quod habuit Chriſtus, ergo ante omne meritum accepit Chriſtus poteſtatem ſacerdotalem, atque adeo non ei fuit propter meritum collata.

Ad primum argumentum reſpondeo, quod illa perfectio, quæ ex vi hypoſtaticæ vnionis debita fuit Chriſto, & ei connaturalis, quatenus erat ſingularis perſona, & quæ non reſpicit per ſe, & formaliter aliquod extrinſecum, prius illi fuit data, priuſque illi conuenit, quam perfectio alia quæcunque pertinẽs ad ipſum, vt caput eſt, & perſona communis, & quæ formaliter reſpicit, & terminatur ad aliquid extrinſecum. Vnde prius ordine naturæ præſuppoſita fuit in Chriſto viſio beatifica, atque etiam beatifica ipſius dilectio, quam poteſtas regia, ſacerdotalis, & iudicatiua, & quam excellentia, & dignitas capitis. Imo non ſolum operationes iſtæ pręceſſerunt naturæ ordine in Chriſti humanitate poteſtates prędictas, verum omnes virtutes infuſæ, & intellectuales, & morales conſtitutæ in actuali complemento per proprias actiones. Quoniam hæc omnis perfectio pertinebat ad Chriſti humanitatem ſingulariter cõſideratam, eratque intrinſeca eius perfectio, quæ, vt dixi, pręſupponi debuit in Chriſto ad omnem aliam perfectionem, quæ per ſe, & formaliter aliquid extrinſecum reſpicit. Non computo inter extrinſeca Deum vt obiectum cognitionis, & amoris beatifici: quia coniunctio creaturæ rationalis ad Deum per hos actus eſt præcipua, formalis, & intrinſeca eius perfectio. Quælibet enim res præcipuè, & formaliſſimè perficitur in actuali coniunctione ad primum ſuum principium, vltimumq. finem. Ex hac doctrina ſequitur pręceſſiſſe in Chriſto eas operationes, tã ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, quibus verum potuit ineſſe meritum, & quibus proinde Chriſtus mereri potuit omnes huiuſmodi excellentias, & poteſtates.

Ad confirmationem dico, quod ob id poteſtas regia non habuit rationem propriç paſſionis reſpectu vnionis hypoſtaticç, neque per ſimplicem emanatiuam reſultantiam, ſed data fuit Chriſto ſpecialiter à Deo: quia propria paſſio debet eſſe perfectio rei intrinſeca, qua res ſecundum ſemetipſam perficiatur. Vnde quia iſta poteſtas per ſe primo eſt perfectiua ſubiecti in ordine ad extrinſecum, non habuit, rigoroſe loquendo, rationem propriæ paſſionis, quamuis ſit valde connaturalis Chriſto ratione hypoſtaticç vnionis, neque conſequuta fuit in Chriſti humanitate ad modum propriæ paſſionis. Et idem indicium eſt de cęteris poteſtatibus, ſacerdotali, & iudiciaria ferendum, atque itidem de dignitate, & excellentia capitis.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo primo, quod illa oblatio ſpirituali modo facta, qua Chriſtus in primo incarnationis inſtanti ſeipſum ſanctificauit & immolauit patri, non procedebat formaliter à poteſtate ſacerdotali, neque fuit propriè actus ſacerdotij Chriſti. Pertinet enim ad poteſtatem ſacerdotij non qualecumque ſacrificium, ſed ſacrificium externum, & viſibile, & ſi proteſtatiuum inuiſibilis, & ſpiritualis ſacrificij, vt ex S. Thom. 2. 2. q. 85. a. 1. colligere licet. Neque vnquam S. Th. docuit, quod illa ſpiritualis Chriſti ſanctificatio, & immolatio fuerit, ſacerdotalis actus, ſacerdotaleq. officium. Vnde nõ fuit neceſſe, quod illa operatio præſupponeret ſacerdotalem poteſtatem in Chriſto. Quo fit, vt ſatis inefficaci argumento quidam Theologi probent, Chriſto ex primo ſuç incarnationis momento ſacerdotali fuiſſe poteſtate præditum, ex eo quod ſeipſum ſanctificauerit, & immolauerit in illo primo inſtanti: Quia illa ſpiritualis immolatio non fuit actus ſacerdotalis poteſtatis.

Secundo, ſi quis contendat illum actum pertinuiſſe ad poteſtatem ſacerdotalem, eo quod fuit ſanctificatiuus totius humani generis, poterit aliter reſpondere ad argumentum factum, ſitque eius ſecunda ſolutio. Quod in illa operatione Chriſti potuit conſiderari gemina virtutis ratio. Altera pertinens ad charitatem: & altera ad religionem ſpectans. Secundum quod ad charitatis virtutem pertinebat ille actus, ſeipſum pręceſſit, prout ad religionẽ pertinuit, & in illo priori ſuo actus ille perfectionem charitatis participauit, meruit poteſtatem, & regiam, & ſacerdotalem, quę & data fuit Chriſto prius ratione, quam ipſemet actus formalẽ virtutis religionis rationem indueret. Atq. adeo quatenus prima illa Chriſti operatio religionis rectitudinem, & formalẽ rationẽ importauit, pręſuppoſuit in Chriſti humanitate ſacerdotalẽ poteſtatem. Et quidẽ cum ſacerdotis poteſtas non fuerit qualitas aliqua realiter infuſa Chriſti animę, ſed quędam moralis deputatio (realis tamen) ad ſacerdotalis munia exequenda, nõ erit difficillimum intelligere, quod potuerit mediate inter duas illas rationes formales, quę in vna, & eadem Chriſti operatione reperiebantur. Et cum ſacerdotalis poteſtas iuxta doctrinam à S. Th. traditã, Regalem poteſtatem fuerit conſequuta aut ſaltem ei annexa, fatẽdum erit, quod Regia quoq. poteſtas pręſuppoſita fuit in Chriſto, ad illam primam eius operationem, quatenus ad religionis virtutem ſpectat. Et hactenus de 3. dubio.

D V-

DVBITATIO IV.

Quæ ſint ſupernaturalia bona, quæ Chriſtus promeruit nobis.

DEuentum tandem eſt ad dubitationem quartã, & vltimam tertij articuli quęſtionis quintę. In qua diſerendum eſt, quid nobis Chriſtus meruerit. Explicuimus quidem ſuperius in 2. ar. eiuſdẽ quęſt. 5. Chriſtum ſatisfeciſſe Deo ex toto iuſtitię rigore pro vniuerſi hominum peccatis, & criminibus, diximuſque ibidem, ſatisfactionem Chriſti per ſe primo non tam noſtrum ſpirituale commodum, quam ipſum Dei honorem, eiuſque maieſtatem attendiſſe; quamuis ſecundario multa inde commoda, ſpiritualiaque bona nobis euenerint. Addidimuſque pręterea Chriſti meritum è contra ſe habuiſſe, ita quod Chriſtus prout meruit, non aliquod Deo acquiſiuit bonum, ſed ſibi vt homini, & nobis, quibus meruit, in duobus autem dubijs pręcedentibus huius 3. art. vtcunque expoſuimus, quę nam fuerint, illa bona, quę Chriſtus ſibi proprijs meritis comparauit, quę vero illa, quę nullatenus ſub eius meritis cadere potuerunt, aut ſaltem non debuerunt, ſecundũ connaturalem meriti, & pręmij ordinem. Supereſt tandem, vt in hoc poſtremo dubio diſſerte exponamus, quæ bona Chriſtus ſuis nobis acquiſiuerit meritis, quæ vero abſque Chriſto eiuſque meritis nobis obueniant, Quam ſanè tractationem non ad loogum verſare decreui, tum quia maiori materiæ grauitate, quam difficultate polleat, tum potiſſimum quia magna cum doctrina, & eruditionis copia ipsã pertractarunt ante nos viri doctiſſimi, & ſi nõ æqua felicitate omnes, quia eorum nonnulli, & Chriſti meritis, & ſupernatnralibus, quæ nobis conferuntur dona, non parum excellentiæ, & dignitatis ſubtraxerunt, vt adnotabimus inſerius in huius diſputationis progreſſu.

Prima pars dubitationis quartæ.

In qua explicatur quænam ſint bona quæ nam cadunt ſub Chriſti merito.

PRius quam ad explicandum accedam, quæ bona Chriſtus nobis meruerit, opere prætium duxi recenſeri, & exponere, quæ ſint ea ſupernaturalia dona, quæ iuxta communem omnium aut fere omnium Theologorum ſententiam, ſub Chriſti meritis non cadnnt.

Notandumqne eſt primo, qnod illa bona, quæ nobis quidquam conferunt ad æternam comparandã ſalutem, nnn eodem modo ſe habẽt. Quædam enim ſunt nobis intrinſeca cuiuſmodi ſunt habitus gratiæ, & infuſarum virtutum, ſpecialia Dei auxilia, & his ſimilia: Inter hæc intrinſeca bona connumerari debent ſacramenta, quæ licet ab extrinſeco miniſtro conferantur in nobis tamen ſuſcipiuntur. Quædam vero extrinſeca vt prædeſtinatio noſtra, incarnatio Chriſti, &c. Hæc itidem exrrinſeca bona non omnia pariformiter ſe habent, nec vnum, & idem de ipſis omnibus ferendum eſt iudicium. Vnde eſt ſecundo notandum. Quod inter bona hęc extrinſeca quædam ſunt, quæ poſſunt ſimpliciter induere rationem mediorum comparatione ad æternam noſtram ſalutem, vel quia ſunt omninò inferioris ordinis, puta, naturalis, quæ eleuari poſſunt, etſi per accidens, & exrrinſeca ordinatione, ad ſupernaturalem gratiæ finem, vt diuitiæ, honores, &c. Vel quia non aſcendunt ad ordinem ſupremum, ſed intra ipſum gratiæ ordinem continentur, vt quædam eius partes, nam quæ in eodem ordine continentur, multo eſſe ſibi poſſũt officin, & quodammodo obſequio. Huius generis ſunt oratinnes ſanctorum, quæ nos iuuant coram Deo ad gratiam, & gloriam comparandam, ſiue ſint orationes ſanctorum in termino exiſtentũ, ſiue eorum qui adhuc in ſtatu viæ inter nos commorantur. *Prodeſt enim multum*, vt inquit Iacob. in ſua can. c. 5. *Oratio iuſti aſſidua.* Imo & miniſteria ſanctorum Angelorum, quibus aſſiduè nobis bona procurant, tuentes nos, & defendentes ab ipſis noſtrarum animarum hoſtibus, orationes, & preces noſtras coram Deo præſentantes ſimiliaque valdę vtilia nobis officia impendentes. Nam Pau. ad Hebr. c. 1. dicẽte. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſteriũ miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Quædã verò alia bona extrinſeca ſunt, quæ ad noſtram ſalutem, & primam, & vltimam comparata, non tam habent rationem medij quam cauſę: Imo & eorum quædam nullatenus quæunt medij rationem induere propter eorum excellentiam maximam. Ad hoc genus pertinent prædeſtinatio noſtra, quæ cauſa eſt omnium ſpiritualium effectum omniumque ſupernaturalium bonorum, quibus prædeſtinati ad vitam æternam conſequendam iuuaotur: Chriſti prædeſtinatio, eius incarnatio, vita, paſſio, mors, eius merita, & ſatisfactiones, ipſorum meritorum, earumdemq. ſatisfactionum determinata, & efficax applicatio ad eos in quibus efficaciam habent.

§. 1. *Prima concluſio.*

HIs ergo ſuppoſitis primam ſtatuo concl. Non meruit nobis Chriſtus ea bona extrinſeca, quę potius rationem cauſæ ſortiuntur reſpectu ſalutis noſtræ, quam medij, vna excepta prædeſtioationoe noſtra, de qua ſequenti dicemus concluſione. Itaque non meruit nobis ſuam prædeſtinationem, incarnationem, paſſionem, &c. Hæc conlu. communis eſt apud omnes Theologos, nec verò negari vlla ratione poteſt, præſertim de prædeſtinatione, & incarnatione ipſius Chriſti. Quæ bona ſicut Chriſtus ſibi ipſi mereri non potuit, vt ex dictis in ſecundo dubio manifeſtum relinquitur, ita nec nobis potuit mereri. Quoniam bona iſta, cum fuerint principia, & quidem radicalia, omnium Chriſti meritorum nullatenus potuerunt eſſe præmia meritorum eorundẽ. Et conſtat manifeſtiſſimis illis ſacr. ſcript. teſtimonijs, in quibus incarnationis myſterium ad ſolam Dei miſericordiam reuocatur Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Paul. Rom. cap. 8. *Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, &c.* Prærerea quod nec meruerit bona alia ſuam vitam, paſſionem virtutum opera, &c.

Res etiam eſt manifeſta. Et probatur primo, hæc bona fuerunt ipſamet Chriſti merita, atque ipſæ itidem eius ſatisfactiones. At merita non cadunt ſub merito reſpectu eiuſdem merentis, nullus enim meretur, quod ſibi mereatur aut alteri. ergo, &c. Secundo. Nullus à ſeipſo meretur, ſed ab alio, alias idem eſſet merens, & præmiator reſpectu eiuſdem, quod impoſſibile à ſapientibus iudicabitur, iuſtitia namq. eiuſdem ad ſeipſum eſſe nō poteſt. At ſi Chriſtus nobis hæc bona promeruiſſet, certè eadem bona meruiſſet à ſemetipſo, quoniā ipſe voluntariè fuit operatus omnes ſuæ vitæ actiones, ſuaque ſponte mortifuit, & paſſioni oblatus: ergo à ſeipſo Chriſtus hæc bona mereretur, & impetraret, ita vt ſecūdum, quod homo, & merens eſſet, & præmians, orans, & oranti concedens, quod fuit impoſſibile. Non me clam eſt ſolutio, quam Franciſcus Cartagena loco citato diſcurſu 11. huic aut ſimili argumento adhibet, nimirum, Chriſtum non meruiſſe nobis incarnationem ſuam abſolutè conſideratam, neque ſua merita abſolutè, & entitatiuè ſumpta, meruiſſe tamen hæc omnia in ratione mediorū, id eſt meruit, vt eius incarnatio, atque ſua itidem merita, media eſſent ad noſtrā ſalutem, & quod Deus ad hunc finem ea vt media proportionata aſſumeret. Ita quod propter ipſa conferret nobis vniuerſa ſupernaturalia bona, quæ contulit de facto.

Verum hæc ſolutio nulla ratione poteſt ſubſiſtere. Nam licet ſi ad poſſibilitatem duntaxat attēdamus, vtcunque intelligi poſſit, quod quia Chriſti merita infinita fuerūt, infinitoque valore meritorio pollebāt, potuerit in eis illa quaſi reflexio ſupra ſemetipſa reperiri, ita quod Chriſtus vna, & eadem actione meruiſſet nobis ſalutem, & gloriam, & quod Deus eādem operationem aſſumeret, vt medium ad noſtrā ſalutem operandam, & quod ipſam Chriſti incarnationem (& ſi non in fieri, quia operationes, & merita Chriſti præſupponebant factam) tamen in facto eſſe, & ſecundum continuationem aſſumeret etiam vt medium ad ſalutem noſtram. Licet, in quam, hoc nō eſſet forſan impoſſibile, nec proinde in intelligibile, at ſi de facto illa ſolutio procedat, non conſentit fidei veritati, ſed puto eam eſſe manifeſtum errorem. Quoniam conſtat ex teſtimoniis dudum ex ſacra ſcriptura deductis, & ex alijs innumeris, quod Deus ex liberali, & gratuito amore dedit nobis Chriſtum, vt redemptorem, & auctorem ſalutis noſtræ, & quod omnia eius opera, totam vitam, & mortem, in noſtram deſtinauit ſalutem, & quod propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & ſimiliter miſſus eſt à Patre. ergo, & Chriſti incarnatio, & omnia eius opera, ex Dei ipſum mittentis incarnationem habuerunt eſſe media ad noſtram ſalutem deſtinata (ſumimus hic medium larga, & ampla acceptione, vt comprehendat etiam id quod aſſumitur vt cauſa noſtræ ſalutis effectiua) ergo quod incarnatio Chriſti, & eius merita rationem habeant mediorum ad ſalutem noſtram, ex liberaliſſima, & gratuita Dei voluntate prouenit, & non ex eo quod id Chriſtus meruerit.

Hoc argumentū æque procedit in opinione Scoti aſſerentis Chriſtum, etiam non extante peccato, venturum, atque in ſententia contraria quam S. Thom. docuit. Quia in omni opinione fateri tenemur, quod Chriſtus, prout venit de facto paſſibilis, & mortalis, in noſtram ſalutem venit deſtinatus: Et quod propter nos, & ipſe ſe tradidit. & Deus tradidit illum. Si quidem prædictus auctor velit dicere, quod incarnatio & merita Chriſti data ſunt nobis à Deo, vt cauſa noſtræ ſalutis, & hoc abſq. vllis meritis, ſed quod Chriſtus meruit, vt aſſumerentur in ratione mediorum ad ſalutem eandem, quod plane auctor ille in lib. cit. non ſemel aſſerere videtur, præſertim in diſcur. 3. eius ſententia nihil erroris continet: Sed ſupereſt ei explicandum quid aliud Chriſti merita ad noſtram ſalutem contulerint, vt media, præter id quod vt cauſæ efficiunt. Et ſi hoc non conſtet, quid obſecro nobis profuit illud Chriſti meritum? Nam quid ad nos duplex illa formalitas, & cauſæ, & medii, ſi nihil eſt vtilitatis in vna, quæ non ſit in alia? Miſſum facio, quod illa ſolutio fundatur forſan in quadam opinione de prouidentia generali, quæ valde placuit prædicto auctori, quæ eſt ſine dubio falſiſſimā, eſſetque ad ſcholis explodenda. Præbet enim occaſionē dicendi multa in materia de prouidentia, & prædeſtinatione Dei, quæ ſcripturis ſacris ſunt parum conſentanea. Sed de hac opinione non vacat in præſentia amplius quid dicere. In libris de origine, & poteſtate gratiæ diximus multa, quibus hæc doctrina apertiſſimè confutatur. Ad noſtrā ergo reuertamur concluſionem.

Circa hanc igitur primam concl. quam ita in cōmuni propoſui, ne à cōmuni Theologorum, præſertim Thomiſtarum vſu familiarique modo loquendi recederem, aduertendum eſſe cenſeo, hanc concluſionem vniuerſaliter verā eſſe de omnibus Chriſti actionibus, & de his omnibus ad Chriſtum pertinentibus, quæ ipſe ſibi mereri non potuit, qualia fuerunt ea omnia, quæ circa concluſionem recēſuimus. Cæterum in his quæ ſunt circa Chriſtum geſta, quæ ipſe ſuis ſibi meruit actionibus, cuiuſmodi fuerunt reſurrectio, corporis immortalitas, ſui nominis exaltatio, conſeſſus ad dexteram Patris, & ſi quę fuerunt alia cuiuſmodi, aliud eſt iudicium ferendum. Nam hæc omnia, quę numerauimus, Chriſtus non ſolum ſibi meruit, ſed & nobis ſimul, vt pręcedenti dubio ex Athanaſ. oratione ſecunda contra Arianos dicebamus. De quibus bonis ita dicet Theologus. Quod non meruit illa Chriſtus, vt eſſent nobis media ad ſalutem ſiue primam ſiue vltimam comparandam. Quia diuina hęc bona propter excellentiam eximiā, qua & nos, & noſtram etiam ſalutem exuperant, eo quod tranſcendunt gratię habitualis ordinem, & ad ordinem gratię hypoſtaticæ vnionis pertinent, nequeunt ſi cum rigore loquamur, mediorum induere rationem ad noſtram ſalutem comparata: meruit tamen Chriſtus, vt eſſent cauſa exemplaris, imo & forſan efficiens, phyſica efficientia, ſalutis noſtrę. Itaque Chriſtus non ſolum ſibi meruit, vt à mortuis excitaretur, fuiſſetque inter mortuos liber: ſed & meruit quod reſuſcitaretur, vt primitię dormientium, & vt exemplar ad cuius ſimilitudinē iuſti omnes reſurgent, eorumque in extremo die reformabūtur corpora. De effectiua cauſalitate q. ſeq. nonnulla dicemus. Non negauerim poſſe probabiliter dici, quod non ſolum Chriſtus ſuam reſurrectionem, & aſcenſionem meruit nobis in ratione cauſę exemplaris, & effectiuę, ſed etiam in ratione medij. Itaque

meruit

Digitized by Google

meruit vt ſua reſurrectio conferret ad noſtram iuſtitiam, & reſurrectionem tãquam medium ad finem, non vltimum, & præcipuum, nam hic finis eſt gloria Dei, ſed vt finem immediatum, & minus principalẽ, & qui tandem ordinetur, vt medium ad ipſum principalem finem, Dei ſcilicet, gloriam, atque itidem ad gloriã Chriſti. Nam ſicut eſt valdè probabile, quod Chriſti incarnatio habuit rationem medij ad ſalutẽ noſtram iuxta modum expoſitum, quod ex illis ſimboli Apoſtolici verbis, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*, &c. rationabili poteſt conſequutione deduci. Et idipſum proportionabiliter dicendum eſt de paſſione, & morte Chriſti. Ita nihil dicet improbabile, qui aſſeruerit Chriſtum propter nos homines reſurrexiſſe, propter noſtramque iuſtitiam, ac reſurrectionem futuram tanquam propter immediatum, & proximum finem, & ſimiliter aſcẽdiſſe ad dexteram Patris propter noſtram glorificationem, & aſcenſionem in cœlum. A qua locutionis phraſi non abhorret modus loquendi S. Paul. ad Rom. 8. *Traditus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*. Non latet me magnũ verſari diſcrimen inter ea Chriſti opera, & myſteria, quæ ad eius humilitatem pertinent, qualia fuerunt paſſio, & mors, & ea quæ ad ipſius exaltationem, & glorificationem ſpectant, putà, reſurrectio, aſcenſio in cœlum, &c. Nam cum, vt modò ipſe dicebam, & nos docuit S. Synod. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Chriſti gloria finalis ſit noſtræ iuſtificationis, & ſalutis cauſa, nõ apparet valdè conſentaneum rationi, quod illa Chriſti myſteria, quæ directè ad eius gloriam, & exaltationem ſpectant, vocari debeant media ad noſtram iuſtitiam, noſtramque ſalutem, vt ad finẽ ordinata. Propter quam cauſam, illam Chriſti exaltationem, quæ in manifeſtatione ſui nominis, illius, videlicet, quod eſt ſuper omne nomen, quam ſibi Chriſtus humilitate, & morte promeruit tanquam excellentiſſimum, & ſupremum omnium ſuorum laborum præmium, ego nullatenus auderem dicere eam nobis Chriſtum meruiſſe tanquam medium ad noſtrã ſalutem ordinatum. Meruit quidem, vt eſſet quoddã excellens eius exemplar. Nam filiatio adoptiua per filiationem Chriſti naturalẽ, in cuius manifeſtatione conſiſtit illa ſublimis eius exaltatio, regulatur, & menſuratur iuxta illud Paul. Rom. 8. *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius*, nullatenus tamen meruit, vt eſſet medium, vt ad finem in noſtram ſalutem ordinatum.

§. 2. *Secunda concluſio*.

NOn meruit nobis Chriſtus prædeſtinationem noſtram, ſi ſumatur pro actu ipſo, qui eſt in mente prædeſtinantis, non ſolum ſecundum eius entitatem, verum neque ſecundum reſpectum quo effectus ipſius prædeſtinationis reſpicit. Oppoſitum huius concluſionis quoad priorem eius partem nullus Theologorum hactenus docuit, ſtultuſque iudicandus eſſet, qui id vel leuiter ſuſpicaretur. Nam quã cauſam habere poterit actus diuinæ voluntatis entitatiuè ſumptus, cũ non ſit aliud, quàm ipſemet Deus, qui prima eſt omnium rerum cauſa? Ita dixit S. Th. 1. p. 23. ar. 5. loquens de actu prædeſtinationis, quo Deus homines ad gloriam prædeſtinauit. Secunda vero pars cõcluſionis cõtrarios habet aliquos Theologos, præſertim ex iunioribus, inter quos vnus eſt Franciſcus Cart. qui lib. cit. diſcur. 11. non ſolum docet noſtræ concluſionis contrarium, verum & abſolutè dicit, quod per modũ cauſæ finalis, & meritoriæ Chriſti merita mouere potuerunt Dei voluntatem ad conferendum hominibus gratiam, & gloriam. Hæc tamen huius authoris ſententia ex quibuſdam pendet principijs, quæ etſi nobis vehementer diſpliceant, non vacat tamen in præſentia non modo impugnare, verum nec referre. In 1. lib. de orig. & poteſtate gratiæ tract. 3. rem iſtam accuratiori, qua potuimus diligentia pertractauimus. Vnde breuiſſimè exponam præſentis concluſionis intelligentiam, cuius exacta probatio illo in loco erit videnda.

In ſecunda igitur noſtræ concluſionis parte minimè negare intendo, quod bonitas creaturæ ſit quandoque ratio diuinę voluntati volendi, & amandi aliquid, ita quod vnum obiectum ſit diuinæ voluntati ratio volendi aliud. Duo tamen affirmo, Alterum, quod nullatenus poteſt eſſe cauſa, quæ verè moueat voluntatem diuinam, nec vt finalis cauſa, nec meritoria, nec alia ratione vlla: talis namque motio, & cauſalitas derogat quamplurimum ſummæ diuinæ voluntatis perfectioni: quoniam ſubijcit volũtatem diuinã creatæ cauſalitati, & motioni. Alterum, quod nulla creata bonitas poteſt eſſe prima, & principalis ratio diuinæ voluntati, ad volendum aliquod obiectum, nec ex ipſa tanquam à ratione prima, vel per modum excitantis ipſam Dei voluntatem, vel alio quouis modo poteſt, noſtro modo loquẽdi, incipere volitio diuinæ volũtatis circa aliquod obiectum, ſed ſola ipſa ſumma Dei bonitas poteſt eſſe prima ratio diuinę voluntati ad aliquod bonũ amandum. Et hoc eſt, quod S. Th. dixit 1. p. q. 19. art. 1. ad 3. quod primi effectus ex ſola voluntate Dei pendent. Cęterum ſub diuina bonitate, quæ primaria eſt, & formalis ratio volũtati diuinæ, propter quam omnia, quæ extra ipſam ſunt, amat, & diligit, non inconuenit inuenire aliquam particularem rationem, propter quã Deus aliquid velit. v. g. ſuppoſito, quod Deus propter ſuã bonitatem voluit conferre homini vitam æternam, ipſa æterna vita, vt volita à Deo, eſt ratio eius voluntati ad volendum, & determinandũ media, quæ ipſi æternæ vitæ conſequendæ ſunt neceſſaria. Imo in ſenſu compoſito neceſſitatur diuina voluntas ad volendum huiuſmodi media. Quæ neceſſitas primam originem habuit, non ex ipſa beatitudine, & ex neceſſaria conuenientia, quæ inter ipſam vt conſequẽdam, & inter illa media reperitur, ſed ex ipſa Dei bonitate, quæ fuit prima, & principalis ratio voluntati diuinæ ad volendum conferre homini beatitudinem. Verum hac prima, & radicali ratione ſuppoſita, eademmet diuinę voluntatis neceſſitas ſumitur, vt à ratione ſecundaria, & minus principali, & ſubordinata rationi principaliori, ſcilicet bonitati diuinæ, ex illa intrinſeca, & neceſſaria conuenientia, quæ inter beatitudinem, & illa determinata media reperitur. Et exiſtimo, quod hoc eſt adeo certum, vt Theologi, qui negant, verbis potius, quàm re ab hac ſententia diſcedant, quæ fuſius, & accuratius lib. cit. collimauimus. Quibus ita ſuppoſitis, id aſſerebam in 2. par. concluſ. quod Chriſtus non fuit cauſa nec finalis, nec meritoria, quæ diuinam voluntatem ad

præ-

prædeſtinandum homines moueret, nec reali, & vera, nec metaphorica motione, quæ eſt propria finalis cauſa. Nec verò fuit ratio formalis, & præcipua ipſi voluntati Dei, vt homines prædeſtinaret, & ad vitam æternam eligeret; ſed totum prædeſtinationis negotium reuocandum eſt ad ipſam Dei bonitatem, tanquam ad primam, & radicalem rationem, & ad libertatem diuinæ voluntatis. Ita vt quilibet prædeſtinatus, ſi radicem ſuæ prædeſtinationis inquirat, nullam inueniet aliam, præter illam, quam Propheta Regius agnouit, cum dixit: *Et ſaluum me fecit, quoniam voluit me.* Cum hoc tamen libentiſſimè fateor, quod Chriſti opera fuerunt ratio ſecundaria diuinæ voluntati ad prædeſtinandũ homines. Quam rationem ob id reduximus ad ordinem cauſæ meritoriæ, quia Chriſtus, vt dicemus poſtea, meruit prædeſtinatis omnes prædeſtinationis eorum effectus, quamuis reuera reſpectu ipſius Dei prædeſtinantis, & reſpectu ipſius prędeſtinationis actus, etiam prout quandam rationis importat habitudinem ad homines prædeſtinatos, nullam omnino cauſalitatis vim exercuerit, ſed tantum ſe habuerit per modum ſecundariæ rationis. Sed hæc preſſius, & limatius explicabuntur infra quæſtione 7. cum diſputabimus, an prædeſtinatio Chriſti cauſa fuerit prædeſtinationis noſtræ.

Ex his ſequitur intelligentia illius vulgati dubij, ſcilicet, an Chriſtus meruerit nobis gratiam increatam, ideſt diuinæ voluntatis amorem, & beneuolentiam erga nos, ex qua proueniunt vniuerſa dona gratuita, quæ nobis Deus confert. Conſtat, inquam, ex dictis, Chriſtum non meruiſſe hanc increatam gratiam, ſi propriè, & rigoroſè de meritoria cauſalitate loquamur. Fuerunt tamen Chriſti merita ratio ſecundaria diuinæ bonitati, vt primariæ rationi ſubordinata, reſpectu increatæ beneuolentiæ, ſeu alijs verbis increatæ gratiæ, ex qua omnis creata gratia originatur, & dimanat. Doctrinæ ſeries ſuo iure poſtulare videbatur, vt hoc loco diſerta, & dilucida tractatione explicaremus, an in aliquo ſenſu vero, & proprio concedi poſſit, & debeat, Chriſtum meruiſſe hominum prædeſtinationem. Verum ne ſæpè eadem repetamus, res iſta explicabitur in quæſt. 7. cum tractabitur de Chriſti prædeſtinatione, & explicabitur, an fuerit hominum prædeſtinationis cauſa.

§. 3. *Tertia concluſio.*

CHriſtus Dominus non meruit ea, quæ præſuppoſitiuè tãtum, & materialiter neceſſaria ſunt hominibus ad ſalutem, v. g. non meruit creationem mundi, aut creationem hominis, neque naturalẽ hominum generationem, nec actualem eorum in rerũ natura exiſtentiam, nec quod habeant intellectum, & voluntatem, & alia huiuſmodi. Iſta concluſio, vt iacet communiter eſt à Theologis recepta.

Probatur vnica ratione, quę familiaris quoque eſt apud Theologos. Chriſtus tantum meruit hominibus eorum ſalutem, & ea quæ rationem aliquã medij induunt ad eam comparandam; ſed res iſtæ, quas numerauimus, & aliæ ſimiles nullam habẽt rationem medij reſpectu vitæ æternæ conſequendæ, ſed purè materialiter, & præſuppoſitiuè ſe habent: ergo non cadunt ſub Chriſti meritis.

Confirmatur. Eſto concedendum ſit Chriſtũ meruiſſe prædeſtinationem Petri, non ob id tamen eſt concedẽdum meruiſſe ſuum eſſe, ipſumque exiſtere Petri, nec vllus Theologorũ id vnquam conceſſit. Quoniam Chriſtus meruit id, quod pertinet ad perfectionem ſupernaturalem Petri, & non quod pertinet ad eius eſſe naturale, quia conferre Petro eſſe naturale, non ad ordinem gratiæ, ſi per ſe loquamur, ſed ad ordinem ſpectat naturæ, & ad Deum non vt ſanctificatorem, & glorificatorem, ſed vt creatorem cœli, & terræ pertinet: Chriſtus autem, vt homo nõ ſubſeruit, nec ſubminiſtrauit Deo, vt authori naturæ, per ſe loquendo, ſed vt authori gratiæ, & vt glorificatori, & ſanctificatori hominum: ergo non meruit nobis illa, quæ tantum pertinent ad naturæ ordinẽ, & præſuppoſitiuè ſe habent ad ſanctitatẽ, & gratiã.

Ex iſtis infero, Chriſtum non meruiſſe ſibi naturalem humanitatis ſuæ vitam, neque eius conſeruationem, cuius oppoſitum docẽt nonnulli Theologi. Probatur, & primo, quod non meruerit animæ vitam, eiuſque conſeruationem, manifeſtum apparet, quoniã anima immortalis eſt ſua natura, atque adeo quod eius vita in perpetuum duret, cum ſit res ſecundum naturæ ordinem neceſſaria, non cadit ſub merito: non enim meremur ea, quæ neceſſariò contingũt. Quod verò neque corporis meruerit vitam, probo ex dictis. Vita corporis Chriſti erat aliquid pertinens ad ordinem naturæ, præſuppoſitiuè ſe habens ad gratiam, & meritum: ergo non cadebat ſub Chriſti meritis, neque, per ſe loquendo, habebat rationem medij ad humani generis reparationem, ſed erat quid materialiter præſuppoſitum, & ad hominũ redemptionem, & ad omnia Chriſti merita. Secus autem dicendum eſt de reparatione vitæ Chriſti per reſurrectionem factæ, nam hoc bonum non naturalis, ſed ſupernaturalis ſimpliciter fuit ordinis, non materialiter præſupponebatur ad merita Chriſti, ſed fuit eis omnibus poſterius, atque adeo rationem præmij habere potuit, comparatione ad ipſa Chriſti merita.

Obſeruandum eſt tamen, quod iſta concluſio debet intelligi per ſe, & regulariter; nec enim negandum eſt, quod per accidens aliquod eorum, quæ recenſuimus ad ordinem naturæ ſpectantium, cadat ſub meritis Chriſti. Nam quod aliquis aliquando non moriatur, & liberetur ab infirmitate, quæ ſecundum naturę facultatem exitialis eſt, & mortalis, propter bonum ſpirituale ipſius hominis infirmi, vt videlicet debitam pœnitentiam de ſuis peccatis agat, aut propter bonum reipublicæ, ſeu alterius priuatæ perſonæ, non ſemel ex Chriſti meritis tantum contigit. Et hanc virtutem ex Chriſto deriuatam tribuunt Theologi in 4. diſt. 23. Sacramento Extremæ vnctionis. Itaque per accidens quandoque contingit, vt huiuſmodi naturalia bona, quæ præſuppoſitiuè ſe habent ad ordinem gratiæ, induant rationem mediorum ex diuina ordinatione ad æternam vitam, vel aliqua ratione etſi remota ad gratiam, ad ipſumque gratiæ finem referantur, & hoc modo conſiderata, cadunt ſub Chriſti meritis.

Hæc mihi ſe obtulerunt dicenda circa ea bona, quæ ſub Chriſti meritis non cadunt.

Secun-

Digitized by Google

Secunda pars dubitationis quartæ.

In qua agitur de bonis, quæ nobis per Chriſti merita conferuntur.

DE bonis autem alijs, quæ ad Chriſti merita pertinent, & quæ nobis propter Chriſti merita conferuntur, agendum eſt deinceps.

Vt hæc tractatio expeditior ſit, & compẽdioſior, operæpretium fore iudicaui, primum proponere diuerſa Theologorũ placita, quæ in hac diſputatione verſantur, prætermiſſis Pelagianorum, & aliorum hæreticorum erroribus, qui, cum Chriſtum humani generis Redemptorem minimè fuiſſe crediderint, conſequenter negauerunt gratiam, & iuſtitiam, & reliqua ſupernaturalia dona nobis per Chriſtum obueniſſe. Et alia multa dixerunt, quæ iam olim iuſtam ab Eccleſia acceperunt damnationem, & Patres antiqui in eorum extirpatione, & eradicatione feliciſſimè laborarunt, legantur omnia Africana Cõcilia, & Epiſtolæ illæ Innocentij primi, & Patrum, qui prædictis adfuere Concilijs, de quibus dubio præcedenti mentionem fecimus. His igitur prætermiſſis hæreticorum deliramentis, quæ non oportet iam olim conſopita è cineribus ſuſcitare, ad Catholicorum ſententias connumerandas conuertamur.

§. 1. Proponuntur Theologorum ſententiæ.

QVatuor inter Theologos de hac re ſententias reperio. Quarum prima affirmat quidem (in quo & omnes Catholicæ ſententiæ conueniunt) Chriſtum meruiſſe hominibus & gratiam, & gloriam, ac proinde vniuerſa opera meritoria, quæ ex iuſtificante gratia procedunt, & ad beatificantem tendunt gloriam, ac meruit itidem vltimam diſpoſitionem ad primam gratiam, qua ratione eandẽ gratiam concomitatur, ipſamque naturæ prioritate ſupponit in anima, vt efficientem, & formalem ſui cauſam. Cæterum addit hæc ſententia, Chriſtum non meruiſſe fidem, ſpem, auxilia, & diſpoſitiones, quæ primam gratiam anteuertunt, imo neque vltimam diſpoſitionem, quatenus primam gratiam in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuè præcedit. Sed hæc omnia accipit homo qui iuſtificatur ex ſola Dei liberalitate, & gratia. Hanc ſententiam docuit Capr. in 3. diſt. 18. quæſt. vnica, ad argumenta Scoti contra quartam conc. quem alij nonnulli Scholaſtici in eadem diſtinct. ſequuntur.

Potiſſimum huius ſententiæ fundamentum illud eſt, quod adnotauit Driedo. in lib. de capti. & redẽp. gen. huma. tractat. 2. cap. 2. artic. 4. Nimirum, quod Paul. Apoſt. paſſim iuſtificationem noſtram ſimul, & Dei gratiæ, diuinoque beneplacito, & Chriſti ſanguini, redemptionique per Chriſtũ factæ adſcribit; copulatque ſæpiſſimè iſta duo, ſcilicet, Dei gratiam, & Chriſti iuſtitiam. Ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt Chriſto Ieſu.* ad Eph. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui prædeſtinauit nos in adoptione filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, (remiſsionem peccatorum) ſecundum diuitias gratiæ, quæ ſuperabundauit in nobis in ſapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ.* Ac ſi diceret Paulus, facti ſumus adoptionis filij per Chriſtum Ieſum, tãquam mediantem, & per meritum eius, ſed quod ſimus ſic prædeſtinati per Ieſum Chriſtum, cauſa eſt nõ ipſum Chriſti meritum, ſed propoſitum diuinæ voluntatis in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; & ſimiliter quod ſimus ad Chriſtũ vocati, & tracti, vt eius participemus gratiam, quam ſuis operationibus, & meritis nobis promeruit, & remiſſionem accipiamus peccatorum, quã nobis Chriſtus ſuo pretioſo ſanguine emit, non ex ipſius Chriſti meritis habemus, ſed ex ſola Dei miſericordia, & ex propoſito voluntatis eius. Ergo ea omnia, quæ iuſtificantem gratiam antecedunt, ſiue fides, ſiue diſpoſitiones, ſiue auxilia, non ex Chriſti meritis, ſed ex ſola Dei miſericordia, & gratia hominibus conferuntur.

Confirmatur primò. Nam aliàs non diceremur, (ſi propriè loquendum eſt) gratis, & miſericorditer iuſtificati, ſed potius ex iuſtitia debita Chriſti meritis: præſertim ſi vera eſt, vt eſt certè probabilis, ſententia, quæ affirmat Deum ex rectitudine commutatiuæ iuſtitiæ neceſſitari, & quaſi obligari ad acceptandum Chriſti merita, & ad debitum pro illis præmium reddendum. Nam hac ſuppoſita ſententia, neceſſario conſequio dicendum apparet, quòd ſi fides, vocatio, cætera auxilia præuenientia, & ipſæ omnes ad gratiam diſpoſitiones, proueniũt ex Chriſti meritis, ita quod Chriſtus applicuit ſua merita pro his bonis accipiendis, Deus ex iuſtitia hæc omnia tenetur præſtare homini, cui Chriſtus ſua applicuit merita: atque adeo minus propriè dixit Paulus *iuſtificati gratis per gratiam ipſius*, &c. & dixiſſet multo proprius, iuſtificati iuſte per iuſtitiã Chriſti.

Confirmatur ſecundò. Illud argumentum, qua parte procedit de vltima diſpoſitione ad gratiam, quatenus gratiam eandem ordine naturæ antecedit. Gratia infallibiliter, imò neceſſariò, poſita hac vltima diſpoſitione conſequitur: ergo ſi vltima diſpoſitio datur ex meritis Chriſti, applicatis ei, qui iuſtificatur, prima gratia ex operibus erit, & meritis: atque adeo rationem amittet gratiæ: nam ſi operibus gratia, iam non gratia, dicebat Paul. Rom. 11. Vt ergo veram gratiæ rationem in ipſa impij iuſtificatione ſaluemus, neceſſe eſt vera ſit hæc prima ſententia, quam retulimus ex Capreolo.

Secunda ſententia in omnibus cum Capreo. opinione conſentit, vno tantum excepto, docet enim, quod vltima ad gratiam diſpoſitio non ſolum prout concomitans, verum etiam vt gratiam præcedens, ex meritis Chriſti prouenit: & in hoc ſolum à Capreoli ſententia hæc opinio ſecunda diſſentit. Pro hac ſententia ſecũda ſolet citari Driedo loco citato. Verùm ego ex eius doctrina colligo ipſum in omnibus Capreoli ſententiæ adhæſiſſe, nam ea tantum virtutum opera meritis Chriſti tribuit accepta, quæ ex gratia iuſtificante virtutem accipiunt: ac proinde contritio, prout eſt diſpoſitio ad gratiam ordine naturæ præcedens, cum non ab ipſa gratia, ſed vel ab auxilio ſpeciali, vel immediatè à Deo ſuam omnem vim diſpoſitiuam ſuſcipiat, iuxta huius authoris ſen-

ten-

tentiam, non habetur ex meritis Chriſti. Docent tamen eam expreſsè Ferrarien. libro 4. contra Gent. cap. 55. Franciſcus Somn. lib. de myſt. Chriſt. Relig. tract. 6. cap. 19. & Adamus ſuper Epiſt. ad Roman. cap. 5. & eiuſdem ſententiæ eſſe videtur Deca. Louanienſis Ruardus Tapper: 1. tomo ſuorum articulorum in 6. artic.

Tertia ſententia aſſerit, quod licet ex Chriſti meritis conferantur hominibus gratia, gloria, ſupernaturalia omnia auxilia, & ipſa denique peccatorum remiſſio, aliquot tamen pœnas pro peccatis debitas merè liberaliter condonat nobis Deus, nullo habito reſpectu ad Chriſti merita: docent hanc ſententiam Paludanus in 4. diſt. 20. quæſt. 2. & S. Antoninus 1. p. ſummæ Theolog. tit. 10. cap. 3. §. 1. Ob id hæc ſententia illã pœnarum remiſſionem eximit à Chriſtĩ meritis, quia alias, inquit, in nullo Dei liberalitatem erga nos experiremur.

Quarta ſententia affirmat omnia ſupernaturalia bona nobis obuenire per Chriſti merita. Eſt intelligenda hæc ſententia illis exceptis bonis, de quibus in prima huius dubij parte diſſeruimus. Nonnulli ex huius quartæ ſententiæ auctoribus, videntur eam limitare ad illa ſupernaturalia dona, quæ nobis ſunt intrinſeca: ita vt non comprehendant orationes ſanctorum, & ſatisfactiones, quas vnus homo iuſtus alteri poteſt applicare, nec diuitias, honores, & ſimilia extrinſeca bona, quę adiumento eſſe poſſunt ad gratiam acquirendam, & in acquiſita perſeuerandum. Vnde hi authores quintam videntur introduxiſſe ſententiam, quæ inter bona extrinſeca, & intrinſeca diſtinguit, ita videtur diſtinxiſſe Mag. Medina 3. p. q. 19. art. 4. dub. 6. & ex iunioribus Theologis plerique iuxta hunc modum loquuntur, à quo modo loquendi non recedit Carthagena lib. cit. diſcur. 11. Verumtamen nobis ob id non placuit hanc quintã ab alijs diſtinxiſſe ſententiam, quoniam exiſtimo Theologos qui diſtinctionem illam introduxerunt, ſola tantum voce differre ab ijs authoribus, qui abſque vlla diſtinctione quartam ſententiam docuerũt. Crediderimque quod per extrinſeca bona ea tantum intellexerũt, quæ nos in prima parte huius dub. à Chriſti meritis ſubtraximus. Quartam igitur hanc ſententiam docent communiter Theologi, quidam expreſsè, quidam vero ipſam, vt indubitatam præſupponentes, in 3. diſt. 18. & 19. S. Th. 3. p. q. 7. & 8. & vniuerſi eius interpretes ibidem. Et idem S. Doct. 3. par. q. 1. art. 2. 12. q. 114. art. 6. & q. 29. de veritatę ar. 6. Soto in 4. diſt. 19. art. 2. Oſius Car. in confeſſione fidei c. 41. & 43. Lindanus lib. 3. Panopliæ c. 16. & Caſalius lib. 1. de quadripartita iuſtitia c. 4. & communiter alij Theologi.

§. 2. *Prima concluſio.*

AD huius quęſtionis reſolutionem primam hanc concluſionem ſtatuo. Quod Chriſtus meruerit nobis omnia ſupernaturalia bona, quodque ea ex ipſis Chriſti meritis accipiamus, nihil minuit à ſumma liberalitate, & gratia Dei, quæ in opere iuſtificationis impij reperiri poteſt. Quin potius Dei gratiam, & miſericordiam extollit; & in maximam noſtram dignitatem, & ſpiritualem vtilitatẽ cedit. Hęc cõcluſio quoad priores eius duas partes deſtruit fundamentum primæ ſententiæ, cui etiam opiniones ſecunda, & tertia, qua parte cum prima conueniunt, innituntur.

Probaturque primò. Illud debitum, quod interuenit in iuſtificatione impij, ex Chriſti meritis deriuatum, non pertinet ad eum, qui iuſtificatur, qui nullam poteſt coram Deo iuſtitiam prætendere, neque verò capax eſt iuſtitiæ cuiuſpiam, niſi vt in inferno ſeuerè ob commiſſa ſcelera puniatur: ſed totum debitum eſt reſpectu Chriſti, cuius merita Deus præmiat iuſtificando impium: ergo reſpectu ipſius, qui iuſtificatur, iuſtificationis gratia, & miſericordia nullatenus minuitur.

Dices, quod licet ex ipſo, qui iuſtificatur, nullum poſſit inſurgere iuſtitiæ debitum erga iuſtitiam, & gratiam accipiendam, terminantur tamen ad eum iuſtitia Chriſti, & debitum meritorum eius: ita quod ſuppoſita efficaci meritorum Chriſti applicatione ad ipſum, debita fit ei iuſtificationis gratia.

Huic obiectioni reſponderi poteſt, quod etiã ſuppoſita applicatione Chriſti meritorum, non fit debeta impio iuſtificationis gratia, eſt enim incapax talis debiti, ſed Chriſto debetur, vt Deus eius merita pręmiet iuſtificando impium. Et quod dixi de impio comparatione ad primam gratiam, dico de homine iam iuſtificato, quãtum attinet ad iuſtitiæ rigorem, quamuis enim & gloria, & augmentum gratiæ illi conferantur ex meritis Chriſti, quę iuſtitiam induxere coram Deo rigoroſam, non tamen vlla ratione concedendum eſt, quod ipſi homini iuſtificato debentur iſta ex iuſtitię rigore, quia nulla creatura capax eſt talis iuſtitię coram Deo, quamuis mereatur de condigno hęc commemorata bona, nam tota puri hominis iuſtitia in magna Dei fundatur gratia.

Secundò probatur cõcluſio. Quod Deus nobis daret Chriſtum, vt Redemptorem, & authorem, ac noſtrę ſalutis cõſummatorem, maxima fuit gratia, quæ imbibita manet in omni ſupernaturali dono, quod nobis Deus propter Chriſtũ, & eius merita tribuit: ergo quamuis in actuali exhibitione gratię, & donorum ſupernaturaliũ aliquid iuſtitię, & debiti admiſceatur, eſt nihilominus ſimpliciter liberalis, & gratuita talis ſupernaturaliũ donorũ collatio. Imo multo magis gratuita, & liberalis, quam ſi ex ſola gratia abſque interuentu meritorũ Chriſti fieret, quia huiuſmodi ius habet in ſuis viſceribus clauſam eã gratiam, & miſericordiã, qua maior, & excellẽtior neq; fieri, neque excogitari poteſt. Eo vel maximè, quod nõ ſolũ in eo Deus munificus, & liberaliſsimus erga nos fuit, quod vnigenitum ſuum nobis tradiderit, verum etiã in eo, quod ex liberaliſſimo diuinę volũtatis eius cõſilio ortum habuit efficax illa meritorũ Chriſti applicatio, ex qua nobis ius aliquod ad cęleſtia bona prouenit: his enim Chriſtus ſua merita efficaciter applicuit, quos ei deſignauit Pater, & quos ei tradidit, vt cum effectu ad ęternam vitam perducendos, iuxta illud, quod dixit Chriſtus Ioan. 17. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* De qua re dicemus inferius.

Confirmatur. Quod homo iuſtus de condigno æternã promereatur vitam, nihil detrahit à ratione gratiæ, & miſericordię Dei, quin potius eam valde eleuat, & amplificat, nam multo abundãtior, & vberior gratia collata eſt homini in eo, quod data eſt illi

vis,

vis,& facultas ad æternam vitam condignis meritis promerendum, quam ſi nullis ipſius meritis intercedentibus,ex mera Dei liberalitate,& miſericordia eadem æterna vita ei donaretur. Itaque illa iuſtitia, quæ in merito condigni reperitur, & ſi vera iuſtitia meritoria ſit formaliter loquendo, virtute tamen excellentioris,& vberioris,gratię rationem cópleċtitur,quatenus ipſamet eſt magnum diuinæ miſericordiæ, & liberalitatis beneficium. Et ob id Paul. ad Rom. c.6. dicebat, quod *gratia Dei eſt vita æterna*: ergo ius illud, quod in puro homine conſurgit ex Chriſti meritis,non ſolũ non euacuat diuinæ gratiæ liberalitatem,& magnificentiã,verum & illã sũmoperè extollit. Quod loco dudum citato inſinuauit ipſe Paul. dum verbis relatis addidit iſta. *In Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Inſinuãs,quod vita æterna ex Chriſti meritis habita,quamuis corona ſit ex iuſtitia debita,eſt nihilominus ſimpliciter,& ore pleno appellanda gratia,& eo maior,& liberalior,quo in perfectiore,exactioreque Chriſti iuſtitia fundatur.

Reſpondebis forſan,quod idcirco in meritis hominis iuſti non euacuatur gratia Dei, quia etiam ſuppoſita gratia,quæ eſt principium meritorum, & ex qua, vt ex prima radice ipſe in eis pullulat meritorius valor,pendet homo à Dei miſericordia continuante,& conſeruante ipſam gratiam,& multis non debitis auxilijs ad operandum eidem homini opitulãti. Vnde etiam gratia ſuppoſita,eget homo ad merendum ſpecialiori Dei miſericordia,& gratia, & ob id merita noſtra appellãtur ab Auguſt. *Dona Dei*, Cæterum facta applicatione meritorũ Chriſti,abſq; alio opere diuinæ miſericordię, & gratię interueniẽte,conſurgit in homine cui fit applicatio ius ad gratiam,& ad reliqua cœleſtia bona. Et ſupponamus probabilem ſententiam,cuius ſæpe meminimus, nimirum, quod Deus nõ poſſit non acceptare Chriſti ſatisfactionem,& meritum, & conferre præmium illud, propter quod accipiendum,Chriſtus ſuum applicuerit meritum. Nam hac ſententia ſuppoſita, iniuſtus eſſet Deus,ſi non iuſtificaſſet eum hominem, ad cuius iuſtificationem obtinendam Chriſtus ſua merita, ſuaſque ſatisfactiones, efficaci intentione præapplicuit.

Poſſet primo huic obiectioni reſponderi. Quod adhuc ſtante probabilitate ſententiæ nunc præſuppoſitæ,non omnino aſtringeretur Deus iuſtificationi in illo homine faciẽdæ. Nam cum Chriſtus,vt ſuperius dicebam, non meruerit illius hominis naturalẽ vitam,& exiſtentiam,quia hæc bona naturalia non ſunt media ad æternam vitam, ſed ſunt infra totum gratiæ ordinem ad ipſum materialiter præſuppoſita, liberum ius, liberaque facultas relinquitur Deo, ad annihilandum illum hominem,& ex conſequenti ad non iuſtificandum ipſum. Et idcirco,etiam ſuppoſita efficaci meritorum Chriſti applicatione,locus relinquitur diuinæ miſericordiæ,& gratiæ circa impij iuſtificationem,quia non annihilare ipſum, opus eſt miſericordiæ,& gratiæ.

Verumtamen hæc ſolutio apud me parum probabilitatis habet, quia quod Deus poſſit illum hominem in nihilum vertere non pertinet ad ipſum Deũ, vt eſt auctor gratiæ,ſed vt eſt auctor naturæ, qua ratione ad ipſum merita Chriſti non pertinent. Chriſtus enim tantum meruit apud Deum, vt eſt auctor gratiæ,& collator cœleſtium bonorum,ſaltem directè,& per ſe. At obiectio facta contendit, quod poſita meritorum Chriſti applicatione, Deus vt gratiæ auctor non poſſit non iuſtificare illum hominem, pręmiando Chriſti merita in eius iuſtificatione,quãuis vt naturæ auctor poſſet ſi vellet,plenario,& vniuerſali ſuo vtens dominio, totum illum hominem annihilare. Quocirca cum iuſtificatio ſimpliciter ſit opus Dei auctoris gratiæ,abſolutè videtur appellanda opus iuſtitiæ Dei,& non opus gratiæ,& miſericordiæ, ſi debetur ex iuſtitia, facta meritorum Chriſti determinata applicatione.

Præterea. Quamuis ita ſit,quod Chriſtus nõ meruerit illa bona naturalia, quæ omnino naturaliter, & præſuppoſitiue ſe habent ad ordinem gratiæ, non tamen eſt negandum, quod ſatisfecerit pleniſſimè pro vniuerſis hominum peccatis, non ſolum prout ſunt offenſiua Dei, vt eſt auctor gratiæ, ſed etiam prout offendunt ipſum, vt naturæ auctorem, ob id, quod hęc poſterior offenſa priorem inducit,eamque ſecum,ſi non formaliter, ſaltem concomitanter affert. Quo fit,vt ſuppoſita prædicta meritorum, & ſatisfactionũ Chriſti applicatione, liberè poſſit Deus, vt naturæ auctor ſuo vniuerſali dominio vti illumq; demoliri, & annihilare hominem, non tamen hoc fieri poteſt in vindictam, & punitionem peccatorum,etiam vt fuerunt offenſiua maieſtatis Dei,vt eſt auctor naturæ. Quare aliter oportet oppoſitæ obiectioni ſatisfacere.

Et primum dico, quod illa ratio differentiæ inter merita condigni, quæ procedunt ex gratia, & inter iuſtificationem reſpondentem Chriſti meritis non apparet adæquata, nam quamuis verum habere videatur in multis operibus meritorijs hominis iuſti, non tamen in omnibus. Etenim contritio,per quam impius iuſtificatur,ab ipſa gratia ſola, quæ in genere efficientis, & formalis cauſæ præcedit, habet quod ſit meritoria gloriæ, ita quod ipſa gratia ex natura ſua,illam conſtituit meritoriam, & inter gratiam, & ipſã operationẽ, non mediat aliquod diuinæ miſericordiæ opus, cuius ratione quidpiam iuſtitiæ meritoriæ ab illo opere detrahamus. Præterea quidquid ſit de hac differentia, quæ fortaſſis adæquata poteſt cenſeri,& extendi etiam ad illud primum meritum, quod reperitur in contritione,aliter reſpondendum eſſe cenſeo.

Secundo igitur reſpondetur inſiſtendo in doctrina paulo ante tradita,videlicet,quod iuſtitia,quę oritur ex meritis Chriſti,aut etiam ex gratia iuſtificante,nullatenus excludit,ſed euehit potius, & extollit ipſam Dei miſericordiã. Eo ꝙ iuſtitia hæc & eſt materia,& effectus diuinæ miſericordię,& gratiæ. Nam quod miſericors Dei gratia ita ſe homini accommodet,vt cum in eo nullum reperiat iuſtitiæ fundamentum,ipſius operationes intra ordinem iuſtitiæ corã Deo reponat, valde excellens eſt, & præclariſſimus ipſius diuinæ gratiæ effectus. Vnde & ipſamet iuſtitia magna eſt in homine Dei gratia.

Ex naturalibus afferri ſolet exemplum, quod hoc loco meditate eſt ponderandum. Docent peritiores Philoſophi (quod non intelligentes negauerunt quidam & malè Philoſophi, & non benè Theologi) Vniuerſaliſſimæ, & primæ cauſæ concurſum, quo cum ſecundis,& intermedijs cauſis naturales produ-

Digitized by Google

cit effectus, non ſufficere ſe ſolo ad eorundem effectuum productionem, ita quod ſi Deus vellet immediatè, & ſe ſolo horum aliquem effectum efficere, alium concurſum, ſeu aliter attemperatum oporteret adhibere. Nunquid quia ita ſe habet concurſus Dei, quod ſine conſortio ſecundarum cauſarum, nullum naturalem producit effectum, cẽſeri debet, impotens, aut minus potens concurſus, aut impotentiæ, & infirmitatis poteſt conuinci? Nequaquam. Quin potius ad potentiam & virtutem Dei, eiuſq; concurſum ſpectat, illa tã inexplicabilis accommodatio, & attemperatio ad cauſas ſecundas, vt quaſi vnum efficiat cum earum concurſu ad operandum, & producendum naturales effectus, quodque ipſas ſecundas cauſas actuet, compleat, perficiat, earumque virtutẽ reducat ad actum. Vnde maius eſt diuinæ potentiæ, & virtutis opus ſimul cum ſecundis cauſis effectuum productionem attingere, quam ſi ſe ſolo Deus abſq; cuiuſpiam effectricis cauſæ adminiculo, ipſos cauſaret effectus.

Sic ergo in noſtro propoſito theologari debemus, maius & excellentius eſſe diuinæ gratiæ, & miſericordiæ opus, hominem ad æternam vitam, ſuis proprijs meritis interuenientibus, aut quod amplius eſt, ſimul ex meritis Chriſti deducere, quã ſi abſq; vllo intercedente merito, & gratiã, & gloriã ei condonaſſet. Id ergo Deus & ſũma miſericordia, magnaq; ſapiẽtia fecit, vt iuſtitia, quæ & in Chriſti meritis, & in iuſtificante gratia fundatur, in hominis dignitatem, & gloriam, ac itidem in magnam ipſius gratiæ exaltationem cederet. Cum ergo obijcitur, quod iuſtitia minuit gratiam, & miſericordiæ ratione, id omnino eſt negandum de illa iuſtitia, quam miſericordia, & gratia conſtituunt, & quæ proinde inuiſceratã habet plenam vtriuſq; & miſericordiæ, & gratię naturam.

Sed cui hæc non placuerint (quamuis neſcio qua ratione diſplicere debeant) dicat aliter. Ad cuius ſolutionis intelligentiam, ſupponendum eſt ex cõmuni Theologorum doctrina, quod actus qui in diuina voluntate formaliter reſident, quamuis more noſtro, & ſignificentur, & concipiantur vt præteriti, eo quod coexiſtunt noſtris præteritis actibus, & operibus, re ipſa tamen non ſunt præteriti, nam cum æternitate menſurentur, in præſenti ſemper duratione permanent, in ipſo, videlicet, inuariabili, hunc æternitatis. Quocirca cum diuini actus ad externos comparantur effectus, ſi ad rem ipſam attendimus, non ſunt vt præteriti, ſed vt præſentes conſiderandi, itaque non dicendum eſt Deum voluiſſe, ſed velle, non diſpoſuiſſe, ſed diſponere. Ex qua doctrina infero, quod illa liberaliſſima, & ſummè gratioſa voluntas, qua Deus ab æterno voluit nobis dare Chriſtum, vt redemptorem, & mediatorem, & qua voluit Chriſtum merita ſua efficaci intentione certis hominibus applicare, nunquam tranſijt, ſed ſemper præſentialis perſiſtit, ſemperque per modum præſentialitatis hanc Deus nobis ſummam confert gratiam. Vnde illa iuſtitia, quæ ex applicatione meritorum Chriſti in nobis conſurgit, non pręſupponit gratiam quaſi olim factam, & quæ iam in præteritum tranſierit tempus, ad eum modum, quo illa iuſtitia, quæ reperitur in ſolutione, qua Petrus ex pecunijs dono acceptis à Paulo ſoluit ipſi debitum: ſed præſentiſſimam ſibi habet coniunctam ipſam Dei gratiam, & miſericordiam, in qua fundatur. Nec tam illam pręſupponit, quam intrinſecè claudit. Atque adeo quemadmodum ſi fingamus, quod illa donatio pecuniarum facta à Paulo, coexiſtit ſimul omnino ſolutioni, quam eidem Paulo Petrus ex acceptis pecunijs exhiber, illa Petri ſolutio ita pertineret ad iuſtitiã, quod nullatenus excluderet rationem gratiæ, eo quod penderet ex actuali gratia, & liberalitate, quæ intrinſecè cum ipſa ſolutiõne concurrit: ita iuſtitia puri hominis fundata in meritis Chriſti nullatenus gratiæ, & miſericordiæ minuit rationem, quia habet ſibi coniunctam, & in ſua ratione intrinſecè concluſam, ipſam actualem meritorum Chriſti applicationẽ, quatenus in præſenti eſt volita, & diſpoſita ex gratuito diuinæ voluntatis conſilio, atq; adeo nihil derogat diuinæ gratiæ, & excellentiæ, ſed eam potius attollit, & dignificat. Et hæc ſuffecerint ad priores duas concluſionis partes comprobandum. Probè nouerim, quendam alium dicendi modum recenter à quibuſdam nouioribus Theologis introductum, qui initiũ efficacis applicationis meritorum Chriſti, & ad primam iuſtificationem, & ad operationes meritorias gratiæ, & gloriæ affirmat ſe tenere nõ ex parte Chriſti ſua merita applicantis, neq; ex parte Dei ipſorum applicationem diſponentis, ſed ex parte voluntatis humanæ volentis ſibi applicari eadem Chriſti merita. Verum ab hac ſolutione, & ab omni doctrina, cui innititur, auocatum penitus habemus animum, cuius nonnullam faciemus mentionem q. 7. cum illã difficultatem verſabimus. Num Chriſtus cauſa fuerit hominum prædeſtinationis. Sed preſſius hanc doctrinam vrgemus, in noſtro primo libro de origine, & poteſtate gratiæ tract. 3.

Tertia & vltima pars concluſionis non aliter probanda eſt, quam explicando, quæ ſint ſpiritualia commoda, quæ nobis obueniunt, ex eo, quod & prima gratia, & tota iuſtitia noſtra ipſis Chriſti meritis, & ſatiſfactionibus innititur, quę ſunt plane innumera, ſed ea tamen ad pauciſſima reducemus capita.

Primum caput eſt multiplicatio auxiliorum, multo enim plura nobis Deus auxilia confert, & ad primam gratiam aſſequendam, & ad perſeuerandum in ipſa aſſequuta, propter exuberantiſſima Chriſti merita, vt nos Chriſto coniungat, & membra perfecta ſpiritualis vitæ motibus proportionata efficiat, quam ſi abſque vllis meritis iuſtificationem, & gratiam acciperemus; clamat enim pro nobis ſanguis Chriſti, qui non vt effuſus Abelis ſanguis vindictam petit, ſed multam aſſiduè nobis miſericordiam poſcit, & impetrat, ad Hebr. 12. Et de ipſo Chriſto Ieſu dicebat Ioan. 1. can. cap. 2. *Sed etſi quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtũ.* Expendatur illa vox, *iuſtum*, ſignificationem enim reconditam habet. Inſinuauit enim hac voce Apoſt. dilectiſſimus Chriſto Ioannes, quod efficacia interpellationis Chriſti pro nobis coram Patre, innititur iuſtitiæ ipſius Chriſti, illi videlicet, quam eius meritis, & ſatiſfactionibus ineſſe credimus. Vnde certior nobis fit fructus interpellationis Chriſti, eo quod non ſolum pro ſua reuerentia, ſed pro ſua iuſtitia exaudietur à patre, multaque nobis impetrabit adiutoria, quibus Deo poſſimus reconciliari, peccatorumq; impetrare veniam, cum nos peccare, ipſumq; Deum offendere contigerit.

Secun-

Secundum caput eſt. Efficacia gratiæ, quæ nobis per Chriſtum confertur (gratiæ nomine, non ſolum habitualem gratiã, ſed omnia ſupernaturalia adiutoria, quibus Deus nobis opitulatur, comprehendimus) eſt enim multo efficacior, & valentior gratia collata per Chriſtum, eiuſque iuſtitiæ meritis innixa, quam alias eſſet ſi ex ſola Dei voluntate dimanaret. Nam ex coniunctione ad Chriſtum, qui eſt ipſe totius gratiæ fons, eiuſque proportionatum, & adæquatum ſubiectũ, gratia, quæ nobis vt Chriſti membris datur, ſpecialiſſimum quendam vigorem participat, qui alias ei non competeret. Non inepta erit ad hoc propoſitum ponderatio illorum verborum, quæ ex Chriſto retulit Paul. 2. Corin. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Etenim Chriſtus non ſoli gratiæ ſufficiẽtiam tribuit, ſed gratiæ ſuæ, ideſt, gratiæ ab ipſo deriuatæ, in eiuſq; fundatæ meritis. Hanc Chriſti gratiæ vim, & efficaciam, qua plurimum excellit gratiam primi parentis Adæ, quę non Chriſti paſſioni, & meritis, ſed ſoli Dei liberalitati, eiuſq; voluntati gratuitæ innitebatur: agnouit Auguſt. toto libro de perfectione iuſtitiæ, in illis præſertim verbis, *Adæ dictũ eſt, ne pecces, quia morieris, Martiri vero dicitur, morere ne pecces.* Docetque Auguſt. his, alijsque multis verbis, quod incuſſus mortis terror fuit magno adminiculo, & adiumento Adæ primi parentis gratiæ, quod adhuc ſufficiens non fuit ad eius conſeruationem & tuitionem, nam defecit tandem, & neq; multo tempore firma ſubſiſtit. At martiri, & cuilibet iuſto Chriſtiano per Chriſti gratiam iuſtificato, gratia ſeipſa ſufficiens eſt, neq; adminiculo cõminatæ mortis eget, ſed ipſa potius mortem facit contemnere, ne propter incuſſum mortis metum iuſtus debito virtutum deſit officio, à ſuaque iuſtitia cadat. Athanaſ. oratio. 2. contra Arianos, manifeſtis, & ſi paucis verbis hanc gratiæ habitæ per Chriſtum vim, & firmitatem expreſſit, quam & gratiæ primi parentis defuiſſe teſtatur. Tantam hanc gratiæ Chriſti virtutẽ agnoſcens Paul. quam & in ſeipſo aſſiduè experiebatur, dixit ad Roman. 8. verba illa diuinæ confidentiæ plena. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? &c.* Et ſubdit, *certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Ponderentur hæc vltima verba, ex quibus conſtabit, quòd iuxta mentem Pauli, ob id tantam virtutem, tantamque potentiam, & firmitatem in iuſtificatorum charitate prædicabat, quia eſt in Chriſto Ieſu, ideſt, eius paſſioni, & meritis innixa, ab ipſoque ad nos deriuata. Huic conſentit, quod Iſai. cap. 50. dicebat, *Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non ſum confuſus, ideo poſui faciem meam vt petram duriſsimam, & ſcio quoniam non confundar. Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicit mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me, &c.* Quo loco Iſai. virtutem Chriſti Domini, quem Dominum Deum auxiliatorem appellat, quia in die ſalutis adiuuit nos, virtutemque, & fortitudinem gratiæ eius agnoſcens, deſiderabat eius aduentum, vt ſtarent ſimul, dexteramque adiungerent dextræ, vt inde eius virtus fortior eſſet, & potentior, hoſtiumque nullum timeret incurſum.

Quo loco illud ſe mihi aduertendum offert, quod licet 3. par. q. 62. art. 2. cum S. Thom. docent graues Theologi ſacramentorum gratias, & aliquid addere ſuper gratiam abſolutè ſumptam, & inter ſeſe quandam habere ſpecificatam diſtinctionem. Non ita quidem quod ſimpliciter ſpecie differant, nam huiuſmodi ſpecifica diuerſitas in gratia forſan eſt impoſsibilis, vt ſuperius aduerti, ſed differunt modaliter, quatenus gratia collata per vnum ſacramentum, modum quendam ſpecialem intra genus gratiæ participat, cuius ratione aliquem peculiarem effectum efficit in anima, qui non per ſe reſpondet gratiæ per aliud ſacramentum datæ, & hoc quidem contingit ex aliquo ſpeciali Dei auxilio, quod ſecundum ordinem ſacramentalem, neceſſario, vel vt proprius dicam infallibiliter, cum gratia vnius ſacramenti coniungitur, quod ad alterius ſacramenti gratiam minime pertinet. V. G. gratia quam confert Euchariſtiæ ſacramentum, qua ratione habet ſibi adiunctum ſpeciale Dei auxilium ſibi proprium, & ex propria ratione Euchariſtici ſacramenti debitum, habet excitare charitatis feruorem, & affectũ, animamque Deo ſummo bono ſpeciali firmitate coniungere, in quo potiſſimum conſiſtit ſpiritualis animæ refectio. Gratia vero, quæ effectus eſt ſacramenti confirmationis adiutorium ſpeciale Dei ſibi habet adiunctum, quo peculiari quodam vigore confortat animam ad robuſtam & conſtantem fidei confeſſionem. Ita quod alterius ſacramenti gratia per ſe primo charitatem perficit, altera vero Chriſtianam tuetur fidem.

Similiter in præſentia comentandum eſſe crediderim, quod gratia nobis per Chriſtum data, in eiuſq; fundata meritis, differt ſpecie à gratia abſolutè conſiderata, & ſecundum eum modum quo fuit in primo parente, non quidẽ differentia ſimpliciter eſſentiali, ſed modali duntaxat. Ita quod ſpecialem vim habet Chriſti gratia, ad continendum hominem in officio virtutum, & ad reſiſtendum intrinſecis tentationibus, vniuerſiſq; hoſtilibus incurſibus. Quæ virtus, & poteſtas non eſt debita gratiæ ſecundum rationem communem gratiæ: ſed hoc habet gratia collata per Chriſtum, ex ipſomet Chriſto, & eiuſq; virtute deriuatam, & participatam, debeturq; huic gratiæ, quam ex Chriſti meritis accepimus ſpeciale auxilium Dei, & adiutorium, ex quo tantus ille vigor in hac gratia reperitur.

Et quidem cum gratia, cęleſtis quædam ſit aqua, ex aquis, quæ ſupra firmamentum ſunt collecta, & ab inferioribus aquis ſegregata, ad nos vſque deſcendens, quam & ex fontibus ſaluatoris in gaudio, & lætitia, quoties volumus, haurimus Iſa. 12. cuius quælibet gutta fons ſit aquæ ſalientis in æternam vitam, vt Ioan. 4. dicebat Chriſtus, nihil mirum, quod ſicut in materiali aqua contingit, vt diuerſas ſibi imbibat qualitates, non ſolum ex fontalibus principijs, ex quibus dimanat, verum etiam ex locis per quæ decurrens fluit, ita & gratia diuerſas conditiones, diuerſoſque modos participet iuxta diuerſitatem principiorum, ex quibus effluit, & dimanat, atque etiam intermediorum, per quæ ad noſtras peruenit animas. Quocirca ſatis conſentaneum eſt naturæ gratiæ, vt qualitatem aliquam, ſeu vt proprius dicam, diuinam aliquam perfectionem participet, per Chriſtum nobis communicatam, quam non haberet ſi

Digitized by Google

m mediatè ab ipſo Deo ad nos deſcenderet. Quoniã Chriſtus,& ſi in genere efficientis cauſæ, ſecundum cauſalitatem phyſicam, inſtrumentariam tantum vim habeat ad efficiendum gratiam, in genere tamen morali cauſa eius eſt per ſe & principalis. Imo & ſi inſtrumentarium duntaxat eſſet principium, adhuc id quod diximus, veritati poſſet eſſe conſentaneum. Tum quia, vt dicebam, aqua eius eſt naturæ, quod ſubit qualitatem etiam inſtrumentarij vaſculi, per quod deſcendit, & communicatur. Vnde quamuis ſacramenta inſtrumentaria tantum principia ſint gratiæ, ſpecie nihilominus, vt dixi, differunt ſacramentales gratiæ. Tum præcipuè, quod Chriſti humanitas, qua ratione inſtrumentum eſt verbi coniunctum, ſpecialiſſimam accepit viuificatricem virtutem, quam iuſtificanti communicat gratiæ, per ipſam Chriſti carnem paſſione vulneratam, & attritã, ex ipſiſque Chriſti paſſi & mortui meritis nobis miſericorditer communicatæ.

Tertium caput, eſt excellentia maioris meriti, perfectioniſque ſatisfactionis. Sed eſt aduertendum circa hoc caput, non in eodem ſenſu ab vniuerſis Theologis hanc maiorem meriti, & ſatisfactionis perfectionem explicari. Nam quidam ita exponunt, quod opus perfectum ex gratia per Chriſtum participata, cæteris paribus maioris meriti eſt, maiuſque meretur præmium, quam ſi à gratia non habita per Chriſtum, qualis fuit gratia Adæ, efficeretur. Itaq; exiſtimant creſcere valorem meritorium in bonis operibus reſpectu præmij eſſentialis, taliter vt opus, quod à gratia Adæ profectum mereretur gloriam, vt quatuor, illud met omnibus inuariatis cum æquali intenſione, extenſione, &c. Si à Chriſti gratia proficiſcatur merebitur gratiam, vt quinque. Hanc ſententiam ſcio placuiſſe, & placere quibuſdam non indoctis modernis Theologis. Sed certè in antiquorum Theologorum doctrina nullũ, quod ego ſcierim, fundamentũ habet. Neq; vero efficax eis ſuffragatur ratio, quin potius reſtagare videtur.

Sicque argumentor contra pręfatam ſententiam. Suppoſito quod in vtroque operante gratia eſſet æqualis intenſionis, & operatio tam ex parte obiecti, quam ex parte intenſionis, & aliarum circunſtantiarum eſſet ſimiliter æqualis. Vterque homo eſſet æqualiter Deo amicus ſimpliciter loquendo, & ęquali Deum vterque diligeret ſubſtantiali dilectione: ergo æquale eſſet ſubſtantiale meritum, & æquale proinde vtrique præmium reſponderet, ſaltem præmiũ ſubſtantiale. Nam de accidentali præmio alia forſan eſt ratio, de quo dicemus ſtatim.

Confirmatur. Gratia per Chriſtum accepta eſt eiuſdem eſſentialis ſpeciei, cum gratia abſolutè ſumpta: ergo operatio, quæ oritur à gratia data per Chriſtum, ſi in alijs non excedit operationem, quæ procederet à gratia communiter ſumpta, non poterit illam excedere in ſubſtantiali ratione meriti.

Sed vt plurimum in ratione accidentali, & comparatione ad accidentarium præmium. Patet conſequentia, quia eadem debet eſſe proportio inter operationes meritorias in valore meritorio inter ſeſe comparatas, qualis eſt inter vnam, & alteram gratiam, ex quibus oriuntur, & ex quibus meritorius valor dimanat.

Alij Theologi libenter nobiſcum fatentur, quod operatio procedens ex gratia per Chriſtum accepta non eſt magis meritoria comparatione ad eſſentiale præmium, ſed inquiunt eam eſſe multo magis meritoriam ex parte modi. Quia meritum noſtrum fundatum in Chriſti meritis induit qualitatem meritorum Chriſti ab ipſis participatam. Ita quod eſt meritum rigoroſum, cui ex iuſtitiæ rigore debetur illud particulare præmium ei correſpondens, ſicut merito Chriſti ex rigore iuſtitiæ fuit debitum totum illud vniuerſale præmium, de quo egimus ſuperius. In hac ſententia videtur fuiſſe Caieta. 3. par. quęſt. 1. ar. 2. Aſſeruit enim, quod noſtra operatio, ex quantacumque procedat gratia, ſi per ſe, & ſeorſum conſideretur, imperfecta eſt & in ratione meriti, & in ratione ſatisfactionis, ſi tamen conſideretur vt fundata in meritis Chriſti; & prout ipſis innititur, ſecundum vtramque rationem perfecta eſt, & ad æqualitatem ſatisfaciens, & ex perfecta iuſtitia debitum faciens præmiũ. Videtur ſequi eandem ſententiam Magiſter Medina in commentarijs ad eundẽ ſecundum articulum. Sed fuit ſine dubio author huius ſententiæ Pighius Campen. in 2. controuerſia, putat enim iſte auctor, quod licet quilibet noſtrum per propriam, & ſibi inhærentem iuſtitiam, & gratiam iuſtificetur: Omnes tamen iuſtificamur etiam formaliter per ipſammet Chriſti gratiam nobis imputatam. Dixitque vir iſte doctiſſimus, quod ſi noſtra iuſtificatio non compleretur formaliter per ipſam Chriſti iuſtitiam, & gratiam nobis imputatam, iuſtitia noſtra imperfecta eſſet, & quæ non poſſet nos ſimpliciter iuſtos coram Deo conſtituere, verum completa per Chriſti gratiam, & iuſtitiam nobis imputatam, iuſtitia redditur perfecta, & conſummata, & opera noſtra fiunt perfectè meritoria, & ſatisfactoria coram Deo.

Hæc ſententia quantum ad id, quod affirmat, meritum noſtrum ſecundum quod innititur Chriſti meritis perfectum eſſe, & exactæ iuſtitiæ, mihi falſa apparet omnino, quod & apparet grauiſſimis Theologis modernis. Quoniam, vt diximus à principio huius primæ concluſionis, in cuius expoſitione verſamur, nulla pura creatura capax eſt meriti perfecti, & rigoroſi. & quod perfectam coram Deo iuſtitiam inducat ad aliquod præmium obtinendũ: quia omne tale meritum in gratia neceſſe eſt fundari, & in Dei miſericordia. Vnde repugnat ei iuſtitię rigor. Verum quantum ad id, quod Campenſis addit, nimirum, nos iuſtificari per formalem imputationem iuſtitiæ Chriſti, & quod intrinſeca nobis inhærens iuſtitia non ſufficit nos iuſtificatos ſimpliciter conſtituere, prædicta ſententia maiori cenſura, ni fallor, digna eſt, habet enim manifeſtum periculum illius Lutheranici erroris in Concil. Triden. ſeſſ. 6. can. 10. & 11. damnati, qui nos iuſtificari dicebat per ſolam imputationem iuſtitiæ Chriſti, quam fide, ſeu potius fiducia, quadam quaſi manu apprehendimus. Nec eſſet res iſta à me tam leuiter attingenda, niſi in noſtro primo libro de origine, & poteſt. gratiæ, forti brachio contra ipſam pugnaſſemus. Vnde ſatis hoc loco ſufficiat lectorem aduertere, ne huic Alberti Pighij ſententiæ libenter animum admoueat, ſed graui diſputatione, & matura reſolutione penſata rem definiat.

Igitur vt ab hac nos difficultate expediamus, dicen-

Digitized by Google

cendum arbitror cum communi iuniorum Theologorum ſententia, quod homo per gratiam ex meritis Chriſti habitam iuſtificatus dupliciter conſiderari poteſt.

Primo, vt perſona quædam particularis ab alijs omnibus, etiam à Chriſto diſtincta, à quo tamen velut à cauſa vniuerſali, & gratiam, & omnia ſupernaturalia ſuſcipit bona: ad eum modum, quo omnes iuſti gratiam ab ipſo Deo, ab eiuſque virtute deriuatam ſuſcipiunt. Et ſi hoc modo conſideretur gratia cuiuſcunque hominis iuſti, certum eſſe debet apud vniuerſos Theologos, quod non eſt ſufficiens ad conferendum tantum valorem meritorium, aut ſatiſfactorium ipſis hominis iuſtis operationibus, vt eas conſtituat perfectè meritorias, aut ſatisfactorias. Quoniam alias meritum hominis puri, etiam vt condiſtinctum à meritis Chriſti, & ſecundum particularem ſuam virtutem eſſet rigoroſum, & exactæ iuſtitiæ: atque adeo & infinitum ſaltem ex parte modi: quod non bene conſentit cum limitata puri hominis perfectione.

Secundo poteſt homo per gratiam à Chriſto ſuſceptam iuſtificatus conſiderari, prout eſt membrum corporis Chriſti, & prout eſt vitaliter & perfectè vnitum Chriſto capiti, eiuſq; corpori myſtico, quod eſt Eccleſia. Ex quo capite actualem ſuſcipit influxū ad benè, & ſtudioſè operandum, ad ſatisfaciendum Deo pro præteritis offenſis, & ad promerendum ſibi cœleſtia æternæ vitæ bona. Sed hic ſecūdus modus adhuc poteſt dupliciter intelligi.

Primo, quod homo iuſtus conſideretur quidem vt viuum Chriſti membrum, actualem ab ipſo influxū ſpiritualis vitæ participans, ſed nihilominus conſideretur vt membrum condiſtinctum, & à cæteris corporis Chriſti membris, & ab ipſo Chriſti capite, Etenim vt conſtat ex Paulo ad Rom. 12. & 1. Corin. 12. & ad Epheſ. 4. In corpore Chriſti myſtico diuerſa ſunt membra, diſtinctaque exequuntur officia: & ex his omnibus vnum corpus myſticum integratur ad ſimilitudinem phyſici, & naturalis, quod ex diſtinctis componitur partibus, & membris.

Secundo, conſiderari poteſt homo iuſtus, quatenus eſt membrum corporis Chriſti, non vt condiſtinctum à capite, & à cæteris membris, ſed potius vt conſtituit vnum & cum capite, & cum membris.

Hac diſtinctione ſuppoſita dico primum. Meritū hominis iuſti priori modo ex his duobus conſiderarū, non eſt perfectum, & ex rigoroſa iuſtitia. Patet. Quoniam totus influxus deriuatus à Chriſto capite in huiuſmodi membrum, quamuis vt procedit à Chriſto, poſſit inducere perfectam iuſtitiæ rationē, non tamen prout in ipſo Chriſti membro ſuſcipitur. Nam omne, quod recipitur (vt vulgatum Philoſophorum habet prouerbium) ad modum recipientis recipitur. At nulla pura creatura capax eſt ſuſcipiendi influxum, qui conferat eius operibus tantum meritorium, aut ſatisfactorium valorem, qui conſtituat perfectam, & rigoroſam iuſtitiam inter ipſum operantem, & Deum. Cuius rei ea eſt ratio, quod talis influxus non poteſt competere puræ creaturæ, niſi præſuppoſita gratia Dei ex parte ipſius puræ creaturæ. Nam vt ſuperius in iſto dubio dicebam, applicatio meritorum Chriſti ad purum hominem, & quicumque influxus virtutis Chriſti ad ipſum deriuatus, ex Dei miſericordia, & gratia procedit: imo & intrinſecam ſibi habet ipſam Dei gratiam, & miſericordiam. Meritorius autem aut ſatisfactorius valor in gratia fundatus, nullatenus inducere poteſt rigorem, & perfectionem iuſtitiæ.

Secundo probatur. Si oppoſitum admittamus, ſequitur magnum illud abſurdum, quod ex Lutheranica ſententia, quæ iuſtitiam noſtram ad ſolam imputationē iuſtitię Chriſti reducit, ſolet inferri. Nempè, quod omnia merita iuſtorum ſint æqualia, æqualiſque valoris. Probatur ſequela. Quia omnia ſunt perfecta, & ex iuſtitia rigoroſa; propterea ꝙ omnia æque meritis Chriſti innituntur. Quam vero ſit falſum iſtud conſequens, quis non videat? Cum Chriſtus Ioan. cap. 14. dixerit, in domo patris ſui multas eſſe manſiones. De qua alias.

Dico ſecundo. Si homo iuſtus poſteriori modo conſideretur, puta, vt membrum conſtituens vnum cum Chriſto capite, & cum cæteris myſtici corporis membris, eius meritum perfectū eſt, & rigoroſum, imo & infinitum. Probatur. Si hac ratione conſideretur homo iuſtus, verè dicitur, quod ipſum Chriſti meritum pertinet ad ipſum, ſicut perfectio capitis pertinet ad reliquum corpus, & ad ſingula eius membra, quatenus conſtituunt vnum cum ipſo capite: ergo ſicut Chriſti meritum perfectum eſt, & infinitum, ita & meritum cuiuſcunque particularis iuſti hominis infinitum eſt, & rigoroſum. In hoc ſenſu citra dubium intellexerunt Caietanus, & Medina illam ſententiam, pro qua eos citauimus. Nihilque aliud iſti Authores, & alij, qui eundem ſequuntur dicendi modum, docere intendunt, quam quod in Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, reperitur rigoroſa ſatisfactio, perfectumque meritum: eo quod huiuſmodi ſatisfactio, iſtudque meritum pertinent ad Chriſtum, quod eſt caput Eccleſiæ, & imo & prout eſt caput Eccleſiæ. Quoniam, vt cum Athanaſio ſuperius diximus, Chriſtus neque ſibi ſoli mortuus eſt, aut reſurrexit, aut in cœlos aſcendit, ad dexteramque Patris ſedet; ſed hæc omnia ad nos quoq; pertinent, & propter nos ſibi Chriſtus illa aſſumpſit. Vnde verè, & proprie dicitur, quod ſatisfecit, & meruit, vt caput Eccleſiæ. Quod vel ex eo manifeſtè conſtare poteſt, quod Chriſtus, vt diximus quæſt. 1. huius relectionis dicebat ſe pro ſuis peccatis ſatisfacere, cum pro peccatis noſtris ſatisfaciebat. Peccata autem noſtra ob id peccata Chriſti dicebantur, quia erant peccata eius corporis, cuius ipſe Chriſtus eſt caput. Quod ſi peccata membrorum dici potuerunt peccata capitis, cum ipſa ratio peccati nullo modo ex membris ad caput deriuaretur, neque vero deriuari, aut refundi poſſet, neque fideles cum peccant ſe gerant, vt membra Chriſti, quamuis re ipſa ſint eius membra: quare ipſum perfectum Chriſti meritum, rigoroſaque eius ſatisfactio non accommodabuntur ad corpus Chriſti myſticū, & ad ſingula eius membra, prout vnum conſtituunt cum Chriſto capite, cum Chriſtus & meruerit, & ſatisfecerit, ſecundum quod huius corporis, horumque membrorum capitis gerebat officium? Et cur virtus meriti, ac ſatisfactionis Chriſti non ipſis communicetur membris? Hanc ſententiam in hunc ſenſum à nobis explicatum intellectam probat ſatis eruditè Mag. Med. loc. cit.

Digitized by Google

vbi refert teſtimonia Patrum. Præcipuè eſt ponderandum teſtimonium Auguſtini, quod ibi refertur ex Enchirid. c. 41. ex quo loco, ſi debita ei intelligentia adhibeatur, colligi poteſt hæc ratio, quam ipſe nunc formauit pro iſta ſententia. Quæ confirmari poteſt non leuiter ex Paul. ad Epheſ. 2. dicente, quod *cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto*, nempè Deus, *& conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu*. Ex quo teſtimonio in hunc modum deduco argumētum. Paulus affirmat quod Chriſto reſurgente à mortuis, nos quoque reſurreximus, Chriſto aſcendente in cœlum, nos quoq; aſcendimus: ergo eadem prorſus ratione concedendum eſt, quod Chriſto perfectè ſatisfaciente, nos quoque perfectè ſatisfecimus, & Chriſto ex iuſtitiæ rigore merente, & nos ſimiliter meruimus. Patet conſequentia. Quoniam ob id Paul. fatetur nos reſurgente Chriſto ſurrexiſſe, quia ſurrexit vt caput noſtrum, & vt primitiæ dormientium: & quod cum ipſo conſedemus ad dexteram Patris. quia ipſe vt caput noſtrum illum poſſidet ſupremum gloriæ locum. Sed ſimiliter meruit, & ſatisfecit vt caput noſtrum, & propter commodum noſtrū: ergo par eſt, imo & eadem vtrobique ratio.

Tertio denique dico. Quamuis homo iuſtus conſideratus vt eſt membrum corporis Chriſti particulare, & à capite, & à cæteris membris condiſtinctum non mereatur, neque ſatisfaciat perfectè, & ſecundum iuſtitiæ rigorem, magna tamen perfectio eius meritis, & ſatisfactionibus accreſcit, ex eo quod inniuntur meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, & pendent ex actuali Chriſti influxu, tanquam ex influxu capitis. Hoc aſſertum communiter admittitur à Theologis, quamuis non omnes ſatis explicent, in quo iſta perfectio conſiſtit. Ego vero breuiter dico in duobus conſiſtere hanc perfectionem. Primum eſt, quod meritum hominis iuſti, quamuis imperfectum ſit, reducitur tamen ad meritum perfectum, quod in humana natura reperitur, & quod fundamentum eſt omnium ſupernaturalium meritorum, quæ in tota ipſa humana reperiuntur natura. Quod quidem ſicut primario in ipſam naturæ humanæ in communi conſideratæ dignitatem ceſſit. Ita & ſecundario etiam cedit in dignitatem, & gloriam cuiuſcunq; particularis eiuſdem naturę indiuidui, & in excellentiam meritorum eius. Hæc dignitas etiam competit meritis hominis iuſti, quamuis conſideretur, vt eſt quædam particularis perſona, & non formaliter, vt eſt Chriſti membrum, quæ erat prima conſideratio ex ſuperius poſitis.

Secunda perfectio conſiſtit in hoc, quod hominis iuſti meritum non vtcunq; reducitur ad perfectum, & infinitum meritum in natura humana exiſtens, ſed vt ad meritum ſui capitis Chriſti, qui prout capitis exequebatur officium, ita meruit, & ſatisfecit, vt vtraque & meriti, & ſatisfactionis virtus ad ipſa ſui corporis redundaret membra, cuiuſque capitis virtutem, & influxum ipſe iuſtus homo dum ſatisfacit, & meretur participat. Ex his perfectionibus, quę ſe tenent ex parte principij meriti, & ſi extrinſeci, conſurgit alia perfectio, tenens ſe ex parte præmij. Nam maius præmium (pertinens tamen ad accidētalem gloriā) reſpondet meritis iuſti hominis, quæ fundantur in meritis Chriſti, quā reſponderet meritis, quæ ortum haberent ex gratia communiter ſumpta, qualis fuit gratia primi parentis Adæ. Nā quod homo ad cœleſtem patriam, per propria merita in Chriſti meritis fundata, perueniat, ſpeciale ei, & non quidem vulgare, præſtabit gaudium in patria. Quod accipiet loco ſpecialis præmij, reſpondentis eius meritis, prout innitebantur meritis Chriſti, ex eiuſque præceſſerunt gratia. Neq; mirum, quod beatus hoc accidentarium gloriæ gaudium accipiat, ſpecialique perfruatur lætitia, cum videat, ſua merita magis placere Deo, eique magis eſſe grata, quam ſi ex communi gratia ſuam duxiſſent originem.

Ecce ad tria reduximus capita eam perfectionem præſtantiorem, & excellentiorem, quæ in gratia hominis per Chriſtum redempti, & iuſtificati reperitur, quæ non eſſet in gratia, ſi ex ſola Dei voluntate abſque Chriſti meritis, & abſque virtute paſſionis, & ſanguinis eius daretur: qualis, vt dicemus poſtea, fuit gratia primo parenti in ſtatu innocētiæ collata, in qua proinde tam parum fuit firmitatis, vt cum tot intrinſeca ſibique adiuncta haberet ſubſidia, omniq; fuiſſet ex parte munita, primo tamen inimicorum ceſſerit telo, in primoque fuerit congreſſu deuicta. Sed iam oportet, vt quamdam accommodationem faciamus inter hæc maioris virtutis, & perfectionis gratiæ ad ipſum Chriſtum, vt plenè ſciamus cui tanta debetur gratiæ perfectio.

Primum ergo caput, quod ad multiplicationem & prævenientium, & ſubſequentium auxiliorum Dei pertinet, & ad Dei miſericordiam, & ad Chriſti iuſtitiam ſimul reuocari debet. Ad miſericordiā quidem Dei, quoniam vt dicebat Paul. ad Rom. 8. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Expendatur illud verbum, *donauit*, quod cum præteritam donationem importet, inſinuauit non obſcurè, quod in ipſa gratia nobis per Chriſtū collata, tanquam in ſemine, & in radice prima, donauit iam nobis Deus omnia, quæ ad noſtram ſalutē conſequendam quidpiam poſſunt vtilitatis cōferre, donauitque proinde ſpecialiſſima adiutoria, & auxilia, quibus ipſe optim. ac maxim. Deus nobis aſſiduè opitulatur. Quæ plane auxilia, & ſi rationi gratię abſolutè conſideratæ debita non ſint. Gratiæ tamen collatæ per Chriſtum magna ex parte debentur. Sicut gratijs ſacramentalibus debita ſunt illa ſpecialia Dei adiutoria, quæ neceſſaria ſunt ad ſpeciales ſacramentorum effectus exequendos. Ad iuſtitiam vero Chriſti idem primum perfectionis caput reducitur, quatenus ad ipsū pertinet virtute paſſionis ſuæ, præcedentiumq; meritorum multa nobis à Deo beneficia, vberrimaque auxilia aduocati noſtri officio fungens impetrare.

Secundum caput perfectionis gratiæ per Chriſtū acceptæ, quæ ad eius vigorem, poteſtatem, & firmitatem attinet, reducitur ad hoc, quod gratia nobis confertur ex virtute carnis Chriſti vulneratæ, & attritæ, magniſq; paſſionis tormentis confectæ. Quæ ſane Chriſti caro, & ſi prout externis oculis obijciebatur, debilis, & infirma, omniq; virtutis, & roboris expers iudicaretur: ita vt veriſſimè Pau. dixerit Chriſtum mortuum fuiſſe ex infirmitate carnis, latentem tamen, & intra ſe reconditam, mirabilem, ac ipſis etiam ſpiritualibus nequitijs formidabilem continebat

nebat virtutem, & fortitudinem, quæ ad gratiã nobis virtute paſſionis Chriſti datam deriuatur. Quia ipſo Paulo aduertente Epheſ. 5. *Membra ſumus corporis eius de carne eius, & de oſsibus eius.* Quam planè firmitatem, efficaciſſimumq; vigorem, ipſa infirma Chriſti caro, tunc fuit mirabiliter aſſecuta, cum verbum caro factum eſt. Infirmitas enim carnis ſolidiſsimæ diuini verbi firmitati, & virtuti coniuncta, fortis, firma, potens, & vigoroſa facta eſt, ſic adeo vt ipſi etiã iuſtificanti gratiæ, quæ ex ſuo genere forma eſt multo excellentior, multoq; fortior, & violẽtior. Vtpote quæ forma eſt diuini generis, vim & fortitudinẽ, ſpecialiſſimumq; vigorem conferre potuerit. Vt verum ſit illud, quod Paul. 1. Cor. c. 1. dicebat, *quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus.* Gratia namq; abſolutè ſumpta, quamdiu in puro homine fuit, in primis, videlicet, parẽtibus, & ſi ex ſuo genere perfectiſſima fuerit, non eam tamen virtutis, & vigoris attigit perfectionem, quam in Chriſto, & ex Chriſto fuit adepta. Et non ſolum ex Chriſti ſuppoſito, & ſi hinc tota emanauerit gratiæ virtus, vt à radice, & origine primaria, neq; à ſola eius anima, in qua vt in proximo ſubiecto gratia Chriſti extitit, verum & ab infirma ipſa Chriſti, ſed viuificatrice carne hanc totam perfectionem accepit.

Tertium tandem illius noſtræ gratiæ excellentiæ caput, quæ in ſatisfactiones, & merita noſtra ſe explicat, ad ipſum infinitum ſatisfactorium, & meritorium valorem operationum Chriſti, & ad exuberatiſſimum noſtræ redemptionis pretium, neceſſe eſt reducatur. Ob id enim ſatisfactiones noſtræ, & merita noſtra tantam illam vim, & efficaciam à nobis expoſitam ſortiuntur, quia perfectiſſimis innituntur Chriſti ſatisfactionibus & meritis, in eorumque rigoroſa iuſtitia fundantur. Et hactenus de prima concluſione. Ex cuius probatione, & explicatione manifeſtum relinquitur, quam ob cauſam Paul. cum ei de noſtra iuſtificatione incidit ſermo, ipſam Dei gratiam, ipſumque liberale, & gratuitum diuinę voluntatis propoſitum, & placitum, cum redemptione per Chriſtum facta, cumq; ipſa Chriſti iuſtitia coniungat, & componat. Cõſtat enim ex dictis, quod rigoroſa Chriſti iuſtitia nullatenus impedit ipſam Dei miſericordiam, & gratiam, ſummamq; eius liberalitatem, qua nobiſcum in noſtra iuſtificatione vtitur, quin potius illã magnificat, & exaltat. Ex quo ruunt omnia fundamenta, quibus innituntur illæ Theologorum opiniones, quæ in negotio iuſtitiæ noſtræ, & inchoandæ, & conſummandæ, aliquid eximunt à Chriſti paſſione, ab eiuſq; meritis, ac rigoroſa iuſtitia. Neque alia noua ſolutione egent. Nam omni ex parte manent ſoluta, & penitus eneruata. Quare ad ſequentes tranſeamus aſſertiones.

§. 3. *Secunda Concluſio.*

CHriſtus Dominus meruit nobis gratiam, & gloriam, fidem, ſpem, omnes diſpoſitiones ad gratiam, ſiue remotas, & imperfectas, ſiue perfectas, & propinquas, omnia auxilia ſiue præueniẽtia, ſiue ſubſequentia, ac vniuerſa illa bona, quæ rationẽ induunt mediorũ ad noſtram iuſtitiã, & gratiã, etſi bona ſint nobis extrinſeca, illis exceptis, de quibus in prima huius difficultatis parte tractauimus, & de quibus diximus non habuiſſe rationẽ pręmij reſpectu meritorum Chriſti. Hæc concluſio, quod attinet ad illam partem in qua fit ſermo de gratia, & gloria, adeo certa eſt, vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, & idipſum cenſendum eſt de continuatione gratiæ, quæ pertinent ad magnũ perſeuerantiæ donum, quod vt ſancta *Synodus* Trident. ſeſſ. 6. c. 13. Docet, ſub noſtris meritis cadere nequit. Eadem enim eſt ratio de infuſione primæ gratiæ, & eius continuatione, & perſeuerantia vſque ad ipſius coniunctionem cum gloria. Nam ſi Chriſtus gratiæ perſeuerantiam nobis non meruiſſet, non perfectè, & omni ex parte nobis promeruiſſet gloriam, quam ſolus is aſſequetur, qui vſque in finem perſeuerauerit Chriſto dicente, Matth. cap. 10. *S*imiliter ſupernaturalia merita, & ſatisfactiones, quæ in ipſa gratia fundantur, ab eaq; ſuum omnem ſuſcipiunt valorem, ad Chriſtum, ad eiuſque merita ſecundum fidem ſunt reuocanda, neque vlla vnquam huius rei fuit apud catholicos dubitatio. Vniuerſi namque nullo excepto pro conſtanti ſemper habuerunt, quod prima gratia, eiuſque infuſio, & omnia, quæ deinceps vſque ad ipſius glorioſam conſummationem incluſiuè ſequuntur, ex Chriſti meritis nobis obueniunt. Quæ res adhuc amplificabitur magis in ſolutione cuiuſdã argumẽti, quod poſt hanc concluſionem, & probationes eius inferius cum alijs proponam.

*S*ed iam probatur concluſio quoad hanc primam partẽ, prout iſthæc omnia, quæ diximus cõprehẽdit.

Neque vero hanc veritatem multis comprobabo, paſſim enim reperiet quiſq; & in ſacris litteris, & apud grauiſſimos Eccleſiæ Patres innumera teſtimonia, ex quibus ipſa huius concluſionis veritas efficaciſſimè confirmatur. *S*ed quędam ſelectiora propter doctrinæ ordinem, & ſi vulgata ſatis, teſtimonia proferam.

Probatur ergo primo ex illo Paul. ad Epheſ. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.* Hoc teſtimonium, & ſi de omni ſupernaturali dono, quod nobis ad cœleſtis vitæ conſecutionem adiuuat, manifeſtam habeat intelligentiam: vt non obſcurè dixerunt Ambroſ. & Auguſt. in eiuſdem loci explicatione, & itidem Auguſt. lib. de bon. perſeuerant. cap. 7. Multo tamen apertius, & manifeſtius de gratia, & gloria, de dono perſeuerantiæ, de hiſq; meritis, quibus de condigno, & ipſam gloriã, & gratiæ meremur augmentũ, intelligi debet. Quoniam hæc bona ad perfectam ſpiritualem benedictionem in cęleſtibus pertinent. Et quidẽ ſi bona hęc ſub cęleſtis benedictionis nomine non cõprehendũtur, cedo alia de quibus prædicta Pauli verba poſſint verificari. *S*ed iam ſpeciatim de his bonis agamus in hac prima par. concl. connumeratis. Et primo de gratia iuſtificante, apertiſſimum eſt illud Pauli teſtimonium ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Legatur totum caput 5. eiuſdem epiſtolæ, in quo manifeſtimis verbis noſtram iuſtitiam, & gratiã ad Chriſtum reuocat Apoſtolus Paulus. De gloria probatur concluſio ex Paulo ad Hebr. 9. vbi inquit, *quod priore perſeuerante tabernaculo nondum erat propalata Sanctorum via.* Et multis verbis ſignificauit ibidem, quod per Chriſti mortem hæc cœleſtis via propalata fuit, &

apert-

aperta. Quod & manifeſtam habuit ſignificationem in illa veli legalis templi ſciſſura, quæ in puncto mortis Chriſti contigit. Idipſum Apoſtolus ſignificauit ad Hebræos 11. dum dixit, *antiquos Patres defunctos eſſe iuxta fidem non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes: Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur. Sine nobis*, ideſt, ſine initis noui teſtamenti, quibus per Chriſti paſſionem reſeratus fuit patriæ cœleſtis aditus & ianua regni cęlorum aperta. Tuncque & antiqui Patres cęleſtes, quas à longe ſalutantes expectauerant promiſſiones, pro ſuis votis receperunt. Et ob id Baptiſta Ioannes homines per pœnitentiam ad Chriſti aduentum præparans, & diſponens dicebat: *appropinquabit Regnum cœlorum*, Matth. 3. Cui atteſtatus fuit ipſe Chriſtus, cum dixit, *à diebus Ioannis Baptiſtæ Regnum cœlorum vim patitur*. Ex quo fit, quod explicita Regni cęleſtis promiſſio, vix facta reperitur in libris, quæ ad vetus pertinent teſtamentum: mitto facio Prophetas, qui de tempore legis gratiæ vaticinantes mentionem quandoque de cœleſti Regno fecerunt. Legantur pro hac re Ambroſ. & Chryſoſt. & alij ſacrorum Bibliorum interpretes in hæc Paul. teſtimonia. S. Hieronymus in epiſtola ad Dardanum de terra promiſſionis, & Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum, cap. vltimo. Vbi fatetur, ſe in veteri teſtamento legiſſe multa, quæ vitam æternam deſignant, imo & reſurrectionis mortuorum dicit meminiſſe Prophetas: At Regni cęlorum, inquit, primum in Euang. facta eſt mentio. Et ita plane eſt: nam licet in Proph. legamus Regnum datũ eſſe Chriſto, aut ei promiſſum. Vt Dan. 7. & Chriſti in Pſ. 44. vocetur Rex, ibi, *Dico ego opera mea Regi*. Quæ plane de Regno cęlorum intelligi debent. At explicita nuſquam reperitur ante Euang. hæc vox Regnum cęlorum.

Probatur deinde ex illa communi Theologorum doctrina, quæ affirmat Chriſtum aperuiſſe nobis ianuam cęleſtis Regni. Ita cum Magiſtro docent Scholaſtici in 3. diſt. 18 & in 4. diſt, 2. & S. Thom. 3. par. quæſt. 49. ar. 5. & ibi vniuerſi eius interpretes. At non alia ratione Chriſtus dici poteſt aperuiſſe ianuã cęleſtis Regni, niſi quatenus ſanguinis ſui exhibito pretio nos perfecte redemit, pleneque pro peccatis noſtris Deo ſatisfecit: ac ipſam æternam vitam nobis ex perfecta iuſtitia promeruit. Huc attinet, quod Athanaſius in oratione ſecunda ſæpe citata contra Arianos in hæc verba dicit. *Si enim Dominus homo factus non fuiſſet, numquã nos à peccatis vindicati ex mortuis reſurrexiſſemus, ſed ſub terris mortui relinqueremur, neque ad cœlos euecti eſſemus, ſed adhuc in orco remaneremus*. Ecce vbi euectio noſtra ad cęlos, Chriſto tribuitur à grauiſſimo Athanaſio.

Item probatur hæc veritas. Chriſtus ſecundum fidem nobis meruit iuſtificantem gratiam: ergo & meruit, vt acceptaremur ad gloriam. Patet manifeſtè conſequentia. Quia per gratiam acceptamur ad gloriam. Efficimur enim per gratiam filij Dei, vt à principio huius relectionis oſtendimus. *At ſi filij & hæredes*, vt inquit Paulus Rom. 8. *cohæredes autem Chriſti*: ergo, &c.

Tandem hanc veritatem habemus expreſſam in Sancta Synodo Triden. ſeſſ. 6. cap. 16. in hæc verba. *Atque ideo bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa*. Ecce apertam S. Synod. ſententiam.

Quod vero meruerit ipſa opera meritoria, quibus in ſpirituali vita promouemur, & perficimur: ac quibus de condigno, & gratiæ, & gloriæ meremur augmentum, docuit apertè Paul. ad Epheſ. 2. illis verbis, *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in ipſis ambulemus*. Ecce bona, in quibus ambulamus, quæ ſunt ipſa meritoria opera, in Chriſto Ieſu, ex meritiſque ipſius habemus. Sumus enim creati, inquit Paulus, in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Conſtat hoc etiam, ex his, quę nunc dicebamus. Nam ſi Chriſtus nobis meruit æternam vitam, neceſſum eſt dicamus, quod meruit etiam bona opera, quibus vitã æternam promeremur, & ad ipſam ambulamus. Si Chriſtus enim noſtra meritoria opera nobis non meruit: neque etiam meruit totam illam gloriam, quam per noſtra opera nobis facimus debitam. Nã ſi facimus nobis debitam gloriam abſq; Chriſti meritis: ergo etiam ſi ipſa non extarent Chriſti merita, nobis eſſet conferenda gloria: quod eſt manifeſtè contrarium catholicæ veritati. Sed denique hæc veritas definita habetur expreſsè in Cõcil. Trid. ſeſſ. 6. can. 16. & præcipuè can. 32. definitur hoc loco. Opera hominis iuſtificati, quæ ſunt æternæ vitæ merita, fieri per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius homo iuſtus eſt membrum viuum. Ex cap. 16. eadem apertè conſtat veritas.

Quod donum perſeuerantiæ ex Chriſti meritis nobis conferatur, paulo ſuperius oſtendimus. Et certè Concilia, & Patres in eiſdem locis, quibus definiunt, gratiam iuſtificantem nobis conferri ex Chriſti meritis, definiunt ſimul, ad Chriſti merita pertinere ipſam noſtram in gratia, & ſanctitate ſuſcepta perſeuerantiam. Videnda ſunt Concilia Mileuitan. & Arauſican. ſecundum, per multa decreta, quæ eruditè ponderauit Andreas de Vega lib. 4. ſuper Concil. Triden. cap. 3. & ſeq. Et quidem hæc Concilia grauiſſima gratiam iuſtificantem, omnemque gratiam ad ſalutem neceſſariam appellant gratiam Chriſti. In Concil. Triden. ſeſſ. 6. paſſim, habetur gratiam iuſtificantem nobis dari per Chriſtum ſpeciatim legatur cap. 7. vbi Chriſtus aſſeritur cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis. Et hæc ſufficiant pro prima parte concluſionis quartæ, quæ eſt certa fidei veritas.

Probanda eſt deinceps concluſio, quatenus procedit de vniuerſis alijs ſupernaturalibus donis, quæ intrinſeca ſunt homini, cui conferuntur. Et probatur primo vniuerſaliter de his omnibus ſpiritualibus donis, fide, ſpe, diſpoſitionibus, auxilijs, &c. Vocatio primum locum tenet inter omnia bona ſupernaturalia homini intrinſeca, & ita Paul. ad Rom. 8. vocationẽ primo loco numerauit inter omnes prædeſtinationis effectus. *Quos prædeſtinauit*, inquit, *hos & vocauit, &c.* Sed vocationis noſtræ Chriſtus fuit meritoria cauſa: ergo meruit omnia bona ſupernaturalia nobis intrinſeca. Conſequentia apparet manifeſta: tum ex paritate rationis, imo & per locum à fortiori, nam ſi ad eos, qui non ſunt actu Chriſti membra, ſed omnino ſunt ab ipſo remoti, ipſius Chriſti virtus & meritum extẽditur, cur non in eis,

qui

Digitized by Google

qui ſunt vocati, & ſunt actu membra, & ſi nondum perfecta, non habebit effectum? Tum etiam, quia vocatio eſt cauſa illorum ſupernaturalium effectuũ, ex ipſa enim pendent vniuerſa alia ſpiritualia hominis bona. At qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Probatur vero minor ex illo Pauli 2. Thim. 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiã, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu*: ergo gratia, qua primum nos Deus vocauit ad fidem, & ſpiritualem vitam colendam, ex meritis Chriſti fuit, vt ibidem expoſuit S. Anſelm. Quod ſi gratia vocationis ad fidem ex meritis Chriſti eſt, quis negare poterit & ipſam fidem, & omnes diſpoſitiones ad gratiam, quę ex ipſa vocatione oriuntur, ex eiſdẽ Chriſti meritis prouenire? Neq; hoc ſolum ex Anſel. auctoritate habemus, nam S. Synod. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. in hunc modum docet. *Declarat præterea Sancta Synodus, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtũ Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, qua nullis eorum meritis exiſtentibus vocantur, &c.* Pręterea illud teſtimoniũ ex Paul. ad Epheſ. 1. cit. nonne manifeſtum eſt pro hac veritate confirmanda? Nã quo pacto verificari poterit, Deum benedixiſſe nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſi vel fidem, vel diſpoſitionem, vel auxilium aliquod à Chriſti meritis ſubtrahimus? Nonne hæc omnia, & eorum ſingula ad ſpiritualem pertinent benedictionem? Sed ſpecialiter adhuc de fide hęc oſtenditur veritas ex illo Pauli ad Philippen. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in ipſum credatis, ſed etiam, & pro ipſo patiamini.* Ecce vbi pro Chriſto, ideſt, pro Chriſti meritis donata dicitur fides, ſicut etiam & ipſa tribulationum, & paſſionum pro fide tollerantia. Aug. tract. 3. in Io. initium fidei Chriſti meritis adſcribit. Quod colligit ex illo Io. 1. *Veritas per Chriſtũ facta eſt*, ideſt, vera fides per Chriſtum eſt. Et vt ibidem ipſe Auguſt aduertit, non ſolũ tanquam per Doctorem, & veritatis magiſtrum, ſed etiam tãquam per auxiliatorem. Auxilium ergo ad credendum ex meritis Chriſti eſt. Docet eandem veritatem Paul. dum ad Hebr. 10. de Chriſto ait, quod initiauit viam nouã, &c. Initium viæ nouæ ipſa fides eſt. Nam & ipſa eſt totius ſpiritualis vitæ initium, fundamentum, & radix, vt S. Synod. Trid. ſeſſ. 6. c. 8. nos docuit, & Paul. 1. ad Thimot. 3. vocat Eccleſiam firmamentum veritatis, eo quod veram Chriſti fidem retinet. Tandem in Concil. Trid. cap. 7. ſeſſ. 6. cita. ita dicitur. *In ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatẽ.* Ecce quam apertè Conciliũ doceat fidem nobis per Chriſtum dari. Neque ſatis fuerit dicere, Concilium ibi tantum de fide per charitatem formata loqui; quoniam abſolutè Concil. ipſam fidei ſubſtantiam per Chriſtum dicit conferri. Neque tantum ibi de informatione fidei, ſed de ipſa quoque eius infuſione S. Synodus loquitur. Quamuis principaliter de ipſa fide, quatenus per gratiã, & charitatem formata ad impij iuſtificationem concurrit.

De diſpoſitionibus ad gratiam probanda eſt deinde ſtatuta concluſio. Et primo de diſpoſitione vltima, ſeu alijs verbis de diſpoſitione proxima ad gratiam: aduertendum eſt, quod hæc diſpoſitio poteſt conſiderari, vel vt ordine naturæ gratiam in genere cauſæ materialis antecedit, vel prout in genere efficientis, & formalis cauſæ eadem gratia poſterior eſt ſecundũ naturæ ordinem. Si quidem poſteriori modo conſideretur, extra omnem controuerſiam poſitum eſt, eam nobis ex Chriſti meritis conferri, neque id vllus Theologorum hactenus negauit: Et ſatis probatũ relinquitur ex his, quæ diximus circa primã concluſionis partem. Si vero priori modo ſumatur, authores primæ ſententiæ huic concluſioni refragantur, ſed refragantur etiam manifeſtiſſimæ veritati, & ſi liberè loquendum eſt, contrariantur fidei.

Et probatur primo teſtimonijs ex S. Paulo deductis, ex illo præſertim ad Epheſ. 1. in quo omnem benedictionem ſpiritualem, qua benedicimur à Deo, Chriſti meritis adſcribit. At ſtultus eſſet is, qui vltimam ad gratiæ diſpoſitionem, quam gratia ipſa, & formalis animæ iuſtitia infallibiliter ſequitur, inter præcipuas ſpirituales Dei benedictiones non computauerit. Sed & aliud teſtimonium ex 2. ad Timoth. c. 1. deſumptum, in quo prima noſtra ad iuſtitiam vocatio Chriſti meritis tribuitur, magnum quoq; habet ad huius veritatis perſuaſionis momentum. Nã ſi prima vocatio ex meritis Chriſti eſt, quis obſecro idipſum non fatebitur de vltima ad gratiam diſpoſitione? Præterea probatur. Vltima diſpoſitio ad gratiam, vt colligitur ex Concil. Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. & can. 3. conſtat actibus fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ. Sed hos actus accipit homo à Deo ex Chriſti meritis: ergo vltima diſpoſitio ex meritis Chriſti eſt.

Minor probatur ex eodem Concilio ſeſſ. cit. c. 7. dicit, quod per Ieſum Chriſtum accipit homo cum iuſtificatur fidem, ſpem, & charitatem. De pęnitẽtia autem ſic probo. Deteſtatio peccatorum, & propoſitum emendandi vitam, & alia, quæ ad pęnitentiam pertinent, per ſe conſequuntur ex charitate Dei. Ex eo enim is, qui iuſtificatur, deteſtatur peccatum, vt ſummum deteſtabile, quia diligit Deum, cui peccatũ opponitur, vt ſummum diligibile: ergo ſi actum charitatis habet homo ex Chriſti meritis, etiam actum pęnitentiæ ex eiſdem meritis Chriſti neceſſum eſt habeat. Confirmo. Contritio, quæ præcipuus eſt pęnitentiæ actus, & quæ vltima eſt ad gratiam diſpoſitio, prout ex fide, ſpe, & charitate procedit, non iuſtificat animam, niſi quatenus votum ſacramenti, vel baptiſmi, vel pęnitentiæ formaliter, aut ſaltem virtualiter includit, vt Sancta Synodus Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. expreſſè nos docuit. Sed ſecramenta, & omnis eorum virtus ex Chriſti meritis pendent: ergo manifeſtum eſt, vltimam diſpoſitionem ad gratiam non iuſtificare, neque reconciliare animã Deo, niſi dependenter ex meritis Chriſti. Quia non minus pendet, ſed multo magis a Chriſti meritis, quam à ſacramento. Imo ob id pendet à ſacramento, ita vt ſine eius voto nihil poſſet efficere, quia pendet à Chriſto, & à meritis eius. Neque alia huius dependentiæ fingi poteſt cauſa. Probatur præterea eadem veritas. Poſita vltima diſpoſitione ad gratiam, neceſſario aut ſaltem infallibiliter ſequitur gratia iuſtificans animam: ergo ſi vltima diſpoſitio, vt gratiam præcedit, non eſt ex Chriſti meritis, neq; etiam gratia, quæ ipſam infallibiliter conſequitur, ex meritis Chriſti eſt. Quod aſſerere, eſſet errare in fide, eſſetq; manifeſta hæreſis. Antecedens à nullo Theologo-

rum

rum negatur. Quamuis in aſſignando modo quem debet habere ipſa vltima diſpoſitio, non omnes conueniant. Aliter enim Scot. aliter Caiet. & aliter communior, & vera Theologorum procedit ſententia, de qua re alias. Conſequentia vero probatur. Poſita vltima diſpoſitione ad gratiam, ponuntur omnia, quæ neceſſaria ſunt: vt infallibiliter, & ſtatim ſequatur gratia: ergo ſi contritio, independenter à Chriſti meritis, eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, is qui conteritur, independenter quoque à meritis Chriſti obtinet omnia, quæ ſunt ei neceſſaria, vt gratiam iuſtificantem conſequatur: atque adeo non eget Chriſto, neque eius meritis, vt iuſtificetur, & vt iuſtificationis gratiam accipiat à Deo principali iuſtificante. Hoc argumentum videtur violentum, & ineuitabile. Nam ſi quis dixerit, vt Capreoli ſententiam defendat, contritionem non in eſſe naturæ, ſed in eſſe moris, vltimam eſſe diſpoſitionem ad gratiam: atque adeo quod contritione poſita non eſt neceſſe, quod infallibiliter ſequatur gratia, niſi iuxta modũ à Deo diſpoſitum. Diſpoſuit autem Deus, vt non niſi mediantibus Chriſti meritis ei qui conteritur iuſtificationis conferatur gratia. Si quis, inquam, ita dixerit, effugiet fortaſſis manifeſtum cõtra fidem errorem. Sed reuera non ſoluet argumentum. Et ſic arguo contra hanc ſolutionem. Quod poſita contritione non infallibiliter ſequatur gratia, non poterit abſq; manifeſto errore affirmari, quoniam ex Conc. Trid. loco proximè citato apertè conſtat contritionem ſufficientem eſſe ad reconciliandam animam Deo, ergo fateri tenemur, quod ipſa contritio ſiue phyſicè, ſiue moraliter continet omnia, quæ requiſita ſunt, vt iuſtificationis gratia infallibiliter ſequatur: ergo vel hoc habet ex meritis Chriſti, vel non. Si non habet, argumentum factum remanet inſolutum, ſi habet, habemus & nos intentum, nimirum, quod contritio ex Chriſti meritis habet eſſe diſpoſitionem vltimam, quam iuſtificationis gratia infallibiliter comitatur. Et confirmo. Hæc infallibilis coniunctio, quæ inter contritionem, & gratiam iuſtificantem reperitur, vel ortum habet ex meritis Chriſti, vel non. Si non habet, ergo independenter à Chriſti meritis gratia iuſtificationis ſequitur poſita contritione in anima. Si habet, ergo contritio ex meritis Chriſti pendet, ſi non materialiter & entitatiuè, ſaltem formaliter in ratione vltimæ diſpoſitionis ad gratiam.

Probatur euidenter hęc conſequentia. Nam quòd contritio vltima ſit ad gratiam diſpoſitio, in eo formaliter conſiſtit, quod proximam habet habitudinem ad gratiam, ita vt ſit infallibilis connexio inter ipſam, & gratiam, ſiuę hæc connexio ad ordinẽ ſpectet phyſicum, ſiue ad ordinem pertineat moralem, alias enim impropriiſſime vocaretur vltima ad gratiam diſpoſitio. Confirmatur. Iuſtificatio impij, vt Concilia & Patres, imo & ſcriptura ſacra de ipſa loqui ſolent, non ſolum importat infuſionem gratię, & virtutum, ſed ipſam actualem conuerſionem animæ in Deum, actualemq; peccati deteſtationem, qui ſunt actus, in quibus cõſiſtit vltima diſpoſitio ad gratiam, ſed Chriſtus, vt habemus à Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap 7. eſt cauſa meritoria iuſtificationis impij: ergo meretur iuſtificationem, etiam vt includit hos actus: atq; adeo meretur vltimam diſpoſitionem. Authores, qui magna cum probabilitate ſentiunt, contritionem effectiuè à gratia procedere, eſſeque proinde poſteriorem ipſa gratia in genere cauſæ efficientis, in promptu habent argumentum efficaciſſimum ad probandam iſtam veritatem; quia ſicut gratia eſt ex meritis Chriſti, ita contritio ex eiſdem meritis pendere debet ſi effectus eſt iuſtificantis gratiæ. Cæterùm quoniam multi auctores probabiliter quoque opinantur, contritionem non effici à iuſtificante gratia, ſed à ſpeciali Dei auxilio, quod in nullo genere cauſæ gratiam iuſtificantem præſupponit. Idcirco non oportet hoc argumentum magnifacere. Argumenta, quibus mox probabimus diſpoſitiones antecedentes, & remotas ad gratiam haberi ex Chriſti meritis, probabunt idipſum per locum à fortiori, de vltima, & proxima diſpoſitione.

Probatur ergo, quod omnis diſpoſitio ad gratiã quãlibet remota, ſi tamen nomen diſpoſitionis meretur; ita ꝙ ſit operatio ſupernaturalis vtcunq; præparans ad iuſtificantem gratiam, ex meritis Chriſti ortum habeat. Et quidem poſſet hoc primũ probari ex teſtimonijs, quæ ex Paulo adduximus ad Eph 1. & 2. ad Tim. 1. nam illa teſtimonia de omni ſupernaturali dono quodcũq; illud ſit manifeſtè procedere videntur, ſed illis prætermiſſis, ſeu, vt melius dicam, præſuppoſitis. Probatur primũ hæc veritas ex Cõcil. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. cit. in quo vt conſtat ex verbis, quæ paulo ſuperius retulimus, declarat. ſ. Synodus iuſtificationis impij exordium, à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, &c. Ergo quælibet diſpoſitio ad gratiam, etiã prima & magis remota, ex qua initium iuſtificationis deſumitur, per Chriſtum eſt, id eſt, ex meritis Chriſti oritur. Ego ſane non video modum, quo bona cum probabilitate poſſimus euadere huius argumenti vim. Nã valde vrget hæc Concilij declaratio.

Secundo probatur eadem veritas. Eiuſdẽ agentis eſt diſponere ad formam principalem, cuius eſt eandem formã introducere. Sed ad Chriſtum, ad eiuſq; merita pertinet introducere gratiam iuſtificantem, quæ in ipſa impij iuſtificatione rationem habet principalis formæ: ergo ad ipſum Chriſtum ad eiuſque merita pertinet omnis diſpoſitio, qua impij anima ad gratiam ſuſcipiendam diſponitur, & præparatur.

Confirmatur. Sequeretur ex contraria ſententia concedendum eſſe, Chriſtum non mereri totam impij iuſtificationem, ſed eius partem duntaxat. Conſequens non conſentit modo loquendi Sanctorum Patrum, imo nec ſacrarum ſcripturarum, Paul. enim alias, tum præcipue Rom. 3. abſolutè dicit impium iuſtificari gratis per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: ergo, &c. Patet ſequela. Sicut generatio naturalis non ſolum dicit, iuxta communem modum loquendi Philoſophorum, ipſam inſtantaneam ſubſtantialis formæ introductionem, ſed etiam totam diſpoſitionem præcedentem, quia eſt via ordinata ad introductionem ſubſtantialis formæ, ſicut ad proprium terminum: ita tota diſpoſitio ad gratiam à prima vſque ad vltimam clauditur ſub iuſtificationis nomine, & ratione: ergo ſicut agens naturale, quod non attingeret omnem diſpoſitionem concurrentem ad ſubſtantialis formę introductionem, partiale generans eſſet, & non totale, ita Chriſtus ſecundum illam ſententiam partiale tantum iuſtificans eſt, & non totale.

Tertio

Tertio probatur, & procedit argumentum ſpecialiter de illa diſpoſitione remota, quæ præſupponit fidem in eo, qui diſponitur. Omnis motus, & operatio fideliũ ſupernaturalis prouenit a Chriſto tanquam à capite influente in ſua membra: ergo omnis diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt motio ſupernaturalis, habetur ex influxu Chriſti tanquam ex capite, & ex conſequenti procedit ex ipſius Chriſti meritis.

Probatur antecedens. Per fidem incorporamur Chriſto, & conſtituimur membra corporis Chriſti myſtici ſub ipſo capite Chriſto, eſtque Chriſtus caput noſtrum in ordine ſupernaturali: ergo influit in nos tanquam in membra omnem ſupernaturalem motum, vel vitalem, qualis eſt omnis operatio ex gratia procedens, vel tendens ad vitam, qualis eſt diſpoſitio remota ad gratiam.

Confirmo. Nam alias ſequeretur, quod ſola fides non ſufficit nos conſtituere membra Chriſti, & corporis eius myſtici. Conſequens autem eſt hæreticũ: ergo, &c. Pro bo ſequelam, Chriſtus non influit aliquem motum in peccatorem fidelem, neque aliquẽ influxum in eum poteſt habere, iuxta contrariam ſententiam, præſertim iuxta ſententiã primam, quæ neque etiam vltimam diſpoſitionem ad gratiam, prout eſt informis, meritis Chriſti tribuit. At quale caput eſſe poteſt, quod nullum habet in ſua membra influxum? Video quod recurres ad diſtinctionem membri, & partis. Diceſque peccatorem partem potius eſſe corporis Chriſti myſtici, quam membrum. Bene habet, nolo in præſentia in extirpanda hac diſtinctione immorari, etſi mihi non ſatis grata ſit, ſed placuit alijs multo me doctioribus, quorum princeps fuit Magiſter Cano in libro de locis. Quamuis crediderim, quod nullus Theologorum, ex his, qui hanc diſtinctionem admittunt, excludant tnta liter influxum Chriſti capitis in hæc mortua membra, qui certè nulla ratione excludi debet. Non enim ita ſunt mortuæ, & aridæ partes corporis Chriſti myſtici, vt non ſint capaces alicuius ſupernaturalis motionis, quæ eſt ſubordinata fidei, per quam efficiuntur huius corporis partes, ipſique capiti Chriſto vniuntur.

Ex quo ſic formo argumentum, omnis illa motio quæ pertinet ad partem alicuius corporis, ſecundum quod eſt eius pars ipſi totius corporis capiti ſubordinata, habetur ex influxu ipſius capitis. Et iſta propoſitio adeo eſt manifeſta, vt appareat ſtultum illam negare. Sed diſpoſitio imperfecta, & remota ad gratiam eſt motio ſupernaturalis, conueniens peccatori, prout eſt fidelis, & ex conſequenti, prout eſt vnitus Chriſto capiti, eiuſq; influxui ſubiectus: ergo hãc diſpoſitionẽ fidelis peccator accipit à Chriſto, vt à capite in ipſum influente. Et vt euidẽtior appareat vis huius argumẽti, procedat de ipſo fidei informis motu, qui, citra dubiũ, aliquã habet rationẽ diſpoſitionis ad gratiã. Et inquiro, an iſte motus ſit ex influxu capitis Chriſti, vel non, ſi quidem primum dixeris, intentũ habeo, ſi vero dicas ſecundum: ergo motus fidei non ſufficit conſtituere hominẽ vnitum Chriſto, illiq; ſubditum vt capiti. Probo conſequentiam. Illa motio per quã ſit actualis coniunctio, & ſubordinatio mẽbri ad caput eſt primus actualis influxus capitis in ipſum membrum: nec enim fingendũ eſt, quod in membro ſit aliqua motio per quã actu ſubijciatur capiti, & quod non ſit ab ipſo capite, quod per talem motionem actu ſibi ſubijcit membrum, in ipſumq; tanquam in ſubiectum influit: & hoc potiſſimum erit manifeſtum ſapiẽtioribus Theologis, ſi ſupponamus hominem peccatorem iam eſſe coniunctum Chriſto capiti per fidem habitualem, quæ ſe explicet in proprium actum, in quo cõſiſtit actualis, & quaſi completa coniunctio per fidem.

Sed iam probanda eſt deinceps concluſio, quatenus procedit de auxilijs ſupernaturalibus. Et quidẽ probatur primo de auxilijs præuenientibus, & antecedentibus gratiam. Et principio probo ex illo Io. 14. *Nemo venit ad Patrem*, inquit Chriſtus, *niſi per me*. Sed primum auxilium, vt ipſe Chriſtus explicuit Ioan. 6. conſiſtit in tractione, qua Pater trahit hominem ad Chriſtum, ad eius ſcilicet fidem, & obedientiam. *Nemo*, inquit Chriſtus, *poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum*; quæ tractio re ipſa non eſt aliud, quam ipſa vocatio efficax: ergo de primo ad vltimum nemo poteſt venire ad Chriſtũ, niſi per ipſummet Chriſtum, atq; adeo ipſa prima tractio ad Chriſtum, ad eiuſque fidem ex meritis Chriſti eſt. Et ob id Chriſtus ſemetipſum vocauit oſtiũ, quia per illũ, & per eius merita ſit primus ingreſſus in Eccleſiã. Sed vt pleniũs vim rationis huius percipias, aduerte, quod venire ad Patrem, & venire ad Chriſtum idem eſt omnino, & vterque Pater ſcilicet, & Chriſtus ex parte eiuſdem termini ad quem ſe tenent. Et ob id ipſe Chriſtus non ſolum ſe viam eſſe dixit, ſed & vitam, & hoc non ſolum, vt Deo, competit Chriſto, ſed etiam vt homini, nam æterna vita, vt dixit ipſe Chriſtus Ioan. 17. conſiſtit in viſione Dei, & Chriſti. Vnde ſi ad Patrem non poſſumus venire niſi per Chriſtum, neque poſſumus ad eundẽ venire Chriſtum, niſi per ipſummet.

Et ſimiliter ſicut non poſſumus ad Chriſtum niſi per Chriſtum venire, ita neque ad Patrem, niſi per Chriſtum. Vnde tota cœleſtis via per Chriſtum eſt, & ob id merito & oſtium, & viam ipſe vocauit ſeipſum. Dices quod vt plurimum hoc argumentum conuincit de tractione ad fidem, quæ eſt auxiliũ efficax, ideſt, quæ effectum ſortitur in eo, qui trahitur. Bene quidem. oã qui ita dixerit, iam nobiſcum fatebitur, quod non ſolum habemus fidem ex meritis Chriſti, verum etiam & illud efficax auxilium, quo ad fidem trahimur. Et qui hoc conceſſerit, qua ratione negabit, quod auxilia omnia, quæ præcedunt gratiam, & fidem quantumcunque ſint inefficacia, non habeantur ex meritis Chriſti? Cum reuera ſint ſufficientia trahendi nos ad fidem, niſi noſtra voluntas eorum virtuti obſtiterit. Vnde ſic in forma conſtruo argumentum. Nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per Chriſtum, quia Chriſtus eſt oſtium per quod neceſſum eſt ingrediatur, quicunque ad Patrem tranſierit, ſed virtute illius præuenientis auxilij inefficacis poſſet homo, ſi vellet, peruenire ad Patrem: ergo illud auxilium eſt ex meritis Chriſti, alias verificaretur, ꝙ poſſet quis venire ad Patrem, & non per Chriſtum, atque adeo quod Chriſtus non eſſet oſtium vnicum, & ſolum, per quod tranſeundum ſit ad Patrem, quod eſt erroneum dicere, imo & hęreticum. Quia vt Petrus Act. 4. dixit, *Non eſt aliud nomen, nobis datum ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, nec eſt aliud oſtiũ per quod poſſimus intrare in ouile Chriſti, præter

ipſum

ipſum Chriſtum, neque via alia per quam tranſeamus ad vitam: ergo hæc.

Probatur ſecundo eadem veritas. Primum auxilium, quod à Deo accipimus, eſt vocatio ad fidem, & idcirco Apoſtolus Ad Rom. 1. ipſos fideles quandoque appellat, vocatos, quia ex vocatione tanquam ex primo auxilio Dei fidem accepimus, ſed hanc vocationem habemus per Chriſtum, vt conſtat ex teſtimonio ſupra citato 2. ad Tim. 1. & ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. cuius verba ſuperius relata, ſunt manifeſtiſſima pro hac veritate: ergo idipſum eſt dicendum de reliquis omnibus auxilijs.

Tertio probatur ex communi ſenſu Eccleſiæ, omnes enim tam iuſti, quam peccatores qualecunque, & quodcunque auxilium petant, ſiue ad reſiſtendum tentationibus, quæ inſurgunt contra fidem, ſiue ad habendum bonum aliquem ſupernaturalem motũ, petunt per Chriſtum, eius mortem & ſanguinem interponendo, vt impetrent à Deo. Cui fidelium intelligentiæ, & religioſæ deuotioni fauet id, quod Auguſtinus in enarratione 1. Pſal. 108. inquit, quod oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed & ipſa fit in peccato: ergo communis Eccleſiæ ſenſus eſt, omne auxilium ſupernaturale quodcunq; fuerit ſiue præueniens, ſiue ſubſequens, non aliter quam per Chriſti merita eſſe impetrandum à Deo.

Tandem probatur concluſio, ſecundum quod procedit de bonis externis, ſiue ſint ſpiritualia, cuiuſmodi ſunt orationes Sanctorum, ſiue temporalia vt honores, diuitiæ, &c. Hæc bona ſunt quandoque prædeſtinationis effectus, vt docent peritiores Theologi, cum de hominum prædeſtinatione diſſerunt cũ S. Th. 1. p. q. 23. a. 8. poſſuntq; eſſe media conuenientia, & ſunt quam ſæpius ad finem ſupernaturalem acquirendum, vt eodem loco S Tho. agnouit: ergo ex meritis Chriſti hæc bona etiã nobis proueniunt. Probatur conſequentia. Quoniã ad eundem pertinet omnia media, tum neceſſaria, tum conuenientia ad aliquem finem, tribuere, ad quem per ſe ſpectat inducere ad ipſum finem. Sed ad Chriſtũ attinet perducere nos ad æternam vitam: ob id enim appellatur Author, ac conſummator fidei, & ſalutis: ergo omnia media, quæ conducunt nobis ad æternæ vitæ conſequutionem, ad Chriſtum pertinent, & ex Chriſti meritis, & non aliter habenda ſunt à nobis.

Confirmatur illo argumento dudum facto, nimirum, quod hæc etiam bona omnes fideles petunt à Deo per Chriſtum, & per eius paſſionem, & ſanguinem: ergo, &c.

Iſta dicta ſunt ſigillatim enumerando omnia bona, quæ nobis per Chriſtum obueniunt in ordine ad æternam vitam conſequendam. Deinceps in cõmuni probo veram eſſe concluſionem abſolutè, & vt iacet cõſideratam: communioribuſq; proinde vtar rationibus. Primo. Meritũ Chriſti fuit infinitũ, infinitiq; valoris: ergo ad hæc omnia bona promerenda ſe potuit eius virtus extendere. Et antecedens, & cõſequẽtia conſtãt ex dictis ſuperius in hoc 3. ar. q. 5. Sed ruſus infero: ergo non eſt ſubtrahendum aliquod bonũ iſtorũ à Chriſti meritis, niſi fuerit vrgentiſſima cauſa, quæ nos ad huiuſmodi exceptionem faciendã vrgeat, ac plane neceſſitet: ſed talis cauſa non eſt in præſentia, nam potius in oppoſitum vrgent, & quæ dicunt ſcripturæ, & quæ definiunt Concilia, & quæ docent Patres, & quæ ſentiunt peritiores Theologi, & quæ fidelis populus vnanimi conſenſione recipit: & denique ratio veroſimilis ſuffragatur potius, quam aliqua ex parte refragetur: ergo, &c.

Secundo. Ad dignitatem Chriſti pertinet, ad excellentiamque paſſionis, & meritorum eius, vt vniuerſa ſupernaturalis ordinis bona, & quæcunque ad æternæ vitæ aſſecutionem conducunt, nobis per Chriſtum, & virtute meritorum eius donentur: ergo cum non ſit vrgens ratio aliud poſtulans, ita eſt omnino dicendum.

Tertio. Chriſtus in ſcriptura ſacra multis comparatur, multaque ei tribuuntur nomina, quæ denotãt vniuerſalem dependentiam, quam in ordine gratiæ omnes habent à Chriſto: Comparat enim Chriſtus ſeipſum viti: & nos palmites vocat. Io. 15. At palmites quid habere poſſunt, quod à vite non participent? Vocatur fundamentum totius ſpiritualis ædificij. 1. Cor. 3. Quid autẽ eſſe poteſt in tota ędificij ſtructura, quod fundamento non innitatur? Sed & Sol iuſtitię ipſe Chriſtus, & minime quidem impropriè, vocatur. Malach. 4. Nam creauit Deus cœlum nouum, & terram nouam in nouo iſto, & mirabili Eccleſiæ mũdo ex nouis creaturis conſtanti: cui ipſum præpoſuit Chriſtum, vt radiantem Solem, qui gyrum cœli ambiens igneos exufflat radios. Quid autem ab ampliſſima Solis luce in toto vniuerſo occultatur? Quid verò eſt in orbe toto, quod ad ſui eſſe, ad ſuique conſeruationem, & augmentum, fęcundiſſimam ſolaris lucis virtutem non experiatur? Caput, ad Epheſ. 1. Chriſtus ipſe dicitur, & reuera eſt. Officium vero capitis nonne eſt influere in omnia membra omnem virtutem, omnem motum, omnem denique actionem? Neque vero ſacræ literæ caput duntaxat Chriſtum vocant, verum & patrem futuri ſeculi: Iſai. 9. ad quem proinde non ſolum pertinet in membra ſuppoſita, & conſtituta influere, ſed eadem etiam formare membra, & in eſſe membrorum conſtituere, ſola ipſa informi materia præſuppoſita. Nam hoc eſt proprium patris officium.

Quocirca Chriſtus, qua ratione vniuerſalis eſt futuri ſeculi pater, vim habet generatiuam, qua potens eſt informem materiam, ideſt, hominem omnis ſupernaturalis boni expertem varijs tranſmutationibus ſupernaturalibus immutare, & ad vitam gratiæ tandem perducere. Neque plane mirum, cum ad hoc ipſum Chriſtus in mundum venerit, ipſo Ioan. cap. 10. dicente. *Ego veni vt vitam habeant, & vt abundantius habeant.* Tandem hæc omnia, & alia, quæ ſcripturæ ſacræ Chriſto accommodant, ipſi iure redemptionis conueniunt: quia noſter fuit vniuerſalis redemptor, noſtramque fuit operatus ſalutem, quam ipſe ſolus ſua potuit virtute efficere, & reuera effecit, vt Eſai. 63. ipſe his verbis dicebat. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non fuit vir mecum.*

Hæc autem copioſa per Chriſtũ facta redemptio nõ limitata eſt, ſed vniuerſaliſſima ad omnem ſe effectum extendens propter magnitudinem, & infinitatem exhibiti pretij, pretioſiſſimi, videlicet, ſanguinis Chriſti: ergo Chriſtus, huius tã amplę, tamq; excellẽtis redẽptionis iure, vniuerſalẽ acquiſiuit poteſtatẽ ſupra totũ gratiæ ordinẽ, quem per peccatũ in humana natura deſtructũ, eximia virtute reparauit.

Ni-

Digitized by Google

Nihilque proinde fingi poteſt intra totum ipſum gratiæ ordinem ad hominis ſalutem ſpectans, quod ſub poteſtate Chriſti, ſub amplitudine redemptionis per ipſum factæ, ſub infinito denique meritorum eius valore non comprehendatur. Iniurioſuſque eſt Chriſto, humiliterque de virtute redemptionis eius ſentit is, qui minimum quid ex toto ſupernaturali ordine gratiæ ab infinitis Chriſti meritis ſubtraxerit. Quare cum vtroque Ioanne fateamur omnes, quod Verbum caro factum eſt, cuius gloriam, gratiæque, & veritatis plenitudinem vidimus, atque de ipſius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, id eſt vniuerſa gratiarum genera, vnam ſcilicet gratiam, & aliam gratiam, ac omnem denique gratiam.

In quo ſenſu hæc verba intellexit Chryſoſtomus homil. 13. in Ioan. vocans Chriſtum omnium gratiarum fontem. Aliter illa verba Ioannis, *De plenitudine eius*, &c. explicat Auguſtinus tract. 3. in Ioan. ſed ad noſtrum intentum non diſſimiliter. Dicit enim ita eſſe intelligenda, quod quicquid gratiæ accepimus, per Chriſtum accepimus. Hic modus loquendi de præterito, & præſens, & futurum tempus complectitur. Nam res futuræ in ſcripturis ſacris, propter maximam euentus certitudinem, vt præteritæ recenſentur. Huic eidem ſententiæ adſtipulatur Hieronymus in illa verba Iſaiæ 53. *Et voluntas Domini in manu eius dirigetur*. Ita explicat Hieron. *Vt quicquid gratiæ Deus voluit conferre hominibus, illius meritis impleatur.*

Quarto probatur. Quod Chriſti meritis tribuamus vniuerſa hæc, quæ nobis conferuntur bona, cedit & in maiorem perfectionem operis diuini in iuſtificatione, & glorificatione noſtra. Nam quod Deus opus aliquod mediante Chriſti humanitate, vt inſtrumento, & organo ſibi coniuncto, & vt natura diuino Verbo perſonaliter copulata efficiat, valde extollit ipſam operis dignitatem. Nam Chriſtus, vt homo, brachium Domini ob id in ſcriptur. facr. vocatur, Iſa. 53. & Luc. 2. quia eximia diuinę virtutis opera per Chriſtum patrauit Deus, & ita Beatiſſima Virgo dicebat: *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Cedit etiam in magnam Chriſti commẽdationem, & gloriam, & in pręcipuam hominum dignificationem, nullaque ex parte Dei miſericordiam, & gratiam imminuit, quin potius multis partibus auget: ergo abſolutè fateri debemus ita eſſe.

Quinto. Chriſtus, vt habetur Ioannis 17. rogauit ſpecialiter pro prædeſtinatis, & pro eis, qui cum effectu Chriſti fidem ſuſcepturi erant, & in eius obedientia permanſuri, & aſſequuturi tandem eius redemptionis fructum: ergo impetrauit eis, & quod vocarentur, & traherentur ad fidem, & quod ipſam ſuſciperent, ac vniuerſa denique cœleſtia dona, quæ ipſis Deus æterna ſua prædeſtinatione præparauerat. Confirmatur. Chriſtus ibidem orabat Patrem pro his hominibus, vt vnum fierent cum Patre, & cum ipſo Chriſto, *Vt omnes ſint*, inquit Chriſtus, Patrem rogans, *ſicut tu Pater in me, & ego in te, & vt ipſi in nobis vnum ſint*. At prima vnio, qua incipimus fieri vnum cum Patre, & cum ipſo Chriſto, eſt fidei vnio, ergo pro hac vnione rogauit Chriſtus, ipſamq; meruit, & impetrauit. Vt hoc argumentum diſſoluat Driedo loco citato, multa prodigit verba, ſed certè inaniter, quia nihil proficit, imò, vt conſtabit legenti, ſibiipſi repugnat, neque mirum quidem, cum repugnet etiam meritorum Chriſti dignitati, eorumque plenitudinem, & infinitatem coarctare velit.

Sexto. Chriſtus in ipſo ſuæ paſſionis tempore, imò & in tota laborioſa, & mortali vita, in conſpectu mentis ſuæ præſentes habuit vniuerſos homines, & omnia, quæ circa eorum ſalutem per diuinam prouidentiam ab æterno fuerunt diſpoſita: ergo rationi conſentit aſſerere Chriſtum in particulari ſua applicuiſſe merita, vt ſingulis hominibus ea conferrentur omnia ſupernaturalia beneficia, & dona, quæ Deus ipſis conferre decreuerat. Hoc enim ad perfectiorem, & ſapientiorem modum operandi Chriſti, propriaque diſtribuendi merita, plurimum refert. Et propter hanc fortaſſis ſingularem, & particularem applicationem, quam Paulus ad ſeipſum factam cognouit, dicebat ad Galatas 2. de Chriſto, *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Et quidem quod nobis ſit perſuaſum, Chriſtum illam particularem applicationem, & diſtributionem ſuorum laborum, & meritorum feciſſe, ſummopere in nobis charitatis excitat affectum, dum vnuſquiſque noſtrum dicere valet cum Paulo, dilexit me, &c.

Denique vltimò iſta veritas confirmatur grauiſſimè ex modo, quo ſacra Concilia, grauiſſimique Patres loquuntur: nam ſi bene aduertimus, in Concilijs Mileuitano cap. 3 & 4. & Arauſicano 1. cap. 5. 7. 15. 22. 24. & 25. & Concilio Tridentino ſeſſ. 6. pro eodem reputantur gratia ad ſalutem neceſſaria, & gratia Chriſti. At ſub nomine gratiæ neceſſariæ ad ſalutem, omnia gratuita dona, & ſupernaturalia beneficia ſiue actualia, ſiue habitualia comprehenduntur, imò & ipſæ quoque gratiæ gratis datæ, quæ licèt non ſint in ſingulis neceſſariæ ad ſalutem, ſunt tamen neceſſariæ in tota Eccleſia: & ita Paulus ad Epheſ. 4. dicit de Chriſto, quod *aſcendens in altum, dedit dona hominibus*, vbi de his gratijs loquebatur Apoſtolus.

Neque ex hoc leue ſumitur argumentum, quod ſi omnis gratia gratis data, Chriſto debet accepta referri, ſit ei quoque, eiuſque meritis tribuenda omnis gratia particularis, omneque ſupernaturale donum. Et augeo huius rationis vim. Fundare totam Eccleſiam, deſignando Apoſtolos, & Euangeliſtas, Doctores, &c. & conferre omnes gratias gratis datas, ad hanc fundationem, & erectionem Eccleſiæ neceſſarias, ad Chriſtum, ad virtutemque paſſionis eius attinuit: ergo fundare ſpirituale ædificium in quolibet noſtrum à primis initijs, ad eius vſque conſummationem, omneque ſupernaturale donum ad huius ędificij conſtructionem neceſſarium conferre, quare Chriſto, & paſſioni eius aſcribi non debet? Et quo pacto Chriſtus Matthæi vltimo poſt reſurrectionem ſuam dixit Apoſtolis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, ſi multa, quæ ad huius particularis ædificij conſtructionem ſpectant, ſub poteſtate paſſionis, & meritorum eius non cadunt? Dixiſſet planè melius, aliqua poteſtas, quàm omnis. Sed Paulum audiamus, qui non obſcurè veritatem hanc inſinuauit ad Epheſ. 2. in illis verbis, *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, &*

Digitized by Google

domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu ſancto. Ecce quemadmodum Apoſtolus dicit, nos coædificari in Chriſto, vt particulare templum Domini, & habitaculum Spiritus ſancti, proportionabiliter ad eum modum, quo ipſum commune Dei templum, ſcilicet Eccleſia, ædificatum eſt, & conſtructum in ipſo Chriſto. Quid clarius, obſecro, dici potuit pro hac catholica veritate? Quam ſanè non immeritò catholicam voco, quia iudico contrariam ſententiam pluſquàm falſam eſſe, & meritò à probabilibus Catholicorum opinionibus eliminandam. Non ſeueriorem volo contrariæ ſententiæ cenſuram adhibere, quatenus de imperfectis, & remotis diſpoſitionibus, de fide, de ſpe, de præuenientibus, & excitantibus auxilijs, alijſque donis vltimam ad gratiam diſpoſitionem præuenientibus procedit: quoniam decreui iudicium Eccleſiæ in hac parte expectare.

Quamuis nõ errabit, qui dixerit in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. ſententiam illam fuiſſe damnatam, quatenus declarat ſancta Synodus. *Exordium iuſtificationis in adultis à Dei gratia per Ieſum Chriſtum ſumendum eſſe.* Nam qua obſecro ratione verificari poteſt cum proprietate, exordium iuſtificationis per Chriſtum deſumi, ſi omnia quæ vſque ad vltimam gratiæ diſpoſitionem concurrunt, ad Chriſtum non attinent, neque ad merita paſſionis eius? Exiſtimoque hanc ſententiam, ſi non expreſsè, implicitè tamen docuiſſe Innocentium Primum in epiſtolis ſuperius citatis, quibus reſpondit Patribus Cõciliorum Mileuitan. & Carthaginen. Et Cęleſtinum Pontif. in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ cap. 4. 9. & 10. & Auguſtinum libro de prædeſtin. ſanct. cap. 2. & lib. 1. cõtra duas Epiſtolas Pelagianorum c. 9. & epiſtola 106. Nam ij Patres contendentes contra Pelagianos, initium fidei ex dono Dei eſſe, & non ex nobis, eodem modo quo fatẽtur ex gratia, & dono Dei eſſe fidei initium, docent eſſe per Chriſtũ, & in Chriſto. Itaque indifferenter dicunt eſſe ex dono Dei, & ex meritis Chriſti: atque adeo, ſicut omnia ſupernaturalia bona ex gratia, & dono Dei nobis competũt, ita & ipſa omnia ex Chriſti meritis habemus. Vide S. Bernard. ſermone 13. in Cantica, vbi mirè de hac re loquitur. Hieronym. in illa verba ad Epheſ. 1. *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali.* & Chryſoſt. ad Epheſ. 4. verſans illa verba dudum à nobis relata. Certè qui hos Patres, & alios qui de hac re loquuntur, legerit attentè, non poterit nõ contrariam ſententiam, vt viro Catholico indignam auerſari.

Sed quædam ſunt leuia argumenta ſoluenda, vt nonnulla eorum, quæ diximus, maiorem accipiant firmitatem. Primumque argumentum ſit contra id, quod circa primam concluſionis partem diximus, nempè, Chriſtum meruiſſe noſtra merita, ea videlicet quibus de condigno gloriam, & augmentũ gratiæ meremur. Sic argumentor. Merita noſtra ſunt opera meritoria, quæ à noſtra libera voluntate pendent; ſed qua ratione pendent à libertate noſtra, non ſunt ex meritis Chriſti, ergo abſolutè merita noſtra non cadunt ſub Chriſti meritis. Probo minorem. Si Chriſtus ſua merita applicuiſſet ad noſtra opera meritoria, neceſſum eſſet noſtram voluntatem omnino prædeterminari à Deo, vt infallibiliter hæc meritoria exequatur opera, ne Chriſti meritum à præmio ſibi debito fruſtretur aliquando. At hæc prædeterminatio ſtare non poteſt cum noſtræ volũtatis libertate, neque proinde cum merito noſtro, quod eſſentialiter poſtulat in opere meritorio libertatem: ergo, &c.

Secundo, ſuppoſita gratia iuſtificante in anima, habet homo in ſeipſo ſufficiens principium merendi de condigno: ergo non eget extrinſeca applicatione meritorum Chriſti, & cooperatione ipſiuſmet ad merendum gloriæ, & gratiæ augmentum. Patet conſequentia. Quoniam alias non eſſet concedendum, quod habet iuſtus intra ſe ſufficiens merendi principium. Confirmatur. Homo qui meretur, eſt cauſa totalis ſui meriti: ergo Chriſtus non cooperatur illi in opere meritorio: alias enim haberent ſe vt duæ cauſæ partiales meriti.

Tertio arguitur contra id, quod in alia concluſionis parte dicebamus, Chriſtum meruiſſe nobis auxilia ſubſequentia gratiam. Huiuſmodi auxilia ſunt debita gratiæ ſecundum naturalem ipſius gratiæ ordinem, ergo hoc ipſo quod nobis Chriſtus meruit gratiam, meruit implicitè omnia hæc auxilia, & ex conſequenti non debet ſpecialis ratio meriti in Chriſti operibus reſpectu huiuſmodi auxiliorum conſtitui. Confirmatur. Non poteſt eſſe, quod eadem res, quæ alicui debetur, fiat denuo ei debita eodem titulo, ſed hæc auxilia ſunt debita homini iuſto ex vi meritorum Chriſti, quorum virtus applicatur in gratia iuſtificante: ergo nequeunt fieri denuo ei debita ex applicatione ſpeciali eorundem Chriſti meritorum.

Primum argumentum magnam nobis occaſionẽ offerebat diſputandi grauem illam, ac moleſtam quæſtionem, num, videlicet, Deus præcedenti aliquo efficaci auxilio, noſtram ad operandum prædeterminet voluntatem, vel in omnibus, vel in aliquibus actionibus: & an ab æterno prædefinierit in particulari aliquot humanæ voluntatis actiones. Verum nec temporis, neque loci commoditas hanc in præſentia diſputationem admittunt, quam tamen ad longum proſequuti ſumus in noſtro primo libro de origine, & poteſtate gratiæ tract. 3. Vnde in præſentia breuiter eſt illud primum argumentum diluendum. Et prima ſolutio iuxta mentem eorum qui prædefinitionem, & prædeterminationem humanorum actuum negant, ſit in hunc modum. Quod Chriſtus meruit hominibus iuſtis totum id, quod pietatis eſt, & ſupernaturalis bonitatis in eorum meritorijs actionibus. Quod ſatis eſt, vt ſimpliciter dicatur meruiſſe merita iuſtorum, etſi non meruerit actualem determinationem voluntatis ipſorum ad operandum meritoriè: ſed relicta ſit hæc libera determinatio in facultate humani arbitrij poſita. Nam quod iuſtus homo de condigno mereatur, & gratiæ, & gloriæ augmentum, non prouenit formaliter ex hac libera voluntatis determinatione, quæ tantum habet requiſitæ conditionis rationem; ſed ex bonitate, & perfectione operis, quæ tota eſt ex Chriſti meritis.

Sed

Sed ſit ſecunda ſolutio iuxta ſententiam contrariam, quæ apud me certa eſt, & indubitata, quia non ſolum Deus nobis poteſtatem ad bene operandum, & merendũ confert, ſed etiam ipſum actualem bene operãdi vſum. Quod luce clarius expreſſit Apoſtolus in illis verbis ad Philippen. 2. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Non ſolum poſſe velle, ſed ipſum velle operatur in nobis. Et non dixit nobiſcum, ſed in nobis, vt præanteceſſionem, & eminentiam ex parte Dei agnoſcamus in actuali bono noſtræ voluntatis vſu. Qua ſententia ſuppoſita, ad argumẽtum neganda eſt minor. Ad probationem concedatur, cuiuſuis iuſti voluntatem efficaciter prædeterminari à Deo ad benè, & ſtudioſè, & meritoriè operandum. Sed hæc efficax determinatio ſuauis eſt, & proportionata naturę voluntatis: quia eſt ab eius naturæ authore, qui nouit, & poteſt ipſam mouere, & determinare proportionabiliter ad modum eius: & tanta cum ſuauitate, vt voluntas tam liberè operetur, atque ſi ipſamet eſſet prima, & ſola ſuæ determinationis cauſa, ab omni ſuperiori prędeterminante independens. Nam quia Deus tam ſcit, & poteſt ſuum concurſum accommodare proprijs inclinationibus, & naturis omnium ſecundarum cauſarum: idcirco dictum eſt de illo Sapientiæ cap. 8. Quod *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Fortiter, inquit Bernardus, *pro ſe, ſuauiter vero pro me.* Sed de hac re copioſius, & dilucidius tractauimus in lib. citato.

Ad ſecundum argumentum, non deſunt, qui putent Chriſtum non aliter meruiſſe augmentum gratiæ, & gloriæ cuiuſcunque iuſti, quam merendo illi iuſtificantem gratiam: in qua virtualiter, & radicaliter pręhabetur iſtud augmentum, quatenus in ipſa gratia includuntur radicaliter, & virtute ipſa opera meritoria, quibus iuſtus vtrunque iſtud augmentum poteſt mereri. Vnde dicunt, Chriſtum meruiſſe quidem nobis omnem gratiam, & gloriam, omneque noſtrum meritum: ſed id tamen intelligendum eſſe inquiunt in hoc ſenſu: Quod meruit gratiam iuſtificantem, quæ ſub ea ratione, qua Chriſtus eam promeruit, virtute, & radicaliter continet & merita, & augmentum gloriæ, ac ipſiuſmet gratiæ.

Cæterum hæc ſolutio nullatenus placet. Et primò quidem ea non eſt veroſimilis, ſi ſermo fiat vniuerſaliter de omnibus meritis, de omnibuſque meritorijs actionibus hominis iuſti. Certum eſt enim, quod illæ operationes meritoriæ, quæ excedunt totam intenſionem & gratiæ, & charitatis, ex quibus procedunt, nõ continentur ſimpliciter in virtute talis gratiæ, & ex conſequenti neque augmentum illud gratiæ, & gloriæ, quod iuſtus homo per huiuſmodi meretur opera: atque adeo ſaltem quantum ad iſta merita, & hoc gratiæ, & charitatis augmentum, neceſſum eſt dicamus, Chriſtum non radicaliter tantum, ſed formaliter ſua merita iuſtis applicuiſſe.

Prætereа neque vera eſt hęc ſententia, de alijs etiã meritis, quæ non excedunt intenſionem, & valorem gratiæ. Quod probo. Primum ex illa doctrina Conc. Trid. c. 16. ſeſſ. 6. quæ in hunc modum habet: *Cum enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tãquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent.* Ex qua ſanctæ Synodi doctrina manifeſte conſtat, Chriſtum actualiter influere in omnia opera meritoria cuiuſcunque hominis iuſti. Fateor quidem hoc teſtimonium, ſicut & alia quamplurima, quę & ex ſcripturis ſacris, ex alijſq; grauiſſimis Concilijs, atque ſanctorũ etiam Patrum doctrina afferri poſſunt, commodam explicationẽ habere, ſi dicamus, hunc Chriſti influxum, ex quo pendent bona iuſtificatorum opera, eſſe illum, quo Deus vt author gratię concurrit cum ipſa gratia, & cum ſupernaturalibus virtutibus ad ſpiritualia, & meritoria opera: ad eum modum, quo vt author naturæ concurrit cum cauſis naturalibus ad producendos naturales effectus. Qui ſanè ſupernaturalis Dei concurſus tribuitur etiam Chriſto vt cauſę meritoriæ, & forſan etiã vt efficienti efficientia phyſica inſtrumentali: ita quod Chriſti meritum applicetur ad actum, & non formaliter ad præmiũ ipſius meritorij actus. Volo dicere, quod meritum Chriſti concurrit ad hoc, vt homo iuſtus exeat in talẽ actum meritorium, v. g. in actualem Dei amorem: quem meruit Chriſtus homini iuſto ſecundum meriti efficaciam, & implicitè meruit quoque ſecũdum efficaciam eandem præmium correſpondens huic operi. Formaliter verò non applicatur meritum Chriſti, vt ſibi correſpondeat idem præmium, quod reſpondet huic operationi hominis iuſtificati. Eſtq; notãdum, quod licet ſecundum fidem credendũ ſit, quod Chriſti meritum quantum ad ſufficientiam formaliter extenditur ad omnem gratiam, & gloriam omnibus hominibus collatam, & conferendam, veruntamen de efficaci applicatione res aliter ſe habet. Quia non certa fide tenemur credere, quod formaliter, & immediatè Chriſti meritum fuerit applicatum ad ſingulos gradus gratiæ, & gloriæ. Sed probabiliter dici poſſet, quod formaliter fuit applicatum ad aliquem certum gradum gratiæ, & ad aliquam determinatam operationem. Implicitè vero, & virtualiter ad illud præmium, quod tali operationi, à tali gratiæ gradu emananti, reſpondet. Et iuxta hunc modum poſſet procedere probabilis ille dicendi modus, quem nunc referebam. Vnde qui ita diceret, nihil aſſeret improbabile. Quoniam re vera ſaluat actualem Dei influxum efficientem phyſicum, & moralem Chriſti meritorium. Sed quoniam S. Trid. Synodus virtutem, quam Chriſtus in ſua membra influit, dicit non ſolum eſſe antecedentem, & concomitantem, ſed etiam ſubſequentem. Amplius quid nobis videtur eſſe dicendum, nimirũ, quod non ſolum iuſtus ex influxu, & virtute capitis Chriſti habet benè, & meritoriè operari, verumetiã quod ſimul cum ipſo iuſto merente, Chriſtus meretur, id eſt applicat ſua merita ad illudmet præmium, quod correſpondet operi meritorio hominis iuſti. Itaque Chriſtus non ſolum meruit, vt homo iuſtus talem haberet meritoriam actionem, ſed etiam meruit illudmet præmium, quod per eãdem actionem ipſe iuſtus meretur, & quantum ad hoc vtrũque applicat Chriſtus ſuam virtutem, actuque influit in ipſum iuſtum, & in eius operationem. Diciturq; Chriſti influxus ea ratione ſubſequens opus bonum hominis iuſti, quatenus præmium operi correſpondẽs, etiam reſpondet Chriſti, quatenus applicuit actu in illo opere ſuam meritoriam virtutem. In hoc ſenſu

Digitized by Google

intelligenda ſunt multa, quæ habentur in Concilio Arauſican. præſertim in cap. 24. & 25. In eodemque ſenſu intelligenda eſt illa comparatio, qua Chriſtus ſe comparauit viti, noſque palmites eo eſſe dixit, quia non minus ab ipſo pendemus, quàm palmites à vite. Et ita ibidem Chriſtus concludit ſententiam illam celebrem, *Sine me nihil poteſtis facere.* Super quem locum legendus eſt Auguſtinus in tractat. 80. & 81. ſuper Ioannem, ſed legatur præcipuè in tractatu 86. ad finem, vbi dicit, quòd gratia Chriſti, quæ nobis neceſſaria eſt, & ſine qua nihil poſſumus facere, non inuenit, ſed efficit merita. Nam hæc merita ſunt fructus ille, de quo ibidem dicit Chriſtus: *Ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Eſtque aduertendum, quod permanentia fructus ad influxum Chriſti ſubſequentem pertinet. Tum quia tranſacto bono opere, perſeuerat illud ius ad gloriam promeritam, quod eatenus fuit in meritis Chriſti fundatum, quatenus ipſa Chriſti merita fuerunt applicata illi bono operi actuali. Tum etiam quatenus virtute meritorum Chriſti ipſe iuſtus, qui virtute Chriſti meruit gloriam, ſeu augmentum eius, conſeruatur in gratia, vt ſit benè diſpoſitus, & aptus ad percipiendum præmium ſui meriti. Quæ ſanè perſeuerantia ad ſolum Chriſti pertinet meritum, & nullatenus ad meritum ipſius hominis iuſti pertinere poteſt.

Secundo probatur idipſum. Primum capitis officium eſt actu influere in ſua membra, ita quod non ſolum influit in ea virtutem qua ſint, ſed etiam qua operentur. Sed Chriſtus eſt caput, cui perfectè vniũtur homines iuſti, ergo actualia bona, & meritoria hominis iuſti operatio, ex actuali Chriſti influxu habentur. Hac ratione ſumpta ex capitis naturalis analogia vtitur ſancta Synodus Trid. loco dudum citato, atque etiam Paul. ad Epheſ. 4. cuius verba referam, quia noſtro intento valdè conducunt. *Veritatem autem,* inquit. *facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate,* &c. Ecce quemadmodum Paul. omnem membrorum corporis Chriſti myſtici perfectionem, omneque ſpirituale augmentum actuali influxui Chriſti capitis tribuit.

Tertio probatur. Quod Chriſtus prædicto modo ſuum nobis applicet meritum, ita vt præmium quod actu meremur reſpõdeat etiam meritis Chriſti actu nobis applicatis, cedit in magnam excellentiam meriti noſtri, ergo amplecti debemus hanc ſentẽtiam, vt magis conſentaneam redẽptioni noſtrę per Chriſtum factæ. Quia tanto dignior, & auguſtior æſtimãda eſt Chriſti redemptio, quanto abundantiorem gratiam, & perfectiora merita in nobis cauſat, & efficit. Perfectior enim modus iuſtificandi nos, perducendique nos ad æternam ſalutem, Chriſto tribuendus eſt: cum ipſe ad hoc in mundum venerit, vt nos ſaluos faceret à peccatis noſtris, vt noſtramque curaret ſalutem, eſſetque omnibus obtemperãtibus ſibi, vt Paul. ad Hebr. 5. inquit, cauſa ſalutis æternæ.

Exploſa igitur prima illa ſolutione ſecundi argumenti, aliter reſpondetur. Et dico, quod ſicut hæc conſequentia non valet, Sol habet in ſe virtutem efficientem ad illuminandum: ergo poteſt illuminare ſine actuali Dei concurſu, & independenter à prima cauſa. Ita non valet in præſentia iſthæc conſequutio, Homo iuſtus habet intra ſe ſufficientem virtutem ad merendum, & ſatisfaciẽdum coram Deo, ergo poterit ſatisfacere, aut mereri independenter ab actuali influxu Dei authoris gratiæ, & Chriſti, qua ratione eſt vniuerſalis cauſa meritoria, & ſatisfactoria. Et ratio huius eſt, quoniam concurſus actualis vniuerſalis cauſæ computatur inter per ſe requiſita intrinſeca ad operationem cauſæ ſecundæ. Nam licet ab extrinſeco proueniat concurſus iſte, attamen ſicut eſt omnino neceſſarius ad operandum, ita & ſecundum talis naturæ ordinem, debitus eſt ipſi formæ per quam ſecunda cauſa operatur, & cum ea cõiungitur, & efficitur quaſi vnum quid cum proprio ipſius ſecundæ cauſæ concurſu.

Ad confirmationem reſpondetur ex doctrina S. Th. 3. p. q. 39. art. 5. ad 3. & q. 49. art. 1. ad 4. quod licet homo iuſtus per modum cauſæ particularis ſit totale operans, eget tamen morali Chriſti, ac paſſionis eius actuali influxu: eo quod Chriſtus paſſus, & mortuus eſt cauſa vniuerſalis in ratione merendi, & ſatisfaciẽdi, beneque, & fructuosè operandi ad æternam vitam: quæ vniuerſalis cauſa in ſuo genere eſt etiam totalis, & completa. Cuius rei habetur manifeſtum exemplum in cauſis naturalibus. Ad omnem enim effectum cauſæ ſecundæ, concurrunt cauſæ vniuerſales, vt minimũ prima, & vniuerſaliſſima, cuius cauſalitas à nullo effectu poteſt excludi. Vnde non ſuperfluit moralis cauſalitas Chriſti ſimul concurrens cum cauſalitate hominis iuſti merentis, & ſatiſfacientis: quin potius eſt ſummopere neceſſaria.

Hoc loco occaſio ſe offerebat ſuccenſendi illum lutheranicum errorem: qui exiſtimauit iuſtorũ merita obſcurare, & minuere paſſionis Chriſti meritũ, & quod infinitas Chriſti meriti excludit totaliter merita iuſtorum. Cuius erroris aſſertum vtrumque, præterquãquòd Catholicæ veritati aduerſatur, manifeſtam falſitatem, apertumque errorem, contra doctrinam in philoſophia notiſſimam ſubindicat. Et quis enim vel mediocriter in philoſophicis inſtructus non probe nouit, quod omnipotentia, & infinita virtus primæ cauſę, non modũ non deſtruit, neque euacuat virtutes, & poteſtates inferiorum cauſarum: verum ipſas confirmat, & perficit: & quod virtutes, & facultates cauſarum inferiorum, non arguunt vllam indeficientiam, aut infirmitatem in virtute vniuerſaliſſimæ, & primæ cauſæ, quod paulò ſuperius, etſi aliud agentes, declarauimus. Cur ergo idipſum proportionabiliter non dicemus aduerſus inſanientes hæreticos, & in media luce palpantes tenebras? Nimirum quod infinita, & præexcellens virtus infiniti meriti, & ſatisfactionis Chriſti, non modò non impedit, neque diſſipat merita, & ſatisfactiones iuſtorum: verum perficit potius, auget, & amplificat: & quod illa meritoria, & ſatisfactoria ratio, nullatenus obſcurat Chriſti meritum. Sed ſi verbis ſanctæ Synod. Trid. ſeſſ. 6. can. vlt. vti licet, illuſtrat potius, & extollit. Ad eum modum quo excellens cauſę virtus dum exprimitur in ſuis effectibus, extollitur, & magnificatur, ſeque illuſtriorem efficit, & auguſtiorem. Sed de his alias copioſius erit dicendum.

Ter-

Tertium argumentum non aliqua difficultate caret,ſed ab ea nos facile expediemus. Et primum dico, illud argumentum non procedere vniuerſaliter de omnibus auxilijs gratiam ſubſequentibus. Nam multa ſunt ſubſequentia auxilia,quæ nullatenus ſunt debita gratiæ, quæ tamen nobis ſunt omninò neceſſaria ad ſalutem æternam. Quorum præcipuum eſt auxilium ad perſeuerandum in gratia,quod,vt ſuperius ex ſacro Concil. Trid. referebamus definitum, ſub nullis poteſt noſtris meritis cadere. Specialia itidem Dei adiutoria non pauca,quæ ad hoc præcipuũ reducuntur auxilium,ſunt neceſſaria nobis, propter naturæ noſtræ infirmitatem ex originali peccato cõtractam. De his igitur auxilijs argumentum nullatenus procedit, ſed conſtantiſſimum eſt,& certa fide tenendum,vt ex dictis conſtat, quod hæc auxilia accipimus, ex Chriſti meritis nobis miſericorditer ad actualiter operandum applicatis.

De auxilijs verò regularibus, quæ in ordine ſupernaturali debita ſunt gratiæ, & virtutibus infuſis, vt ſe poſſint in ſuas actiones exercere, aliqualis eſt difficultas. Nam cum ſint debita homini iuſto, quatenus iuſtus eſt,non videtur eſſe neceſſaria noua meritorum Chriſti applicatio, vt iſthęc homini iuſtificato cõferantur auxilia,cui difficultati duo arbitror fore dicenda. Primum, Meo iudicio(quod ſubiicio meliori) non pertinet ad fidem dicere,quod ad hæc auxilia ſuſcipienda ſit neceſſaria, aut quod de facto cõtingat,ſpecialis applicatio meritorum Chriſti,ſed ſatis fuerit illa applicatio, quæ facta eſt ad ipſam gratiæ infuſionem. Nam ex vi illius antecedentis applicationis debita ſunt hæc auxilia homini iuſtificato propter ipſa Chriſti merita. Et ſi vera eſt illa ſententia,quæ aſſerit, Deum neceſſitari ad acceptandum merita Chriſti, conſequenter dicendum erit, quod tenetur Deus dare hæc auxilia homini iuſtificato.

Sed dico ſecundũ, probabilius eſſe, & magis conſentaneum modo loquendi ſacrarum literarum,Cõciliorum,& Patrum, quod reſpectu horum auxiliorum interuenit ſpecialis applicatio meritorum Chriſti. Voluit.n. Chriſtus facere nobis debita hęc auxilia pluribus modis, & titulis. Ita quod non ſolum ſint debita ex connaturalitate quæ reperitur inter ipſa, & gratiam: ſed etiam ex debito morali iuſtitiæ rigoroſę per ordinem ad Chriſtum nobis ſua merita applicantem. Voluit præterea,vt non ſolum fierent debita ex implicita, & quaſi præterita ipſorum meritorum applicatione facta in actuali infuſione gratiæ, ſed etiam ex applicatione explicita, & formali, & actualiter concurrente cum noſtris operationibus. Nam hunc actualem influxum moralem poſtulat ex parte Chriſti ipſa ratio capitis,pertinet enim ad proprium capitis officium, & munus, vt membra nullum habeant motum, nullamue actionem, abſque actuali ipſius capitis influxu. Atqui in Chriſto perfectiſſima moralis capitis inuenitur ratio, ac proinde omnia, quę per ſe ad officium perfectiſſimi moralis capitis attinent,ſunt ei tribuẽda. Et ob id forſan dicebat Pau. Gal. 2. *viuo ego iam non ego, viuit in me Chriſtus*. Ipſe enim omnia noſtra operatur bona, actu influens, vt caput in membra,& ſicut in membris explicatur vita capitis, & magis pertinet membri motus ad vitam capitis, quam ad vitam particularis membri. Ita Chriſtus magis viuit in iuſtis,quam ipſi viuant. An vero in eſſe phyſico Chriſtus ſit caput hominum, & Angelorum, phyſicumque habeat influxum, ſequenti quæſtione explicabitur. Confirmatio tertio argumento ſuppoſita ex his facile diluitur. Diciturque illi,quod primum auxilij neceſſarij debitum,quamuis radicaliter fundetur in ipſis Chriſti meritis, ſitq. ex conſequenti debitum morale, ſi eius radicem contemplemur, at proxime, & ex immediato principio conſideratum,non tam eſt morale,quam phyſicum debitum iſtud Oritur enim ex natura ipſius gratiæ,quatenus ad naturæ eius authorem attinet,conferre eum illum ſupernaturalis ordinis concurſum, ſine quo in operationes ſibi cõnaturales prodire nequit. Vt ergo illud debitum quod radicaliter tãtum morale eſt,& meritorium, ſit quoq. formaliter, & proxime meritorium, & morale, neceſſaria eſt actualis meritorum Chriſti applicatio iuxta modum ſuperius expoſitum facta.

§. 4. *Tertia concluſio*.

CHriſtus meruit nobis remiſſionem omnium peccatorum,remiſſionem æternæ pęnæ,ac denique remiſſionem omnis pęnæ temporalis. Prima pars concluſionis,ſi de peccatis mortalibus intelligatur,certa eſt ſecundum fidem: Nam eadem teſtimonia ſcripturæ ſacræ Conciliorum. & Patrum, quibus probauimus Chriſtum meruiſſe nobis iuſtificationẽ & gratiam,probant efficaciſſime Chriſtum meruiſſe remiſſionem horum peccatorum:vna enim pars iuſtificationis eſt peccatorum remiſſio, Nam ita dicit Conc. Trid. ſeſſ.6. cap.7. *Vnde in ipſa iuſtificatione cũ remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo. fidem,ſpem,charitatem, &c.* Et præterea proprius effectus iuſtificantis gratiæ eſt peccatum ab anima expellere, & hominem conſtituere formaliter reconciliatum Deo,quæ ſine peccatorum remiſſione conſtare nequeunt. Probatur præterea ex illo Paul. ad Epheſ.2. *Cum eſſemus mortui peccatis,conuiuificabit nos in Chriſto*, item Paul. ad Rom.4. pro eodem reputat hominem iuſtificari, & ei remitti peccata: loquens enim de fœlicitate eius, qui ſine meritis iuſtificatur, affert illud Pſal.31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata*. ergo eadem fide qua credimus Chriſtum meruiſſe iuſtificationem noſtram, tenemur credere meruiſſe peccatorum mortalium remiſſionem.

De peccatis autem venialibus non eadem eſt ratio,quoniam non priuant gratia,& amicitia Dei,neque nos reddunt ſimpliciter iniuſtos. Vnde ex eo,q. Chriſtus nobis meruit gratiam, & iuſtitiam non efficaciter colligitur meruiſſe peccatorum venialium remiſſionem. Eſt tamen concluſio adeo certa, vt non ſolum temerarium,ſed periculoſum in fide cenſeam illam negare,imo,ſi manifeſtus non eſſet error,eſſet tamẽ errori proximum. Etſi nonnulli Theologi diſſentiant. Et primo nõ poterit non eſſe temeritas, quoniã opponeretur in re graui communi Theologorum ſententiæ,in 4.diſt.19. & colligitur ex S Th. 3.p. q.48. ar.2. & 49.ar.1. ſed quod ſit periculoſa, imo proxima errori probo. Apocalip. cap.7. habetur,quod Sancti *lauerunt, & dealbauerunt ſtolas ſuas ſuas in ſanguine agni*. Illud verbum *dealbauerunt*,

denotat omnem animæ munditiem, cum qua non compatitur veniale peccatum 1. Ioa. 1. dicitur, quod *ſanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato*. Certè hęc verba totalem deſignant munditiem, etiam à peccato veniali, quoniam peccatum in ſacris literis non ſolum mortale, ſed etiam veniale deſignat, & qui totum dicit nihil excludit, vt regula iuris habet. Præterea oſtendo, quod in hoc teſtimonio peccatum comprehendat etiam veniale. Nam S. Ioan. intendens ibi probare, quod egemus Chriſti ſanguine, cuius proprium eſt mundare ab omni peccato, poſt illa verba mox ſubiunxit. *Si dixerimus quod peccatum nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, &c.* Si Apoſt. Ioan. verbis præcedentibus de mortali tantum peccato loqueretur, impertinentiſſimè adderet hanc ſententiam nunc relatam; quia hæc ſententia, ſecundum fidem catholicam, intelligenda eſt de peccatis venialibus, ſine quibus humana vita tranſigi nequit, abſque ſpeciali Dei priuilegio, quale conceſſum fuit Beatiſſimæ Virgini. Hoc argumentum apud me eſt magni momenti, propter quod exiſtimo contrariam ſententiam proximè ad errorem accedere, ſi modo nõ eſt error. Et adhuc magis vim eius ex præcedentibus verbis confirmo. Si autem, inquit Ioan. *In luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus adinuicem*. Et mox addit. *Et ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato*. Et continuo ſubiũgit. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, &c.* Manifeſtiſſimum apparet. Ioannem loqui de emundatione, quam Deus facit iuſtis, qui habent ſocietatem cum ipſo in luce ambulantes. Et ne quis exiſtimaret, quod eo ipſo, quo quis iuſtus eſt, & in luce ambulans, non eget Chriſti ſanguine, qui eum mundet, idcirco addit Ioan. illa verba. *Si dixerimus, &c.* Ego planè ſolutionem non video, & ob id tandem vincor, vt affirmem hãc veritatem eſſe in fide certã. Etenim horũ verborum S. Ioan. conſequentia apertè demonſtrat, ipſum de peccatis quoque venialibus ſermonem ibi feciſſe. Fauet illud Apocalip. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Indefinita, à peccatis pro vniuerſali ponitur, Et quidem tam grandis Chriſti dilectio, non potuit nõ omnium peccatorum abſolutionẽ facere. Quid ni? Præterea ad Hebr. 9. apertè docet Apoſt. quod neq. in veteri, neque in nouo teſtamento contigit peccatorum remiſſio, abſque ſanguine: & loquitur abſolutè de peccatis, in abſtractione à peccatis ſiue mortalibus, ſiue venialibus. Et confirmo vim huius argumenti. Virtus ſanguis Chriſti omnia illa delet peccata, pro cuius remiſſione offerebantur olim in veteri teſtamento ſacrificia legalia, præſignabant enim ſacrificia illa magnum crucis ſacrificium, ſed illa ſacrificia offerebantur etiam pro remiſſione venialium, quod vel ex verbis Paul. loco dudum citato non obſcurè colligitur ſic ait [ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine quem offert pro ſua, & populi ignorantia. Hoc verbum, ignorantia] certè omne peccatum comprehendit, etiam veniale, nam in omni peccato aliqua ignorantia, ſeu inconſideratio interuenit, eſt enim omnis peccãs ignorans: ergo, &c.

Colligitur præterea hæc veritas ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. vbi expreſſè Concil. dicit: Chriſtum pro noſtris peccatis ſatisfeciſſe, cui nos dum pro noſtris ſatisfacimus peccatis aſſimilamur, & conformamur. Quod verò concil. de omnibus peccatis etiam venialibus ſermonem fecerit, ſic colligo. Conci. loquebatur ibidem de ſatisfactione, quæ tertia pars eſt ſacramenti pœnitentiæ, ſed hæc ſatisfactio non ſolũ eſt pro mortalibus. ſed etiam pro venialibus. Nam licet venialia peccata non ſint neceſſaria materia huius ſacramenti, ſunt tamen materia ſufficiens, ergo ne diminutus fuerit ſacri concil. tractatus, de ſatisfactione pro vniuerſis peccatis, quæ ad pœnitentiæ ſacramentum afferri poſſunt, eius doctrina accipienda eſt.

Sed iam rationibus eadem probatur ſententia. Chriſti ſatisfactio fuit infiniti valoris, pretium ſimiliter pro noſtra redemptione oblatum, precioſiſſimus, nempe, ſanguis eius, infinitum fuit, ergo vtraq. & ſatisfactio, & redemptio, omnimodam habuit vniuerſalitatem, & ad omnem culpam, & mortalem & venialem ſe extendit. Confir. Chriſtus fuit vniuerſalis redemptor, fuitque eius redemptio copioſa, vt dicitur Pſ. 129. ergo ad omne ſe extendit peccatum, alias vniuerſalis non fuiſſet.

Secunda ratio. Ad Chriſtum pertinet homines, quos redemit ad gloriam perducere, quod patet, tũ ex officio redemptoris, quod ad ſui perfectionem hoc expoſcit. Tum ex illo Pauli ad Hebr. capit. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat*. Sed peccata venialia impediunt introitum ad gloriam, in cęleſtẽ enim illam Hieruſalem, in qua Deus ſe exhibet omnium bonorum pręmiatorem magnificum, nihil introibit coinquinatum, & immundum, ergo ad Chriſtum ſpectat venialia peccata delere, & remittere, vt hoc impedimẽtum perueniendi ad gloriam ab hominibus iuſtis à ſe redemptis auferat, vide Th. 3. p. loc. cit. vnde poſſunt rationes iſtę amplificari, & extendi. Ex quibus omnibus, & ex communi fideliũ conſenſu, quibus hæc veritas ſemper fuit perſuaſa, exiſtimo non poſſe abſque erroris periculo, imo & abſq. manifeſto errore oppoſitum huius tertiæ concluſionis affirmari. Cui ſententiæ non refragatur Mag. Sot. in 4. diſt. 19. q. 1. ar. 4. in quodam ſecundo argumento, quod pro concluſione quadam ſecunda ibi formauit.

§. 5. *Quarta concluſio*.

Chriſtus meruit nobis æternæ pœnæ remiſſionem. Iſta concluſio eſt certa ſecundum fidem eadem certitudine credenda, qua credimus Chriſtũ fuiſſe redemptorem, & iuſtificatorem hominum, meruiſſeque eis omnem iuſtitiam, & gratiam, ac denique meruiſſe peccatorum remiſſionem. Probatur, remiſſio pœnæ æternæ per ſe, & intrinſecè conſequitur remiſſionem mortalis culpæ. ergo qua fide credimus Chriſtum meruiſſe nobis peccatorum mortalium remiſſionem, tenemur credere meruiſſe remiſſionẽ æternę pœnę. Probatur ſecundo. Pœna ęterna eſſentialiter conſiſtit in priuatione æternæ vitæ, in perpetuaque diuinæ viſionis carentia. Sed Chriſtus meruit nobis æternam vitam, Ioan. 10. *Veni vt vitam habeant, & vt abundantius habeant*. ergo, & remiſſionem ęternæ pœnę, Tandem confirmatur ex illo Ioan. 3. vbi explicans Chriſtus potiſſimum ſui aduentus fructum, ita inquit. *Vt omnis qui credit in*

ipſum

Digitized by Google

ipſum non pareat, ſed habeat vitam æternam. Non perire quid aliud eſt, quam non æternaliter damnari? Per Chriſtum, ergo ab æterna damnatione liberamur, atque adeo æternæ pœnæ remiſſionem nobis promeruit. In hac concluſione vniuerſi Theologi vnanimi conſenſione coeunt. vide S. Th. 3. p. q. 39. ar. 5. ad 3. Et alijs locis in quibus docet Chriſtum meruiſſe apertionem ianuæ cæleſtis.

§. 6. *Quinta concluſio*.

Chriſtus meruit nobis temporalis pœnæ remiſſionem. Illa temporalis pœna vocatur, ad quā ſubeundam vel in hoc ſeculo, vel in purgatorio, obligatus manet pœnitens poſt remiſſam culpam. Hanc concluſionem nonnulli Theologi putant non pertinere ad fidem. Verum ego exiſtimo tam certam eſſe, quam eſſe dixi concluſionem tertiam, in qua fit ſermo de peccatis venialibus. Et omnia argumenta quæ pro illa concluſione feci, accommodari poſſunt ad huius concluſionis probationem. Et quidem cum ſacræ ſcripturæ dicunt ſanginem Chriſti emundare nos ab omni peccato, intelligendæ ſunt cum hac extenſione, vt peccati nomine etiam pœnæ peccatorū intelligantur. Quæ intelligentia non eſt à nobis conficta, ſed in ſacris literis fundata, ex quibus conſtat pęnas quibus ſubeundis is, qui iuſtificatur manet aſtrictus peccata vocari, & earum remiſſionem appellari remiſſionem, aut ſolutionem peccatorum. In hoc ſenſit dicitur 2. lib. Machab. c. 12. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*. Paul. ad Rom. 7. vocat peccatum pęnalitates, quæ ex originali culpa dimanarunt. Sed prter argumenta quibus probauimus tertiam concluſionem, nouum ſe argumentum offert pro hac quinta concluſione, quod etiam poteſt conferre ad tertiæ concluſionis confirmationem. Theſaurus Eccleſiæ, qui ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus conflatus fuit in eccleſia relictus, applicari poteſt, & de facto applicatur per authoritatem Pontificiam ad remiſſionem pœnarum, quæ debentur poſt mortalem culpam condonatam, ergo neceſſum eſt fateri, Chriſtum meruiſſe harum pœnarum remiſſionem, & ſatisfeciſſe pro peccatis quantum ad culpam, & pœnam. Antecedens eſt fides catholica definita in extrauaganti vnigenitus de pęnitentijs, & remiſſ. & habetur ex certiſſima eccleſiæ traddition, de qua re non eſt in præſentia diſputandum. Legatur Caietan. in primo tom. opuſc. tract. 15. à principio. Conſequentia verò probatur, quia ſi Chriſtus non meruit harum pœnarum remiſſionem, neque plene pro vniuerſis peccatis ſatisfecit quoad culpam, & pœnam, actum eſſet de theſauro Eccleſiæ. Non enim vlla poſſent extare Chriſti merita aut aliquæ ipſius ſatisfactiones, quæ remanerent repoſitæ in Eccleſiæ theſauro ad has pœnas delendas, & remittendas. Certè eadem certitudine, qua credimus theſaurum indulgentiarum eccleſiæ, credere deberemus Chriſtum meruiſſe remiſſionem harum temporalium pœnarum. At dicit Palud. quod ſaltim aliquot pœnas ex his temporalibus Chriſtus reliquit nobis, vt nos pro ipſis ſatisfaceremus Deo, vt in earum liberaliſſima remiſſione omnimodam ipſius Dei liberalitatem, & gratiam experiamur. Verum hæc limitatio cum nullum habeat fundamentum, magna temeritate carere nequit. Ratio vero cui innititur, eſt impertinens, & vt crediderim iniurioſa Deo, qui vt nobis maximam gratiam, & miſericordiam ſuam oſtenderet, Chriſtum dedit mediatorem, & vniuerſalem redemptorem. Qui abundantiſſima pretioſi ſui ſanguinis effuſione nos ab omni vana noſtra conuerſatione plenè redimeret (vt S. Petri verbis vtamur) qui eximiæ Dei miſericordiæ non poteſt non eſſe iniurioſus, qui dixerit, quod in ea peccatorū ſaut pœnarum remiſſione, quam ſine meritis Chriſti impetraſſemus à Deo, ſplendeſcerent magis miſericordia, & liberalitas Dei, quam in ea, quæ fit per Chriſti merita & per redēptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quod ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. vlt. non obſcure colligitur, imo definitur apertè.

Iſta omnia, quæ diximus de remiſſione peccatorū & pœnarum, procedunt quantum ad ſufficientiam, nam quantum ad efficaciam non omnibus proſunt Chriſti merita, eiuſque ſatisfactiones, quia non omnibus efficaciter Chriſtus applicuit.

§. 7. *Sexta concluſio*.

Quoties homo iuſtus ſatisfacit, vel pro culpa veniali, vel pro pœnis temporalibus, quibus propter mortalia iam remiſſa tenetur, accipit actualem influxum à Chriſto, actualiterque ipſi applicantur & merita, & ſatisfactiones Chriſti. Iſta concluſio colligitur apertè ex his, quæ diximus præcedentibus cōcluſionibus. Ex quibus conſtat Chriſtum meruiſſe omnium harum pœnarum remiſſionem, ſicut nobis meruit gratiam, & gloriam, ergo ſicut in omni opere meritorio, quo gloriam, & augmentum gratiæ meremur, adeſt nobis actualis Chriſti influxus, actualiterque applicantur eius merita ad illudmet præmium, quod noſtris meritorijs operibus reſpondet: Ita cum ſatisfacimus pro hiſce pœnis, aut pro venialibus culpis, actualiter applicantur Xpi merita ad harum pœnarum, aut culparum remiſſionem, adeſtque nobis ipſe actualis Chriſti influxus. Omnes rationes, & omnia teſtimonia, quæ adduximus in prima concluſione adduci poterunt ad huius ſextæ concluſionis comprobationem. Nam ferè eandem vim habent ad eam comprobandam, atque habent ad probādum illam couclusionem primam. Et quidem cum huiuſmodi ſatiſfactio ſit opus membri viuentis, & perfectè coniuncti Chriſto capiti, adhuc mihi certius apparet (ſi maior eſſe poteſt certitudo) quod hanc ſatisfactionem habet homo iuſtus ex Chriſti meritis, & ex actuali eius influxu, quamquod habet auxilia præuenientia gratiam, & diſpoſitiones imperfectas, & remotas ab ipſa. Circa has omnes concluſiones lege Caiet. 3. tomo opuſ. tract. 10. 11. & 12. c. 8.

Conſulto in hac concluſione nullum feci verbum de remiſſione peccatorum mortalium, aut æternæ pœnæ, quia decreui in hoc loco non diſputare difficultatem illam, cuius diſputationem iam ſuperius repudiaui. Nimirum, an cum homo iuſtificatur ſatiſfaciat Deo per contritionem pro offenſa mortali. Siquidem aliquis hanc ſatisfactionem admiſerit, dicat proportionabiliter ad ea, quæ diximus de ſatiſ-

factione

factione pro pœnis, & pro venialibus culpis. Qui verò contrariæ adhæſerit ſententię, dicat, quod contritio ſi comparetur ad hominem, qui iuſtificatur nullam habet ſatisfactionis rationem, ſed eſt tãtum diſpoſitio, qua homo auxilio Dei præuentus, & adiutus ſe præparat, & diſponit ad gratiam ſuſcipiendã. Comparatione verò ad Chriſtum habet rationem medij, quo applicantur homini ipſa Chriſti ſatisfactio, ac eius meritum. Ita quod remiſſio peccatorũ, quæ reſpectu hominis pęnitentis eſt ſummè gratuita, ad Chriſtum comparata, & ad eius merita rigorem habet iuſtitiæ. Quo loco aduertendum eſt, quod ſicut cauſæ vniuerſalis influxus ad naturæ ordinem ſpectans, quandoque determinatur à cauſis efficientibus ſecundis inferioribus, vt ſolis concurſus ab igne determinatur ad producendum calorem, & à concurſu effectiuo aquæ determinatur ad producendã frigiditatem. Quandoque vero determinatur à cauſis materialibus, vt à materiali diſpoſitione terræ determinaĩ ſolaris virtus ad producẽdũ murẽ, aut aliud quodpiam imperfectum animal, neque vlla ibi interuenit cauſa particularis actiua, quæ determinet vniuerſalem ſolis virtutem ad huiuſmodi effectus, ſed tota eſt paſſiua, & materialis determinatio. Ita in ordine ſupernaturali quid ſimile contigit. Et vt omittamus alia, ea dicamus, quæ noſtro intento deſeruiunt. Dico ergo, quandoque contingere vniuerſalem Chriſti Redemptoris virtutem, quæ eſt ipſa ſolis iuſtitiæ virtus determinari (ſi ita fas eſt loqui cũ ipſa ſ[illegible] potius determinet, & accomodet) per concurſum effectiuum noſtrum, nimirum, per opera noſtra meritoria, aut ſatisfactoria ad ſupernaturales effectus, ad augmentum, videlicet, gratiæ, aut gloriæ, vel ad remiſſionem pœnarum, quæ debitæ ſunt poſt peccata, quoad culpam condonata, & remiſſa; etenim operatio noſtra ſatisfactoria, aut meritoria effectiuũ habet moralem concurſum, & qui moraliter influit effectiuè in prædictos effectus. Quandoque vero, ipſamet Chriſti virtus determinatur tantum à cauſa materiali, nimirum, ab operatione, quæ neque meritoriè, neque ſatisfactoriè concurrit ad ſupernaturalem effectum, quem ipſe virtutis Chriſti concurſus attingit, & efficit, ſed diſpoſitiuè duntaxat. Et hoc modo determinatur ad noſtram formalem iuſtitiam cauſandam ab vltima diſpoſitione ad gratiã, quam Theologi contritionem appellant. Quæ nullatenus effectiuè concurrit ad ipſam gratiæ productionem. Quam tamen ipſa Chriſti virtus efficit, nõ ſolum moraliter, ſed & phiſicè fortaſſis, de quo in quæſtione ſequenti.

§. 8. *Septima concluſio.*

CHriſtus Dominus vera fuit cauſa meritoria gratiæ Patribus antiquis collatæ, & omnium etiam ſupernaturalium donorum, quæ illis fuerunt à Deo conceſſa. Iſta concluſio certa eſt ſecundum fidẽ, quam vniuerſi Theologi, imo & antiqui Patres alleuerantiſſimè docuerunt. Et primo hanc concluſionẽ probant efficaciſſimè vniuerſa teſtimonia ſcripturæ ſacræ, Conciliorum, & Patrum, quorum in hac tota quæſtione meminimus. Ex quibus conſtat Chriſtum fuiſſe vniuerſalem totius humani generis redemptorem, & ſalutis omnium hominum authorem, & conſummatorem. Sed probatur ſpeciatim ex illo ad Timot. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius propter redemptionem præcedentium delictorum.* Quænam autem fuerint hæc præcedentia delicta, quæ per Chriſti ſanguinem remiſſa fuerunt, & condonata, explicuit ipſemet Paul. ad Hebr. 9. ita inquiens. *Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erãt ſub priori teſtamento, remiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* Ecce quemadmodum præuaricationes, quæ fuerunt ſub veteri teſtamento, ideſt, peccata eorum qui fuerunt ſub lege Moſaica, morte, & ſanguine Chriſti abolitæ ſunt, & remiſſæ. Huc attinet, quod Ioan. Apocalip. 7. Chriſtum vocat agnum occiſum ab origine mundi. Quod idcirco dixit Euangeliſta Ioannes, quia iuſti omnes, qui fuerunt ab origine mundi, virtute ſanguinis Chriſti in eius paſſione effuſi iuſtitiam ſunt, & Dei gratiam adepti. Ex Paul. 1. ad Corinth. 10. eadem colligitur veritas, vbi de antiquis Patribus loquens ita inquit. *Omnes eundem potum ſpiritualẽ biberunt, bibebant autem de ſpirituali cõſequentes eos petra, Petra autem erat Chriſtus.* Item conſtat ex eò, quod fides antiquorum, & noſtra eadem eſt ſecundum ſubſtantiam, etſi quaſdam accidẽtias temporis diuerſitates admittat, quod docuit Paul. ad Eph. 4. *Vnus Deus vna fides.* Solum tempus variatum eſt, inquit Auguſt. Sed per fidem applicãtur nobis Chriſti merita, & pretium ſanguinis eius, vt Paul. tertio quoque verbo in epiſtola ad Roman. dixit. Notentur illa verba c. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine eius.* Docuit hanc veritatem Auguſti. ſuper Pſal. 86. verſans illa verba. *Iunior fuit etenim ſenui. Caput noſtrum,* inquit, *Chriſtus eſt, corpus capitis illius nos ſumus, nũquid ſoli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt iuſti, caput Chriſtum habent.*

Quamuis hæc ſeptima concluſio certa ſit, & indubitata, non tamen eſt omninò facile ad intelligendũ quo pacto Chriſtus mereri potuerit gratiam, & iuſtificationem antiquorum Patrum, cum neceſſum ſit, vt meritum antecedat præmium. Multa diximus ſupra in ſecundo dubio huius tertij articuli, quæ ad hanc difficultatem explicandam non parum poſſunt conferre, imo ſufficient, niſi fallor. Sed nõ grauabor aduertere, diſplicere mihi modum loquendi quorũdam Theologorum, qui abſolutè, & ſine diſtinctione dicunt, Patres olim non accepiſſe gratiam à Chriſto, vt à cauſa meritoria, ſed vt à cauſa duntaxat finali. Qui melius, omni dubio procul, dicerent, eos accepiſſe gratiam à Chriſto, vt à cauſa meritoria, habente tamen modum cauſæ finalis. Etenim ſi ita antiqui Patres accepiſſent gratiam, vt eſſet medium ordinatum, ad hoc, vt Chriſtus in mundum veniret, vtque verbum fieret caro, & habitaret in nobis, vera eſſet illa Theologorum ſententia. At contra ſe res habuit, Non enim data fuit gratia antiquis Patribus, vt Chriſtus veniret, & vt ipſa conferret aliquid ad hoc, vt verbum caro fieret, ſed potius, quia Chriſtus venturus erat: & verbum carnem erat aſſumpturum, & in ea, & per eam communem totius humani generis ſalutem ſuis laboribus, & meritis erat operaturum, & exoluturum pro humana redemptione exuberantiſſimum pretium: idcirco gratia,

&

Digitized by Google

& ſanctitas data fuit antiquis Patribus. Itaque in hunc modum loqui debet Theologus, vt nec ab ipſa veritate, neque à communi modo dicendi Patrum recedat. Quod antiqui Patres acceperunt gratiam, & peccatorum remiſſionem propter Chriſti merita in diuina præſcientia, & præuiſa, & acceptata à Deo, & quod Chriſtus habuit rationem cauſæ meritoriæ præuiſæ, & acceptatæ. Quod non eſt extra rationem cauſæ meritoriæ; Nam cum ſit cauſa moralis, quæ operatur iuxta intentionem, & liberam conuentionem merentis, & præmiantis: nihil inconuenit quod antequam exiſtat ſuum ſortiatur effectum, induens modum cauſæ finalis, cum tamen verè ſit cauſa meritoria, & non finalis. Cauſa enim quæ mouet operantem, non vt futura ſit, ſed quia futura eſt, non eſt verè, & eſſentialiter cauſa finalis, & ſi modum quendam eius induat. Vnde autē prouenerit, quod Deus propter Chriſti merita in æternitate præuiſa gratiā, & ſanctitatem veteribus contulerit Patribus, non vacat in præſentia ad longum examinare. Sufficiat pro nūc dicere, quod Deus prædeſtinauit Chriſtum, vt eſſet cauſa non ſolum exemplaris, ſed etiam meritoria totius ſanctitatis, & iuſtitiæ, imo & forſan prædeſtinationis omnium hominum, vnde, & diſpoſuit vt ipſa Chriſti opera, quæ in tempore ex diuinæ voluntatis conſilio determinato, & præſcripto futura erant, meritoria eſſent omniū cœleſtium bonorum, quæ Deus decreuit hominibus, ſaltem poſt Adæ peccatum, conferre, ita vt verè potuerit Paulus dicere, quod *benedixit nos*, id eſt, totam humanā naturam, *omni benedictione ſpirituali in Chriſto*. Ex quo factum eſt, vt cum ipſe Chriſtus in mundum venit, antiquis Dei conſilijs annuens, & quæcumque ab eo circa humanam ſalutem fuerant olim diſpoſita approbās, ſua merita, propriaſque ſatisfactiones, non ſolum pro præſentibus aut futuris hominibus, ſed & pro præteritis, & pro toto denique humano genere obtulit. Qua ratione vere dicitur tunc meruiſſe gratiā, quæ præteritis temporibus Deus intuitu meritorum eius, vetuſtis parentibus contulerat.

Sed inſurgunt quidam ingenioſi Theologi in hunc modum argumentantes, Merita Patrum etſi intentione poſteriora fuerint in diuino intellectu incarnatione Chriſti, & meritis, fuerunt tamen execurione priora, erga prius ordine rationis fuerunt à Deo in æternitate per ſcientiam viſionis præuiſa, quam incarnatio Chriſti, eiuſque merita: atq. adeo Patrū merita non habuerunt dependentiā à Chriſti meritis, neq. ēt vt puiſis, & præacceptatis. Hoc argumentū illam inſinuabat difficultatē, num, videlicet, viſionis ſcientia Dei, qua res omnes: quæ in aliqua temporis differentia habebunt eſſe, in ſua æternitate ab æterno, vt præſentes intuetur, ita ſit conformis ipſarum rerum exiſtentijs, & durationibus, vt Deus rem illā prius ordine rationis cognoſcat, quam prius exiſtat extra ſuas cauſas producta. Cæterum hæc difficultas, eiuſque examinatio ad alium pertinet locum. Ego quidem in lib. 1. de origin. & poteſt. grat. tract. 3. hanc controuerſiam in partem negatiuam me reſoluiſſe memini, in cuius perſuaſione adhuc per ſiſto. Exiſtimo enim, quod tota ſucceſſio creaturarum in ſuis temporarijs durationibus, materialis eſt omnino, per accidenſque ſe habet comparatione ad excellentiſſimam illam æternamque diuinæ intellectus viſionem, atque adeo crediderim, quod omnia præſentia, præterita, & futura in vno, & eodē rationis ſigno præſentata fuerunt diuino ipſi æternitatis oculo, & abſque vllo ſucceſſionis veſtigio nuda ſunt omnia, & aperta in oculis Dei. Non negauerim tamen, quod reſpectu ſcientiæ approbationis, aliquę res prius rationis ordine obijciuntur diuinæ cognitioni, quam res aliæ. Nam finis priuſquam media per hanc ſcientiam cognoſcitur. Et ita in præſentia dico, quod incarnatio Chriſti, quia rationem habuit finis, prius fuit cognita à Deo, quam gratia, & merita antiquorum Patrum. Quæ anteceſſio diuinæ cognitionis ſufficiens eſt ad veritatem doctrinæ traditę, quicquid fuerit de cognitione pertinente ad viſionis ſciētiam, ſiue ſimul fuerint viſa gratia Patrum, & incarnatio Chriſti, ſiue rationis ordine præceſſerit viſio gratiæ. Nam cognitio ſcientiæ viſionis Dei non eſt per ſe requiſita ad certitudinem diuinæ prouidentiæ, ſed ſatis ſuperque fuerit approbationis cognitio, quæ eſt ſcientia veluti practica in diuino intellectu, quoniam eſt diſpoſitiua, & prædefinitiua rerum futurarum. Et huic ſcientiæ innititur tota certitudo, & infallibilitas diuinæ prouidentiæ, & non in ipſa ſcientia viſionis ſi formaliter, & rigoroſè loquamur. Quicquid non pauci Theologi in contrarium pugnent, cum quibus in libro citato fortes conſeruimus manus. Et hæc dixiſſe ſat fuerit pro hac quinta ſatis prolixa quæſtione. In qua illud exponendum reſtat, an ſatisfactio, vel ſatis paſſio animarum exiſtentium in purgatorio ex Chriſti meritis valorem aliquem, & fructum ſortiatur. Sed hoc explicabitur quæſt. ſeq. dub. 2.

QVÆSTIO SEXTA.

QVæſtio iam ſexta ſuo loco diſputanda ſuccedit, in qua id propoſuimus ad diſputandum; num habitualis Chriſti gratia ſit gratia capitis Angelorum, & hominum. Ad quam diſputationem inchoandam illud ſe mihi aduertēdum offert. Quod ſi probatum dederimus Chriſtum, vt hominem caput eſſe Angelorum, & hominum. Conſequenter fateri tenebimur, capitis excellētiam, & dignitatem non competere per ſe primo, & principaliter Chriſto ratione habitualis gratiæ, ſed ratione potius gratiæ vnionis, quæ prima radix eſt omnium perfectionum, quę Chriſto, vt homini conueniunt. Sed tamē proxime, & immediatē competit Chriſto hęc ſupremi capitis auctoritas, virtute etiam ipſius habitualis gratię, quę ex ipſa hypoſtaticę vnionis gratia tātam vim, & dignitatem participat, vt gratię capitis nomē abſq. impropietate mereatur accipere. Ipſumque Chriſtum, vt hominem verè conſtituat caput, per modum proximi, & immediati formalis principij. Et quidem ſi verum eſt id, quod in tertia quęſtione probare conati ſumus, habitualem, nimirum, Chriſti gratiam moralem ex hypoſtatica vnione infinitatem in ratione gratię ſortiri, id quod nunc dicebamus, nullam habere poterit improbabilitatis effigiem. Nam quid virtus infinitę gratię ad omnes, & Angelos, & gratificandos, & perficiendos ſe extēdat,

dat, quid mirum? Cum ergo ex vtraque gratia, & vnionis, & habitualis ratio capitis in Chriſto conſurgat, vt exacta, & completa huius quæſtionis haberi poſſit reſolutio non poſſumus non ad vtramque gratiam attendere; quamuis præcipua intentionis diſputatio eo tendat, vt omnem habitualis Chriſti gratiæ dignitatem, & perfectionem ſtudioſo lectori ob oculos proponamus. Imitabimurque proinde S. Thom. qui 3. p. q. 8. cum de gratia Chriſti, prout eſt gratia capitis tractare inſtituiſſet, de ipſo Chriſto diſſeruit, an eſſet caput: permixtimque de Chriſto, & eius habituali gratia egit, vt in eius habituali gratia rationem capitis inueſtigaret. Sed iam ad rem iſtam diſtincta explicatione pertractandam noſtra ſe conuertat diſputatio.

Quam vt ſuis numeris abſoluamus neceſſum erit à gemino ouo, vt aiunt, tractationem iſtam inchoare. Ita vt primum omnium examinemus. Num Chriſtus caput ſit omnium rerum. Neque vero hæc tam generalis diſputatio ab ipſo noſtræ quæſtionis propoſitæ intento longe recedit. Non enim abſoluta poteſt reſolutione definiri, an Chriſtus Angelorũ, & hominum pro omni eorum ſtatu, etiam innocentiæ originaliſque iuſtitiæ veram habeat capitis rationem, niſi prius generalem iſtam diſputationem abſoluamus. Quod ex ipſo tractationis eius, & totius quæſtionis ſextæ diſcurſu manifeſtum eſſe poterit conſideranti.

Ad tres principales dubitationes totã huius ſextæ quæſtionis diſputationem reducendam eſſe duxi. In prima diſputabitur illa generalis nunc propoſita quæſtio, an ſcilicet, Chriſtus ſupremum ſit omnium rerum caput. In ſecunda. An caput ſit omnium hominum, ſecundum omnem eorum ſtatum. In tertia tandem, vtrum caput ſit Angelorum, & quem habeat in eos influxum.

D V B I T A T I O I.

An Chriſtus ſupremum ſit omnium caput.

§. 1. *Explicantur termini dubitationis.*

PRimi dubij difficultas explicatione primum indiget, vt plenè intelligatur quidnam illud ſit, quod ad diſputandum proponitur, Et quidem quãuis ſequenti quæſtione ſeptima de Chriſti Domini prædeſtinatione ſpecialis ſit à nobis habenda diſputatio, non poterimus in hoc dubio non aliqua attingere, quæ ad ipſam Chriſti prædeſtinationem attinent. Non quidem ad eius ſubſtantiam, nam hoc reſeruabitur ad ſequentem quæſtionem, ſed ad ordinẽ & anteceſſionem quam noſtro more intelligendi, qui in re tamen fundamentum habet ſortita fuerit in intellectu diuino, comparatione ad diſpoſitionem, & prædefinitionem omnium aliarum futurarum rerum.

Igitur id proponitur ad diſputandum in hac prima dubitatione. Num Chriſtus prius ordine rationis prædeſtinatus fuerit, quam Deus de aliarum omnium rerum creatione, & diſpoſitione quidquã tractauerit, aut cogitauerit. Prædeſtinationis Chriſti nomine intelligo in præſentia decretum intellectus diuini de incarnatione verbi futura. Ita quod in primo æternitatis ſigno, in quo Deus bonitatem ſuam communicare decreuit, ſtatuerit ſe communicare mirabili hypoſtaticæ vnionis communicatione. Et quod omnia, quæ poſtea in alijs poſterioribus ſignis facere propoſuit ad Chriſtum in primo ſigno prædeſtinatum retulerit tanquam ad finem, & omnium eorum caput. Quo loco antequam vlterius progrediamur, obſeruandum eſſe cenſeo. Nos ita de actibus diuini intellectus, diuinæque voluntatis loqui, atque ſi reuera in eis ſucceſſio prioris, & poſterioris reperiretur. Nam loquimur ad modum noſtrum. Qui tamen non fictitius eſt, neque impertinens ad explicandum id, quod verè, & realiter in diuino intellectu diuinaque voluntate verſatur. Quoniam, & ſi in Deo omnia ſint ſimul; in ipſis tamen rebus intellectis, & volitis, ordo verus eſt. Ita quod vna realiter ad aliam ordinatur. Vnde ſicut inter ipſa Dei attributa doctiſſimi Theologi dicunt reperiri rationis ordinem, & ſi nullum ſit ibi cauſalitatis veſtigium: Ita quod vnum attributum ſic eſt ratio alterius, vt ſi in Deo locus eſſet cauſalitati alicui, vnum attributum eſſet vera, & realis alterius cauſa. Cauſalitate tamen propter ſummam Dei ſimplicitatem ſublata, relinquitur inter attributa eadem verus rationis ordo, ſic dici ſolet, immutabilitatem naturæ diuinæ rationem eſſe æternitatis Dei. Ad eundem ergo modum, quamuis volitio vnius rei non ſit cauſa volitionis alterius, eo quod in voluntate diuina vnica tantum eſt & ſimpliciſſima volitio. Sed tamen, ipſamet voluntatis diuinæ volitio, prout attingit vnum obiectum, eſt ſibi ipſius ratio attingendi obiectum aliud, v. gr. volitio qua Deus vult homini æternam vitam, eſt ratio diuinæ volũtati volendi eidem homini gratiam, charitatem, & reliqua ſupernaturalia dona, quæ neceſſaria ſunt ad æternæ vitæ conſecutionem. Imò vt quæſtione præcedenti a. 3. dicebam, ipſamet æterna vita prout volita à Deo, poteſt eſſe ſecundaria ratio diuinæ voluntati volendi gratiam, & charitatem, Neq; hoc quidquam derogat perfectioni diuinæ voluntatis; quidquid graues quidam Theologi, abſque ſufficienti tñ fundamento, contendant. Neq; iſta ſententia contraria eſt S. Tho. doctrinæ, quin potius eſt ei valde conſentanea, vt puto me ſufficienter oſtẽdiſſe in lib. de orig. grat. trac. 3. Ad rẽ igitur rediens dico, quod ad plenã cognitionẽ habẽdã eius ordinis quẽ habent obiecta inter ſeſe, prout cognita, & volita à Deo, per ipſiuſque prouidentiam diſpoſita, neceſſum nobis eſt loqui more noſtro, atque ſi in diuino intellectu, in diuinaque voluntate verus ſucceſſionis ordo reperiretur.

Sed eſt ſecundo notandum, triplicẽ in diuino intellectu noſtro more intelligendi reperiri cognitionem, & ſcientiam. Prima eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Secunda ſciẽtia approbationis. Tertia ſciẽtia viſionis (loquimur tantum de ſcientia Dei qua cognoſcit creaturas) Per primam ſcientiam nouit Deus res vt poſſibiles fieri, & eſt ob id ſcientia pure ſpeculatiua. Per ſecundã cognoſcit res vt faciendas ab ipſomet Deo, vel immediatè, vel mediis ſecundis cauſis, vnde hæc ſcientia, practica eſt, ad quã pertinet ipſa Dei prouidentia. Vnde ſatis ineruditè quidã moderni hanc ſcientiam cõfundũt cũ ſcientia ſimplicis intelligẽtię, quę, vt dixi, eſt purè ſpeculatiua. Ad hãc ſcientiam quã diximus eſſe approbationis reducitur

ſcien-

Digitized by Google

ſciẽtia permiſſionis, ſeu permiſſiua, qua Deus cognoſcit mala culpæ, vt futura per malitiam humani, aut Angelici arbitrij: quod ex permiſſione Dei ſua abutitur libertate. Per tertiam autem ſcientiam cognouit Deus ab æterno res omnes in aliqua temporis differẽtia futuras, vt coexiſtentes ſuæ æternitati, ac proinde, vt ſibi præſentes. In hoc loco ſuppono id, quod latiſſime, & niſi decipior, efficaciſſime alio in loco probaui, vʒ. quod futura omnia contingentia, etiam ea, quæ ab libertate arbitrij pendet, cognouit Deus ab æterno vtraq. iſta cognitione. ſ. approbationis, & viſionis certo, & infallibiliter. Ita quod ad certitudinem diuinæ prouidentiæ ſtatuendam, & ſaluandam circa huiuſmodi contingentia, non eſt neceſſarius recurſus ad ſcientiam viſionis: Cuius oppoſitũ censẽt non pauci Theologi, cum quibus dimicauimus lib. 1 de orig. grat. ſed ſatis ſuperq. fuerit certitudo quę in eſt ſciẽtię approbationis. Et de hac ſcientia in præſentia loquor, nam parum retulerit ad ordinem diuinæ prouidentiæ ſtatuendum, quod Deus ab æterno cognouerit res, vt præſentes, ſed ſatis fuerit, quod primum cognouerit, vt poſſibiles fieri, & deinde cognouerit eaſdem, vt faciendas, vel ex Dei ordinatione, & prædefinitione, ſi fuerint res bonæ, & rõni conformes, vel ex ipſiuſmet Dei permiſſione, ſi fuerint prauæ, & rationi diſſentientes. Et ne ſæpe eadem repetamus, ſupponamus cognitionem pertinentem ad ſcientiã ſimplicis intelligẽtiæ præſupponendã eſſe ad oẽm aliã cognitionẽ: Quoniã eſt cognitio neceſſaria oẽm libertatẽ diuinæ voluntatis noſtro modo concipiendi anteuertentem. Nec de hac cognitione vllatenus loquimur in præſentia, cùm quærimus quidnã fuerit prius cognitum in Deo, quid prius volitum, aut intentum, ſed de cognitione ſcientiæ approbationis totus hic noſter tractatus verſatur.

Tertio notandum, tres duntaxat eſſe rerum ordines, intra quos potuit Deus ſuam bonitatem creaturis cõmunicare. Primus eſt ordo naturæ. Secũdus ordo gratiæ. Tertius deniq. hypoſtaticæ vnionis. Si ad ordinẽ executionis attẽdamus, res eſt cunctis mediocriter ſapiẽtibus nota, primũ ordinẽ præſupponi ad ſecundũ, & ad tertiũ, eſſeq. vtriuſq. fundamẽtũ: Secundũ verò ad tertium etiam fuiſſe præſuppoſitũ. De ordine autem intentionis non tam inter ſapiẽtes conſtat. Nam quis ordo horum trium prior fuerit in intentione Dei, quiſue prior fuerit volitus, & intẽtus: atq. adeo & præcognitus per approbationis ſciẽtiam, ſub lite adhuc poſitum eſt. De qua re noſtra preſens inſtituitur diſputatio, in qua ſimul examinabimus celebrem illam difficultatẽ, quæ inter S. Th. & Scotum eiuſq. diſcipulos valde ſemper fuit controuerſa. Num vʒ. Chriſti, prædeſtinatio, ſeu, quod idem eſt, decretum de incarnatione verbi futuræ præſuppoſuerit in mente diuina peccati originalis præſcientiam, ſic adeo quod hoc non extante peccato, verbum caro non fieret, Et ex omnibus tandem colligemus id quod à principio propoſuimus diſputandum, an, videlicet, Chriſtus caput ſit totius vniuerſi, ac denique rerum omnium. Referam primum eas Theologorum ſententias, quæ de hac re communiter ſolent circunferri, & circa quamlibet ſententiam ea proponam argumenta, quæ tali ſententiæ fuerint propria, & ei magis accomodata.

§. 2. Refertur prima ſententia cum ſuis fundamentis.

EST ergo prima ſententia, quę docet Deum prædeſtinaſſe Chriſtum prius quam decreuiſſet creare hominem, Angelum, aut aliam quamlibet, vel ſpiritualem, vel corporalem creaturam. Itaque in illo primo rationis ſigno, Deus nihil decreuit de productione alicuius purę creaturę, ſed de ipſa duntaxat communicatione diuini verbi ad humanitatem per hypoſtaticam vnionem. In ſecundo verò rationis ſigno, intelligimus decretum diuinum prędeſtinationis Angelorum, & hominum, quos in Chriſto prædeſtinauit. In tertio vero ſigno decretum creationis omnium rerum naturalium: quas omnes Deus retulit in Chriſtum tanquam in finem, in quem & propter quem vtrumque ordinem, & naturæ, & gratiæ diſpoſuit. Eſtque aduertendum, quod ad ſecundum decretum prædeſtinationis hominum, & Angelorum pertinuit totus ordo gratiæ, in quo etiam includimus permiſſionem peccatorũ omnium, quatenus gratiæ opponuntur. Ad tertium vero decretum pertinuit etiam permiſſio peccatorum, quatenus rationi naturali per ſe, & formaliter aduerſantur. Igitur iuxta hanc ſententiam intentionis ordo totaliter fuit oppoſitus ordini executionis. Nam primum locum in diuinæ mentis intentione habuit ordo hypoſtaticæ vnionis, ſecundum ordo gratiæ, tertium denique ordo naturæ. Sed eſt præterea notandum, quod tria hæc diuinæ mentis decreta, quæ in tribus ſignis rationis conſiderantur, ita ſe habuerunt, quod primum decretum abſolutum omninò fuit ab alijs duobus independens, ita quod in Chriſti prædeſtinatione nulla fuit facta mentio prædeſtinationis hominum, & Angelorum, aut creationis vniuerſi, & multo minus dependentiam habuit in aliquo genere cauſæ, vel ab ordine naturæ, vel ab ordine gratiæ. At duo poſteriora decreta dependentiam habuerunt ex parte rerum decretarum à primo decreto in genere cauſæ finalis, quia Chriſtus finis fuit in intentione Dei totius vtriuſque ordinis, & naturæ, & gratiæ. Docent hanc ſententia Ambr. Catarinus lib. 1. de eximia Chriſti prædeſtinatione. Albertus Pighius in lib. 8. de liber. arbitr. cap. 2. & 3. Gulielm. Pariſienſ. lib. 2. de vniuerſo. Viguer. in inſtitut. theologiæ in materia de incarnatio. cap. 3. & 20. Petrus Galatin. lib. 7. De Archan. Cathol. verit. à cap. 3. vſque ad 9. dicit hanc fuiſſe olim, doctiſſimorum Hebręorum ſententiam, Melchior flauius lib. de regn. Chriſti, Iacobus de Valentia Pſalm. 81. Alphonſus de Mendozza in quodlib. quęſt. 1. Scholaſtica. Verum eſt quod hic author in aliam ſententiam videtur paulo inferius propendere. Hæc ſentẽtia ſic explicata quædam habet fundamenta communia cum alijs quibuſdam ſentẽtijs poſtea referendis, ſuntque omnia illa quæ ſumuntur ex parte ordinis cauſæ finalis, quæ ego quoque primo loco volo proponere, tum quia communiora ſunt, tum etiam quia præcipua.

Primum igitur argumentum deſumitur ex illo Paul. ad Coloſen. cap. 1. vbi Chriſtum appellat primogenitum omnis creaturæ, & loquebatur de Chriſto ſecundum eius humanitatem. Quamuis in

verbis

verbis pręcedentibus, quibus ipſum imaginem Dei inuiſibilis appellat, ipſius diuinitatem explicaret. Ita intellexerunt Hyeron. & Anſelm. ſuper eundem Paul. locū. Ex quo teſtimonio ſic arguitur. Chriſtus non eſt primogenitus omnis creaturę in tempore, cum poſt multos annos à ſęculi creatione, verbum factum ſit caro, ergo ordine prędeſtinationis, & intentionis vocatur à Paul. primogenitus omnis creaturæ.

Et confirmatur ex his, quæ in contextu ſequūtur. Sic enim habent. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, &c. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Ex quibus verbis nonnulla ad propoſitum colligimus. Primum eſt Paul. ibi loqui de Chriſto, vt homine, nam hac ratione Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ, Eſtque primogenitus ex mortuis, ideſt, primus, qui ad immortalem vitam reſurrexit, Eſtque principatum in omnibus tenens. Secundum eſt, quod ob id omnia in ipſo creata eſſe, & conſtare dicuntur, quia ex vi decreti primi, quo Deus decreuit verbum fieri hominem, omnia, tam quę pertinent ad ordinem naturę, quam quæ ad ordinem gratię, creata ſunt, & diſpoſita, vt permanenter in ſuo ordine perſiſterent, & vt ipſi Chriſto primo prędeſtinato omnium rerum fini, & capiti deſeruirent. Tertium colligitur anteceſſio diuini decreti de Chriſti prędeſtinatione ad decretum vtriuſque ordinis, & gratię, & naturę, hoc enim deſignant illa verba. *Et ipſe eſt ante omnes.* Nam ſuppoſito, quod de Chriſto, vt homine ſint intelligenda, vt diximus, non aliter poteſt verificari Chriſtum eſſe ante omnes creaturas, id ipſum colligitur, ex alijs verbis, ſcilicet, *Vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Quæ verba ad Chriſtum, vt hominem fore referenda, docuerunt Chryſoſtom. Theophil. & docent communiter illius loci interpretes.

Quod ſi Chriſtus, vt homo, in omnibus principatum tenet, ergo etiam in diuinæ mentis intentione, diuinæque voluntatis amore, inter omnes creaturas primatum tenet. Ponderant præterea alij illud verbum, *primogenitus*, quod dicunt, non ſolum deſignare Chriſtum primum locum obtinuiſſe in diuina intentione, inter res omnes, quas Deus decreuit efficere, ſed etiam inſinuat creaturas omnes quaſi genuiſſe Chriſtum ipſum, quia fuit finis omnium earum, & fructus, ac communis quidam earum partus, in quem à Deo omnes primo fuerunt ordinatæ, & inſtitutę: ad eum modum quo Chriſtus in ſacris literis germen vocatur, & fructus terrę ſublimis. Sed hęc intelligentia, & ponderatio ſi quidem referretur ad Chriſtum quatenus in tempore, & in ſacro Virginis vtero natus eſt, & ex mortuis poteſt etiam diem reſurrexit, pręclaram, & optimam rationem haberet, & in ſacris ſcripturis bene fundatam. Verum quod hac ratione Chriſtus primogenitus dicatur, ſecundum quod in diuinę mentis decreto anteceſſit omnem creaturarum diſpoſitionem, frigide ſatis, & impertinenter aſſeritur. Quoniam finis prout antecedit in intentione, potius rationem Patris reſpectu mediorum poſſet induere, quam aliquam filij effigiem habere: cum finis in intentione poſitus omnia media pręcedat, & ita ſit eorum cauſa, vt nullatenus ſit ipſorū effectus, filius autem, fructus, & partus, effectum deſignant, non cauſam, finis vero in executione conſideratus rationem poteſt effectus ſortiri reſpectu mediorum in genere cauſę efficientis, ſunt enim cauſę ſibi inuicem cauſę. Et hoc modo conſideratus finis, & filij, & fructus, ac denique partus, rationem aliquam poſſet accipere.

Secundum argumentum ſumitur ex illo Paul. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, &c.* Vbi Paul. loquebatur de Chriſto vt homine, vt ex contextu liquet, & ibidem aduertit Hieronym. Dicit ergo Paul. Deum elegiſſe prædeſtinatos in Chriſto ante mundi conſtitutionem. Quod plane non ita debet intelligi, quod elegerit prędeſtinatos antequam crearet mundum. Hæc enim electio nihil magnificum deſignaret, & in quo prędeſtinati excederent reliquas mundi creaturas, vniuerſę namquam diſpoſitę fuerunt in diuina pręordinatione, ante actualem mundi creationem. Tum ſic, ergo. Electio prędeſtinationem in Chriſto pręceſſit in diuino intellectu ipſam mundi conſtitutionem, ideſt, ipſum diuinæ mentis decretum de temporali mundi fabricatione, atque adeo habemus, quod totus naturæ ordo, in intentione diuina poſterior fuit decreto incarnationis Chriſti. Et quod ad ipſum ſit de ordine gratiæ dicendum, conſtat ſimiliter ex eo, quod Paul. dixit, homines fuiſſe in Chriſto prædeſtinatos, ex quo manifeſte colligitur Chriſti prædeſtinationem, ſeu, quod idem eſt, decretum de incarnatione verbi, præceſſiſſe in ipſo Dei intellectu.

Occaſione huius teſtimonij, & aliorum, quæ mox referam ex Paul. tertium deſumo pro concluſione argumentum. Prædeſtinatio hominum, & Angelorum, prior fuit in diuino intellectu, decreto creationis omnium rerum ad naturæ ordinem ſpectantium, ſed prædeſtinatio hominum, & Angelorum: poſterior fuit decreto prædeſtinationis Chriſti, ergo de primo ad vltimum, decretum creationis rerum poſterius fuit decreto prædeſtinationis Chriſti. Minor conſtat ex teſtimonio in præcedenti argumento citato, quatenus in eo dicitur Deum elegiſſe nos in Chriſto, ideſt, homines in Chriſto prædeſtinaſſe. Neque enim poteſt intelligi, quod homines in Chriſto fuerint prædeſtinati, quin ipſa Chriſti prædeſtinatio anteceſſerit. Maior vero probatur ex illo Paul. 1. Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Cephas, ſiue Apollo, ſiue mundus, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt. Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Ex quo loco colligitur, quod ſicut Chriſtus eſt Dei, ideſt, propter Deum, vt finem. Nam *caput Chriſti, Deus*, dicit alio loco Paul. Ita prædeſtinati ſunt Chriſti, ideſt, propter Chriſtū, vt propter finem, & omnia denique alia ſunt prædeſtinatorū, ideſt, propter prædeſtinatos, vt propter finem. Rurſus, ergo decretū prædeſtinationis Chriſti præceſſit ordine intentionis, & electionem omnium prædeſtinatorum, & decretum, creationis omnium naturalium rerum. Electio vero prædeſtinatorum præceſſit ipſum rerum creationis decretum. Patet conſequentia, quia id, quod habet rationem

finis,

finis, neceſſum eſt præcedat in intentione electionem omnium eorum, quæ ad ipſum vt ad finem ordinantur. Et quidem niſi in intentione præcedat finis, non poteſt ex ipſo ratio mediorum ſumi, neque reſpectu ipſorum mediorum exercere poteſt finis cauſalitatem. Cauſa enim finalis mouet, & cauſat prout in intentione præcedit. Confirmatur ex illo Pauli Romanorum 8. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat*. Quæ verba, cum alijs, quæ ibi ſequuntur, non facilem habent intelligentiam, vt viſum eſt Auguſtino lib. 83. quæſt. 67. quorum verborum ſenſus legitimus is eſſe videtur, quod omnis creatura, id eſt tota mundi fabrica ingemiſcit, & expectat quaſi parturiens gloriam conſummatam prædeſtinatorum, quæ futura eſt in vltima corporum reſurrectione. Eo quod ab ipſo Deo in primo creationis mundi decreto vniuerſæ creaturæ propter electos, & propter eorum gloriam inſtitutæ ſunt, & conditæ, & ita per quandam proſopopeiam dicuntur hunc finem expectare. Et quoniam ſpes, quæ differtur, affligit animum, ingemiſcere dicuntur, & electorum gloriam quaſi parturire. Eo planè orationis ſchemate, vt benè ſuper hunc locum aduertit Adamus, quo pſalmo 97. flumina plaudere, & montes exultare dicuntur. Hoc autem manifeſto nobis argumento eſt, vniuerſas creaturas, totumque naturæ ordinem ad ipſos prædeſtinatos ordinari tanquam in finem. Atque adeo electorum prædeſtinationem anteceſſiſſe in mente Dei decretum conſtitutionis mundi, & totius ordinis naturalis. Et cum decretum prædeſtinationis Chriſti hominum, & Angelorum prædeſtinationem anteuerterit, fateri tenemur, ipſum ſimpliciter præceſſiſſe, fuiſſeque primum decretum ipſius diuinæ mentis. Quarto probatur ex Paul. ad Epheſ. cap. 1. vbi non ſolum dicit homines in eſſe gratiæ, & gloriæ prædeſtinatos fuiſſe ad Chriſtum, & propter Chriſtum, & vt eſſent in laudem gloriæ eius, verum etiam apertè inſinuat, omnia, quæ ſunt in vniuerſo, fuiſſe à Deo condita propter ipſius Chriſti gloriam, ſic enim dicit. *Propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo*. Illud verbum, *Inſtaurare*, vt communiter expoſitores huius loci aduertunt, idem pollet, quod recapitulare, & quaſi in epilogum reducere. Vnde ſenſus is eſſe videtur, voluiſſe Deum omnia, quæ ſunt in cælis, & in terris, ſiue quæ ad ordinem naturæ, ſiue quæ ad ordinem gratiæ pertinent, reducere in Chriſtum Dominum, tanquam in egregium, & excellentem quendam epilogum, præclariſſimumque omnium eorum finem. Confirmatur hoc argumentum ſaltem, vt procedit de ordine gratiæ ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. dicente, gloriam Chriſti finalem cauſam eſſe iuſtificationis noſtræ; ergo, &c.

Quintum argumentum, quod ex doctrina Scoti inferius referenda deſumitur, eſt veluti confirmatio omnium eorum, quæ argumentis factis propoſuimus. In hunc modumq; habet: Omnis ordinate volens, prius vult finem, quàm media, & ex medijs prius, & magis vult illa, quæ ſunt fini propinquiora, & magis proportionata, ergo Deus in toto ordine diſpoſitionis rerum ambientis tres illos ſupra connumeratos ordines, prius voluit manifeſtationem ſuæ gloriæ, ſuæque bonitatis, quæ eſt finis vltimus, quem Deus intendit, & poſt manifeſtationem ſuæ gloriæ immediatè voluit Chriſtum, ipſumq; prædeſtinauit. Quia certum eſt, Chriſtum, vt hominem, perfectius medium eſſe, & magis proportionatum ad manifeſtationem diuinæ bonitatis, & gloriæ, quā totus vterque ordo, & naturæ, & gratiæ ſimul, atque adeo decretū prædeſtinationis Chriſti abſolutè præceſſit in diuino intellectu decretum vtrunque, & ordinis naturæ, & gratiæ. Confirmatur. Incarnatio Chriſti eſt bonum per ſe amabile, & quidem multo magis, quàm creaturæ omnes collectiue ſumptæ, ſiue ad ordinem naturæ, ſiue ad gratiæ ordinē ſpectent, ergo non decebat perfectionem ſapientiæ diuinæ, quod Verbi incarnationem Deus nō propter ſemetipſam vellet, ſed propter creaturas inferiores. Et præſertim hæc repugnantia appareret magis in eo, quod Deus occaſione peccati ipſam Verbi incarnationem voluiſſet. Nam tunc non per ſe, ſed per accidens eſſet volita, quod valde apparet rationi diſſentaneum.

Omnia argumenta, quæ hactenus formauimus, deſumi videntur ex ratione finis. Ita quod Chriſtus fuerit prædeſtinatus vt finis, & caput rerū omnium, & quod omnia in ipſum, & propter ipſum inſtituta fuerint à Deo, & condita. Deinde eadem ſententia alijs modis probanda erit. Sed primum hæc omnia argumenta facta confirmanda ſunt authoritate Ruperti Abbatis, qui eundē prorſus ſenſum intendens, quem argumēta facta prætendunt, in lib. 3. de glor. Trinit. & proceſſio. Spiritus ſancti, c. 19. 20. & 21. hanc ſententiā apertè docuit, dicens, inter alia homines, & Angelos creatos eſſe propter Chriſtum hominem, vt haberet præparatam ex vtroque latere familiam. Idem in ſubſtantia dicit q. 13. ſuper Matth. de gloria, & honore filij hominis. Eidem ſententiæ fauet Anſelm. verſans illa verba ad Hebr. 2. *Propter quem omnia*. *Omnia propter Chriſtum*, inquit, *quia propter eius laudem, & gloriam omnia creata ſunt*.

Sexto probatur eadem ſententia ex illo Prou. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio*, ſeu, vt alia lectio habet: *Dominus creauit me*, &c. vbi ſermo ſit de Sapientia incarnata, quam Spiritus ſanctus introducit ibi loquentem ſecundum humanitatem aſſumendam, quod aſſeruerunt Clemens Pontifex lib. 5. inſtitut. Apoſtolic. cap. 21. Baſil. contra Eunomium lib. 4. Athanaſ. ſermone 3. contra Arianos, Gregor. Nazianzen. in oratione 2. de Filio, Cyrill. Alexand. in lib. 5. theſauri cap. 8. Auguſt. ſermone 58. de verbis Domini, & lib. 1. de Trinitate cap. 12. Ambroſ. lib. 1. de fide, & gratia cap. 7. Hilarius 12. de Trinitate, Gregorius Niſſenus de fide ad Simplicianum, Cæſarius dialog. 2. Chryſoſtomus de ſancta, & miſtica Trinitate. Hieron. ſuper Epiſtolam ad Eph. 2. dicit, in Hebræo non haberi, *Creauit me*, ſed *Poſſedit me*, vtrunque tamen verbum referendum eſſe ad Sapientiam incarnatam. Damaſcen. lib. 4. cap. 19. Eandem amplectitur intelligentiam Concil. Hiſpalenſe 2. cap. 13. Quæ intelligentia ſine dubio eſt valde conſentanea textui. Et alijs omiſſis expendenda ſunt illa verba: *Et deliciæ meæ eſſe cū filiis hominum*: quæ verba ad incarnationem referenda, & ad ipſam Chriſti humanitatem, res ipſa prodit, & explicuit Iuſtinianus in ſermone de Euchariſtia. Similia verba ijs, quæ nunc retulimus, habentur Ec-

clef.24. *Ab initio, & ante ſecula creata ſum, & vſque ad futurum ſeculum non deſinam*, &c. Ex toto contextu capitis, & ex interpretatione Patrum, qui in eodē ſenſu hæc verba, in quo præcedentia intelligunt, cōſtat fieri ibi ſermonem de ſapiētia diuina incarnata. Quæ idcirco ab initio ante ſecula creata dicitur, quia antequam Deus quidquam facere decreuiſſet, Verbi incarnationem futuram diſpoſuit. Diciturque creata in initio viarum Dei, quia fuit primum initium operum Domini, non in temporaria executione, ſed in æterna eorum prædefinitione, & diſpoſitione. Et quidem opera Domini vias Domini iuxta phraſim ſcripturæ ſacræ vocari, nullus eſt qui ignoret. Iſa. cap.55. *Sicut exaltati ſunt cæli, & terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, dicit Dominus*, id eſt, opera mea ab operibus veſtris, pſalm.144. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.* Et quidem non immeritò opera Dei, viæ eius vocantur, quoniam opera Dei ſunt veluti quædam eius veſtigia.

Septimum argumentum. Ex his quæ referuntur Geneſ.2. & ad Epheſ.5. cōtigiſſe in formatione Euę, ex coſta quam tulit ex Adam dormiente, colligitur quod Chriſti prædeſtinatio ordine rationis præceſſit hominum prædeſtinationem, ſed veroſimile ſatis eſt prædeſtinationem hominum anteceſſiſſe in Dei mente ipſum creationis totius vniuerſi decretum; ergo abſoluiè decretum de Verbi incarnatione futura, præceſſit in ipſa Dei mente decretum productionis rerum omnium, ſiue ad ordinem naturæ, ſiue ad ordinem gratiæ ſpectantium. Minor conſtat ex dictis. Probatum eſt enim, prædeſtinationem hominum finis rationem habuiſſe, propter quem Deus totum hoc creauit vniuerſum: finis autem neceſſum eſt in intentione operantis præcedat. Maior verò probatur ex illis verbis Adæ: *Hoc nunc os de oſsibus, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Ad quæ verba, & ad coniunctionem materialem inter Adam, & Euam ibi contractam alludens Paulus ad Epheſ. cap. 5. inquit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quibus verbis Apoſtolus materialem illam coniunctionem inter primos noſtros parentes, Dei authoritate celebratam, præfiguraſſe docuit coniunctionem Chriſti cum Eccleſia: atque adeo & ipſam Verbi incarnationem; fuit enim hæc coniunctio in incarnatione facta, quæ in Chriſti paſſione ſuam conſummationem accepit, vt ex S. Leone epiſt.22. & Auguſtino tract.9. in Ioan. colligitur. Nec enim admittenda eſt Driedo. explicatio, qui in lib. captiuit. & redempt. generat. human. cap.2. dicit, hanc coniunctionem Eccleſiæ ſpiritualem, non ad Chriſtum vt hominem, ſed vt ad Deum eſſe referendam. Falſa eſt hæc expoſitio. Etenim cum Paul. citatis verbis vſus fuerit hoc nomine, Chriſtus, quod non ſolam diuinitatem, ſed ſimul humanitatem ſua complectitur ſignificatione, vt aduertunt Cyrill. lib. de incarnatione, cap.1. & anathemat.9. & Damaſcen. lib.3. de fid. cap.3. apertè ipſe inſinuauit Paulus non de Chriſto tantum vt Deo, ſed vt Deo homine ſermonem fieri. Et ita communiter intelligunt ſancti Patres, exponentes illa verba Pauli, ſpeciatim Ambroſ. Chryſoſtom. Anſelm. & Tertull. contra Marcionem, Auguſt. tract.9. in Ioan. & ſerm.6. de tempore, & Bernard. in ſermone quodam de natiuitate Chriſti. Eſtque ex contextu intelligentia hæc manifeſta. Narrantur enim in illo capite beneficia præclara, quæ Chriſtus vt homo ſuæ dilectiſſimæ exhibuit Eccleſiæ. Et quidem quod ipſe prothoparens noſter Adam hāc cognouerit ſignificationem, vel cognitione fidei, vel reuelatione prophetica, vel, vt quibuſdam (etſi minus probabiliter) viſum fuit, per manifeſtam diuinæ eſſentiæ viſionem, negari non debet. Primo, quoniam communis eſt Theologorum ſententia, ex doctrina Patrum deſumpta, & à Sancto Doctore 22.q.173.ar.4. explicata, quod boni, & ſancti Prophetę intellexerunt ſubſtantialiter ea, quæ propheticè pronunciarunt. Etſi non ſemper calluerint omnes ſenſus à Spiritu ſancto intentos, & hoc pertinet ad dignitatem dono Prophetæ debitam. Conſtat autem ex Paulo citato loco, illa verba, quæ tunc protulit Adam, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem*, &c. prophetica fuiſſe, quia præſignabant magnum illud ſacramentum ſpiritualis, & indiſſolubilis futuri coniugij inter Chriſtum, & Eccleſiam. Non ergo fas eſt dicere, Adam nullatenus intellexiſſe hūc myſticum, & propheticum ſuorum verborum ſenſum, quodque non cognouit in carnali ſuo matrimonio cum vxore Eua celebrato, præfigurari ſacrum illud ſpirituale coniugium, quod erat inter Chriſtum, & Eccleſiam futurum. Præterea Patres grauiſſimi hanc expreſsè docuerunt ſententiam. Hieronymus exponens illa Pauli verba, S. Leo epiſt.22. Aug. lib.9. ſuper Geneſ. ad literam cap. 19. Proſper lib. de promiſſion. & prædiction. Dei, 1.par.cap.1. S. Bernard. ſerm.2. in Septuageſima, & denique S. Thom. 22.q.2.art.7. & 3.par.q.1.art.3.ad 5.

Ex his omnibus deſumo argumentum ad probandam illam maiorem præmiſſam in ſexto argumento propoſitam: Ante peccatum Adæ, & ante ipſius præſcientiam Chriſtus fuit prædeſtinatus, præceſſitq; in diuina mente decretū incarnationis eius, ſed prędeſtinatio hominum prę̨ſuppoſuit in diuino intellectu originalis culpæ præſcientiam: ergo pręceſsit Chriſti prædeſtinatio ipſam hominum prędeſtinationem. Minor, communiter ſolet admitti à S. Th. diſcipulis, qui in hac parte ſequuntur apertam & Aug. & Thom. doctrinam. Maior probatur: Adam, antequam peccaret, pręſciuit Verbum incarnādum: atque adeo & pręcognouit ipſam Chriſti prędeſtinationem, ergo manifeſtum ſignum eſt, quod Chriſti prędeſtinatio in diuino intellectu anteceſſerat ipſius peccati pręſcientiam. Conſentaneum enim eſt rationi, dicere, Deum in manifeſtatione, quam fecit prędeſtinationis Chriſti, eum ſeruaſſe ordinem, quē ipſa prędeſtinatio habuerat in diuino intellectu. His, & alijs argumentis ſolet probari hęc prima ſententia, quam eius authores ſibi etiam ex Auguſtino colligere videntur in lib.1. de nupt. & concupiſcent. cap.21. vbi inquit, matrimonium Adæ, quod fuit Chriſti eius coniugij cum Eccleſia ſacramentum, eandem habiturum dignitatem, etiam ſi non ſequeretur originale peccatum. Ex quo manifeſta conſequutione deducitur, decretū incarnationis Chriſti non pręſuppoſuiſſe in diuino intellectu culpæ originalis pręſcientiā. Aliàs enim non extante peccato,

con-

Digitized by Google

connubium Adæ non poſſet retinere dignitatem Sacramenti preſignantis Chriſti cum Eccleſia matrimonium.

Ex hac ſententia inferunt quidam ex eius authoribus, quod quamuis neque homines, neque Angeli prædeſtinati fuiſſent, neque extaret decretum creationis mundi, nec Verbum incarnatũ fuiſſet, humanamque naturam indueret, eo quod Chriſti prædeſtinatio nullam in diuino intellectu dependentiam habuerit ex parte obiecti ex ordine naturæ, vel ex ordine gratiæ, quia decretum prædeſtinationis Chriſti abſolutũ fuit, & independens à præſcientia vtriuſque ordinis, & gratiæ, & naturæ, & eorum omnium quæ ad vtrumque iſtum ordinem pertinent. At neq; ordo naturæ, neque ordo gratiæ extare potuerunt, niſi dependenter ab incarnatione Chriſti, quia omnia, quæ ſiue ad gratiam, ſiue ad naturam ſpectant, ordinata fuerunt, & diſpoſita a Deo, vt media ad Chriſtum, tanquam excellentem omnium eorum finem. Et decretum vtriuſque ordinis, & gratiæ, & naturæ præſuppoſuit decretũ prædeſtinationis Chriſti, & incarnationis eius. Hoc conſectarium ſcio non omnes eius authores admitterent, admittunt tamen aliqui, & qui non admittunt non ſatis loquuntur cõſequenter, nam reuera tranſeunt ad aliam ſententiam, quam ſumus iam iam explicaturi.

§.3. *Refertur ſecunda ſententia.*

EST ergo ſecunda ſententia, quæ cum præcedenti fatetur, Chriſtum fuiſſe primum omniũ prædeſtinatorum, decretumque prædeſtinationis eius anteceſſiſſe vtriuſque ordinis, & gratiæ, & naturæ productionis decretum. Addit tamen hæc ſententia, in quo à prima diſſentit, decretũ incarnationis Chriſti non fuiſſe omnino abſolutum, & independens ab vtroque ordine, & naturæ, & gratiæ, quin potius non potuit executioni mandari niſi depẽdenter ab vtroque iſto ordine: quæ dependentia intrinſecè claudebatur in ipſo Chriſti prædeſtinationis decreto. Hæc ſententia nõ in vno, & eodem ſenſu ab omnibus ſuis authoribus intelligitur. Nam quidam eorum dicũt, dependentiam illam in prędicto Chriſti incarnationis decreto clauſam, totam ſe tenere ex parte executionis: ex parte vero intentionis nequaquam, voluntque dicere authores iſti, quod tota hac dependentia eſt dependentia finis à ſuis medijs, ad eum modum quo ſanitas, quam infirmus intendit comparare per medicamenta, pendet in aſſecutione ab ipſis medicamentis. Quæ dependentia licet inuoluatur in intentione qua infirmus ſanitatem deſiderat, & intendit, tota tamen ſe tenet ex parte executionis, quatenus non aliter infirmus aſſequi poteſt ſanitatem, niſi medicamentis appoſitis. Ita ergo dicunt huius ſententiæ authores, ſic Deum decreuiſſe Verbum fieri carnem, quod ſimul voluit, vt non aliter fieret, quã in vtroque illorum ordine, & naturæ, & gratiæ præſuppoſito, ita tamen, quod vterque haberet tantum rationem medij ad ipſam Verbi incarnationem deſtinati, imo nonnulli eorum libenter admittunt, quod non ſolum ab ordine naturæ, & gratiæ dependentiam habuit incarnatio Chriſti ex vi ipſiuſmet Chriſti prædeſtinationis decreto, verùm à peccato originali habuit quoque dependentiam quoad ſui executionem. Non quidem quod ex intrinſeca rerum connexione hæc proueniret dependentia, ſed ex ipſo tantum liberæ diuinæ voluntatis conſilio, cui placuit res ita ordinare, & diſponere. In quo illud exemplum, quod attulimus de ſanitate per media acquirenda magnam habet diſſimilitudinem, quia dependentia ſanitatis à medicamentis, non ex libera ægroti intentione conſurgit, ſed ex intrinſeca rerum habitudine, & connexione.

Fundamenta huius ſententię quoad primam partem, in quo cum præcedenti conuenit, ſunt eadem illa argumenta, quæ in comprobationem præcedentis ſententiæ formauimus. Poſteriorem verò partem probant iiſdem ferè rationibus, quibus Thomiſtæ probare ſolent Chriſtum non venturum, ſi non extaret originale peccatum. Quarum præcipuæ referendæ ſunt à nobis in huius diſputationis diſcurſu.

Alij autem Theologi in alio ſenſu hanc ſecundam tuentur ſententiam. Dicunt enim, quod licet Chriſtus in genere cauſæ finalis præceſſerit in diuina intentione vtrunque ordinem, & naturæ, & gratiæ. In genere verò cauſæ materialis oppoſito contingit modo, quoniam Deus non præ ſeſtinauit Chriſtum, neque Verbi incarnationem futuram eſſe voluit, niſi habita conſideratione dependentiæ ad vtrunque ordinem, & naturæ, & gratiæ, non ſolum vt à medio neceſſario requiſito, ſecundum executionem ipſius Verbi incarnationis, ſed vt materia circa quam, & à qua per ſe pendet in genere cauſæ materialis, ipſa diuini Verbi incarnatio, non ſolum vt in executione ponitur, ſed etiam vt in intentione Dei præhabetur. Adhibeo huius rei exemplum, antequam dilucidiorem explicationem apponam. Qui intendit aliquod totum, quod ex materia, & forma intrinſecè componitur, etſi per ſe primò non intendat materiam, aut formam, ſed ipſum totum duntaxat, ſecundariò tamen materiam quoque intendit, & formam, à quibus ipſum totum, & ipſa forma totius compoſiti quaſi in genere cauſę materialis dependet. Et ſicut totum, quod eſt primarium intentionis obiectum, ea ratione, qua ipſius obiectum eſt, non ſolum quoad executionem pendet à materia, & forma, verumetiam quoad intentionem. Ita materia, & forma, ſunt partiale ipſius intentionis obiectum, materiale tamen. Et non intrant in intentione totius compoſiti, vt media extrinſeca, quibus finis intentus, ſcilicet ipſum totum habendus eſt, & comparandus, vt medicamenta intrant ſanitatis intentionem, ſed tanquam id, ex quo ipſa finis intenti forma, & ratio per ſe, & eſſentialiter pendet, vt à propria materia.

Ad eundem ergo modum contendit iſta ſentẽtia, quod ordo naturæ, & gratiæ intrat decretum prædeſtinationis Chriſti. Quoniã Chriſtus, quatenus obiectum formale talis decreti, intrinſecam habet, & neceſſariam dependentiam tanquam à materia ab vtroque iſto ordine, eo quod Chriſtus non abſolutè fuit prædeſtinatus, ſed in eleuationem, & exaltationem naturæ humanæ, vt quibuſdam placet, vel, vt alij cẽſent, in reparationem eiuſdem naturæ per peccatum infectæ. Vnde per ſe loquendo decretum prædeſtinationis Chriſti reſpiciebat vtrumque, & gratiæ, &

naturæ ordinem, vt reparabilem, imo vt reparandũ per ipſum Chriſtum. Et ita Chriſtus fuit prædeſtinatus ſecundum accommodationem ad hanc materiam, ſcilicet naturam reparandam, aut exaltãdam; & ad hunc effectum, ſcilicet reparationem, aut exaltationem naturæ: imo & vtriuſque ordinis, puta naturæ, & gratiæ. Supponit hæc ſententia, quod vel exaltatio, vel reparatio naturæ rationalis, imo & totius naturalis ordinis fuit finis immediatè, & proximè intentus per incarnationem Chriſti. Ita quod Chriſtus prædeſtinatus fuit ad hunc finem, vt ad immediatum, & proximum. Nam finis præcipuus, & principaliter intentus, fuit ipſa Dei gloria, ad quam & Chriſti incarnatio, & reparatio, atque etiam exaltatio totius naturæ, vt ad ſupremum, & vltimum finem ordinantur. Quibuſdam authoribus huius ſententiæ non libet naturæ exaltationem, ſeu reparationem appellare finem incarnationis Chriſti, eo quod finis excellentiam debet habere ſupra media, quæ ad ipſum ordinantur, quæ in præſentia non reperitur, ſed potius è contra Chriſti incarnatio multis partibus excedit totam ordinis naturæ, & gratiæ exaltationem, & reparationem. Vnde reparationẽ, & exaltationem naturæ, vocant effectum per ſe intentum in Chriſti prædeſtinatione, & qui ordine executionis per ſe pertinuit ad Chriſti incarnationem, vel, vt formalius loquar, ad Chriſtum incarnatum. Et quod ad præſens attinet, parum retulerit hoc, vel illo modo dicere. Nam ſiue finis ſit, ſiue effectus per ſe intentus, infert id, quod intendimus, nimirum quod ipſe naturæ ordo vt reparandus, materia eſt circa quam incarnatio Chriſti, prout à Deo intenta, ſuam explicuit virtutem.

Hæc poſterior ſecundæ ſententiæ intelligentia mihi gratior eſt, & plauſibilior, quàm explicatio præcedens. Iuxta quam dicendum exiſtimo, in eo ſenſu intelligendum eſſe, quod decretum prædeſtinationis Chriſti ex parte rei prædeſtinatæ dependentiam habuit in genere cauſæ materialis ab ordine naturæ, & gratiæ, quod non potuit conſtare decretum iſtud, niſi præſuppoſita in aliquo priori ſigno præſcientia vtriuſque prædicti ordinis. Quæ dependentia non pertinet ad rationem mediorum, ex quibus aſſecutio finis dependet. Quoniam finis dependentia à medijs non poſtulat præſcientiam, & præuiſionem mediorum, nam totum mediorum eſſe ex finis volitione pendet, & nullatenus finis volitio pẽdet ex medijs, neque ex ipſorum præſcientia, quamuis pendeat in executione. Vnde prædicta dependẽtia prædeſtinationis Chriſti à præſcientia ordinis naturę, aut gratię, ad rationem ſpectat cuiuſpiam cauſalitatis, quam nos dicimus eſſe materialem. Et concedimus, quod cum cauſæ ſint ſibi inuicẽ cauſę, nihil inconuenit, quod cum vterque ordo naturę, & gratię per ſe pendeat in genere cauſę finalis à Chriſto, & ab eius prędeſtinatione: quod contra Chriſti incarnatio, ipſaque prędeſtinatio Chriſti ex parte termini (nam ex parte actus à nullo pendere poteſt) pẽdeat ab vtroque ordine naturę, & gratię, ab eiuſque pręſcientia in genere cauſę materialis. Ita quod illa duo rationis ſigna, ad quorum alterũ pertinet pręſcientia ordinis naturę, & gratię, & ad alterum ipſa Chriſti prędeſtinatio, modo noſtro concipiendi, & loquendi, integrant vnum ſignum rationis totale, & completum, in quo fuit celebrata tota Chriſti prędeſtinatio. Quemadmodum inſtans introductionis formę ſubſtantialis in materia, imbibit in ſe ipſo duo inſtantia naturę, in quorum altero diſpoſitio in genere cauſę materialis pręcedit formam, & in altero ipſa forma in genere cauſę formalis diſpoſitionem antecedit. Quoniã vero hoc poſterius naturę inſtãs formalius eſt, & principalior, idcirco ei, abſolutè loquendo, tribuimus totam ſubſtãtialem generationem, & aliud naturę inſtans, quod ad diſpoſitionem pertinet, conſideramus vt extrinſecum ipſi generationi, & quaſi ei præſuppoſitum, quamuis reuera vtrumque illud naturę inſtans intrinſecè claudatur in ipſa ſubſtantiali generatione. Ita proportionabiliter in Chriſti prædeſtinatione dicimus, quòd licet tota ipſa ſubſtantialis Chriſti prædeſtinatio, duo illa iam expoſita rationis ſigna complectatur, quia tamẽ illud ſignum, quod pertinet ad Chriſtum, & ad eius incarnationem formalius, & principalius attinet ad ipſam Chriſti prædeſtinationem, idcirco quamuis aliud rationis ſignum pertinens ad præſcientiam ordinis naturæ, & gratiæ per ſe quoque ſpectet ad eandem prędeſtinationem, cõſideratur tamen quaſi extrinſecum, & materialiter præſuppoſitũ ad ipſam prædeſtinationẽ Chriſti. Et loquimur de illo, atque ſi eſſet aliud rationis inſtans ab inſtanti prædeſtinationis diſtinctum. Hoc loco ſermonem facimus de Chriſti prædeſtinatione, non vt potuit à Deo fieri, poterat enim Deus Chriſtum prædeſtinare, nullo ad ordinem naturæ, & gratiæ habito reſpectu, ſed loquimur de ipſa, vt contigit de facto ſecundum conſilium liberæ voluntatis Dei.

Quod autem ea, quæ diximus rationi conſentiant, ſic oſtendo: Impoſſibile eſt, quod quis intẽdat ſubiectum aliquod exornare, & perficere, altiorique forma, & dignitate illuſtrare, non præuiſa ipſius ſubiecti exiſtentia, vel ſaltim non præſcita, vt infallibiliter futura, ergo impoſſibile fuit, quod Deus prædeſtinaſſet Chriſtum ad reparandum, vel eleuandum naturæ, & gratiæ ordinẽ, niſi vtriuſque ordinis præſcientia ſuppoſita. Confirmatur: Nulla poteſt ratione comprehendi, quod quis velit alicui bonum, pręſertim bonum, quod nõ eſt primum, ſed ſuperadditum ſubſtantiali bono eius, cui confertur, niſi præſuppoſita præſcientia, & præuiſione illius ſubiecti, cui tale bonum eſt conferendum, ſed bonum quod Chriſtus cõtulit rationali creaturæ, imo toti vniuerſo, non fuit primum bonum, ideſt ipſum eſſe ſubſtãtiale creaturę rationalis, ſed fuit bonũ ſuperadditũ, & quaſi ſupererogationis bonum: ergo neceſsũ fuit quod Chriſti prędeſtinatio, per quam Deus illud bonum contulit rationali naturę, totique vniuerſo, ſupponeret præſcientiam ipſius naturę rationalis. Quidã grauis modernus author in quęſtione quadã quodlibetica neque iſtã rationẽ probauit, & abſque vlla vel apparenti ratione hanc totam improbauit ſententiam, aſſerens, quod finalis cauſa à ſubiecto, & materia poteſt in executione pendere, & reuera pendet, quia cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ. At in intentione nullo modo pendere poteſt, ſed ſimpliciter finis eſt intentione prior, ſicut eſt prior electione mediorum. Vnde colligit doctus iſte author gloriam Chriſti, atque etiã prędeſtinatorum intentam fuiſſe, & volitam abſque vlla pręſcientia ſubiecti ſuppoſita,

&

& ſimiliter docet, in nullo genere cauſæ præſcientiam ordinis naturæ, & gratiæ, Chriſti prædeſtinationem anteceſſiſſe, ſed quod tota eius anteceſſio ex parte executionis ſe habet.

Verum hæc doctrina (niſi me quicquam fallit) nulla veriſimili ratione fulcitur, falſum eſt enim illud cui innititur fundamentum, putà, finalis cauſæ intentionem tam eſſe abſolutam, & independentē à ſubiecto, & materia, quam eſt independens à medijs ad finis aſſecutionem ordinatis, cuius oppoſitū eſt ſine dubio veriſſimum. Et colligo eius veritatem ex illa finis diſtinctione ab Ariſt. lib. 2. de anima tex. 37. facta, inquit enim, quod iuxta antiquam textus tranſlationem, duplex eſt id, cuius cauſa cætera fiunt, vnū eſt, Quod, & alterum, Quo. Argyropolus, & quidam alij, aliter vertunt, ſed idem eſt ſenſus, ille, videlicet, quem intendunt S. Th. ſuper illum locum Ariſt. & & Themiſt. in ſua paraphraſi, geminum, inquiunt, eſſe finem. Alter eſt illud bonum, quod directè intendit operans, & propter quod operatur, vt ſanitas finis eſt in quem directè tendit medici intentio, & iſtum finem vocat Ariſtoteles finem, Quod. Alter vero eſt ſubiectum illud, cui intenditur tale bonum, vt finis medici nō ſolum eſt ſanitas, ſed etiam homo cui conferenda eſt ipſa ſanitas. Et hunc finem Ariſtotel. appellauit finem, Quo, quem alij appellant finem cui, ex qua doctrina ſic argumentor. In intentione finis non ſolum explicatur finis Propter quod, ſed etiam finis, Quo: itaque ex vtroque fine integratur totale intentionis obiectum: ergo in intentione qua Deus voluit Chriſti incarnationem, ad extollendum, aut reparandum vtrunque ordinem, & naturæ, & gratiæ, non ſolum ipſa Chriſti incarnatio rationem habuit obiecti, verum & vterque ipſe naturæ, & gratiæ ordo includebatur in intentione illa in ratione finis, Quo, veluti partiale eiuſdem diuinę intentionis obiectum. Imò in genere cauſę materialis prius ad ipſam Dei intentionem pertinuit, quàm Chriſti incarnatio. Vbi verum eſſe cenſeo, quod Franciſcus à Carthagena lib. citato diſcurſu 4. non indoctè inſinuauit, quod aliter finis comparatur ad media per quæ acquirendus eſt, & aliter comparatur ad ſubiectum ipſius finis. Nam relatus ad media, omnimodam habet prioritatem in ordine intentionis, eo quod media reſpectu finis, prout eſt in intentione, ſolam rationem effectus ſortiuntur, & nullatenus rationem cauſę. At finis ad ſubiectum cōparatus, etſi ordine intentionis prior ſit in ſuo genere, ſcilicet cauſæ finalis, non tamen omnimodā prioritatem habet, quin potius eſt poſterior in ordine materialis cauſæ. Eſt enim ſubiectum formaliter in ratione ſubiecti cōſideratum, materialis cauſa, à qua pendet finis, non ſolum vt aſſequendus, ſed etiam vt intendendus ab operante, quia finis non intenditur, niſi per ordinem ad ſubiectum. Vnde per ſe pendet à ſubiecti præſcientia, imò & ab aliquo eius amore. Nam quod quis intendat alicui bonum aliquod ſupererogationis exhibere, præſupponit aliqualem dilectionem eius, cui tale bonū intenditur. Et ita ad noſtrum propoſitū Chriſtus Io. 3. dicebat: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Prius dilexit mundum, quàm intenderet illi, & vellet tantum hoc bonum incarnationis Chriſti. Et quidem ſubiectum, cui intenditur finis, non ſolam cauſæ materialis rationem induit, verum & quodammodo cauſæ finalis. Qua non ſolum conſideratur in ratione ſubiecti, in quo ipſe finis ſuſcipitur, ſed etiam conſideratur per modum termini, in cuius perfectionem ipſe finis, Quod, ordinatur. Siquidem ſanitas, quā medicus intendit, per ſe refertur, & deſtinatur ad perfectionem hominis ſanandi. Vnde homo ipſe, finis eſt eiuſdem ſanitatis. Itaque homo abſolutè conſideratus, ſubiectum eſt ſanitatis, ſed ipſemet homo, vt reparandus, & ſanādus, rationem habet finis, reſpectu ſanitatis eiuſdem. Et ob id intentio ſanitatis nō ſolum præſupponit præſcientiā hominis infirmi tanquam ſubiecti, in quo eſt ſuſcipiēda ſanitas, ſed etiam amorem ipſiuſmet hominis vt ſanandi, reparandi, & perficiendi, qua ratione eſt ipſius ſanitatis, & medicationis finis. Ita ergo in pręſentia cenſuerim, quod mundus reparandus ſecundū ordinem naturæ, & gratiæ, atque itidem eleuandus, & extollendus per incarnationis beneficium, non ſolum in diuina præſcientia fuit præſuppoſitus vt ſubiectum, & materia circa quam, ſed etiam in diuino amore, vt reparādus, & perficiendus per Chriſti incarnationē, vt ipſius incarnationis finis. Non quidem finis eſt principalis, nā hic fuit ipſa Dei gloria, ipſaque diuinæ bonitatis manifeſtatio, ſed finis immediatus, & proximus, qui tandem rationem habet medij, non ſolum reſpectu gloriæ Dei, manifeſtationiſque bonitatis diuinæ, ſed etiam reſpectu ipſius Chriſti incarnati, & eius gloriæ. Vt enim liberè dicam quod ſentio, Chriſtus, & rationem medij, & rationem finis habuit reſpectu redemptionis, & ſalutis noſtræ. Conſideratus quidem ſub ſtatu humilitatis, & ſeruitutis, quatenus, videlicet, fuit in corpore mortali, ſeruili indutus forma, rationem habuit medij; quatenus vero Deus exaltauit illum, glorioſumque reddidit, dans illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, finis fuit totius noſtræ reparationis, exaltationis, & ſalutis. Quod volens inſinuare Concil. Tridēt. ſeſſ. 6. cap. 7. nō dixit abſolutè (etſi poſſet) quod Chriſtus eſt noſtræ iuſtificationis finis, ſed gloria Chriſti, id eſt, Chriſtus glorificatus, & exaltatus, & prout illi donatum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Itaque Chriſtus mortalis, ſeruiliſque veſtitus habitu, & (vt Zachariæ verbis vtar) propter noſtrorum ſcelerum imputationem ſordido, miniſtrauit nobis. Non enim, vt ſic miniſtrari venerat, ſed miniſtrare, vt ipſe Matth. 20. dicebat. At poſtquam Matth. vltimo data fuit ei omnis poteſtas in cœlo, & in terra, iā non miniſtrat, ſed miniſtratur ei, id eſt, omnis noſtra ſalus, noſtra iuſtitia, noſtraque glorificatio, quæ ex ipſo Chriſti miniſterio nobis ab eo exhibito, dum mortalem agebat vitam, originantur, & dimanant in ipſam Chriſti iam exaltati gloriam tanquam in finem redeunt, equitate namque plenum eſt, vt inde reuertantur, vnde exierunt flumina.

Sed obſeruandum eſt omnino, quod ipſamet humilitatis obſequia, quæ Chriſtus nobis inter nos viuens præſtitit, quæ materialiter conſiderata, & ſecundum eam formam, in qua fuerūt exhibita rationem ſortiebantur mediorum, iam nunc eademmet, poſt Chriſti exaltationem, & glorificationem, talem adepta ſunt excellētiam, & dignitatem, vt rationem quoque finis habeāt, reſpectu noſtræ redemptionis, & ſalutis. Itaque ipſa Chriſti paſſio, quæ tā in ſe fuit

infirmitatis,& humilitatis plena,tunc mira illuſtratione,illuſtriſſimoque ſplendeſcit honore:ſummaq; à nobis veneratione colitur. Teſtes ſunt ipſæ vulnerum Chriſti cicatrices,quæ nõ aliter in glorioſo eius corpore, atque pulcherrimæ ſtellæ in cœleſti corpore emicant,teſtiſq; erit Crux ipſa cum præclariſſimi tenens vexilli locum in die aduẽtus Domini, ipſum contremiſcere faciet infernum, & Chriſti militibus gaudium afferet inenarrabile. Quo fit vt incarnatio Chriſti,etſi ſecundum quid .i.ratione humilitatis,& infirmitatis Chriſti,quam in eo apparuit,dum inter homines vixit, interq; ipſos, & ab ipſis eſt paſſus, & interfectus, rationem habuerit medij, ad noſtram redemptionem, & ſalutem comparata, abſolutè tamen,& ſimpliciter loquendo, finis eſt,& nõ mediũ. Nam Chriſtus in ſtatu ſibi connaturali, & cõſtitutus nimirum in ſtatu exaltationis,& gloriæ, finis eſt noſtræ iuſtificationis, noſtræ gratiæ, totiuſq; noſtræ ſalutis.Cumq; iſte ſtatus ſit ſimpliciter proprius Chriſti ſtatus, ille verò infirmitatis, & paſſibilitatis (qui via potius appellari debet) ſecundum quid tantum ad eum pertinuerit, ex diuina ſcilicet diſpenſatione, vt noſtræ redemptionis miniſterio aptus eſſet, & idoneus,quod ipſe Chriſtus pſal. 39. illis verbis Paulo ad Hebr. 10. referente, inſinuauit: *Sacrificium,& oblationem noluiſti, corpus aptaſti mihi*, aptaſti, ideſt feciſti aptum morti,& crucis ſacrificio. Idcirco ſimpliciter concedendum eſt, quod incarnatio Chriſti finis eſt,& fuit ſalutis noſtræ, atque ipſius noſtræ redemptionis,& quod ſecundũ quid duntaxat rationẽ habuit medij reſpectu redemptionis eiuſdẽ. Ex quo rationabili,imò & euidenti conſequutione infertur, quod noſtra redemptio ſimpliciter, & abſolutè eſt mediũ ad Chriſtum incarnatum, & ad eius gloriã, ſed fuit nihilominus finis ſecundum quid,quem appellamus immediatum,& proximum. Et hac ratione,qua finis fuit,eius amor, & intentio præſuppoſita fuit ad Chriſti prædeſtinationem,ad ipſumq; incarnationis Chriſti decretum: ſed quamuis hæc prioritas, & præſuppoſitio non nihil induat cauſæ finalis reſpectu prædeſtinationis Chriſti,& decreti incarnationis eius,ſimpliciter tamẽ rationem habet effectus conſequentis ipſam Chriſti prædeſtinationem, & incarnationem, atque itidem rationem medij,vt ex dictis conſtat. Quocirca, vt hæc tandem reſolutoriè dicamus,id aſſero,quod ordo naturę abſolutè habuit rationem materiæ,& ſubiecti illius effectus, qui fuit proprius effectus incarnationis Chriſti, ſeu Chriſti incarnati,nimirum reparationis, & exaltationis humanæ naturæ,& ſub hac materiali ratione eius præſciẽtia neceſſariò debuit præſupponi ad Chriſti prædeſtinationem. Niſi placuerit magis dicere,ordinis naturalis pręſcientiam incluſam potius fuiſſe in ipſa Chriſti prædeſtinatione, iuxta modum ſuperius expoſitum,quàm præſuppoſitam. Cæterum ipſa naturalis ordinis reparatio, ſiue exaltatio rationem ſimpliciter habuit effectus incarnationis Chriſti,ipſiuſq; Chriſti incarnati; habuit autem ſecundum quid rationem finis, & ſub hac diminuta finis ratione, eius præſcientia præſuppoſita fuit ad illud primũ Chriſti prædeſtinationis decretum: imò & fuit præſuppoſita ipſa diuinæ voluntatis dilectio, qua totam humanam naturam, vt reparandam, & glorificandam prædilexit, in quo ſenſu procedunt verba illa ex Io. citata: *Sic Deus dilexit mundum*.

Sed obſeruandum eſt omnino, nos idcirco non abſolutè dixiſſe,quod ſubiectum nõ habet rationem medij, ſed addimus illa verba, formaliter, & in ratione ſubiecti conſideratum. Quoniam perſpectum habemus, poſſe contingere, quod illud ipſum,quod eſt ſubiectum alicuius finis, poteſt reſpectu eiuſdem finis medij rationem induere, & quod ſub hac poſteriori ratione non antecedit eius præſcientia finis intentionem,ſed ſequitur potius. Et ita in præſentia contigit, nam totus ordo naturæ, & gratiæ, quæ in ratione ſubiecti præſuppoſitus fuit in diuina præſcientia ad Chriſti prædeſtinationem,habet quoque ſimpliciter rationem medij reſpectu prædeſtinationis eiuſdem. Non enim ſola exaltatio,aut reparatio prædicti ordinis in Chriſtum, & in eius gloriã fuit, vt in finem deſtinata, ſed ipſa quoque vtriuſque ordinis ſubſtantia,ipſumque totum eius eſſe in Chriſti gloriam,vt in finem à Deo fuit ordinatus,& proportionabiliter ad ipſam Chriſti gloriam ab æterno diſpoſitus. Et idcirco merito Paul. 1. ad Cor. 3. loco iã citato dicebat: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti*. Omnia, ideſt, totus naturæ ordo propter vos ò electi, & prædeſtinati Deus fundauit, & diſpoſuit, veſtram autem prędeſtinationem,& gloriam,totumq; ipſum gratiæ ordinem, in quo vos ò prædeſtinati principem tenetis locum, ad Chriſtum, eiuſque gloriam retulit Deus, & ordinauit tanquam in finem, & præclariſſimum omnium veſtrum caput, vnde tãdem omnia Chriſti ſunt, ad ipſum, ad eiuſque gloriam, vt in excellentem finem deſtinata. Quare autem Paul. non vtrumque ordinem,& naturę,& gratię Chriſto immediatè ſubiecerit, ſed prędeſtinatos duntaxat, & ipſis mediantibus naturę ordinem, inferius explicabimus.

Hęc dicta ſuffecerint pro hac poſteriori ſecundę opinionis explicatione, quę accommodari poteſt ad vtramque illam extremam ſententiam, quarum altera docet Chriſtũ,niſi extaret originalis culpa,non in mundum venturum. Altera vero contrarium docet omnino. Nam ſiue ſupponamus Chriſtum veniſſe ad reparãdam naturam humanam per peccatum infectam,& laceratam, vt prima harum opinionum intendit,ſiue cum multis ſecundę opinionis authoribus dicamus, Chriſtum non prędeſtinatum fuiſſe, per ſe primo ad huiuſmodi reparationem faciendam, ſed in magnificam, & glorioſam eiuſdem naturę exaltationem: pręcedere poteſt hęc ſecũdę opinionis intelligentia. Quę pręclara eruditione ſaluat Chriſtum prędeſtinatum fuiſſe,vt finem excellentiſſimũ vtriuſque ordinis, & naturę, & gloriæ,& quod fuit ſimpliciter primus prædeſtinatus, & cauſa prędeſtinationis noſtrę. Imo quod fuit ſimpliciter finalis cauſa omnium rerum, quantum ad primam earũ entitatem,& exiſtentiam. Quamuis ſecundũ quid, ideſt,in genere cauſę materialis, vtriuſque ordinis, & naturę, & gratię exiſtentia ſuppoſita fuerit in diuina pręſcientia ad Chriſti prędeſtinationem. Et quoniam ſecũda ſententia ſic expoſita deſeruire poteſt ad duas extremas illas opiniones nunc inſinuatas, idcirco hoc loco propoſui hanc ſententiam, illamque tam latè expoſui, priuſquam examinarem duas illas opiniones extremas,de quibus,de earumq; intelligentia deinceps agemus.

§.4.

§. 4. *Refertur tertia ſententia.*

Eſt igitur tertia ſententia, quæ iam propius accedit ad famoſam illam Scoti opinionem, quæ docet, Chriſtum, etiam non exſtante peccato, venturum eſſe in mundum ex vi prædeſtinationis ſuæ. Aſſerit hæc tertia ſententia, Chriſtum de facto principaliter veniſſe in mundum propter ipſam humani generis redemptionem, ſed quod veniret nihilominus, etiam ſi non extaret originale peccatum, quoniã etſi remedium humanæ naturæ cauſa fuerit Chriſti aduentus, &, vt dicebam, principalis, non tamen ipſa ſola fuit cauſa aduentus Chriſti, ac proinde neque cauſa adęquata. Nam manifeſtatio diuinæ bonitatis, diuinæq; omnipotentiæ, & ſapientiæ, ipſaq; etiam exaltatio humanæ naturæ, imò & totius vniuerſi eleuatio, atque itidem perfectio, & conſummatio ordinis gratiæ, ſufficientes erant cauſæ ipſius Chriſti incarnationis, & aduentus. Hanc ſententiam docet Albertus Magnus in 3. diſt. 2. art. 9. & ſolẽt moderni Theologi illam adſcribere Alex. Alenſ. 3. par. q. 7. membro 13. ſed Alexander, ſi attentè legatur, hanc ſententiam minimè docuit, quia licèt diuerſas enumerauerit incarnationis cauſas, omnes tamẽ reducit ad remedium peccati, ad humaniq; generis redemptionem. Quam proinde cauſam cẽſuit adæquatam fore, aut ita præcipuã, vt illa de medio ſublata, nulla ſufficeret alia: atque adeò à ſententia, quam inferius ex S. Thoma referemus, non videtur recedere. Sed quicquid ſit de authoribus huius ſententiæ, ad eius intelligentiã breuiter eſt adnotandum. Primo, duplicem eſſe poſſe cauſam, quæ liberum operantẽ ad aliquid efficiendum inducat. Altera eſt motiua, & altera impulſiua. Cauſa motiua ea dicitur, à qua ita pendet operatio, vt illa ſublata, agens non operaretur. Impulſiua verò cauſa illa eſt, quę mouet quidẽ operãtem, vt citius, aut promptius, maiorìue conatu effectum producat, nõ tamen ita neceſſaria eſt, quod illa ſublata, ceſſet agentis operatio, atque adeo tollatur effectus, ſed ceſſaret duntaxat illa effectus, & operationis conditio, quæ ex tali cauſa ortum habuiſſet, reſpectu cuius cauſa motiua dici poterat, v.g. quod citius fieret, promptius, aut cum aliqua circũſtantia particulari, &c. Poſſet afferri exemplum in medico, cui inſtat neceſsitas tractandi aliquod negotium in aliquo oppido, qui cum iam ſit paratus illuc ire, caſu nouit amicum ibi infirmari, & tunc libentius adit oppidum illud, vt infirmo exhibeat medẽdi officiũ, quod vt melius exequatur, defert ſecum medicamẽta, quæ iudicat neceſſaria. In hoc caſu viſitatio infirmi non fuit medico motiua cauſa aſſumendi iter in illud oppidum, quia paratus erat illuc adire propter inſtans negotium, ſed fuit impulſiua, & poteſt appellari motiua ſecundum quid, reſpectu ſcilicet illius effectus, quod eſt medicamenta parare, & ſecum deferre.

Secundo eſt aduertendum, quod cauſa motiua duplex eſſe poteſt, Altera adæquata, & quaſi totalis. Altera vero inadæquata, & partialis. Volo dicere, quod ſi contingat aſſignare cauſam, quæ ita moueat agentem ad operandum, vt illa ſola ſit ſufficiens, & illa ſublata nulla ſufficiat, talis cauſa poteſt dici adæquata, & totalis. Nam licet aliæ concurrant propter quas agens operetur, omnes tamen cenſentur quaſi extrinſecæ, & impulſiuæ cauſæ. Si vero contingat, quod aliqua cauſa ita ſufficiens eſt ad mouendum ipſum agens ad operandum, quod tamen illa ſublata, remanere poſſit alia cauſa, quæ ſit ſufficiens vt moueat illudmet agens ad operandum, talis cauſa motiua poteſt appellari, eo quod ſufficiens eſt ſe ſola ad mouendum agens, vt operetur effectum, non tamen adæquata poteſt vocari, cum non ſit neceſſaria ad effectum inducendum, quia illa ſublata, alia cauſa poteſt remanere ſufficiens.

Hoc quibuſdam Theologis non apparet poſſibile, putant enim quod ſi altera cauſa ſufficit, omnes aliæ impulſiuæ, duntaxat cenſeri debent, & quod nõ concurrunt ad effectum ſimpliciter, ſed ad aliquem modum eius duntaxat, ſicut de cauſa impulſiua dicebamus. Sed ego huius rei impoſſibilitatem nõ video. Nam vt in poſito ſiſtamus exẽplo. Quis vetat, quod medicus propter cauſam illam vtramque iret illud oppidum, ita quod vtranque, vt ſufficiẽtem aſſumeret, ſic adeo vt ſola cauſa viſitandi infirmum, etiam ſi alia non extaret, ſufficiens ei eſſet cauſa motiua ad tale iter agendum, & ſimiliter quod negotium inſtaret illi taliter, quod quamuis de infirmo nihil ſciret, iret nihilominus medicus ille arriperet ad ſuum tractandum negotium, & per accidens duæ illæ cauſæ, quæ ſeorſum ſufficerent, cõcurrunt ſimul, & vtraque vt ſufficiẽs, & quaſi totalis. In effectibus naturalibus forſan hoc eſſet impoſſibile, aut ſaltem non eſſet factibile ſine magno miraculo. Nam quod vnus effectus à duabus per ſe pendeat totalibus cauſis nõ ſubordinatis, apparet impoſſibile. Cæterum in effectibus liberis, hæc impoſſibilitas non eſt: quia cauſa libera ſic poteſt ad duo motiua attendere in aliqua operatione, vt ſit parata operari propter alterã eorum, altero deficiente. Verum eſt, quod in tali caſu, lato quodam vocabulo quælibet earum ad alteram comparata poſſet appellari cauſa coadiuuans, & impulſiua. Quia cum quælibet ſeorſum ſufficiat determinare agens ad operandum. Altera concurrere videtur quaſi coadiuuando, & impellendo duntaxat. Vtraque autem ſimul rationem habet cauſæ totalis, & adæquatæ. Quando igitur duæ cauſæ, aut plures in hunc modum concurrunt, nihil inconuenit, quod cũ quælibet earũ ſit ſufficiens, vna ſit principalior alijs, & nihilominus illa ceſſante, non ceſſet operatio agẽtis, ac proinde neque effectus. Nam alia cauſa, quæ minus principalis eſt, ſufficiet ad mouendum ipſum agens, vt eundem effectum operetur, quem operaretur, ſi omnes huiuſmodi cauſæ ſimul adeſſent. In illo exemplo medici conſtare hoc poterit. Nam quis prohibet, quod inſtans gerendum negotium ſit cauſa principalior, & quæ illum magis moueret, etſi infirmi viſitatio eſſet ei ſufficiens motiuum arripiendi iter.

His ergo ſuppoſitis, authores huius tertiæ ſententiæ exiſtimant remedium originalis culpæ fuiſſe cauſam motiuam, vt Deus mitteret Filium ſuũ in mundum, non quidem adæquatam, & totalem, ſed partialem, & inadæquatam, verum ſufficientẽ, ſeorſum conſideratam, & propter quam ſolam veniret, ſi ſola occurreret: & hoc conſiderata actuali diuinæ voluntatis intentione, quæ parata erat propter eam ſolam operari eundem effectum. Vti ſolent dicere Concionato-

natores, & neſcio an inſinuaverit S. Chryſoſt. exponens illa Pauli verba. *Dilexit me, & tradidit ſeipſum pro me.* Quod ita Deus miſit filium ſuum in remediū commune totius humani generis, quod paratus erat mittere, etiam eum ſi vnus duntaxat homo tali tantoque egeret remedio. Et dicunt præterea huius tertię opinionis authores, quod aſſumpſit Deus cauſam iſtam, vt magis principalem, & præcipuam inter omnes cauſas propter quas Deus miſit Filium ſuum, vna tamen excepta, nimirum manifeſtatione ſuæ bonitatis, & gloriæ. Quæ tamen ſi ceſſaſſet non ob id ceſſaret effectus, puta incarnatio Verbi, quia remanerēt aliæ cauſæ, quæ eſſent ſimpliciter ſufficientes, vt verbum fieret caro, etſi congruentius fuerit, quod propter eas omnes ſimul verbum naturam humanam aſſumeret. Præcipuum pro hac ſententia argumentum eſt primum, quod pro quarta ſententia formabimus. Nam ex illo videtur conſtare, quod Deus ſimul aliam cauſam, vt ſufficientem etiam conſideraret, & non ſolum peccati remedium. Quod vero remedium peccati ſit principalior cauſa, probatur ex ſcriptura ſacra, quæ aperta pro hac veritate apparet. Cuius teſtimonia referemus pro ſententia S. Tho.

§. 5. *Refertur quarta ſententia cum ſuis fundamentis.*

SEd adeſt iam quarta ſententia, quæ non ſolum docet, quod etiam non exiſtente originali peccato filius Dei veniret in mundum, verum etiam addit, quod remedium peccati originalis non fuit de facto principalis cauſa incarnationis Chriſti, ſed impulſiua duntaxat iuxta modum paulo ſuperius in 1. notabili expoſitum. Et in hoc ſecundo hæc quarta ſententia differt à præcedenti. Et differt præterea in hoc, quod tertia ſententia non admittit Chriſtum in aliquo ſigno rationis fuiſſe prædeſtinatum, quod non præſupponeret originale peccatum in alio priori ſigno rationis præuiſum, quia reuera præſcientia originalis peccati, & ſi non concurrit tanquam neceſſaria ad Chriſti prædeſtinationem, quia redemptio humani generis non fuit cauſa adequata, neque neceſſaria, vt Deus Chriſtum prædeſtinaret, concurrit tamen de facto, vt cauſa motiua coadiuuans iuxta ſuperius dicta in notabili 2. At quarta opinio fatetur quidem, quod redemptio humani generis impulſiua fuit cauſa incarnationis Chriſti, eo quod aliquam conditionem habuit Chriſti incarnatio, quam non haberet iſta cauſa ſemota. Non enim Chriſtus veniret in carne mortali, niſi propter peccati remediū. Cæterum remedium peccati nullatenus fuit cauſa concurrens ad ipſam Chriſti prædeſtinationem ſecundum eius ſubſtantiam, neque præſcientia peccati in aliquo priori rationis ſigno anteceſſit Chriſti prædeſtinationem, ſed illam potius præſuppoſuit. Prius enim iuxta hanc quartam ſententiam, Deus prædeſtinauit Chriſtum venturum, quam videret ipſum Adæ peccatum, & in hoc conueniunt cum Scoto omnes fere huius ſententiæ authores, quamuis in multis alijs diſſentiant, neque in vno, & eodem ſenſu Scoticam opinionem interpretentur. Sed antequam diuerſa huius ſententiæ interpretamenta afferamus, operæpretium eſſe duxi, præcipua argumenta hoc loco inſinuare, quæ iſtam Scoti ſententiam probabilē efficere videntur.

Sit ergo primum argumentum ex ſacris literis deſumptum, quo probatur cauſam præcipuam prædeſtinationis Chriſti, & incarnationis eius ipſam humanę naturæ exaltationem fuiſſe, ac proinde non eius à peccato reparationem, & redemptionem. Paulus 1. ad Corinth. 2. ita inquit, *loquimur ſapientiam, quæ in myſterio abſcōdita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram.* Loquebaturque ibi Paul. de Chriſto incarnato, quem appellat Dei ſapientiam, quam dicit prædeſtinatam fuiſſe in gloriam noſtram, id eſt, vt noſtram extolleret, dignificaret, & glorificaret naturam. Et nullum verbum de peccati remedio, de noſtraque redemptione fecit, ergo manifeſtum inde argumentum deſumimus, Chriſti prædeſtinationem prius in ipſa Dei mente celebratam fuiſſe, quam fuerit præuiſum originale peccatum; atque adeo quod non in remedium peccati Chriſtus fuit prædeſtinatus, ſed ad ſanctificandam, & exaltandam humanam naturam. Confirmatur ex illo quod Chriſtus dixit Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & vt abundantius habeant.* Ecce quemadmodum cauſa ob quam Chriſtus in mundum venit, non fuit peccati remedium, ſed ipſa animæ noſtrę viuificatio. Hoc argumentum ſic confirmatum accomodari poterit ad probandum tertiam præcedentem ſententiam, videtur enim probabiliter ſuadere, quod redemptio humani generis non fuit adęquata, & totalis cauſa aduentus Chriſti, ſed cauſa veluti coadiuuans, & partialis. Nam in his ſacrę paginę teſtimonijs videtur deſignari alia cauſa tanquā ſufficiens, vt Deus propter ipſam Chriſtum in mundum mitteret, quæ cauſa fuit ipſa humanæ naturæ exaltatio, & glorificatio.

Secundū argumentum deſumptum etiam ex ſcripturis ſacris, probat Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante peccati præſcientiam. Et in hunc modum formo argumentum. Chriſtus ex primaria ſuæ prædeſtinationis ratione, prædeſtinatus fuit venturus in carne impaſſibili, immortali, & glorioſa. Hęc autem prædeſtinatio neque præſupponebat originalis peccati præſcientiam, neque eius attendebat remediū, nam vt Chriſtus remedium afferret peccati, hominumque genus ab originali culpa redimeret, operabatur, vt mortalis, & paſſibilis, atque itidem viatoralias enim neque ſatisfacere, neque mereri poſſet: ergo, &c. Maior probatur ex illo Ioan. 17. vbi Chriſtus Patrem orans in hunc modum dicebat. *Clarifica me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret.* Petebat autem ibi Chriſtus, eam corporis ſui claritatem, quam poſt reſurrectionem obtinuit ſimul cum ipſa nominis ſui exaltatione. Et poſtulabat à Patre, vt eam tandem poſt mortem claritatem acciperet, in qua ex vi ſuę prædeſtinationis erat venturus. Nam quid aliud deſignare poſſunt illa verba: *Claritate quā habui priuſquam mundus fieret,* niſi claritatem quam ante mundi conſtructionem, id eſt, in primo decreto diuinæ mentis habuerat? Ita quod priuſquam quidquam Deus de mundi creatione tractaret, prędeſtinauit Chriſtum in carne impaſſibili, immortali, & glorioſa venturum, quam proinde Chriſtus dicebat ſe ha-

buiſſe priuſquam mundus fieret: quia habuit in Dei prædeſtinatione.

Confirmatur ex illo, quod Chriſtus Ioan. 10. dicebat Iudeis. *Pater veſter Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt.* Cuius ſententię is videtur eſſe ſenſus, quod Abrahamo primo reuelatum eſt decretum illud antiquum, quo decreuit Deus filium ſuum in mundum mittere in carne immortali, glorioſa, & impaſſibili. Et tunc exultauit Abrahamus nimio gaudio repletus, tale enim exuberans gaudium denotat verbum, *Exultauit*, deſiderans videre ipſum Dei filium iam exiſtentem in mundo. Deinde facta ſpecialiori reuelatione qua vidit Chriſtum in carne mortali, & paſſibili natum, cruciſque addictum patibulo, vt ibi humanæ redēptionis pretium exolueret, iam non exultauit, ſed gauiſus eſt, ideſt, nō tantopere lętatus fuit, ſed moderatiori gaudio, & temperatiori lętitia fuit affectus. Quia & ſi humani generis redemptio per Chriſti mortem facienda, grandis erat lętitię cauſa, at Chriſti paſſibilitas, mortalitas, & ipſa denique Crucis paſſio, ipſum temperabant gaudium, neque permittebant nimiam illam animi exultantis lętitiam, quam prima reuelatio in in ipſo Abrahamo cauſauerat.

Tertio arguitur ex diuerſis Patrum teſtimonijs, quæ huic ſententię atteſtari videntur. Cyrill. libr. 5. Theſaur. cap. 8. inquit, quod *ſicut ſapiens Architectus profunda iacit fundamenta propter ſuſpitionem ruinæ. Ita Deus prædeſtinauit Chriſtum propter ſuſpitionem peccati futuri Adæ*. Id ipſum dicit Bernard. in ſerm. 1. Aduentus, & ſerm. 17. ſuper Cantica S. Auguſt. lib. de ſpiritu, & anima cap. 9. & in manuali cap. 26. docet verbum fuiſſe incarnatum, vt homo tam in anima, quam in corpore beatificaretur, & vbique inueniret Paſqua. Hęc autem Auguſtini ratio eandem vim habet ſine peccato in natura humana, atque ipſo exſtante. Eandem ſententiam docere videntur S. Anſ. ad Hebr. 2. & expreſſe Ruper. Abba. loc. cit.

Quartum argumentum. Prius Deus abſoluta voluntate voluit gloriam animæ Chriſti, quam gloriā hominum, & Angelorum, & quam reparationem humani generis, ſed abſoluta Dei voluntas ſemper impletur, abſque dependentia ab aliquo alio. ergo quamuis non extaret peccatum originis in natura humana, imo, quamuis nullus Angelorum aut hominum beatificandus eſſet, verbum nihilominus humanam aſſumeret naturam. Maior probatur. Gloria animæ Chriſti eſt maius bonum, quam gloria omnium hominum, & Angelorum, magiſque proinde Deo propinqua, ergo primum debuit eſſe volita Deo abſoluta voluntate, & ab omni alio independenter, eo vel maxime, quod ipſa eſt totius humanę & Angelicæ gloriæ finis.

Quintum argumentum. Si prædeſtinatio Chriſti præſuppoſuit pręſcientiam originalis peccati, & Chriſtus pręd eſtinatus fuit dependenter ab ipſo originis peccato, ſequitur, quod fuit per accidens, & occaſionaliter prædęſtinatus, & non per ſe, & ex primaria Dei intentione. Conſequens non apparet rationi conſentaneum, ergo &c. Sequela videtur manifeſta, quia peccatum per accidens ſe habuit in natura humana, & nullatenus pertinet ad intentionem Dei, eius autem permiſſio pertinet quidem ad Dei intentionem, non vero per ſe primo, ſed ſecundario, & quaſi indirectè, primaria enim Dei ſummi boni intentio, ad promotionem boni, & non ad permiſſionem mali, & peccati pertinet. Minor vero probatur. Rationi diſſentaneum eſt aſſerere, quod illud, quod maximum bonum eſt inter vniuerſa diuinæ prouidentiæ opera, per accidens, & occaſionaliter tantum fuerit à Deo diſpoſitum, & factum. Et præſertim occaſiune peccati, quod eſt malum, valde diſplicens Deo, ergo, &c.

Confirmatur primo, argumento ſatis apparenti. Peccatum originis, non alia ratione potuit à Deo permitti, niſi vt virtus incarnati verbi in eius remedio manifeſtaretur, & ſplendeſceret, ergo voluntas Dei peccati originalis permiſſiua pręſuppoſuit Chriſti prædeſtinationem: atque adeo Chriſti prædeſtinatio non occaſionata fuit ex originali peccato, quin potius ipſa permiſſio peccati ex Chriſti prædeſtinatione ortum habuit. Probatur antecedens. Deus nullum permittit malum niſi vt inde aliquod eliciat bonum, quod docuit expreſſe Augu. in Enchyrid. & poſt ipſum S. Thom. 3. par. quæſt. 1. art. 3. ad 3. ergo tam grande illud malum, totius humanæ naturę infectiuum, Deus non permiſit, niſi vt magnum illud bonum redemptionis, per Chriſtum factę, ex eo eliceret, vt vere poſſet dicere Pau. Ro. 4. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*. Nec enim in toto diuinę prouidentię ordine bonum aliquod aliud inuenire poſſumus, propter quod prudenter, & rationabiliter malum eſſet permittendum.

Confirmatur ſecundo. Si Chriſtus in remedium originalis peccati prędeſtinatus fuit, ſequitur quod eius prędeſtinatio pręſuppoſuit pręſcientiam peccati, vel vt infallibiliter futuri, vel vt iam exiſtentis, ſeu alijs verbis, vel pręſuppoſuit cognitionem peccati pertinentem ad diuinam ſcientiam permiſſionis, quę tenderet in peccatum, vt futurum, vel pertinentem ad ſcientiam viſionis, quæ peccatum, vt pręſens Deo, & eius ęternitati coexiſtēs reſpiceret. Sed vtrúque horum falſum eſt omnino, ergo prędeſtinatio Chriſti nullatenus pręſuppoſuit peccati præſcientiā. Probatur minor. (Maior enim eſt manifeſta ex diuiſione ſcientiæ diuinæ à nobis ſuperius facta.) Et primo, quod non præſupponeret cognitionem peccati ad ſcientiam viſionis ſpectantem. Probatur, quoniā ſi ita dicamus, neceſſum eſt fateri, quod Chriſtus, nec etiam in genere cauſæ finalis, prius prædeſtinatus fuit, quam Deus ſtatueret naturam humanam producere. Nam tunc neceſſe eſſet, quod prædeſtinatio Chriſti præſupponeret cognitionem naturæ humanæ, vt exiſtentis, & creatæ, quia non potuit præcedere cognitio viſiua peccati inexiſtentis humanæ naturæ, quin præcederet etiam viſio ipſius naturæ humanæ exiſtentis. At ſi prædeſtinatio Chriſti hanc præſuppoſuit cognitionem, nequit intelligi, quo pacto in genere cauſæ finalis præcederet decretū creationis humanæ naturæ, Probatur præterea, quod nec præſupponeret cognitionem peccati pertinentē ad ſcientiam permiſſionis. Peccatum non eſt cognoſcibile, vt infallibiliter futurum: ergo per illam ſciētiam, quæ reſpiceret originis peccatum, vt futurum, non potuit Deus cognoſcere certo, & infallibiliter ipſius peccati euentum, ſed cognitiune tantum coniecturali, & fallibili. Quæ cognitio & diuino intelle-

ctui

Qui propter ſui imperfectionem repugnat, & ipſi etiam Chriſti prædeſtinationi, quæ abſoluta debuit eſſe, & efficax, minimeque à coniecturali, & fallibili cognitione pendens. Antecedens probatur. Peccatũ quandiu intelligitur, vt futurum, conſideratur, vt quoddam futurum cõtingens, quod neque in ſeipſo neque in aliqua ſui cauſa determinatum eſſe habet, ergo incognoſcibile eſt per determinatam, & infallibilem cognitionem. Res enim quælibet non aliter cognoſcibilis eſt, quam ſecundum eum modum, quem res ipſa habet: aut ſaltem non poteſt cognoſci ſub modo contrario, ergo Deus per ſcientiam permiſſionis non potuit certa, & determinata notitia originis peccatum, vt futurum præcognoſcere. Tandem tertio confirmatur. Nam ex oppoſita ſententia ſequitur, quod debeamus gaudere, & lętari, quod Adam peccauit, cum ex eius peccato tantum reportauerimus bonum: conſequens non eſt admittẽdum. Et augeo vim huius argumenti ex eo, quod Auguſt. lib. de nat. & gra. c. 15. inquit. *Non dicimus vt eſſet cauſa miſericordiæ Dei, neceſſarium fuiſſe peccatum. Vtinam non fuiſſet miſeria, neque ipſa fuiſſet miſericordia neceſſaria*, ergo, &c.

Sexto arguitur. Sequitur ex contraria ſententia, quod Chriſti prędeſtinatio præſuppoſuit in mente Dei hominum prędeſtinationem, conſequens non apparet admittendum, quoniam ſacrę literę manifeſtæ inſinuant Chriſtum fuiſſe primum prędeſtinatum, & quod cœteri homines in Chriſto ſunt prædeſtinati. *Elegit nos in ipſo*, inquit, Paul. Epheſ. 1. *Ante mundi conſtitutionem*. ergo, &c. Probatur ſequela. Prædeſtinatio hominum nullum præſuppoſuit peccatum, neque eius in diuina mente præſcientiam, vt communiter ſolent docere Thomiſtæ 1. p. q. 23. & colligunt ex Paul. Rom. 9. vbi ſub figura Iacob, & Eſau, omnium prædeſtinatorum, & reproborum cauſam proponens, inquit, quod antequam quidquã boni, aut mali, egiſſent, prædeſtinauit Deus Iacob, & Eſau reprobauit, ergo hominum prædeſtinationem non præceſſit in intellectu Dei originalis culpæ præſcientia, ergo ſi prædeſtinatio Chriſti præſuppoſuit præſcientiam originalis peccati, non potuit non eſſe poſterior hominum prædeſtinatione. Confirmatur primo, ſaltem ſequitur ex cõtraria ſententia, quod detur cauſa reprobationis hominum ex parte reprobatorum, conſequens non admittitur a multis grauiſſimis Theologis propter illud teſtimonium ante adductum, ex Paul. Rom. 9. in quo Paul. omne demeritum ex parte reprobati, excludere videtur ab eius reprobatione, ergo, &c. Probo ſequelam. Certũ eſt reprobationem hominum præſuppoſuiſſe in ipſa Dei mente prædeſtinationem Chriſti, ergo ſi Chriſti prædeſtinatio præſuppoſuit originalis peccati cognitionem neceſſum eſt fateamur, reprobationem hominum præſuppoſuiſſe quoque ipſam eiuſdem peccati præſcientiam. At peccatum originis ſufficiẽs cauſa fuit demeritoria ad hominum reprobationẽ. ergo reprobatio præſuppoſuit demeritum ex parte reproborum. Confirmatur ſecundo. Si Chriſtus prædeſtinatus fuit in remedium peccati Adæ, ſequitur quod prædeſtinatio Adæ pręceſſerit Chriſti pręděſtinationem: atque adeo quod primus pręděſtinatus non fuit nouiſſimus, & cœleſtis Adam, ſed Adam primus, & terreſtris, quod rationi, & ſcripturæ ſacræ diſſentire videtur: ergo, &c. Probatur ſequela. Si Chriſtus pręděſtinatus fuit, vt Adæ remedium afferret, ergo prædeſtinatio Chriſti præſuppoſuit abſolutum, & efficacem amorem Adæ, in voluntate diuina. Hic autem amor ad prædeſtinationem pertinet, ergo, &c. Confirmatur tertio. Non conſonat rationi, quod Deus maius bonum amauerit propter minus bonum, & quod ex amore minoris originaretur in Dei voluntate maioris boni dilectio. Sed contra ſe res debuit habere, vt rectus ſeruaretur ordo, ergo Chriſti amor, & prædeſtinatio non habuit ortũ ex amore Adę, aut ipſius humanæ naturæ, ſed contra humanę naturę, & Adæ amor, ex ipſa Chriſti abſoluta, & efficaci dilectione, quę comitem habet ipſam prædeſtinationem. Colligitur hęc ratio ex Irenęo lib. 3. c. 33.

Septimo arguitur pręděſtinatio Chriſti ortum habuit ex ſumma Dei bonitate, Deus enim eo ſe voluit communicare tam excellenti communicatione, qualis eſt communicatio hypoſtaticæ vnionis, quia ſummum bonum eſt. Nam ſicut pertinet ad bonum qua ratione bonum, communicare ſeipſum (eſt enim bonum diffuſiuum ſui dicente S. Dyoniſio cap. 1. de diuinis nominibus) ita ad ſummum bonum pertinet ſummo modo ſe communicare. At hæc ratio eandẽ omninò vim haberet, originali culpa de medio ſublata, atque nunc habet originis peccato ſuppoſito: ergo rationabile eſt aſſerere, quod Chriſtus etiam non extante peccato, in mundum veniret. Confirmatur. Quanquam non extaret redemptionis, & remedij peccati cauſa, aliæ eſſent rationes, & cauſa, propter quas conuenienter verbum humanam carnem aſſumeret: ergo valde rationabilis eſt ſententia, quæ docet, verbum non extante peccato, humanam carnem aſſumpturum. Probatur antecedens. Illa cauſa ſeu ratio incarnatio diuini verbi valde conduceret ad manifeſtationem diuinę bonitatis, vt & homines, & Angeli cognoſcerent, quam bonus eſt Deus, qui tam excellenti modo ſeipſum communicaſſet, & non eſſet contentus minore ſuæ bonitatis communicatione: Et ad extollendam, & exaltandam rationalem naturam, imo, & totum ipſum vniuerſum plurimũ quoque conferret. Nam quod diuinum verbum intra rationalis naturæ, & totius vniuerſi limites, ſeipſum ſecundum naturam aſſumptam concluderet, ſummopere totum naturæ amplificaret ordinem. Contuliſſet etiam, quam maxime ad perficiendum & conſummandũ totũ gratiæ ordinem, gratia enim, vt ſępe diximus, nullum habet extra Chriſtum proprium, & adæquatum ſubiectum, neque in nullo ſubiecto alio qualiſcunque, & quantæcunque ſit excellentiæ, ſortiri poteſt totam ſibi debitam plenitudinem. Præterea. Quod ordo gratiæ terminaretur ad Chriſtum, vt ad ſupremum ſui caput, ad magnam eius perfectionem, præcipuumque ſuæ dignitatis cõplementum attineret. Imo videretur acephalus gratiæ ordo, & tota ſimiliter gratificatorum, & iuſtorũ congregatio acephala eſſet ſine Chriſto capite. Denique non alia commodior via inueniri potuit, vt altiſſimum Trinitatis myſterium, & profundiſſima, & occultiſſima diuini conſilij ſacramenta mundo manifeſtarentur, quam ſi diuinum verbum caro fieret, vt vnigenitus, qui in ſinu eſt Patris, hęc tam ſublimia, & abſcondita nobis enarraret arcana.

Hæc

Digitized by Google

Hæc & aliæ cauſæ, & quidem grauiſſimæ ſe nobis offerunt, ob quas valde rationabilis fuiſſet Chriſti aduentus, & ſi nullum in natura humana extaret peccatum; ergo ſententia quæ id affirmat valde eſt rationabilis.

Octauo arguitur. Prædeſtinatio Chriſti anteceſſit præſcientiam peccati Angelorum. Sed præſcientia peccati Angelici anteceſſit in intellectu diuino cognitionem originalis culpæ: ergo Chriſti prædeſtinatio prior fuit præſciẽtia originalis peccati. Maior præſupponitur ex probabilitate illius ſententiæ, quæ docet peccatum Angeli fuiſſe inuidiam Chriſti, atq. odium eius. Minor vero patet. Primum hominis peccatum præſuppoſuit peccatum Angelicum, quia ex iniqua ſuaſione Dęmonis ortum habuit ipſum primum Adæ peccatum: ergo, &c.

Huc poteſt accerſiri illud argumentum, quod in confirmationem primæ ſententiæ fecimus, deſumptum ex cognitione, qua Adam priuſquam peccaret, Chriſtum venturum cognouit. Non enim rationabile apparet, quod Adamo ante peccatũ Chriſti incarnatio reuelaretur, ſi Chriſtus nullatenus ad innocentiæ ſtatum pertinebat, ſed ad ſtatum duntaxat naturæ per peccatum infectæ. Huic argumento annectitur confirmatio deſumpta ex gratia, quæ in ſtatu innocẽtiæ fuit Adę collata. Nã illa gratia videtur habuiſſe ortum ex Chriſto, ex ipſiuſque meritis, ac proinde Chriſtus ad ſtatum innocentiæ attinebat, atque adeo eius prædeſtinatio non præſuppoſuit peccati originalis præſcientiam, nec Chriſtus per ſe primo fuit prædeſtinatus in huius peccati remedium.

Hæc ſunt argumenta, quæ præcipuum videntur habere momentum ad confirmandam quartam ſententiam ſic in communi ſumptam, vt fuit a nobis propoſita. Sed iam deinceps magis in particulari procedam oportet in huius ſententiæ explicatione. Et hoc loco multis prætermiſſis, & ad concluſiones inferius ponendas reſeruatis. Ad duo capita decreui reducere diuerſas huius quartæ Scoticæ ſententiæ intelligentias, quod miror non aduertiſſe viros doctiſſimos, cum de hac Scoti ſententia, de varijſque eius intelligentijs ſermonem fecerunt.

Primum ergo caput in hoc conſiſtit, quod incarnatio Chriſti non fuerit per ſe primo conſiderata per ordinem ad naturam humanam, vel reparandam, vel exaltandam, nec Chriſtus per ſe primo prædeſtinatus fuerit in beneficium totius humanę naturę, vel totius vniuerſi. Ex quo capite proceſſit intelligentia, qua Lichetus in 3. diſt. 7. q. 3. ſuum explicuit Scotum, quę in hunc modum habet. Inquit iſte author, quod in primo rationis ſigno natura humana à verbo aſſumenda fuit perfectè pręſens, vt cognita, diuinę voluntati, & ſimiliter beatitudo, qua glorificanda erat Chriſti anima, fuit eidem diuinę voluntati pręſens, vt cognita. Illa reduplicatio, vt cognita: idẽ importat, quod ſecundum eſſe poſſibile cognitum, vel quod magis crediderim, importat illud eſſe fictitium ab Scoto inuẽtum, quod res omnes in ordine ad diuinum intellectum habuerunt in eſſe cognito, antequam ad extra producerentur. De qua re nihil aliud in pręſentia diffinio, quam quod eſt merum figmentum. In ſecundo ſigno ordinauit, & prędeſtinauit Deus naturam illam ad gloriam abſolutè, non certum eius determinando gradum. In tertio ſigno ordinauit ipſam naturam vniri verbo in vnitate ſuppoſiti. Et in hoc ſigno diuinus intellectus agnouit, quod maior gloria debebatur ex congruitatis debito illi naturæ verbo vnitę, quam alij cuicumque. Vnde in quarto ſigno Deus naturam illam ordinauit ad tantam gloriam, quanta ei de congruo debebatur, & ita ordinata fuit de facto ad ſummam gloriam, quia tanta ſibi erat de congruo debita. In quinto tandem ſigno ordinauit, ſeu prædeſtinauit verbum eſſe hominem, & hunc hominẽ eſſe verbum: Quia ex eo, quod humana natura vniẽda erat verbo in vnitate ſuppoſiti, ſequebatur verbũ eſſe hominem, & hominem eſſe verbum. Iſta eſt ſententia quam Lichetus, quod attinet ad Chriſti prædeſtinationem, ex doctrina Scoti deducit. Et exiſtimo hũc authorem, Scoti mentem fuiſſe aſſequutum, & ſi non omnibus ita appatet.

Veruntamen ſententia Scoti ſic intellecta, præter id quod ad præſentem diſputationem attinet, multa continet falſa. Falſum eſt enim, naturam humanam prædeſtinatam fuiſſe ad gloriam. Natura enim non per ſe primo prædeſtinatur, ſed ſuppoſitum in natura ſubſiſtens. Imo probabimus quæſtione ſequẽti, Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum ad gloriam, quoniam gloria per ſe conſequitur in Chriſto ad ipſum eius prædeſtinationis terminum. Item etiam falſum eſt, quod prius humanitas fuerat ordinata ad gloriam, quam ad vnionem hypoſtaticam cum verbo, nam gratia, & gloria in humanitate Chriſti, non ad perſonalem præſupponuntur vnionem, ſed conſequuntur potius. Quid eſt, quod in tertio ſigno Deus humanitatem ad perſonalem cum verbo vnionem ordinauit, & quod poſtea in quinto ſigno prędeſtinauit verbum eſſe hominem, & hũc hominem eſſe Deum? Nonne ex termino prioris prædeſtinationis hic terminus per ſe, & neceſſariò cõſequitur? Quare ergo noua eguit prædeſtinatione, & cum tam intrinſece ſequatur, cur. 4. ſignum inter hos duos ponitur terminos?

Ad hoc primum caput reducitur interpretatio alia ſententiæ Scoticæ, nimirum, quod in primo inſtanti Deus prædeſtinauit Chriſtum. In ſecundo prędeſtinauit in ipſo omnes homines, & Angelos, in tertio denique propter Chriſtum principaliter, & propter ipſos etiam prędeſtinatos, vt propter finem, decreuit totum vniuerſi ordinem producere: in quo ſigno voluit etiam peccata, & naturæ, & moris permittere. In quarto vero, præuiſo peccato originali, decreuit vt Chriſtus veniret in carne mortali, & paſſibili, vt totum humanum genus à peccato liberaret, & à ſeruitute quam incurrerat per peccatum, redimeret. Hoc inſtans in duo diſtingui ſolet, quartum datur præuiſioni originalis peccati, & quintum Chriſto in paſſibili carne venturo. Sed parum retulerit ſic vel aliter dicere. Hæc ſecunda interpretatio, quæ coincidit cum prima ſententia ſuperius relata, præſupponit, quod in ipſo prædeſtinationis Chriſti decreto, nulla fuit habita conſideratio ad humanam naturam, ad communemque eius perfectionem, & exaltationem, ſed ad ipſam duntaxat ſingularem Chriſti humanitatem, quam Deus decreuit ad ſummum dignitatis faſtigium euehere, illam vniens perſonaliter diuino verbo.

Secun-

Secundum caput, ad quod interpretationes aliæ Scoticæ ſententiæ reducuntur, in hoc conſiſtit. Quod Deus intendens naturam humanam, & in ea totum vniuerſum perficere, & dignificare, decreuit filium ſuum mittere in mũdum verum hominem factum. Vnde decretum prædeſtinationis Chriſti non fuit totaliter abſolutum, ſed vel præſuppoſuit decretum creationis vniuerſi, vel quod veroſimilius eſt iuxta Scoti ſententiam, aliqua ratione præſuppoſuit voluntatem creandi totum vniuerſum, & præſertim naturam humanam, & eleuandi ipſam ad ſupernaturalẽ finem, & ordinem.

Ad iſtud caput pertinet id quod plerique Scoticæ ſcholæ diſcipuli dicere ſolent, Chriſtum ex primaria ſuæ prædeſtinationis intentione veniſſe in mundum non ad redimendum naturam humanam, ſed vt ipſam perficeret, exornaret, & extolleret. Neq; enim poſſet aliter verificari iſta doctrina, ſi diceremus decretum prædeſtinationis Chriſti abſolutum fuiſſe, & nullatenus præſuppoſuiſſe voluntatem creandi hominem, & totum hoc vniuerſum, eſt enim impoſſibile, quod quis velit perficere aliquod ſubiectum, quin aliqua ratione præſupponat eſſe tale ſubiectũ, vt oſtendimus ſuperius circa poſteriorem ſenſum ſecundæ opinionis. Ad idem caput pertinent alij modi dicendi, qui præſupponunt iſtum finem modo expoſitum, ſ. naturæ humanæ exaltationem, fuiſſe intẽtam à Deo, in Chriſti prædeſtinatione.

Quartam iſtam ſententiam his modis expoſitam, docuit Scotus in 3. d. 19. q. vni. §. in iſta quæſtione, & diſt. 32. q. vnic. art. 3. In ſubſtantia ſequuntur illam omnes authores, quos ſupra retulimus pro prima ſententia. Tenet illam Cartuſ. & Maioris in 3. diſt. 1. q. 2. Gabr. in 3. d. 2. dub. 3. hanc ſententiam probabilem reputat, ſed non firmiter ei adhæret, quia contrariam etiam reputat ęque probabilem. Sed inferius d. 32. q. vni. art. 1. not. 3. magis in hanc Scoti ſententiam propendit. Quam pro viribus vniuerſi Scotici defendunt.

§. 6. *Quinta ſententia S. Doctoris proponitur, & explicatur.*

SEd ſit iam quinta ſentẽtia, quæ abſolutè affirmat verbum non eſſe in carne venturum, niſi extaret peccatum. Itaque docet hæc ſententia, quod Chriſtus ex vi ſuæ prædeſtinationis venit in mundum ad reparandam naturam humanam. Hanc ſententiam ita propoſitam docet S. Thom. 3. par. q. 1. art. 3. Et quamuis in 3. ſentent. diſt. 1. q. 1. contrariam ſententiam dixerit eſſe probabilem, in hoc tamen citato loco, abſolutè definit veram eſſe hanc ſententiam quinto loco à nobis propoſitam. Sequũtur ipſum Capreo. in 3. d. 2. Riccard. d. 1. q. 4. art. 2. Marſ. q. 1. ar. 3. Ferrarien. 4. contra gentes cap. 55. & Caiet. 3. par. q. 1. art. 3. Dried. lib. de capt. & redempt. gen. hum. trac. 2. cap. 2. art. 6. ſentent. 3. vbi oppoſitam non reputat improbabilem S. Bonau. in 3. diſt. 27. dicit quod ſi attendamus rationem, & ſubtilitatem, probabilius diceretur Chriſtum venturum eſſe in mundum, etiã ſi nullum extaret in humana natura peccatum. Cæterum conſulendo ſcripturas ſacras, & ſanctorum Patrum doctrinam, probabilius dicitur oppoſitum, in quam ſententiam S. Bonauent. propendit Franciſcus à Chriſto lib. 1. de incarnat. q. 2. Hanc ſententiam, quam vniuerſi S. Thom. diſcipuli incunctanter tuentur, diuerſis ipſis modis explicant, quos referemus paulo inferius cum hanc ſententiam probauerimus.

Igitur ad huius difficultatis reſolutionem exactã, illud eſt præſupponendum, quod à principio huius diſputationis aduertimus, in diuino intellectu diſtinguenda eſſe diuerſa rationis ſigna, ſeu inſtantia, quæ non deſumuntur ex ipſo actu diuini intellectus, qui reſpectu omnium obiectorum vnus eſt ſimpliciſſimus, & indiuiſibilis, ſed ex parte rerum obiectarum, quæ inter ſeſe dependentiam habent, etiam in ordine ad attingentiam diuini intellectus. Ita quod vna non eſt attingibilis, niſi ſub alia, vt medium non eſt attingibile, niſi ſub fine, à quo habet totam ſuam appetibilitatem, & à quo pendet in ordine ad diſpoſitionem intellectus practici (de quo intellectu nunc loquimur, & non de ſpeculatiuo) non enim intellectus quidquam iudicat, aut decernit de medijs formaliter, vt media ſunt, niſi per habitudinem ad finẽ ad quem ordinantur. Quod diximus de intellectu Dei practico, dicendum eſt de ipſa diuina voluntate. Oppoſitum cenſuit Gabr. in 3. d. 2. q. vni. dub. 3. ad tertiam rationem Scoti, exiſtimauit enim non eſſe diſtinguenda rationis inſtantia in diuino intellectu, eo quod Deus omnia ſimul, & vnico videt intuitu, abſque vlla prorſus ſucceſſione. Sed deceptus fuit Gabriel non aduertens ad modum loquendi Theologorum, qui ſignorum aut inſtantium rationis diuerſitatem non conſiderant in Deo ex parte actus intellectus diuini, ſed ex parte obiectorum, inter quę reperitur ordo, & dependentia, vt nunc nunc explicabamus. Ocham in 1. diſt. 9. quæſt. 3. Similiter negauit inſtantia rationis in Deo, & nonnulli putant Ferrarien. in 4. contra gentes cap. 55. in eadem fuiſſe ſententia. Sed manifeſtum eſt ex eodem capite, in §. ad euidentiam. Ferrarien. nõ receſſiſſe à communi Theologorum doctrina, quæ & in diuino intellectu & in diuina voluntate diuerſa multiplicat rationis ſigna. Hoc ſuppoſito.

§. 7. *Prima concluſio.*

PRima ſententia falſa eſt, & apud me parum probabilis, quatenus affirmat decretum prædeſtinationis Chriſti ita habuiſſe primum locum in intellectu Dei, quod fuerit totaliter abſolutum, nullum habens reſpectum ad ordinem naturæ, & gratiæ, & quod in illo, nec formaliter nec virtualiter, nec alio quouis modo, præhabita fuerit diſpoſitio ordinis naturæ, & gratiæ, ita quod ex vi illius primi decreti nulla inſurgebat ſuppoſitionis neceſſitas creationis vniuerſi, aut creaturæ rationalis. Quod in hac concluſione dixi de prima opinione ſuperius relata, ſimiliter eſt dicendum de opinione Scoti in primo ſenſu intellecta, quia vt ſuperius aduerti, primus ille ſenſus coincidit cum opinione prima. Ad hanc concluſionem probandam poteram afferre omnia illa, quæ afferemus poſtea ad probandam veritatem quintæ ſententiæ, quam ex S. Thom. retuli. Sed illa afferam ſuo loco, nunc enim non intendo probare falſitatem huius primæ ſententiæ, niſi quatenus ponit decretũ illud prædeſtinationis Chriſti totaliter abſolutum, &

& abſque vllo reſpectu ad ordinem naturæ, & gratiæ, quod falſum eſſe ſic oſtendo. Primo. Illa ſententia nullo probabili innititur fundamento, ſed voluntariè eſt introducta, neque benè cum ſacra ſcripturarum, & patrum communi loquendi modo cõſentit, ergo, &c. Probo antecedens quoad vniuerſa, quæ aſſumit. Omnia teſtimonia ſcripturæ ſacrę, quibus eius authores præcipuè confidũt non ſolum eam non probant, verum manifeſtè improbant. Quoniam ſi attente legamus, illa omnia teſtimonia docent Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe cum habitudine ad ordinem naturalem, & ad ordinem gratiæ, nam in eis habetur Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, vt eſſet caput, vt principem teneret locum ſuper omnes res mundi, vt eſſet initium viarum Dei, ideſt, primum opus vnde inchoauit Deus omnia opera: denique vt finis eſſet rerum omnium. Hæc, & ſimilia colliget lector faciliima opera ex omnibus ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, quę pro prima illa opinione adduximus. At quo pacto iſta verificari poterunt de prædeſtinationis Chriſti decreto, ſi penitus fuit abſolutum, nullum reſpectum habens ad ordinem naturæ, & gratiæ? Nam cuius corporis Chriſtus caput eſſet? Cuius ordinis eſſet finis? Quarũ viarum eſſet initiũ, & quale denique primatum teneret? Certè qui teſtimonia prædicta conſiderauerit, non poterit non ſententiam illam primam tota mente deteſtari. Item ſecundũ argumentum ex reuelatione facta Adæ, in qua prima illa ſententia non leue ſuę probabilitatis fundamentum ponit, manifeſtè eandem infirmat ſententiam, falſitatiſque conuincit. Nam Chriſtus reuelatus fuit Adæ, vt cõſummator gratiæ ipſi primo parenti collatæ, & vt ſponſus futurus fidelis eccleſię. Quod non latuit Sanct. Thom. locis inter arguendũ pro prima opinione citatis, ergo ex illa reuelatione facta Adæ, colligitur aperuiſſimè decretum prædeſtinationis Chriſti intrinſecum habuiſſe reſpectũ, & ad ordinem naturæ, & ad ordinem gratiæ. Ita, quod vterque ordo ex vi illius primi decreti neceſſario, ſuppoſitionis neceſſitate, erat futurus, quia licet non formaliter, virtualiter tamen, & radicaliter vterque ordo in illo primo decreto erat diſpoſitus, & conſtitutus. Quatenus de perfectione, & & conſummatione eius per Chriſtum facienda in tali decreto tractabatur. Præterea illud teſtimonium Sapi. 8. *Dominus creauit me, &c.* quod eſt vnum ex potiſſimis fundamentis illius ſententiæ, à ſanctis Patribus quos referemus in ſolutione argumentorum primæ opinionis, intelligitur per comparationem, & reſpectum ad eccleſiam. Et denique nullus eſt ex antiquis Patribus, & Doctoribus, qui prædeſtinationem Chriſti non explicuerit per reſpectum ad humanam naturam, & ad eius ſanctificationem, & exaltationem. Quæ doctrina non leue fundamentum habet in Pau. ad Ro. 1. in illis verbis. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis.* Non enim Pau. prædeſtinationem Chriſti abſolutam eſſe docuit, ſed cum reſpectu ad naturam humanam perficiendam, & ſanctificandam, quem reſpectum denotant illa verba. *In virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis.* Sed de huius loci intelligẽtia dicemus ſequenti quæſtione. Confirmantur hęc omnia. Incarnatio Xpi fuit actio Dei, in qua diuina, & ſũma bonitas magis ſplẽduit, ergo ita fuit ab ęterno diſpoſita in ipſo prædeſtinationis Xpi decreto. Sed bonitas Dei in hoc potiſſimũ apparet, quod ad multos diffundatur, & pluribus cõmunicetur: ergo Chriſtus ex vi primariæ prædeſtinationis in communem rationalis naturæ vtilitatem, imo & in bonum totius vniuerſi, prædeſtinatus eſt. Et iſta niſi fallor, ſufficiunt ad oſtendendã illius primæ ſententiæ falſitatem, & ad extirpandũ illum primum Scoticæ ſententiæ ſenſum, ex Licheto relatum, qui vt iam ſuperius aduertimus mille ſcatutit alijs falſitatibus.

§. 8. *Secunda concluſio.*

SEcunda ſententia quantũ ad primum eius ſenſũ non eſt improbabilis, ſed longe probabilior eſt in ſecundo ſenſu intellecta. Hanc concluſionẽ quoad priorem eius partem damus ipſis authoribus, eo quod decretum prędeſtinationis Chriſti non reputarunt purè abſolutum, & independens: ſed dixerũt quod in executione penderet ab ordine vtroque, & naturæ, & gratiæ. Itaque decretum illud non compararunt volitioni finis, vt fecit ſententia prima, ſed intentioni qua voluntas non amat abſolutè finis bonitatem, ſed vult eam vt comparandam, & acquirendam per media. Quoad ſecundam vero partem probant mihi ſufficienter ea quæ diximus in explicatione ſecundi ſenſus illius opinionis ſecundæ, reuiſat illa diligens lector. Conſtabit enim legenti, quod ordo naturæ, & gratiæ perficiendus, magnificandus, & extollendus non ſolum habuit rationem medij in ordine ad Chriſtum, & ad decretum prædeſtinationis eius, ſed habuit ſimpliciter rationem materiæ, & ſubiecti perficiendi, & eleuandi per Chriſti incarnationem, & ipſa vtriuſq; ordinis perfectio & eleuatio, aliqualem habuit rationẽ finis, reſpectu incarnationis Chriſti, ideſt, cõparatione ad Chriſtũ in ſtatu infirmitatis, & humilitatis conſtitutũ. Quamuis ſimpliciter ipſe Chriſtus finis fuerit totius perfectionis, & glorificationis humanæ naturæ. Et præter ea, quę ibi diximus, ad huius rei explicationem breuiter eſt aduertendum, quod quamdiu Chriſtus fuit in ſtatu humilitatis, & viatoris conſtitutus, quamuis re ipſa Deus eſſet, naturaliſq. Dei filius ſicuti eſt modo, fuit tñ Deus exinanitus, vt inquit Pau. & vt dixit Propheta quaſi Pau. explicans, fuit Deus abſconditus. Vnde nihil mirum, quod ſecundum modum quem Chriſtus habuit in ſtatu illo, non tam ſortitur finis rationem, quam medij, comparatione ad humanam ſalutem, & gloriam. At poſtquam Deus dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ideſt, poſtquam miraculis, quæ in eius paſſione contingerunt, poſtquam glorioſa eius reſurrectione, poſtquam mirabili denique ipſius aſcenſione declaratum eſt Chriſtum verum eſſe Deum, vnigenitumque Patris filium, iam indecẽs erat vt medij locum teneret, ſed excellentiſſimi omnis noſtræ redemptionis, noſtręque ſalutis, & gloriæ finis ei debetur locus, & vt omnia ad ipſam ad eiuſque gloriam, vti media illi ſubordinata referantur. Nam poſtquam Iſaias cap. 6. vidit gloriam Domini, quam vt ex c. 6. Ioan. colligitur & incarnatione, & paſſione ſua ipſe fuit aſſecutus, poſtquam illum vidit ſuper ſolium excelſum, & eleuatum ſedentem ad dexteram, videlicet, Patris ſui, omnia quę ſub ipſo erant replebant templum, ideſt,

Digitized by Google

omnis perfectio, omnis dignitas, omnis excellentia, & naturæ, & gratiæ, quibus ipſa Chriſti Eccleſia, quę verum Dei templum eſt mirificè perficitur, extollitur, & repletur, ſub Chriſto ſunt conſtitutæ, ei ſubordinantur, eique deſeruiunt. Et omnes lingua, & verbo, & veneratione confitetur, quod Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Imo omnia quæ Chriſtus iure redemptionis ſuæ Eccleſię acquiſiuit, linguæ quædam factæ ſunt ad hanc mirificam Chriſti gloriam prædicandam, & enarrandā, ſicut cæli, & opera ad naturæ ordinem ſpectantia, enarrant nobis gloriam Dei Pſ. 13. Nam hac ratione Spiritus ſanctus in linguis igneis ſuper Apoſtolos primos Eccleſiæ fundatores deſcendit, vt eos, & totam in ipſis Eccleſiam, in ardentes linguas ardore charitatis ſuccenſas, & inflammatas transformaret, vt eſſent in laudem gloriæ Chriſti, in quem finem Deus hunc nouum creauit populum, in laudem, ipſe inquit, meam creaui eum.

§. 9. *Tertia concluſio.*

SEntentia quam tertio loco propoſui, & ſi non tam ſit falſa quam illa Scoti opinio, quæ Chriſtum affirmat prædeſtinatum abſque vlla peccati præſcientia, & quæ ſimiliter dicit communem humani generis redemptionem non eſſe connumerandam inter præcipuas incarnationis Chriſti cauſas, eſt tamen falſa, & non tam conſentanea doctrinæ Patrum, atque ſententia ei oppoſita. Non deſunt Theologi, qui ob id falſam illam ſententiam reputant, quia perſuaſam ſibi habent ſententiam quandam, quam ego impugnaui ſuperius, nimirum, quod non poſſunt ſimul dari plures cauſæ motiuæ, & principales, propter quas voluntas moueatur, ad aliquid operandum, & ad aliquem vnum effectum agendum: ſed quod ſi ſemel aſſignemus vnam cauſam principalem, quæ ſit ſufficiens ſe ſola ad mouendum voluntatem, vt talem effectum operetur, omnes aliæ cauſę ſunt minus principales, & impulſiuę duntaxat, & quibus non debent adſcribi ipſę operationis, & effectus ſubſtantię, ſed aliquę circunſtantię extrinſecę erunt eius tantum attribuendę, Verum hęc ſententia mihi non ſatis eſt probata, quam ſuperius, & ſi breuitur, efficaciter tamen confutaui. Vnde aliter eſt probanda hęc noſtra tertia concluſio, & illa ſententia tertia cui opponitur improbanda.

Eſt autem pręſupponendum, vt dilucidiora fiant ea, quę dicemus. Quod cum affirmamus aduerſus tertiam illam opinionem, quod vnica fuit, & ſola cauſa incarnationis Chriſti, ſcilicet, humani generis reparatio, & redēptio, qua proinde ſemota Chriſtus nō veniret in mūdum, neq. decretum prędeſtinationis eius ſuum ſortiretur effectum: non negamus plures poſſe diſtingui, & numerari prędeſtinationis Chriſti ex parte rei p̄deſtinatę, rationes, & cauſas. Fateri n. tenemur, quod Deus prędeſtinauit Chriſtū propter gloriam ſuam, quæ conſiſtit in præclara diuinæ bonitatis manifeſtatione, *omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, Prou. 18. & quod ipſum prædeſtinauit, ad viuificandum, ad exaltandum, & glorificandum hominem. Sed id aſſerimus, quod omnes cauſæ, & omnia motiua, propter quæ Deus Chriſtū prædeſtinauit, fundata fuerūt in humani generis redemptione. Itaq; oēm vitam, omnem gratiam, oēm gloriam, omnem deniq; rationalis naturæ magnificationem, & exaltationē, propter quā Chriſtus prędeſtinatus fuit, intēdebat Deus per modum integri, & totalis effectus conſequentis ipſam humani generis redēptionem, Chriſti vita, & morte comparatā. Imo neq; ipſam gloriam ſuam, quam principaliter Deus intendebat, voluit aliter aſſequi, niſi ipſa mediāte humani generis redemptione. Vnde Paulus ad Eph. 1. ita dicebat. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionē filiorū per Ieſum Chriſtum, in ipſum, ſecundū propoſitū voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo: in quo habemus redemptionē per ſanguinē eius, remiſſionem peccatorū ſecūdū diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.* Expendantur illa verba, *In laudem gloriæ gratiæ eius.* Ecce finem prædeſtinationis noſtræ in Chriſto, & per Chriſtū, & finē prædeſtinationis ipſius Chriſti, qua prædeſtinatus eſt, vt eſſet ſplendidiſſimum exēplar, & ſupremum caput prædeſtinatorum omnium. Hic eſt finis, vt ſimus omnes prædeſtinati in laudem gloriæ gratię eius. Non dixit ſolum in laudē glorię eius, ſed gloriæ gratię eius, ideſt, gloriæ reſultantis ex gratia eius, & fundamentū habentis in ipſa eius gratia. Etſi quęramus à Paulo, quænam ſit illa gratia ex qua reſultauit gloria, in cuius laudem, & commendationem prædeſtinati ſumus in adoptionē filiorum Dei per Ieſum Chriſtum. Reſpondens ſubiunxit. *In qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Etſi iterum curioſius inueſtigemus, quænam gratia ſit iſta, & vnde habuerit ortum, reſpondet nobis illa ſequentia verba, *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius quæ ſuperabundauit in nobis.* Vides ꝙ gratia ex qua oritur gloria, cuius laudem Deus à nobis expoſcit, tota tandē in redēptionē per Chriſtū, & eius ſanguinē fundatur, ex qua tanquam ex fonte dimanant, & effluunt omnes diuitiæ gratiæ Dei, qua ſuperabūdat in nobis. Et hæc fortaſſis eſt cauſa propter quam Eccleſia in illo ſolemni miſſæ Cantico, quod incipit, *Gloria in excelſis Deo*, agit gratias Deo propter magnam gloriam eius, *Agimus*, inquit, *tibi gratias propter magnam gloriam tuam.* Magna Dei gloria illa eſt, quam Deus per myſteriū incarnationis, & per redētionē noſtrā eius virtute factā, ſibi cōparauit, & Chriſtus ipſi Deo acquiſiuit; iuxta id quod ipſe dicebat Ioan. c. 17. *Pater clarifica filiū tuū, vt filius tuus clarificet te.* ideſt, *glorificet te.* Ita. n. habet alia lectio. S. Aug. adnotante trac. 104. ſuper Io. Propter hanc igitur gloriā magnā, & excellētē, Eccleſia gratias agit Deo tāquā pro immēſo beneficio (nā ſolū beneficiū ſuſceptū eſt propria gratiarū materia) quoniā ipſamet Dei gloriā reputat magnū ſibi exhibitū beneficiū, quatenus Deus nō aliter voluit hāc ſibi gloriam reportare, quā fundatam in gratia nobis per Chriſti redemptionem exhibita. Neq. alterius gloriæ à prędeſtinatis per Chriſtum efflagitat laudem, quā glorię gratiæ eius, qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius. In hoc igitur ſenſu nos intelligimus, & ſancti Patres mox referendi docuerunt, noſtram redēptionem vnicam fuiſſe prędeſtinationis Chriſti cauſam. Quia oēs aliæ cauſæ quas diſtinguere, & numerare poſ-

poſſumus, in ipſa fundatur redemptione, ex eaque tamquam ex prima radice dimanant: ac proinde vnum cum illa faciunt, & omnes ſimul vnica reputantur cauſa. De qua re non nihil amplius dicemus infra in ſolutione primi argumenti pro quarta ſententia formati.

Sed iam ex grauiſſimis Patrum teſtimonijs oſtenditur iſta veritas, & tertiæ ſententiæ falſitas. Gregor. Nazianz. oratio. 36. num. 6. Ita inquit, *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? profectò vt nobis ſalus pararetur. Quid enim aliud cauſæ afferri poſſit.* Athanaſ. lib. de incarnatio. verbi Dei, eiuſque corporali ad nos aduentu, non longe à principio ſic ait: *Sed fortaſſis admirareris, cum propoſita mentione de incarnatione verbi, nunc de principio hominum verba faciamus. Verum id non alienum eſt à ſcopo inſtitutæ orationis. Neceſſum eſt enim nobis diſſerentibus de Saluatoris noſtri ad nos aduentu, etiã diſſerere de hominum principio, vt cognoſcas noſtram culpam illi dediſſe occaſionem, vt deſcenderet, noſtramque præuaricationem verbi Dei humanitatem elicuiſſe, vt ad nos contenderet, vt inter nos appareret dominus: Illius enim incorporationis nos cauſam dedimus, & ob noſtram ſalutem ita humanus extitit, vt in humano corpore, & eſſe vellet, & apparere.* S. Ambroſ. lib. de incarnatio. Domini ſacramento cap. 6. *Didiciſtis igitur, quia ſacrificium de noſtro obtulit, nam quæ erat cauſa incarnationis, niſi vt caro, quæ peccauerat per ſe redimeretur?* Auguſtin. lib. 1. de peccator. meritis, & remiſſion. cap. 26. *Vnde commodius eſſe arbitror*, inquit, *aceruatim colligere quæ occurrere potuerint, vel quæ ſufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Ieſum Chriſtum non etiam ob cauſam in carne veniſſe, ac forma ſerui accepta factum obedientem vſque ad mortem Crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordioſiſſimæ gratiæ, omnes quibus tanquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum regnum cælorum viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret, &c.* Et in ſermon. 9. de verb. Apoſt. ita inquit. *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos faceret, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ.* Ecce quemadmodum Patres expreſſis verbis docent, nullam aliam cauſam fuiſſe incarnationis Chriſti, præter remedium peccati. Qui ergo multiplicat cauſas aduentus Chriſti, & incarnationis eius, Patrum doctrinæ aduerſatur. Alia multa in ſequenti concluſione ex Patribus teſtimonia referam, quæ, ad hanc veritatem comprobandam, valde poſſunt conducere.

Ratione præterea hæc ſententia probatur; Scripturæ ſacræ hanc vnicam duntaxat incarnationis Chriſti cauſam aſſignarunt, vt ex teſtimonijs circa concluſionem ſequentem referendis conſtabit. ergo ſine fundamento confinguntur aliæ. Probatur conſequentia. Ea quæ ex ſola libera Dei voluntate pendent, non poſſunt nobis innoteſcere niſi ex reuelatione in literis ſacris facta, aut in Eccleſiæ traditione, ergo ſine fundamento, & irrationabiliter aſſeritur Deum in negocio redemptionis, aliam intendiſſe cauſam, præter eam quæ nobis ſacræ literæ manifeſtant (ſuppono quod in hac parte non poſſumus ad Eccleſiæ traditionem recurrere) cum nullum habeamus principium ad iudicãdum de huiuſmodi intentione Dei. Nam *quæ ſunt Dei quis nouit niſi ſpiritus Dei, qui in ipſo eſt, nobis autem reuelauit per ſpiritum ſuum*, dicebat Paul. 1. Cor. 2. Et certè non irrationabiliter accomodari poterit, ijs qui tam liberè de diuinis conſilijs, & cauſis à Deo intentis diiudicãt id, quod Pau. Ro. 11. poſt Iſaiam dicebat, *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Ex hac eadem ratione colligitur falſitas ſententiæ quorundam aſſerentium, quod de facto Deus non decreuit mittere filium ſuum in mundum, niſi in peccati originalis remedium, neque actu habuit voluntatem mittendi niſi propter hanc cauſam. At ſi peccatum originis non extaret, haberet Deus voluntatem mittendi filium ſuum, propter alias cauſas quæ culpa ſublata, extarent. Hæc ſententia apertè confutatur ex dictis. Nam quis poteſt certam, & determinatam proferre ſententiam de his, quæ à libera tantum voluntate Dei pendent? Harum opinionum authores ita iudicant de Deo, de diuiniſque conſilijs, atque ſi adſtrictus eſſet Deus conformari rationibus, quę à nobis excogitantur, & quæ rationabiles cenſentur, cum tamen dixerit Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſianum, quod in huiuſmodi ſupernaturalibus effectibus, tota ratió facti eſt libera potentia facientis, quę nullis legibus, nulliſque noſtris rationibus coarctatur, tam in omnibus, & in his maximè, operatur Deus omnia iuxta *Conſiliũ voluntatis ſuæ*, vt inquit Paul. ad Eph. 3. Qui conſulto non dixit ſecundum conſilium rationis ſuæ, ſed ſecundum conſilium voluntatis. Vt inſinuaret, ſeu, vt verius dicam, manifeſtè diceret, omne cõſilium diuini intellectus in libera ipſius Dei voluntate fundari, ab eiuſque libertate pendere: neque poſſe proinde humanis rationibus inueſtigari. Sed iam ad vlteriores tranſeamus concluſiones, ex quibus fiet manifeſtior huius tertię concluſionis veritas.

§. 10. *Quarta concluſio.*

NOn extante originali culpa Chriſtus non veniret in mundum, ac proinde nec fuiſſet prædeſtinatus. Iſta concluſio eſt expreſſa S. Thom. ſententia, eorum omnium authorum quos pro quinta opinione retulimus, pugnatque è diametro cum Scot. ſententia in quarta opinione ſuperius expoſita. Vnde ſimul probabitur ſententia S. Tho. & improbabitur Scot. opinio.

Probatur concluſio vnica ratione, quæ eſt vnicum, & totale ſententiæ S. Thom. fundamentum, in cuius proinde perſuaſione nobis eſt incumbendum. Deus prædeſtinauit Chriſtum in remedium peccati, & in communem humani generis redemptionem, ergo ceſſante neceſſitate redemptionis humanæ Chriſtus non veniret, ex vi decreti, quo fuit prædeſtinatus. Atque adeo fateri abſolutè debemus, quod peccato originali non extante Chriſtus non veniret in mundum. Conſequentia euidens eſt. Quoniam ſi Chriſtus non aliter fuit prædeſtinatus, niſi vt eſſet humani generis redemptor, ex vi talis pṛdeſtinationis nõ potuit venire, niſi vt Redemptor. Sed probatur antecedẽs, primo ex diuerſis ſacrarum literarum teſtimonijs Luc. 19. Ipſe Chriſtus dicebat, *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* Ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub*

lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus 1. ad Thimot. 1. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum; vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Similia in ſcripturis ſacris paſſim reperies teſtimonia, in quibus apertè aſſeritur in hunc finem Deum miſiſſe filium ſuum, vt hominem repararet, & redimeret genus. Deum autem filium ſuum miſiſſe in mundum, denotat ipſam verbi incarnationem factam in tempore iuxta decretum ęternæ prædeſtinationis. Miſſio enim actiua Dei non ſolam temporalem denotat actionem, qua verbum caro factum eſt, ſed reſpectum importat ad æternum prædeſtinationis decretum, cuius virtute & facta fuit ipſa temporalis Chriſti incarnatio, & miſſionis nomen induit. Illud vltimum teſtimonium ex c. 3. Ioan. eſt omninò ponderandum, in quo non ſolum fit ſermo de ipſa miſſione in tempore facta, ſed eius radicem ſacer textus nobis explicuit, amorem, nimirum, quo Deus ab æterno dilexit mundum. Expendēda valde eſt illa parabola, quæ in Euāgelio Luc. 15. narratur, de illo qui relictis nonaginta nouem ouibus, quærere abijt vnam quæ perierat. Hæc enim perdita ouis humanum genus eſt, vt ex tex. conſtat, & Patres tertio quoque verbo nobis aduertunt. Paſtor autem qui tam ſolicitè hanc ouem quærere venit, ipſe eſt Chriſtus, qui quaſi relictis nouem Angelorum ordinibus, humanum genus quærere, ideſt, redimere venit. Illa itidem parabola, quæ de filio hærede ad agricolas miſſo habetur Matth. cap. 21. non aliena eſt ab hoc intento. Præterea probatur illud antecedens, ex illis verbis ſymboli Niceni, quod in alijs quoque habetur grauiſſimis Concilijs approbatum Epheſin. Calcedon. Toletan. 6. & 11. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, &c.* Ecce finē deſcenſus Chriſti, & aduentus eius in mundum, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. Non facio vim in hac voce finis, parum enim retulerit, quod ſalus noſtra finis fuerit incarnationis Chriſti, quod nos ſuperius in hac quæſtionem verum eſſe iuxta modum ibi expoſitum admiſimus: vel quod vt alijs veroſimilius apparet, effectus fuerit per ſe intentus, ſeu vt dicunt alij finis effectus. Ad vim namque huius argumenti, parum retulerit iſto vel illo modo loqui.

Sed iam probatur tertio idem antecedens ex multis, ſanctorum Patrum teſtimonijs. Athanaſ. loco pro 3. concluſ. citat. hanc ſententiam verbis docuit apertis. Et apertiſſimis, in ſerm. 3. contra Arian. Sic ait. *Indigentia noſtra, anterior eſt quā Chriſti natiuitas.* Et paulo inferius. *Vt fieret homo nunquam prædeſtinatus fuiſſet, niſi hominū neceſſitas huic rei cauſam præbuiſſet.* Irenęus lib. 3. contra hæreſes cap 20. & 21. & expreſſius lib. 4. c. 15. ita enim dicit. *Si non haberet caro ſaluari, nequaquam verbum Dei caro factum eſſet.* Et multa ſubiungit verba, quæ eamdem confirmant ſententiam, dicit enim in ſubſtātia, quod ob nullam cauſam humanum aſſumpſit ſanguinem, niſi vt ipſum effunderet. Idem docuerunt Gregor. Niſſenus de baptiſmo, & in ſermone quodam de natali Domini. Gregorius Nazianzen. cuius verba concluſio. præceden. retuli. Chriſoſtom. homil. 2. & 3. in Mat- Cyrillus Alex. lib. 8. contra Iulian. Et lib. 5. theſaur. cap. 8. cuius verba habentur in 3. argum. pro quarta ſententia. Cyrill. Hyeroſoli. Cathecheſi 3. & 6. Theodor. epithome diuinorum decret. cap. de incarnatione. Epiphan lib. 1. contra hæreſ. verſus fin. Sanct. Leo in ſermonib. de Natiuit. & de paſſion. paſſim hanc docuit veritatem. Sed præſertim in ſermon. 3. Pentecoſten. ſic enim inquit. *Si enim homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus, in ſuo honore naturæ manſiſſet, & nec diabolica fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret, neque ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri filius formam ſerui, & ſimilitudinem peccati aſſumeret.* Auguſtin. in hac doctrina aſſerenda perpetuus eſt, lege loca circa præced. concl. citata. Lege illum in concio. 2. ſuper Pſalm. 36. verſantem illa verba. *A Domino greſſus hominis dirigentur.* Sic dicentem. *Si tu homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Et in ſermon. 8. de verb. Apoſtol. ſtatim poſt principium. *Si homo,* inquit, *non periſſet, filius hominis non veniſſet.* Ad eundem ferè modum loquitur Gregorius lib. 4. reg. cap. 1. *Niſi Adam peccaret redemptorem noſtrum carnem ſuſcipere non oporteret, non enim venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam,* lege eundem lib. 17. moral. cap. 18. Ambroſius loco in conc. 3. citat. Tertullian. lib. de incarnatio. Chriſti S. Bern. ſerm. 1. in vig. Natiuit. Et epiſt. 109. ad Innocent. vbi ſic ait. *Quid lex, quid Prophetæ, quid Apoſtoli aliud nobis Euangelizant, quam Deum factum eſſe hominem, vt hominem liberaret? Et ſi Angelus Dei de cælo aliud nobis Euangelizauerit anathema ſit.* Nonnulla ex ijs patrum teſtimonia, ſi bene expendantur verba à nobis ex eius fideliter relata, non admittunt expoſitionem illam, quam authores ſententiæ contrariæ afferre ſolent ad ipſorum explicationem. Nimirum, quod non intendunt docere, Chriſtum nullatenus venturum ſi homo non peccaret, ſed quod non veniret paſſibilis, & mortalis. Non inquam, hác interpretationem admittunt. Nam qua obſecro ratione illa Athanaſij verba, vt eſſet homo nunquam prædeſtinatum fuiſſet, accommodari poterunt huic intelligentiæ? Sed & verba Irenęi, & Sanct. Leo valde vrgent, neque gratanter hanc interpretationem admittunt. Imo neque Auguſt. & Gregor. verba quæ non iſto, vel illo modo negant Chriſtum homine non peccante venturum, ſed abſolutè non venturum affirmarūt, ideſt nullo modo venturum. Nam cum negono omnia poſt ſe poſita negēt, idē poſſet, non veniret, atque nullo modo veniret, ſed iam rationibus agamus.

Prima. *Scripturæ* ſacræ non ſolum huius tam grandis myſterij ſubſtantiam nobis reuelarunt, ſed ſæpe repetunt prædictam cauſam, neque vllam vſquam in tota ſacra pagina, vel inſinuatam reperimus, ergo non eſt credibile, quod hęc cauſa non fuerit præcipua, imo ſola, iuxta modum à me circa 3. concl. aſſignatum. Mirabilis profectò rēs, quod ſcriptura tanta cum attentione alias celauerit cauſas. Cum ad huius myſterii excellentiam earū manifeſtatio nō poſſet nō valde referre. Confirmatur Deus non ob aliud hoc tam ſublime decreuit opus efficere, niſi vt eius bonitas, ſapientia, potentia, &c. nobis fierent manifeſtæ, ergo ſi nulla præuiſa culpa,

ſtatuit

Digitized by Google

ſtatuit ab æterno, vt humanam naturam Dei filius aſſumeret, quid fieri potuit, vt nobis non manifeſtauerit: & rationes ob quas tam mirabili decreuit communicatione ſuam mundo manifeſtare bonitatem, tam reliquerit occultas, vt vſque ad Scoti tempora nulli vnquam patuerint?

Dices ſcio, quod vt magis innoteſceret Dei erga hominem peccatorem miſericordia, noluit Deus cauſas alias ſui aduentus exprimere, neque illud primum prædeſtinationis Chriſti decretum propalare. Friuola plane ſolutio, & cui nullus debuiſſet ſapiens acquieſcere. Nam ad eximiam Dei manifeſtandam erga homines charitatem, nonne ſatis eſſet dicere, quod Chriſtus mortalis, venerit, & paſſibilis, vt pro inimicis moreretur? Et magna certè cum exageratione Dei commendaret erga homines miſericordiam, ſi reuelatum fuiſſet eis, quod cum alias in paſſibilis, & glorioſus eſſet venturus, & in forma ſuę maieſtati proportionata: vt propter homines mori poſſet, ſemetipſū exinaniuit ſeruile corpus induēs, ac formam ſerui accepit. Miſſum facio, quod non decebat ſummā ipſam Dei veritatem, vt vellet quaſi fingere, veritatem occultando, & diſſimulando, maius, exuberantiuſque beneficium ſe in ſacramento incarnationis hominibus præſtitiſſe, quam præſtitit de facto: non enim decebat Deum hæc diſſimulatio, vt homines plus exiſtimarent ſe illi debere, quam re ipſa debeant.

Secunda ratio. Quoties ſacræ litteræ certam deſignant cauſam alicuius facti, aut determinatè vnum quid affirmant, infallibili argumento colligimus illam eſſe ſolam cauſam, aut ſaltem principalem ſine qua res non fieret, & quod ita eſt illud vnum in ſcriptura reuelatum, quod non alio modo ſe habet quam vt reuelatum eſt; ergo cum ſcriptura ſacra tam frequenti repetitione dicat cauſam Chriſti aduentus ipſam humani generis redemptionem fuiſſe; colligere debemus, hanc ſolam fuiſſe cauſam, vel ſaltem ita præcipuam, vt illa non ſtante Chriſtus minimè veniret in mundum. Antecedens explicatur exemplis. Ex eo, quod ſcriptura dicit, mortem per peccatum fuiſſe in humanam naturam introductā, efficaci deductione colligimus, quod ſola culpa fuit cauſa mortis, & quod ſi homo non peccaret, immunis eſſet à morte. Et quia ſacræ literæ, cum tam expreſſam de mundi creatione mentionem feciſſent, non multos, ſed vnicum tantum expreſſerunt mundum: ſolidum inde argumentum ſumimus, vnicum duntaxat mundum à Deo fuiſſe creatum. Et quia ſcriptura tres tantum nominauit in Deo perſonas, & nuſquam dixit quartam, aut plures reperiri, certa credimus fide non eſſe quaternitatem perſonarum in diuinis ponendam. Itaq. argumentum negatiuū ex ſacra pagina aſſumptum, tunc eſt efficaciſſimum, quando res eſt grauis, & magni momenti, & ſcriptura non obiter, & in tranſcurſu, ſed ex profeſſo, & magna ex conſideratione de tali re loquitur, nam tunc negatiua affirmatiuæ æquipollet, vt in exemplis poſitis conſtat, & alia eiuſmodi reperiri poterunt in literis ſacris non pauca.

Tertia ratio. Sequitur ex contraria ſententia abſolutè concedendum eſſe, quod Xp̄s non venit in mūdū, vt redimeret humanum genus. Conſequens aduerſatur modo loquendi ſcripturæ ſacræ, in qua paſſim aſſeritur Chriſtum ad hoc veniſſe, vt peccatores ſaluos faceret: ergo, &c. Probo ſequelam priuſquam Deus decreuerit hominem redimere, imo priuſquā eius noſſet peccatum, decretum habebat filium ſuum in mundum mittere; ergo cum alias eſſet venturus, & alia fuiſſet principalis cauſa ſui aduentus, qua pro prietate dici poteſt ad hoc in mundum veniſſe? Moderni quidam docti, è quibus vnus eſt Fran. Cariagena, libenter admittunt huius argumenti ſequelā. Dicunt enim concedendum eſſe, Chriſtum in remedium peccati mortalem veniſſe, & paſſibilem in mūdum, quod ſcripturæ ſacræ tantum dixerunt, non autem quod venit ſimpliciter propter hunc finem, vt probat factum argumentum, verum cum eccleſia in ſidei ſimbolo ex ſacris ſcripturis deſumpto, abſolutè fateatur Dei filium propter nos homines, & propter noſtram ſalutem è cœlis deſcendiſſe, neſcio plane qua ratione tolerari poſſit iſta doctrina, ex qua colligitur, quod Chriſtus non ſimpliciter, ſed ſecundum quid duntaxat propter humanam ſalutem de cœlis deſcendit.

Quarta ratio. Quod Deus humanam potius naturam quam Angelicam aſſumeret, nullam poſſumus aliam veroſimilem aſſignare rationem, niſi eā quæ deſumitur ex neceſſario humani generis remedio, nam hac ratione ſeiota, omnes aliæ expoſtulare videntur, quod verbum aſſumeret Angelicam naturā, & quidem in ſpecie perfectiſſima, quæ eſſet Deo ſecundum perfectionem propinquior, & quæ tam ex parte ſuppoſiti diuini, quam ex parte naturæ aſſumptæ Chriſtus (ſic enim nominemus Deum creatæ naturæ hypoſtaticè vnitum) eminentiam ſupra totum ordinem creaturarum haberet, omniumque earum ſupremi capitis mereretur dignitatem. Item ſi humani generis ſecludamus peccatum, atque eius itidē remedium: Quis probabilem poterit rationem, aſſerre, ob quam potius diuinum verbum humanam aſſumpſerit naturam, quam Pater aut Spiritus ſanctus? Cum tamen poſita neceſſitate humani generis multæ, & grauiſſimę congruentiæ huius facti aſſignentur à patribus, ergo, &c.

Quinta ratio qua & probatur hæc S. Tho. ſententia, & fortiter expugnatur ipſa contraria Scoti opinio. Si intelligimus Chriſtum prædeſtinatum ante peccati præſcientiam, vno ex tribus modis neceſſariò debet intelligi eius prædeſtinatio. Primo quod fuerit prædeſtinatus in carnem immortalem, & impaſſibilem venturus. Secundo, quod prædeſtinatus fuerit venturus in carne mortali, vt de facto venit. Tertio denique, quod in illo primo ſigno rationis, in quo intelligimus primariæ Chriſti prædeſtinationis decretum, ſola incarnationis eius ſubſtantia prædeſtinata fuerit, & nihil de circunſtantiis intelligamus ſtatutum, & diſpoſitum. Ita quod decreuit Deus filium ſuum in carnem mittere, non autem ſtatuit in qua eſſet carne venturus, mortali, aut immortali, paſſibili, aut impaſſibili, vel in quo tempore, & quo loco, & ſub quibus circunſtantijs veniret. Sed hęc omnia indeciſa permanſerunt, & indeterminata, & ad aliud reſeruata diuinæ mentis decretum: Sed nullo modo iſtorum intelligi poteſt Chriſti prædeſtinatio ante peccati præſcientiam; ergo Chriſtus non fuit prædeſtinatus, niſi peccato præuiſo: atque adeo in ipſius peccati remedium. Maior ex ſufficiēte

Digitized by Google

diuiſione apparet manifeſta. Minor vero probatur. Et primo, quod Chriſtus fuerit prædeſtinatus in carne immortali, & impaſſibili veſtitus. Quanquam videatur à Scot. diſcipulis communiter affirmari, adeo falſum eſſe puto, vt exiſtimem eſſe manifeſtum errorem in fide, quod ſic oſtendo. Si Chriſtus ita fuit prædeſtinatus ante peccati præſcientiam, ſequitur, quod interueniret realis mutatio in Dei intellectu, & voluntate: at manifeſtus eſt autem contra fidem error, mutationem aliquam in Deo ponere, *Apud quem nulla eſt mutatio, neque viciſſitudinis obumbratio* Iacobo cap. 1. dicente, ergo, &c. Probo ſequelam Deus ante peccati originalis præſcientiam, abſoluto ſtatuerat decreto, vt Filius Dei carnem immortalem, & glorioſam aſſumeret. Poſt peccati vero præuiſionem decreuit, vt non in carne impaſſibili, ſed in carne mortali, & paſſibili veniret, vti venit de facto. Hæc autem manifeſta mutatio eſt diuini decreti, atque adeo, & intellectus, & voluntas Dei realem ſubiere mutationem.

Hoc argumentum adeo eſt efficax, vt otioſum ſit eius quærere ſolutionem. Conſtat igitur Chriſti prędeſtinationem ante præſcientiam peccati non fuiſſe primo modo celebratam. Quod vero neque ſecundo modo, nimirum, quod eſſet Chriſtus in carne mortali, & paſſibili venturus, conſtabit ex dicendis in quinta concluſione, in qua probabitur non poſſe integra fide dici, quod ante peccati præſcientiam Chriſtus fuerit prædeſtinatus in mortali carne venturus. Quod vero neque tertio modo Chriſtus ante præſcientiam peccati fuerit prædeſtinatus. Probo primo. Prædeſtinatio eſt prouidentia perfectiſſima, quæ omnes ſingulariſſimas circunſtantias attendit: ergo ſi illud primum decretum fuit decretum prædeſtinationis Chriſti, neceſſum eſt fateamur, quod ex vi illius decreti determinatum fuit, in qua carne eſſet Chriſtus venturus paſſibili, aut impaſſibili, quo loco, quo tempore, & ſub quibus circunſtantijs. Nō deſunt viri egregiè docti, quibus hæc tota argumentatio debilis appareat, & infirma. Arbitrantur ſe faciliimè eius difficultatem euadere. Si dicant, quod in Chriſti prædeſtinatione, & fuit ſubſtantia incarnationis diſpoſita, & fuerunt prætereà circunſtantię illi adiunctæ temporis, loci, paſſibilitas, & mortalitas carnis, &c. Subſtantia incarnationis reſpondet Chriſti prædeſtinationi, prout attendit vniuerſaliores cauſas, manifeſtationis, ſcilicet, gloriæ Dei, glorificationem, exaltationemque humanæ naturæ, ac totius vniuerſi. Imo & perfectionem, & conſummationem vtriuſque ordinis naturę, & gratiæ. Circunſtantiæ vero ſub quibus comprehenduntur paſſibilitas carnis Chriſti pertinent ad aliam ſpecialiorem cauſam, ad ipſam, nimirum, humani generis reparationem. Vnde Chriſtus non fuit prædeſtinatus vt veniret in carne humana abſtrahendo à mortali, & immortali, paſſibili, & impaſſibili, & ab alijs circunſtantijs, ſub quibus Chriſtus de facto venit. Sed eius prædeſtinatio fuit ex propria, & primaria ſui ratione conſummata, & completa, ac modis omnibus determinata.

Cæterum hæc ſolutio probabilis eſſet, ſi ſequeremur opinionem illam à nobis tertio loco propoſitam, quæ aſſerit Chriſtum non prædeſtinatum fuiſſe in aliquo rationis ſigno ante originalis peccati prę̨ſcientiam. Sed quod iſto præuiſo peccato fuit prædeſtinatus principaliter quidem in ipſius peccati remedium, & minus principaliter propter alias cauſas, quæ etſi minus principales, eſſent tamen ſufficientes. Nam hac ſuppoſita ſententia, optimè fieri poſſet illa accommodatio ad diuerſas cauſas, ex quibus conſurgeret totale, & determinatum prædeſtinationis Chriſti complementum. Nam in ordine naturæ Ariſtotelicam ſequentes doctrinam ſimilem ſolent accomodationem facere. In generatione namque hominis, ratio hominis geniti tribuitur generanti quatenus eſt homo, & ratio animalis geniti eidem generanti prout eſt animal reſpondet. Ita quod homo generat hominem, & animal animal, & vnica tamen eſt ſimpliciſſima generatio. Verum de hac opinione in præſentia non inſtituitur ſermo. Nam illam confutauimus ſufficienter circa concluſionem tertiam. Et nunc obiter ſic expugno. Si in ſigno rationis præcedenti peccati originalis præſcientiam ſufficientes Deo ſe obtulerunt incarnationis Chriſti cauſæ, propter quas etiam non extante peccato Chriſtus veniret in mundum. Quare in illo priori ſigno Deus non prædeſtinauit Chriſtum, ſed peccati præſcientiam expectauit? Certè nulla alia poteſt aſſignari ratio, præterquamquod non voluit Deus prædeſtinare Chriſtum, niſi in peccati remedium. Sed hac opinione præter miſſa, ad opinionem Scoti, quā nunc extirpare contendimus, noſtra redeat diſputatio. In qua manifeſtum eſt ſolutionem aſſignatam locū non habere, Scot. enim & omnes, qui eius ſubſcripſere ſentētiæ, apertè docent, quod in inſtanti rationis primo, in quo non intelligitur in diuino intellectu peccati originalis præſcientia, Chriſtus fuit in mundo prædeſtinatus nullo habito reſpectu ad peccatum, & ad eius remedium, ex quo inferunt, quod in ordine ad prædeſtinationem Chriſti per accidēs ſe habuit peccatum, & ita Chriſtus homo fieret, quāuis nullum extaret peccatū. Huic doctrinæ, quo pacto poterit accommodari aſſignata ſolutio: quæ nullam habet veriſimilitudinē, niſi præſuppoſito, quod in vnico ſigno rationis omnibus ſimul præuiſis cauſis, Chriſtus fuerit prædeſtinatus, quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad circunſtantias omnes? Ita vt ſubſtantia vni cauſæ, & circunſtantiæ alij correſponderent. Prætermiſſa, ergo hac ſolutione tanquam inſufficienti, vlterius progredior in confirmanda prædicti argumenti difficultate.

Si in illo primo rationis ſigno, in primoque prædeſtinationis Chriſti decreto, non fuit determinatū de qualitate carnis Chriſti, an futura, videlicet, eſſet paſſibilis, aut impaſſibilis, neque ſtatutæ fuerunt alię neceſſariæ circūſtantiæ. Sequitur, quod ſi peccatum non extaret, Chriſtus ex vi ſuæ prædeſtinationis non veniret in mundum. Conſequens aduerſatur ſententiæ Scoti quam impugnamus: Nam in hoc præcipuus verſatur controuerſiæ punctus, num, videlicet peccato ſecluſo, Chriſtus ex vi decreti prædeſtinationis ſuæ in mundum veniret? Quod affirmat Scot. & negat S. Thom. ergo ſolutio illa deſtruit opinionem Scoti. Sed probo ſequelam. Neceſſum erat, vt Chriſtus in mundum veniret, quod aſſumeret carnem ſecundum determinatam qualitatem, paſſibilem, videlicet, aut impaſſibilem. Sed neutrum horū præſcriptum fuerat, & determinatum in illo primo

præ-

Digitized by Google

prædeſtinationis Chriſti decreto: ergo ex vi eius non veniret Chriſtus in mundum.

Reſpondebis forſans, quod ex vi illius primi decreti aſſumeret quidem verbum carnem humanam eo modo quo ipſa humana caro ſe haberet à parte rei, & quoniam inueniret illam mortalem, & paſſibilem ſic eam aſſumeret. Itaque formaliter Chriſtus non fuit prædeſtinatus paſſibilis, aut impaſſibilis, ſed hæc determinatio qualitatis carnis Chriſti relicta fuit deſumenda ex parte ipſius carnis, & ex modo quem haberet caro humana in ſemetipſa. Ista ſolutio aliquam præſefert probabilitatem, ſed neque uero ſatis argumenti difficultatem euacuat. Primo quoniam cum prædeſtinatio, vt dicebam, ſit perfectiſſima prouidentiæ pars, & præſertim, quod attinet ad Chriſtum, primum & potiſſimum prædeſtinatum, non veroſimiliter aſſeritur, quod ex vi prædeſtinationis eius, non fuerit completè, & totaliter determinata qualitas carnis à verbo aſſumendæ, ſed quod hoc fuerit relictum materiali rerum diſpoſitioni. Secundo, adhuc ſupereſt ſoluenda difficultas argumenti, quatenus ex alijs circũſtantijs temporis, loci, modi incarnationis &c. oritur. Quoniam quandiu iſtæ circunſtantiæ non fuiſſent determinatæ, & diſpoſitæ à Deo, verbum incarnari non poterat: dependet enim neceſſariò ab illis circunſtantijs ipſa verbi incarnatio, & præſertim ab illa quæ eſt ex parte modi. Si enim non erat determinatum an Chriſti caro aſſumenda eſſet mediante generatione in muliebri vtero facta, aut per immediatam creationem à Deo factam, vel alio modo, quo pacto potuit verbum carnem aſſumere: ergo impoſſibile fuit, quod ex vi illius primi decreti prædeſtinationis Chriſti diuinum verbum humanam aſſumeret naturam, prę terquam quod eſt chimericum, & mere fictitium decretum pręedeſtinationis vocare illud, in quo non diſponuntur, & determinantur, ſingulares circunſtantiæ, & omnia media neceſſaria, vt ſequatur ipſe prædeſtinationis terminus. Nam cum prouidentia diſponat de medijs ad finem intentum neceſſarijs, quo pacto decretum illud, quo huiuſmodi media non diſponuntur, cenſeri poterit perfectæ prouidentiæ (qualis eſt pręedeſtinatio) decretum, & opus?

Præterea adhuc amplius rem iſtam vrgeo. Et inquiro ab auctoribus contrariæ ſententiæ. Si Deus nullo habito reſpectu ad humani generis remedium & redemptionem Chriſtum prædeſtinauit. Quare in illo primo prædeſtinationis decreto totum negotium incarnationis Chriſti non definiuit, & abſoluit? Et quare aliud ſequens rationis ſignum expectauit, vt totum iſtud negotium abſolueret, & compleret, & circunſtantias ſingulares mediaque neceſſaria diſponeret? Nam certè huius rei aliqua extitit cauſa. Neque enim caſu, & temere contigiſſe credendum eſt. Nam qui ita crederet, magnam diuinæ prouidẽtiæ, ſummęque ſapientiæ Dei irrogaret iniuriam. Si dixeris in illo primo rationis ſigno non fuiſſe præuiſa omnia ſingularia ex parte humanę naturæ, & totius vniuerſi, ex quibus dependere poterat ipſa verbi incarnatio, atque adeo quaſi expectauit Deus aliud rationis inſtans, in quo præuideret omnia contingentia ſingularia, vt ipſam Chriſti incarnationem ipſis accommodaret. Contra, ergo irrationabiliter Scot. & eius Aſſeclæ dicunt duo. Alterum quod in primo rationis ſigno fuit celebratum prædeſtinationis Chriſti decretum. Non enim eſt prædęſtinatio, vbi nõ eſt efficacium mediorum diſpoſitio. Alterum vero eſt, quod ex vi illius decreti Chriſtus veniret in mundum, cum neceſſarium fuerit decretũ aliud, quod ſingulares circunſtantias mediaque ad incarnationem Chriſti neceſſaria diſponeret. Hęc ſunt argumenta præcipua quæ in huius concluſionis confirmationem poſſunt afferri. Decreui enim alia leuiora prætermittere.

Sed priuſquam ad ſequentes tranſeamus concluſiones, neceſſum erit exponere modum, in quo intelligenda eſt hæc S. Thom. ſententia, quam ſtabiliri conabamur in hac quarta concluſione. Nec enim in vno, & eodem ſenſu ab vniuerſis S. Thom. diſcipulis explicatur.

Eſt ergo prima intelligentia, quam aſſignauit Caietan. 3. par. quæſt. 1. art. 3. vbi præſuppoſitis tribus illis modis ſuperius explicatis, quibus Deus ſe potuit creaturis communicare, nimirum, ordine naturæ, ordine gratiæ, & ordine hypoſtaticæ vnionis, inquit, quod ordo gratiæ præſuppoſuit ordinem naturæ, & vterque naturæ, & gratiæ ordo præſuppoſitus fuit ad ordinem hypoſtaticæ vnionis. Et hoc quidem, inquit Caietan. verum habere non ſolum in executione (quod non poteſt in dubium verti, vt ſuperius tractauimus) ſed in ipſa etiam Dei intentione. Ita quod Deus præuidit prius ordinem naturæ, quam ordinem gratiæ, illumque totum per quandam communem naturalem prouidẽtiam prædiſpoſuit, & præordinauit (& comprehendit Caietan. ſub hoc naturæ ordine ante gratiæ ordinem præuiſo, & præordinato omnia peccata, & monſtra ſiue phyſica, ſiue moralia.) Poſt naturæ ordinem prædefiniuit Deus ea, quæ ad ordinẽ gratiæ ſpectãt. Et tandem ad tertium ordinem vnionis hypoſtaticę acceſſit, quem ad reparationem, & conſummationem vtriuſque ordinis, & naturæ, & gratiæ ordinauit, & diſpoſuit.

Hanc Caietan. intelligentiam valde irridet Ambroſ. Caterinus in quadam annotatione ex his, quæ contra Caietan. fecit. Inquit enim hanc Caiet. interpretationem valde iniurioſam eſſe, & ignominioſam incarnationis Chriſti dignitati. Nam quid magis indecens Chriſto dici poterit, quam quod Deus diuina ſua prouidentia præuiderit, & pręordinauerit naturæ monſtra, antequam Chriſtum pręedeſtinauit? Verum hęc irriſio Catarini irridenda eſt, & paruipendenda; quoniam impugnatio ab ipſo facta eſt impertinens. Nam eadem ratione ſuccenſeret Sanct. Thom. & grauiſſimos auctores cum ipſo dicentes, Deum non pręedeſtinaſſe Chriſtum, niſi pręſuppoſita peccati originalis pręſcientia, & pręſuppoſita ſimiliter ipſius peccati permiſſione, quę ad prouidentiam generalem ſpectat. Namque ſi ignominioſum eſt Chriſto, atque eius incarnationi, quod eius pręedeſtinatio pręſupponat monſtra naturę pręuiſa, & pręordinata, quanto magis indecorum eſſet, & indecens, quod permiſſionem tam grandis monſtri moralis, puta originalis culpę, pręſupponeret, ipſiuſque peccati pręſcientiam?

Sed nihilominus graues Theologi etiam S. Tho. diſcipuli hanc Caietan. intelligentiam merito re-

pre-

Google

prehendunt propter alias cauſas. Prima. Quoniam irrationabiliter Caietan. originale peccatum inter ea, quę ad ordinem naturæ ſpectant connumerauit: cum fuerit priuatio iuſtitię originalis, & gratiæ. Imo ſi vera eſt eius ſententia quam docuit 1. 2. quęſtion. 113. art. 2. videlicet, quod per peccata, quæ committuntur contra ſupernaturalia præcepta non violatur lex, aut rectitudo ordinis naturalis, nec offenditur Deus, vt author eſt, & finis naturę, conſequenter eſſet dicendum, quod primum Adæ peccatum, quod in tota eius poſteritate originale dicitur, non ipſum violauit naturæ ordinem. Quoniam lex quam fuit Adam tranſgreſſus de non veſcendo de ligno vetito, non pertinebat, ſi propriè loquamur, ad naturalē rationis ordinem, nec ſtatuta fuit à Deo, vt author eſt naturæ, ſed vt author potius eſt gratiæ: qui illam legem impoſuit primis parentibus, vt vicæ totius ſuę poſteritatis debitam Deo authori gratię, originaliſq; iuſtitiæ obedientiam præſtarent, de quo alias.

Secundo. Quoniam Caiet. non ſolum originale peccatum, ſed omnia peccata ſub ordine naturali comprehendiſſe videtur, quod falſum eſſe nullus eſt qui non videat. Nam peccata quæ fiunt contra fidē, & quæ commiſſa fuerunt contra Chriſti perſonam, manifeſtum eſt non pertinere per ſe primo ad naturæ ordinem. Et quidem ſi vera eſſet opinatio Caiet. fateri tenemur Deum prius rationis ordine prępidiſſe peccatum crucifigentium Chriſtum, quam ipſum Chriſtum prædeſtinaſſet in carne venturum. Itē prius præſciiſſet Deus omnium prædeſtinatorū peccata, illa etiam quæ contra fidem, & ſupernaturalem admittuntur ordinem quam ipſos prędeſtinaret ad gloriam. Imo & priuſquam naturam humanam ad ſupernaturalem ordinem eleuaret, quę omnia & alia eiuſmodi, quæ inferre poſſemus abſurda, ſua ſponte ſunt falſa.

Tertia cauſa. Quoniam Caietan. tres prędictos diuinę communicationis ordines plus nimio diſtinguit, & ab inuicem ſeparat. Res enim eſt cunctis Theologis manifeſta, quod tres hi ordines quādam inter ſe habet permixtionem. Ita quod, quędam eorum, quę ſecundum ordinem naturę pręciſe conſideratum tali modo ſe haberent, aliam de facto induunt modum ſecundum exigentiam ordinis gratię, aut vnionis hypoſtaticę. Certum eſt enim aliquos homines peccatores fuiſſe, & progenitos propter orationes iuſtorum, qui ipſorum generationem, & natiuitatem impetrarunt. Et de Ioanne Baptiſta nemo non nouit, quin eius generatio minime fuerit ſecundum ordinem naturę diſpoſita, ſed potius ſecundum ea, quę pertinebant ad ordinem hypoſtaticę vnionis. Progenitus enim fuit ex parentibus multis titulis ad generandum ineptis, vt eſſet Xpi venturi pręcurſor. Multę pręterea ęgritudines & mortes quas naturales cauſę paratas, & in promptu habebant, impeditę ſunt ſanctorum orationibus, & Dei authoris gratię beneficio conceſſę. Conſtatque inter graues Theologos, multa bona naturalia effectus eſſe prędeſtinationis, quę proinde ad ordinem gratię neceſſe eſt pertineant. Quo circa & ſi ordo gratiæ pręſupponat naturę ordinem quantū ad eius ſubſtantiam, & primariam conſtitutionem, gratia enim naturam pręſupponit, & perficit: non tamen pręſupponit totum ipſum ordinem, quoad omnia eius ſingularia, & particulares rationes, quin potius permixtim ſę habent in huiuſmodi ſingularibus tres illi ordines numerati.

Propter has, & alias ſimiles cauſas, graues Theologi hanc Caieta. intelligentiam carpunt. Non deſſunt qui Caieta. velint defendere aſſerentes ipſum non omnia peccata intra ordinem naturę comprehendiſſe, neque de omnibus peccatis fuiſſe loquutū, ſed de peccato tantum originis, & ea tantum ratione, qua repugnabat naturali rectitudini, & Deum finem naturalem offendit: Verum aliis omiſſis, in quibus nō ſoluatur Caie. doctrina ab his authoribus. Nec etiam quod attinet ad peccata hęc mihi placet explicatio. Quia peccatum originale ſecundum propriam, & ſpecificam ſui rationem, non offendit Deum per ſe primo, vt finem, & authorem naturę, ſed vt ſupernaturalem gratię auctorem, & finem. Sed quicquid de hoc fuerit, nec enim diſplicet doctiſſi. Caieta. doctrinam tueri, alia mihi non minoris momenti, & quę magis huius difficultatis punctum attingit, ſe offert cauſa improbandi hunc Caiet. diſcurſum. Et eſt illa quam ſuperius in confirmatione eiuſdem argumenti inſinuaui nimirum: quod non eſt veroſimile tantum illud malum, quod peccatum originis rationali naturę attulit, fuiſſe permiſſum à Deo, niſi propter aliquod magnum bonum. Quod aliud eſſe non potuit, quam incarnatio Chriſti, & eius gloria, bonumque illud excellens, ac ſublime, quod ipſe rationalis natura ex Chriſti incarnatione reportauit. Quod tantum fuit, vt non dubitaret Magnus, doctiſſimus, ac perinde Sanctiſſimus Gregorius dicere, *O fœlix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*, ideſt, ò fœlix Adam peccator, non quia peccator, ſed quia peccati occaſione tantum, ac talem ei Deus Redemptorem deſtinauit. ergo voluntas Dei originalis peccati permiſſiua non totaliter anteceſſit Chriſti prædeſtinationem, quin potius præſuppoſuit Chriſtum prædeſtinatum, ſaltem in ordine finalis cauſæ. Nec ſatisfaciet ſolutio dicentis, quod permiſit Deus illud peccatum non ob aliquem ſpecialem finem, ſed vt ſuæ prouidentiæ ſuauitatem, & ſeruaret, & oſtenderet, ad quam pertinet in illis rebus defectum permittere, quæ ſua natura ſunt defectibiles. In qua prouidentiæ diuinæ ſuauitate S. Thom. 1. parte quæſtion. 23. artic. 3. fundauit primam reprobationis rationem, & originem.

Cæterum hæc ratio inſufficiens apparet, quoniā, vt S. Thom. eodem loco aduertit, ad officium prudentis gubernatoris pertinet permittere, vt natura quæ ex ſe defectibilis eſt, deficiat & cadat, non tamen totaliter, ſed in aliquibus indiuiduis. Nam ipſius intereſt gubernatoris pro ſuo poſſe curare, vt talis natura in aliquibus ſaltem indiuiduis, & quidem non paucis, ad vltimum perueniat finē, propoſitāq; ſibi felicitatem vltimam aſſequatur. Suppoſito ergo quod tota cauſa humanæ naturæ, ex diuina lege, ſpecialique Dei ordinatione, poſita fuerat in ſola primi parentis voluntate, ita quod cum ipſo primo homine cadēte tota rueret rationalis natura; ad optimum prouiſorem, & gubernatorem Deum, ad prouidamq. eius ac ſuauē prouidentiam ſpectabat, vt ſolicitā de illo primo homine curā gereret, ne à recto

iuſtitię

Digitized by Google

iuſtitiæ ſtatu laberetur, & caderet. Niſi forſan ex eius ruina magnum aliquod intenderet emolumentum elicere. Et hoc argumentum ex eo maiores accipit vires, quod illud primum peccatum erat ex ſe irreparabile. Non ſolum, quia mortale delictum, principium ſpiritualis vitæ, & totius moralis rectitudinis aufert, nimirum charitatem Dei, & ordinem ad vltimum finem, ſed præſertim, quia pro illo ſtatu non erat adhuc inſtitutus pœnitentiæ modus. Nihil enim aliud primus ipſe parēs à Deo ſuper hoc negotium audierat, quam illam terribilis pœnæ comminationem Gen. 2. factam, *In quacunque die peccaueris, morte morieris*.

Sed iam Caietan. ſententia prætermiſſa, ad alium dicendi modum quorundam Thomiſtarum accedamus, qui libenter Scot. concedunt, quod præſcientia originalis peccati non anteceſſit Chriſti prædeſtinationem, nec in decreto incarnationis Chriſti futuræ explicita fuit ipſa humani generis redemptio. Sed nihilominus adducunt, veram eſſe S. Th. ſententiam aſſerentis, quod ſi homo non peccaret, Verbum homo non fieret. Multa commentantur ad huius ſententiæ fundamentum ſtatuendum, & corroborandū ex Ariſt. in poſtprædicamentis in c. de priori deſumpta, vbi inquit, aliam eſſe prioritatem cauſæ: & aliā prioritatem à quo, ad prioritatem cauſæ requiritur, quod vnum ſit cauſa alterius, & quod ſua natura ad illud præſupponatur. Prioritas autē à quo, eſt prioritas conſequentiæ, illudque dicitur prius à quo, ex quo non conuertitur conſequentia, & quod poteſt eſſe ſine altero. Illud autem dicitur poſterius à quo, ex cuius eſſe infertur aliud prius, ſine quo nō poteſt eſſe. Et hoc modo animal eſt prius homine, & homo poſterior eſt animali. Quia ex animali ad hominem non valet conſequentia. Non enim ſequitur, Eſt animal, ergo eſt homo, valet autem ex homine ad animal. Sequitur enim bene, quod ſi eſt homo, eſt animal, neque homo ſine animali eſſe poteſt. Ea autem dicuntur eſſe ſimul modo oppoſito huic prioritati, nimirum conſequentiæ ſimultate, inter quę eſt mutua conſequentiæ conuerſio, vt pater, & filius ſimul hoc modo eſſe dicuntur. Quia valet conſequentia à patre ad filium, & è contra.

Aduertunt pręterea hi Theologi ex doctrina Ariſtotelis in eodem cap. quod inter ea, quæ ſunt ſimul ſimultate conſequentię, contingere poteſt, quod vnū ſit cauſa alterius, v.g. album eſſe, & hanc orationem album eſt, eſſe veram, ſimul ſunt ſimultate conſequentiæ, & tamen album eſſe à parte rei, cauſa formalis eſt, etſi extrinſeca, veritatis orationis huius. His ergo ſuppoſitis dicunt, quod prædeſtinatio Chriſti, cauſa finalis eſt redemptionis humani generis, ſunt nihilominus ſimul ſimultate conſequentię, prædeſtinatio incarnationis Chriſti, & redemptio humani generis. Vnde dicunt, non valere hanc conſequentiam, Incarnatio Chriſti prius fuit præordinata in genere cauſæ finalis, quam Deus quicquam de peccati remedio cogitaret: ergo incarnatio Chriſti erit ſine remedio peccati. Nam licet prius fuerit præordinata, non tamen vt futura ſine remedio peccati. Quemadmodum, inquiunt, etſi artifex prius in genere cauſæ finalis præordinauerit ſuperpoſitionē tecti in aliqua fabricanda domo, nihil cogitans de fundamentis, & parietibus, non tamen ſuperponet tectum in executione, niſi iactis fundamentis, & parietibus erectis. Igitur hoc modo procedit iſta ſententia, quod poſtquam Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ cognouit tres illos modos præcipuos iam connumeratos, quibus ſuam poterat communicare bonitatē, in primo ſigno rationis practicæ decreuit cōmunicare ſe ſummo modo illorum trium, nimirū per hypoſtaticam vnionem, in quo ſigno nulla fuit facta mētio, neque peccati, neque remedij eius: Imo, inquiunt, quod neque alicuius purę creaturę producendæ. Sed in ſecundo ſigno decreuit Deus ſecundū vtrunque ordinem naturæ, & gratiæ, ſuā communicare bonitatem, decreuitq; proinde totum hoc vniuerſum cōſtituere cum his omnibus perfectionibus, & naturæ, & gratię, quibus fuit de facto productum, ipſumq; cum omnibus ſuis & partibus, & perfectionibus ad Chriſtum, vt ad finem, retulit. In tertio denique ſigno vidit Deus creaturam rationalem collapſam, originaliq; culpa infectam. Ac tandem in quarto ſigno explicitè deſtinauit Chriſtum in Redemptorem, & Saluatorem naturæ prolapſæ.

Hanc ſententiam, quæ fundamentum habere videtur in Caiet. 3. par. q. 1. art. 3. ad 3. impugnant viri doctiſſimi non inefficacibus argumētis, ſi facietenus conſiderentur. Et tota argumentorum vis ad hoc reducitur: quod ſimultas conſequentiæ, inter ea, quorū vnum eſt cauſa alterius, nequit locū habere, niſi vel quia illa cauſa neceſſariò inducit talē effectū: vt in exemplo poſito, exiſtētia albedinis inducit neceſſariò veritatem illius propoſitionis, vel quia, etſi vnum ſit cauſa in vno genere, pendet tamen ab alio ſaltim quoad executionem in alio genere cauſæ, vt ſuperpoſitio tecti, quæ in genere cauſæ finalis eſt prior, per ſe pendet à fundamentis, & parietibus in genere cauſæ materialis. Aut denique quando illud quod in genere cauſalitatis poſterius eſt, habet rationem medij neceſſarij ad conſequutionē alterius, quod prius in genere cauſæ finalis pręintentum fuit, & pręordinatum. Quemadmodum ſi ad conſequendam ſanitatem, quam infirmus primum intendit, nulla facta mentione medicamentorum, fuerit neceſſarium medium ſumptio pretioſi cibi, talis cibi ſumptio erit in executione ſimul ſimultate cōſequētiæ cum ipſa ſanitate, quæ in genere finalis cauſa fuit prius intēta, imo & præuolita, abſque vlla cibi huius mentione facta. Eo quod in volitione efficaci finis, virtualiter clauditur voluntas medij neceſſarij ad finis acquiſitionem. Sed in caſu noſtrę diſputationis remedium originalis peccati neque eſt cauſa prędeſtinationis Chriſti, vt authores huius ſentētiæ libenter admittunt, neque eſt effectus, qui neceſſariò conſequatur ipſam Chriſti prædeſtinationem, vt eſt res manifeſta. Neque verò eſt medium neceſſarium vt in executione ponatur ipſa Chriſti incarnatio, vt etiā eſt manifeſtiſſimum. Poterat enim diuinū Verbum humanam carnem aſſumere, quamuis nullum in rationali natura peccatum exiſteret. Ergo ſi Chriſtus prædeſtinatus fuit abſque præſcientia peccati, & abſque vlla facta mentione redemptionis humanæ naturæ, nulla eſt veroſimilis ratio, ob quam dicere poſſimus, quod Chriſti incarnatio nequit eſſe abſque humani generis redemptione.

Huic tamen argumento, quod funditus videtur pręfatam Thomiſt. ſententiam euertere, reſponderi pro-

Digitized by Google

probabiliter poſſet, quod in illo decreto prædeſtinationis Chriſti, quamuis nulla fuerit facta expreſſa mentio originalis peccati, & remedij eius, continebatur tamen ibi implicitè, & voluntas permittendi originale peccatum, & redimendi humanum genus eodem peccato infectũ: eo quod in illo ſigno Chriſtus fuit prædeſtinatus, vt in ipſo manifeſtaretur diuina bonitas in ſummo manifeſtationis gradu, & vt in ipſo oſtenderentur diuinæ bonitatis, & perfectionis Dei, non poterat autem hæc manifeſtatio cõmodè fieri, niſi originis peccatum in humana extaret natura, in cuius remedium, & diuina miſericordia, & ipſa itidem Dei iuſtitia, ineffabili quadam cõplexione coniunctæ in ſummo gradu oſtenderẽtur, vt ſunt de facto manifeſtatæ. Nam *miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Idcirco ſicut in prædeſtinatione Petri ad gloriam, implicitè clauditur gratia, Petro cõferenda, ita in prædeſtinatione Chriſti, implicitè continebatur volũtas efficax permittẽdi originis peccatum, & humanam naturã peccato læſam, & infectam redimendi, & reparandi.

Hanc ſolutionem nullatenus probabũt authores, qui negant peccatum infallibiliter ſequi, poſita eius permiſſione in diuina voluntate. Nam hi authores dicere tenentur, quod ſi poſita explicita voluntate permittendi peccatum, nõ ſequitur infallibiliter ipſum peccatum, multo minus affirmari poterit hæc infallibilis peccati conſecutio, poſita tantum implicita voluntate peccatum permittendi. Atque adeo niſi Deus præuidiſſet ipſum peccatum, vt coexiſtens æternitati; nullatenus incarnationis Chriſti prædeſtinatio poſſet in executione habere dependentiam ab originali peccato, neque infallibilem connexionem cum ipſius peccati remedio. Cum non poſſet per diuinam prouidentiam diſponi infallibile peccati remedium, quia neque haberi poterat infallibilis cognitio, quod eſſet futurum in natura humana.

Sed nihilominus hæc ſolutio non eſt omnino improbabilis, neque ego nullatenus illã improbarem, propter nunc aſſignatam rationem. Exiſtimo enim, quod poſita efficaci permiſſione peccati, infallibilis quoque erit ipſa peccati poſitio. Cenſeoque Deum poſſe certam, & infallibilem cognitionem habere futuri peccati, poſita efficaci voluntate permittendi peccatum. Quæ res alio in loco à nobis eſt ad longũ pertractata, neque poſſumus in præſentia immorari in eius diſputatione. Propter alias tamen rationes, quæ magis ad præſentem tractationẽ attinent, non mihi placet hæc Thomiſtarũ intelligentia, quæ ſine dubio coincidit cum ſecũnda ſententia ſuperius poſita, in priori explicata ſenſu. Vnde eiſdem argumentis, quibus ibi ſenſum illum improbauimus, explicando ſenſum poſteriorem, impugnanda quoque eſt, & confutanda iſta ſolutio.

Arguitur præterea contra hanc ſententiã: Si ante prædeſtinationẽ Chriſti nõ fuit præuiſum originale peccatum, non poteſt cũ proprietate dici, quod Chriſtus fuerit prædeſtinatus in remediũ originalis peccati: quod tamen intendit S. Th. in hac famoſa ſua ſententia: ergo explicatio iſta pugnat cum ſententia cuius explicationẽ intendit. Sequela apparet euidẽs: nam ſi Deus cũ prædeſtinauit Chriſtus, nihil adhuc de humana cogitauerat natura, neque de remedio eius, imo neque de neceſſitate quam peccãdo incurrerat. Quo pacto propriè dici poteſt, quod in remedium eius Chriſtum prædeſtinauit? Secundo. Si in prædeſtinatione Chriſti nõ fuit facta expreſſa mentio peccati originis, & remedij eius, nõ ſatis commodè poſſunt explicari, literæ ſacræ aſſerentes, quod Deus ex dilectione humani generis, & ex affectu miſericordię erga ipſum, miſerit Filium ſuũ in carne, iuxta illud Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, &c. & Paulus ad Rom. c. 5. *Commendat autem Deus charitatem ſuam in nobis*. Quoniam ſecluſa præuiſione miſeriæ humanæ naturæ, non poteſt intelligi affectus diuinę miſericordiæ erga naturam humanam. Præterea S. Thom. 3. par. q. 1. art. 3. ad 4. docet, quod pręſcientia peccati futuri fuit pręſuppoſita in mente diuina ad Chriſti prędeſtinationem. Hęc verò ſententia, contra quam diſſerimus, non admittit pręſcientiam futuri peccati ante prędeſtinationem. Non ergo conſentanea eſt S. Thom. doctrinę.

Scio modernos quoſdã authores, quibus hęc ſententia, quã impugnamus, nõ diſplicuit, dicere S. Th. intelligendũ eſſe de futuri peccati pręſcientia, pertinente ad ſcientiã Dei ſimplicis intelligentię. Sed hoc eſſe falſum multis poſſem probare. Sed breuiter eius falſitatem quaſi ad ſenſum oſtendo. Per ſcientiã ſimplicis intelligẽtię cognoſcitur res tantũ vt poſſibilis, & nõ vt exiſtens, neque vt futura, & qui hoc negauerit, non eſt arguendus, ſed relinquendus, vt prima in Theologia negans principia. Erit autem manifeſtũ legenti, S. Th. loqui de pręſcientia peccati, qua vel pręuidetur, vt exiſtens, & coexiſtens ęternitati, vel qua pręſcitur vt infallibiliter futurum. Non ergo de ſcientia ſimplicis intelligentię illa S. Th. doctrina poteſt intelligi. Alij etiã ex nouioribus dicunt, quod S. Tho. non loquitur ibi de præſcientia peccati, quæ pertinet ad intentionis ordinem, ſed de ea, quę ad executionem ſpectat. Hęc ſolutio eſt ſine dubio probabilis, quia exemplum, quod ibi S. Thom. adducit, valde ei ſuffragatur. Sed ſi perſpectè legamus illam ſolutionem ad 4. S. Th. non irrationabiliter colligemus, illum permixtim loqui, & de ordine intentionis, & de executionis ordine. Et quod exemplum ibi adductum de orationibus Sãctorum, quibus medijs prędeſtinatio alicuius hominis ſuũ accipit adimplementum, ſuamq; aſſequitur certitudinem, non adducitur vt ad adęquatum exemplum ad explicandam præſcientiã peccati originalis, quę Chriſti prędeſtinationem antecellit: ſed ad explicandum pręſcientiam illam, ſecundum quod pertinet ad executionis ordinem. Exiſtimoque S. Thom. loquutum fuiſſe ad eum modum, quo cõmuniter loquũtur Patres, qui, vt partim conſtat ex teſtimonijs citatis pro cõcluſionibus tertia, & quarta, & partim cõſtabit ex infra referendis, potiſſimũ in ſolutionibus argumentorum primę ſententię, vt rem ſibi ſtatuã, & perſuaſam docuerũt, decretũ incarnationis pręſuppoſuiſſe præſcientiã originalis peccati in cuius remedium, & in humanæ naturę reparationem, decreuit Deus Filium ſuum in mundum mittere, eumq; humanam aſſumere naturam. Huic opinioni, quam hiſce argumentis reprobare conamur, fauet Capr. in 3. diſt. 1. q. 1. Quæ ſententia etſi veritatem non attigiſſe videatur, proximius tamen ad eã accedit, quã omnes ſententię alię, quę Chriſti prędeſtinationem cõſtituunt totaliter à peccato, & eius remedio independentem.

Sed

Digitized by Google

Sed adeſt iam tertia expoſitio, & intelligẽtia ſententiæ S.Th. Quæ conſiſtit in hoc, quod in genere cauſæ finalis Chriſti prædeſtinatio anteceſſit ſimpliciter decretũ creationis vniuerſi, & eleuationis naturæ rationalis ad finem ſupernaturalem, & ad gratiæ ordinem: in genere vero cauſæ materialis res è contra ſe habuit. Et hoc quidem non ſolum executionis ordine, ſed etiã ordine prædeſtinationis. Hæc intelligentia explicanda eſt ad eum modum, quo ſuperius in hoc dubio collimàuimus, & elucidauimus poſteriorem ſenſum opinionis ſecundæ, hoc vno addito, quod ex parte materiæ etiam debent comprehendi peccata, & præſertim originale. Itaque præceſſit in hoc cauſalitatis ordine in Dei præſcientia nõ ſolum ordo naturæ, & gratiæ, ſed & omnium moralium defectuum, quæ vtriuſque ordinis rectitudinẽ obſcurant, & offendunt, & præſertim originalis ille defectus, qui totam humanam læſit, & deturpauit naturam. Nam diſtinctam aliorum peccatorũ præſcientiam, forſan pertinuit ad ſecundũ ſignum. Eſtq; aduertendũ, quod natura humana, & ipſa mediante, prout eſt virtualiter creatura omnis, totum vniuerſum rationem habuit materiæ, & ex qua, & in qua. Ex qua, quoniam humanitas, quam Verbum ſibi copulauit, deſumpta fuit ex ipſa humana natura, atque adeo ex ipſo ordine naturali, & ſi temperata fuerit, præparata, & diſpoſita modo longè excellẽtiori, qui totum naturæ ordinem exuperauit. Materia in qua, eatenus fuit, quatenus in ipſa vnionis hypoſtaticæ beneficium, & quoad ſubſtantiam, & quoad eius effectus ſuſcepium eſt, & participatũ. Ordo vero gratiæ habuit rationem materiæ circa quã, habuit enim rationẽ materiæ reparabilis, & perfectibilis, eo quod per incarnationem reparatus fuit hic ordo in natura humana. Et in tota create intellectuali natura perfectionem, & conſummationem fuit aſſequutus. Peccatum denique materiæ etiam rationem obtinuit, & poteſt ſimiliter vocari materia circa quam, ſed abſimili prorſus cauſa, ab ea ob quam ipſum gratiæ ordinem materiam circa quam fuiſſe diximus. Nam ordo hic fuit materia, quia reparandus, & perficiendus; peccatum vero, quia deſtruẽdum, & auferendũ, iuxta illud Zach.3. *Et auferam iniquitatẽ in die vna*, vna hæc dies fuit tempus incarnationis Chriſti, quæ dies durauit ab inſtanti primo cõceptionis eius vſque ad inſtans mortis. De qua re ibi Prophetæ inciderat ſermo. In quo ſenſu dicebat Chriſtus Io.c.12. *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*, vitam ſuam lucem appellauit, ideſt, diem, vt ibi dicitur. Et quia peccatum hanc habuit materię rationem, idcirco eius præſcientia in hoc cauſę ordine præceſſit Chriſti prædeſtinationem. Vnde hæc propoſitio, peccatum præuiſum eſt à Deo ante prædeſtinationem Chriſti, vera propoſitio eſt, abſolutè loquendo: quia prioritas cauſæ materialis eſt ſufficiẽs ad eius verificationem. Quamuis tutum erit ſemper explicare rationem prioritatis, nimirum, quod fuit præuiſum in genere materialis cauſæ, vt prioritati cauſæ finalis debitum deferamus honorem, in quo ordine prædeſtinatio Chriſti præceſſit.

Sed rogat quis, Vtrum hæc propoſitio, Chriſtus prædeſtinatus eſt ante præſcientiam peccati, ſit abſolutè concedenda? Ratio dubitandi pro affirmatiua ſententia ea eſt, quòd ſi prioritas cauſæ materialis ſufficit ad veritatem illius propoſitionis, peccatum præuiſum fuit ante prædeſtinationem, cur prioritas finalis cauſę non ſufficiet ad iſtius poſterioris enunciationis verificationem. Reſpondeo, negandã eſſe abſolutè, & ſimpliciter hanc propoſitionem, de qua dubitatio procedit. Et ratio eſt omnino adnotanda, quæ deſumitur ex ſuperius dictis circa poſteriorem ſenſum opinionis ſecũdæ. Aſſeroque, quod licet peccatum ad Chriſti incarnationem comparatũ, ſolam habuerit rationẽ materiæ circa quam, ipſum tamen peccati remedium fuit non ſolum effectus in Chriſti prædeſtinatione, per ipſam eius incarnationem per ſe intentus, ſed & nonnullam quoque finis induit rationem, comparatũ ad Chriſtum, non abſolutè conſideratum, ſed ſecundum illum ſtatum humilitatis, & infirmitatis, in quo noſtram in medio terrę ſalutem eſt operatus. Qua ratione fuit verè humanæ naturæ reparator, & medicus. Et quia non aliter fuit pręդeſtinatus, niſi vt medicus, nõ ſolum morbi pręuiſio in genere cauſæ materialis eius prædeſtinationem præceſſit, nam tolle morbos, & tolle vulnera, dicebat Auguſtinus, & non eſt neceſſarius medicus; ſed etiam ipſum peccati ſpiritualis morbi remediũ præceſſit in Dei pręſcientia in genere cauſæ finalis Chriſti prædeſtinationem, prout Chriſtus ratione prædicta in ſtatu humilitatis medici officium erat geſturus. Et, vt ſuperius aduerti, nihil inconueniat, vt id, quod ſimpliciter eſt finis, ſecundum modum aliquem induat reſpectu eiuſdem rationem medij. Quia ergo Chriſtus fuit prædeſtinatus, vt eſſet Filius Dei per gratiam vnionis, hac conditione appoſita, nimirum, quod eſſet Redemptor, & medicus humile gerens medicantis officium, infirmis deſeruiens, & miniſtrans, idcirco peccati remedium, in genere cauſę finalis, pręceſſit ipſam Chriſti pręԁeſtinationẽ. Et ob hanc cauſam, etſi prædeſtinatio Chriſti abſolutè, & ſimpliciter prior fuit in genere cauſę finalis, non poteſt tamen abſolutè concedi, quòd Chriſtus fuit pręԁeſtinatus ante peccati præſcientiam. Quia peccatum vt excludendum, præuiſum fuit per modum materiæ circa quam, & ipſum peccati remedium fuit pręuiſum per modum finis intenti, & pręordinati, in quem prædeſtinatio Chriſti illo modo expoſito fuit ordinata.

Sed obſeruandum eſt, diſcrimen eſſe magnũ inter pręſcientiam peccati in genere cauſæ materialis pręſuppoſitam, & præſcientiã remedij eiuſdẽ peccati, in genere cauſæ finalis antecedẽtem. Quod præſcientia peccati, iuxta probabiliſſimam Thomiſtarũ ſententiam, pertinuit ad viſionis ſcientiã, itaque Deus præſuppoſuit peccatum vt inexiſtens naturæ, & non vt futurum infallibiliter: eo quod peccatũ habuit pręſuppoſitæ materiæ rationem, quæ ſecundùm pręexiſtentiã debet præſupponi. Cęterum peccati remediũ non anteceſſit in Dei præuiſione vt præexiſtẽs, ſed vt infallibiliter futurũ. Et ratio eſt, quia etſi pręceſſerit vt finis, eſt tamen finis effectus, ideſt, qui efficiendus erat ab ipſo Chriſto incarnando, atque a Deo neque debuit, neque potuit præſupponi in ordine intentionis, vt præexiſtens, ſed vt futurum infallibiliter.

Ex his poſſumus colligere modum, quo iuxta hãc S.Th. doctrinæ explicationem intelligere debemus ordinem, quem ex parte rerũ ſeruauit Deus in Chriſti prædeſtinatione. Qui ita poterit exponi, quod

poſt-

Digitized by Google

poſtquam Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ triplicem illum ſuperius poſitum ſuæ communicationis modum agnouit, mox in primo ſigno rationis practicæ decreuit Verbum fieri carnem, vt & in ipſo excellentiſſimo quodam modo diuina manifeſtaretur, & glorificaretur bonitas, & vt omnia, quæ ad naturæ,& gratiæ ordinem ſpectant, ei ſubſeruirent, & in eum vt in finem deſtinarentur. Et vt denique Dei gloria, & diuitias gratiæ eius in ipſo redemptionis humanæ naturæ opere mirè ſplendeſcerēt. Vnde omnium horum cognitio, & præordinatio ſecūdum quandam generalem prouidentiam, ad hoc primū rationis ſignum ſpectarunt. Quamuis ſpecialiter hoc ſignum detur ſolius Chriſti prædeſtinationi. Quod idcirco fit non irrationabiliter, quia in hoc inſtanti Chriſtus ſpecialiſſima prouidētia prædeſtinatus fuit, & eius prædeſtinatio fuit abſoluta, & conſummata prout ad ipſum Chriſtū pertinebat. At in hoc ſigno neque ordo naturæ, neque ordo gratiæ conſummatū habuerunt prędeſtinationis,& prouidentiæ cōplementum; ſed quantū ad id duntaxat, quod neceſſariū erat, vt Chriſti prædeſtinatio completa eſſet,& conſummata. Nā alia, quæ non ad Chriſtū, ſed in particulari ad vtriuſque huius ordinis cōplementū pertinebant, in poſterioribus ſignis præordinata fuerunt, & diſpoſita. Quoniam ergo ad prędeſtinationē Chriſti, quatenus prædeſtinabatur vt medicus,& Redēptor, & vt in eo multiformis Dei appareret gratia, & iuſtificans,& ſanans,& vt iuſtitia,& miſericordia inter alia Dei ſplendeſcerent attributa (nam hoc totū ſpectabat ad perfectā Chriſti prędeſtinationem) neceſſarium fuit, vt præordinatio vtriuſque ordinis, naturæ ſcilicet,& gratiæ, quoad primariā vtriuſque ſubſtantiam antecederet: quorū prior expoſcebat Angelorum,& hominum,& viſibilis huius mundialis machinæ conſiſtentiam,& poſterior vt in omnibus Angelis ſigillatim, quia omnes ſunt ſecundum ſpeciem differentes,& vnus nō pendet ſubſtantialiter ab alio. Et in aliquo vno homine, vt in primo totius rationalis naturæ principio, & capite, & vice naturæ ipſius fundaretur ordo ad ſupernaturalem finem, dādo eis ſupernaturalem cognitionem, ſpem, & amorē, quæ Dei gratię inniterentur. Idcirco omnia hæc ſecundū generalem hāc rationem ad illud primum rationis inſtans in Deo attinuere,& attinuit etiam peccatum prout huic vtriuſq; ordinis diſpoſitioni repugnauit. Et ita exiſtimo, quod non ſolum ſpectauit ad illud inſtans & permiſſio, & præſcientia originalis culpæ humanæ, verum & peccatum angelicum ſecundum quod ex eo occaſionaliter ortum habuit primū illud hominis peccatum, quod ad primariam ordinis gratiæ conſtitutionem pertinuit. Nam ſicut pertinet ad ſuauem rerū diſpoſitionem, quod inferiora, S. Dionyſio authore, per ſuperiora gubernentur, vnde in ordine gratiæ homines Angelorū miniſterio,& pręſidio debuerūt gubernari, etiā ſi in ſtatu primę innocentiæ permanſiſſent: ita attinebat ad eundē primarium rerum ordinem, vt permitteret Deus, quod naturę ſuperioris. ſ. intellectualis, peccatum, occaſionē peccandi afferret inferiori naturæ rationali,& quod hoc totum præuideretur à Deo ad Chriſtum prędeſtinandū, vt Redemptorem humanæ naturæ, vt iam ex illo primo ſigno conſtaret à cuius ſeruitutis iugo homo eſſet redimendus, nimirum à dæmonis tyrannide, cui homo ſubiectus ex Dei iuſtitia permanſerat propter peccatum, in quo ab ipſo dæmone fuit deuictus. Nam qui ſua ſe ſpontè vinci permiſit, talem ſibi promeruit miſeram ſubiectionis, & captiuitatis ſortem. Præterea non reputo inconueniens affirmare, quod inter alias cauſas, niſi proprius occaſiones appellemus, ob quas Deus non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, vt dicebat Paulus, ideſt, non Angelicam, ſed humanam aſſumpſit naturam, hæc quoque cōputetur, quod Angelus ſua prorſus ſpontanea malitia, abſque vlla extrinſeca perſuaſione peccauit, ipſumque offendit Deum, cui tanto erat & in ordine naturæ,& in ordine gratiæ debito adſtrictus: homo verò ex alterius, & quidē ſuperioris, & callidioris aſtuta perſuaſione captus,& partim deceptus; mulier enim, quæ viro grandis fuit occaſio peccandi, ſeducta fuit, vt inquit Paulus 1. ad Timoth. 2.

Hæc igitur omnia ad illud primum rationis ſignū reducenda fore arbitror: Omniaque propter Chriſtum, vel præordinata, vel permiſſa. Et ob id in illo niet ſigno, Chriſti prædeſtinatio præceſſit ſimpliciter in ordine cauſæ finalis omnium aliorum, quæ diximus præſcientiam, ſed in ordine materialis cauſæ, præſcientia iſtorum omnium è contra anteceſſit. Superius cum ſenſum poſteriorem ſecundæ ſententiæ exponerem, exemplo generationis inſtantaneæ rem iſtam explicaui, relegat diligens Theologus.

Sed iam ad ſecundum ſignum tranſeamus. In quo Deus in Chriſto capite in primo ſigno prædeſtinato elegit homines, vt ei perfectè incorporarētur, vt capiti membra, in perpetuāque eius laudem eſſent futuri. Tertiū rationis inſtans diſtinguere ſolent communiter Theologi, in quo Deus rerum naturalium ordinem prouideret. Sed ego cum bona eorum venia, nullam video huius tertij ſigni, aut rationis inſtantis neceſſitatem. Quoniam ad primariam rerum naturalium conſtitutionem neceſſarium non eſt, cū in primo ſigno fuiſſet diſpoſita: particularia vero,& ea, quæ ſecundariū in vniuerſo locum tenent, exiſtimo non poſſe ad aliud tertium ſignū pertinere, ſed quod ad hoc ſecundum eorum diſpoſitio,& Dei prouidentia ſpectauit. Quoniā prædeſtinatio electorum in hoc ſigno ſecundo celebrata, conſtare non potuit, niſi certa eſſet,& ſtatuta horū omnium ſingularium ordinis naturæ diſpoſitio. Quia ex eorū quampluribus pendebat prædeſtinationis ordo, qui nō in electione hominum ad gloriam eſſentialiter cōſiſtit, vt 1. p. q. 23. ex S. Th. doctrina ſolet oſtendi. Sed in efficacium mediorū abſoluta, & determinata diſpoſitione,& præordinatione, quibus certiſſimè ſaluātur quicūque ſaluantur, vt verbis vtamur Aug. Hæc autē media haudquaquā diſponi, & præordinari potuerunt, niſi præuiſis ijs ſingularibus indiuiduis operationibus,& factis,&c. quæ ad ordinē ſpectāt naturę. Itaque ſicut primaria rerum naturalium conſtitutio in genere cauſę materialis pręſcientiā Chriſti,& prędeſtinationē in primo ſigno anteceſſit, ita in ſecundo ſigno ea, quę ſecundario ad eundem naturalē ſpectāt ordinē, prędeſtinationem pręceſſit electorum, ita vt electio ipſorū abſolutè fuerit prior, eo quod prędeſtinatio eorum finis rationem habuit comparatione ad ordinē naturalē, prędeſtinatio vero, quę formaliter eſt efficax mediorū pręordinatio, in genere cauſę materialis ſuppoſuit horū, quę diximus, pręſcientiā.

Imo,

Imo & præſcientiam omnium ſingularium peccatorum, quia ex eorum multis occaſionẽ aſſumit Deus ſaluandi prædeſtinatos.

Ad hoc ſecundum ſignum exiſtimo attinere ea, quæ in particulari pertinebant ad Chriſti vitam, & mortem. Quia licet in primo ſigno fuerit prædeſtinatus Redemptor per mortem, & ſanguinem ſuum, et quæ, qualiſue futura eſſet eius mors, imo & vita, quas, quantaſque à peccatoribus paſſurus eſſet contradictiones non potuerunt euidẽter præuideri, niſi dependenter in ordine cauſæ materialis ab horum ſingularium præſcientia, poſſemus quidem horum præſcientiam ad primum ſignum reducere, ſed ſuauiori modo reponitur in ſecundo ſigno, ad quod reduximus ea, quæ pertinent ad ſecundarium vniuerſi ordinem.

Id tamen aduertendum cenſeo, quod præſcientia omnium ſingularium, quæ neceſſario fuerunt præſuppoſita ad Chriſti incarnationem, in primo rationis ſigno habita fuit. Inter quæ ſingularia præcipuũ habuit locum Beatiſs. Virgo, & eximia eius ſanctitas, quæ fuit neceſſaria, ſecundum decentiam erga vnigenitum Dei filium ſeruandam, ad Chriſti incarnationem. Imo exiſtimo, quod prædeſtinatio B. Virginis fuit celebrata in illo primo rationis ſigno, tum quia eius tanta ad Chriſtum coniunctio hoc poſtulabat, tum etiam quia B. Virginis ſanctitas requiſita ſecundum decentiam ad Chriſti incarnationem debuit eſſe firma, ſtabilis, & perſeuerans, atque adeo ad prædeſtinationis ſpectans ordinem. Et ita crediderim, quod in genere cauſæ materialis præuiſa fuit B. Virginis gratia, & ſanctitas, vt effectus prædeſtinationis. Dices Beatiſs. Virgo in Chriſto, & per Chriſti merita fuit prædeſtinata: ergo impoſſibile fuit, quod in aliquo genere cauſæ Chriſti prædeſtinationis antecederet præſcientiam.

Reſpondeo, quod aliter anteceſſit ſanctitas Virginis in præſcientia Dei Chriſti incarnationem, & aliter res omnes aliæ. Etenim res aliæ anteceſſerunt vt materia quaſi aliunde præſuppoſita, nimirum ex prouidentia generali Dei ſiue naturali, ſiue ſupernaturali. Cæterum ſanctitas B. Virginis anteceſſit vt diſpoſitio tenens ſe ex parte materiæ propriæ ipſius Chriſti. Nam cum Chriſti caro ex puriſſimis Mariæ ſanguinibus fuerit deſumpta, ipſa eius ſanctitas erat veluti diſpoſitio præparans, & diſponens propriam Chriſti materiam. At diſpoſitio, quæ in genere materialis cauſæ formam præcedit, eandem ſubſequitur in ordine cauſæ formalis, eſtque in vno genere effectus, & in alio eſt cauſa. Et illud genus, in quo eſt cauſa, effectus eſt alterius generis. Nam cum Ariſtot. dixit, quod cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, in hoc formali loquebatur ſenſu, videlicet, quod prout vnum eſt in vno genere cauſa effectus eſt, alterius ſecundum aliud cauſalitatis genus. Dico ergo in præſentia quod illa B. Virginis ſanctitas, quæ à Chriſto in genere cauſæ finalis, & meritoriæ, fuit effectus incarnationis Chriſti, potuit eſſe prior eadem etiam ordine intentionis Dei, in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ.

Dico ſecundo, quòd etiam vterque ipſe naturæ, & gratiæ ordo, qui in genere cauſæ materialis præſupponebatur in Dei præſcientia, in genere finalis cauſę, vt ex dictis conſtat, pendebat à Chriſto, & à præſcientia incarnationis eius. In hoc autem excelluit B. Virginis ſanctitas, quod non ſolum fuit effectus Chriſti, & incarnationis eius in genere finalis cauſæ, ſed etiã in genere cauſæ meritoriæ.

Sed contra hanc ſecundam S. Tho. intelligentiã duo ſe offerunt argumenta. Primum eſt, illud duntaxat fuit prius altero ordine intentionis diuinæ, quod ab eo per ſe pendet in ordine ad finem, quem Deus per ſe primo intendit: ſed in ordine ad finem per ſe primo à Deo intentum, ordo naturę non pendet ab ordine gratiæ, neque ordo naturæ, & ordo gratiæ pendent ab vnione hypoſtatica: ergo non prius fuit in genere cauſæ finalis intenta, à Deo hypoſtatica vnio verbi cum humanitate, quam fuerit intentus vterque ordo naturæ, & gratiæ. Maior ex ſuperius dictis manifeſtè conſtat. Diximus enim, quod prioritas intentionis diuinæ nõ ex parte diuini actus, ſed ex ipſis obiectis, & ex ordine, quem inter ſe habent, debet penſari. Minor vero probatur: ordo naturæ ex ſua propria ratione, & intra proprium genus habet quod ſit manifeſtatiuus diuinæ bonitatis, diuinæq; maieſtatis, & gloriæ abſque coniunctione ad ſuperiorem, vel gratiæ, vel hypoſtaticæ vnionis ordinem. Nam quamuis Deus non decreuiſſet ſe communicare gratiæ, aut vnionis hypoſtaticæ communicatione: poſſet nihilominus ſuam bonitatem, ſuamque gloriam in bonorum naturalium communicatione manifeſtare, & oſtendere, etſi minus perfectè: & ſimile argumentum de ordine gratiæ fieri poteſt, imo & erit adhuc efficacius. Quia per gratiam multo perfectius Dei bonitas eluceſcit, & apparet, quam per naturam, totumq; eius ordinem. At finis quem per ſe primo Deus intendit ipſa eſt ſuæ bonitatis, & gloriæ, ſuarumque perfectionum manifeſtatio, & oſtenſio. Ergo vera eſt minor propoſitio. Cõfirmatur. Ordo naturæ ex ſe non ordinatur, vel ad ordinem gratiæ, vel ad hypoſtaticam vnionem: ergo ad manifeſtandum diuinam bonitatem, & gloriam, eo modo, quo in bonorum naturalium communicatione manifeſtabilis eſt, non pendent ab ordine gratiæ, aut hypoſtaticæ vnionis.

Dices. Quod licet ordo naturæ ex ſe non ſit ordinatus ad ordinem hypoſtaticæ vnionis, eſt tamen ordinabilis, & referibilis, ſicut omne imperfectum ordinabile eſt ad id, quod perfectius eſt: & ita Deus de facto ordinauit totum naturæ ordinem ad ipſam diuini verbi cum humanitate hypoſtaticam vnionem.

Contra ſic argumentor. Et ſi ita potuerit fieri, quis nouit an ita factum ſit? nam quis conſiliarius Dei fuit? Preterea, & ſi rationabiliter colligatur ex maiori perfectione, quę in communicatione per hypoſtaticam vnionem reperitur, quod Deus in executione vtrumque ordinem naturę, & gratię ad ipſam hypoſtaticam retulerit vnionem, tanquam in finem proximum, quo mediante tandem retulit in finem pręcipue intentum, in ipſam, videlicet, Dei gloriã: In illo tamen primo diuinæ intentionis ſigno, ordo prioritatis, & poſterioritatis non debet attendi, niſi ex ipſa duntaxat obiectorum dependentia. Quoniã ſola maior, aut minor perfectio non ſufficit hunc prioritatis ordinem conſtituere. Recurrere autem ad libertatem diuinę voluntatis, dicendo, nimirum, quia Deus ita voluit. Diuinare potius erit, quam ſcientificè loqui. Et quidem ex hoc quod hypoſtatica

vnio fit perfectior diuinæ bonitatis communicatio, nihil infertur aliud, quam quod fuerit magis à Deo volita, quam fuerint voliti ordo naturæ, & ordo gratiæ, De prioritate vero nihil.

Secundum argumentum. Scripturæ ſacræ apertè dicunt incarnationis verbi beneficium ortum habuiſſe ex amore, quo Deus humanum genus dilexit, & ex miſericordia, qua commotus fuit, extremã eius miſeriam intuens. Sed iuxta hanc doctrinæ S. Tho. intelligentiam hoc eximium Dei beneficium non tam ex amore humani generis, & ex miſericordia, qua Deus voluit vti cum hominibus, originem duxit, quã ex dilectione Chriſti, & ex intentione manifeſtandi eius gloriã. Non ergo hæc interpretatio acceptanda eſt, & cæteris præferenda. Manifeſtum apparet antecedens pro maiori. Sunt enim innumera ſcripturæ ſacræ teſtimonia, ex quibus eius colligitur veritas. Ex multis duo tantum adnotemus. Alterum Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Et alterum Luc. 2. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto, &c.* Minor vero probatur. Nam primum mouens eſt finis, & ex amore finis oriuntur omnia, quæ ad ipſum referuntur, finis autem quem Deus intendit in incarnationis myſterio Chriſtus fuit, & ipſa Chriſti gloria, vt iſta docet ſententia, ergo ex amore Chriſti, & gloriæ eius totum incarnationis beneficium dimanauit, & non ex amore humani generis. Confirmatur. Nam iſta intelligentia S. Thom. manifeſtè coincidit cum doctrina antiquorum Hebræorum. Qui Petro Galatino loco ſuperius citato referente, dicebant, Deum propter amorem Meſſiæ vniuerſa fuiſſe operatum. Hæc autem ſententia eadem eſt cum illa opinione, quam in prima concluſione reprobauimus: ergo, &c.

Ad primum argumentum reſpondetur primo. Quod ſcripturæ ſacræ non obſcurè nobis inſinuant, Deum in primo prædeſtinationis decreto Chriſtum prędeſtinaſſe, vt eſſet caput, & finis rerum omnium, vtque ſuper omnes & homines, & Angelos principatum teneret. Ac proinde virtualiter nobis dicunt; quod prius ordine finis intendit Deus Chriſti prædeſtinationem, quam vtrumque ordinem naturæ, & gratiæ, & quod vtrumque iſtum ordinem retulit in ipſam Chriſti incarnationem.

Secundo reſpondetur, quod ipſa ratio poſtulat, vt ſuppoſito, quod Deus voluit, tribus illis ſupradictis modis ſeipſum communicare: duos modos naturæ, & gratiæ referret, & ordinaret in perfectiſſimum cõmunicationis modũ, ſcilicet, hypoſtaticę vnionis In quo ipſemet Deus ſemetipſum immediatè communicauit. Omnia etenim dona & naturæ, & gratiæ per ſe ordinantur in Deum tanquam in finem. Vnde eo ipſo, quod Deus ſemetipſum voluit conſtituere intra rerum ordinem, ſeipſum immediatè naturæ creatæ communicans, omnis alia diuinæ bonitatis communicatio induit continuo rationem medij per ſe ordinati in Deum ſic communicatum. Quia Deus ita ſe communicans author eſt naturæ, & gratiæ. Vnde & natura & gratia in ipſum per ſe referuntur.

Dices forſan, quod gratia, & natura ordinantur quidem per ſe in Deum, qui ſeipſum humanitati perſonaliter cõmunicat, non vero ordinantur in ipſummet, ea formali ratione, qua ſe communicat. Hac enim ratione non pendent a Deo, & ſi omnimodam ab ipſo ſimpliciter loquendo dependentiam habeant. Quod præſertim de naturæ ordine manifeſtam videtur habere veritatem, quia cum illa communicatio ſit ſupernaturalis ordinis, non poteſt naturæ ordo, niſi ab extrinſeco iuuetur, ad tam ſublimem finem aſcendere.

Reſpondeo huic obiectioni. Quod citra dubium probat, quod hi duo ordines naturæ, & gratiæ, & præſertim naturæ, neq; per ſe referuntur, neq; per ſe pendent ab ipſa hypoſtatica diuini verbi vnione cum humanitate. Sed nihilominus ratio à nobis inſinuata in ſecunda ſolutione ſuadet, ad diuinam prouidentiam ſpectaſſe, vtrumque ordinem ſubordinare totaliter, & ſubijcere hypoſtaticæ vnioni, ita vt non ſolum ordine executionis, ſed etiam ordine intentionis, ipſa hypoſtatica verbi vnio rationem ſortiatur finis reſpectu ordinis vtriuſque & naturæ, & gratiæ. Exemplum aliquale huius rei ex ſacramentis Euangelicis poteſt deſumi. Quæ cum ab Euchariſtiæ ſacramento in ſuis inſtitutionibus, & in proprijs materijs, & formis non pendeant, tamen quia in Euchariſtia realiter & verè eſt ipſe Chriſtus totius ſacramẽtalis gratiæ fons & author, omnia deſtinantur in hoc ſacramentum, vti in omnium ſacramentorum finẽ. De quo 3. par. q. 65. ar. 3.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod quemadmodum in omni Theologorum ſententia fateri tenemur, incarnationis beneficiũ non habuiſſe ortum per ſe primo ex amore quo Deus humanum proſequitur genus, ſed ex amore potius ſuæ bonitatis, & ex intentione bonitatem ipſam diuinam manifeſtandi, & eo modo quo fieri poteſt amplificandi: quoniam omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Imo eſſet manifeſta ordinis peruerſio, ſi aliter fieret, nam cum Deus ſit ipſum ſummum bonum, omnia ad illum debent referri, & ordinari. Ita neque ſacris ſcripturis, neque rectæ rationi derogat, quin potius conſentit quamplurimum, aſſerere, hoc beneficium potius ex amore Chriſti, & gloriæ eius, quam ex amore humani generis, aut totius vniuerſi dimanaſſe. Neque hoc quicquam detrahit ab excellentia diuini amoris, quo Deus humanum genus dilexit, quin potius ex hoc creſcit magis, & extollitur ipſa diuini amoris erga homines declaratio. Nam quod Deus tam vnicè dilexiſſet Chriſtũ: tamq; ſibi habuiſſet cariſſimum, ipſi tamen non pepercerit, ſed pro nobis tradiderit illum, in eoque conſtituerit infirmitatis, & humilitatis ſtatu, in quo hominibus miniſtrare, & inſeruire poſſet, ſuaſque operas, ac labores in hominum ſalutem, vt in finem referre, valde eximiam Dei erga homines charitatem cõmendat.

Et hoc ſatis ſuperque fuerit, vt verè dicamus, quod ita Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, & quod per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitauit nos oriens ex alto. Et quidem quod Deus daret nobis Chriſtum, vt finem, & ſcopum noſtræ ſalutis & gloriæ, cum ſimul eum dediſſet, vt medium ad noſtram ſalutem ordinatum, in magnam cedit hominum exaltationem, & gloriam, totumque ipſi Deo, eiuſque diuino amori debemus. Sed & debemus aliud, quod cum naturam Angelicam potuiſſet Deus hypoſtatica vnione ſibi copulare, & in ea diuitias gratiæ ſuæ, &

boni-

bonitatis oſtendere, humanam tamen delegit naturam, quia maiori, & vniuerſaliori miſeria tenebatur; & non Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, cuius electionis, qua noſtram Angelicæ prætulit naturę, quam obſecro aliam valemus reddere cauſam, niſi quam reddidit Euangeliſta Ioan. illis iam citatis verbis. *Sic Deus dilexit mundũ, &c.* Itaque & quod Deus nobis filium ſuum dederit, & quod ita dedit, quod noſtram naturam Angelicæ prætulit, totum eius bonitati, & amori, quo nos ſpontaneè dilexit, debemus. Quoniam etſi ipſe ſuam gloriam, filijq; ſui Ieſu Chriſti honorem cunctis noſtris bonis, & commoditatibus antepoſuerit, nihil tamen ſibi acquiſiuit, neque filio ſuo, quod illi eſſet neceſſarium, ſed totum tandem ceſſit in vtilitatem, & commodum noſtrum. Neque pro ſe, neque pro ſuave priuata vtilitate acciperet, niſi ad noſtram attineret vtilitatem. Neque vnquam humanam ſibi aſſociaret perſonaliter naturam, niſi vt eam repararet, & extolleret. Vt Athanaſ. ſemone 2. contra Arian. non paucis verbis dixit.

Ad confirmationem reſpondetur, nobis neque primam opinionem, neque Hebræorum ſententiam eatenus diſplicuiſſe; quatenus docet Deum dilexiſſe Chriſtum, eiuſque exaltationem, & gloriam præ cęteris omnibus rebus ipſo Chriſto inferioribus.

Nam in hoc, & Authores primæ ſententiæ, & illi antiqui Rabini à nobis ſunt, idipſumque ſentimus omnes, nam dignitas, & excellentia Chriſti, vt aliud ſentiamus, non permittit. Diſplicuit tamen nobis ſententia illa, & diſplicent Rabini, ſi cum ipſa ſentiunt, quatenus inſinuat, quod in decreto prædeſtinationis Chriſti, & in amore, quo Chriſtum dilexit, neque formaliter, neq; virtualiter quicquam diſpoſuit, quod ad nos, ad noſtramq; ſalutẽ pertineat. Arbitramur enim Deum nihil vnquam de Chriſti incarnatione, aut gloria cogitaſſe, quin ſimul de noſtra ſalute, & gloria mentionem feciſſet. In quo mirè ſplendeſcit amor Dei erga nos.

Hæc tertia S. Thom. doctrinæ intelligentia, tam multis à me explicata, egregiam ſane probabilitatem obtinet, & cæteris à nobis aſſignatis explicationibus, & quæ ſolent vulgariter circumferri, iure ſuo eſt præferenda. Sed ſub peritiorum cenſura alium modum intelligendi hanc S. Thomæ ſententiam in hunc locum afferre decreui, quem inſinuatum quidem reperio, ſed exili certè eruditione expoſitum, & idcirco merito à quibuſdam egregiè doctis improbatum.

Igitur vt mentem noſtram aperiamus, hunc ordinem circa Chriſti prædeſtinationem, & aliarum rerum præordinationem in ipſa Dei mente ſeruatum eſſe opinamur, vel ſuſpicamur potius, nec enim ſtatutam audeo in hac parte proferre ſentẽtiam. Quod poſtquam Deus ſpeculatrice cognitione nouit tres illos commemoratos modos quibus poterat creaturis communicare, ſuamq; manifeſtare bonitatem & gloriam: continuo in primo practicæ rationis ſigno efficaci decreto, abſolutaque voluntate tres illos communicationis modos acceptauit, decreuitque ſeipſum triplici illo poſſibili modo communicare. In quo decreto nullam prioritatem formaliter intelligimus inter tres illos communicationis modos, ſed per modum vnius integræ, & totalis communicationis voluit Deus tribus illis modis ſuam communicare bonitatem, ſuarumque perfectionum manifeſtationem facere. Non negauerim, placuiſſe Deo magis communicationem per hypoſtaticam vnionem faciendam, quam quæ alijs duobus modis fieri poterat, quia id quod melius eſt, & perfectius, magis debuit placere Deo, eique gratius eſſe, & carius.

Sed tamen cum inter illos tres diuinæ communicationis ordines non reperiatur formalis habitudo, & ordinatio, neque neceſſaria dependentia vnius ordinis ab alio in ordine ad finem per ſe primo intẽtum à Deo, ſcilicet, manifeſtationem bonitatis diuinæ, vt paulo ante efficaci argumento demonſtrauimus, rationabiliter aſſeritur, quod in illo primo decreto, quod fuit immediatum cognitioni ſpeculatiuæ, qua Deus nouit tres hos communicationis modos inter ſe independentes, & quod quilibet eorum per ſe appetibilis eſt abſq; alterius adiutorio, & conſortio, nulla formalis facta fuit comparatio, & relatio vnius ordinis ad alium ſecundum habitudinem medij ad finem: ſed per modum vnius integræ, & totalis communicationis decreuit Deus ſeipſum triplici illo modo communicare. Conſulto dixi non reperiri ibi expreſſam, & formalem comparationem medij ad finem: quoniam de virtuali, & implicita aliter res ſe habet. Nam cũ Deus voluerit per vnionem hypoſtaticam taliter ſe communicare, vt manifeſtaret, & oſtenderet in ſuperuenientibus ſeculis ſuperabundantes diuitias gratiæ ſuæ; implicitè voluit, vt tam ordo naturæ, quam ordo gratiæ ipſi hypoſtaticæ vnionis communicationi deſeruirent, ad hanc tam eximiam, & excellantem ſuæ bonitatis, & gratiæ manifeſtationem efficiendam. In qua etiam voluntate continebatur implicitè voluntas permittendi defectus, & peccata circa vtrumque ordinem naturæ, & gratiæ, & in vtraque natura intellectuali, & rationali, quorum occaſione Deus excellentiori modo ampliſſimos gratiæ ſuę theſauros diffunderet, Vbi citra dubium implicabatur ipſa originalis peccati in natura humana permiſſio. Ita vt iam ſimultas eſſet conſequentiæ ex vi illius primi decreti, inter hypoſtaticam vnionem, & originalis peccati remedium, iuxta tradita à nobis in ſecunda intelligentia opinionis S. Thom. Sed neque hæc ſimultas, neque aliqua prioritas in illo primo decreto explicata fuit, & expreſſa, ſed implicata tantum, & virtualiter inuoluta.

Dico præterea. Quod illo primo decreto non fuit in particulari definitum, quænam ex tribus Sanctæ Trinitatis perſonis aſſumptura eſſet creatam naturam, ſed duntaxat, quod Deus ſeipſum communicaret in vna perſona, vel in alia, aut vero in tribus. Quia hoc totum erat ipſi Deo poſſibile. Item neque in indiniduo, neque in ſpecie determinata fuit natura creata, in qua Deus ſeipſum erat communicaturus. Sed in illo decreto tantum fuit diſpoſitum, quod Deus ſibi vniret naturam tali vnioni congruã, qualis eſt natura Angelica, atque itidem humana. Non vero præordinatum fuit, quod eſſet hæc in indiuiduo, aut quod eſſet humana, vel Angelica, ſed hoc totum diſponendum reſeruabatur in alio poſteriori ſigno.

Sed antequam vlterius progrediar in huius ſentẽtiæ expoſitione; Aduerſus hunc modum dicẽdi ea ſe

offert difficultas, quod iſtud diuinæ mentis decretū vniuerſaliorem, ne dicam confuſiorem, inuoluit rationem, quam deceat ipſum Dei intellectum, qui minutatim, & exactiſſimè vnico ſimpliciſſimo intuitu ſimul vniuerſa contuetur, atque adeo non videtur ponendum eſſe in Deo tam commune, & vniuerſale decretum.

Reſpondetur. Nos in hac parte conformari ſententiæ, & modo loquendi grauiſſimorum Theologorum, qui modus in doctrina Patrum non leue fundamentum habet. Qui nō ſemel nos docuerunt, Deū prius ordine rationis efficaci voluntatis conſilio decreuiſſe humanam redimere naturam, eamq; ad ſupernaturalem finem euehere, quam aliquot homines in particulari ad æternam vitam eligeret, & prædeſtinaret. Nec in hoc quiſpiā imperfectionis Deo, diuinæque eius cognitioni & prouidentiæ ſe putant tribuere. Et id quidem rationabiliter, quoniam cum ita theologamur, non ordinē prouenientē ex parte diuinæ operationis conſideramus, in qua, cum ſit ſimpliciſſima, & perfectiſſima, nullum eſt ſucceſſionis veſtigium: ſed ordinem duntaxat obiectorum attendimus, & rationes ſecundum quas obiecta apta ſunt offerri, & præſentari intellectui, & voluntati. Et quidem ratio vniuerſalior, & communior apta nata eſt ſua natura ſe prius intellectui præſentare, quam ſemetipſam obijcere ſingularibus rationibus, & circunſtantijs veſtitam, & exornatam.

Et hinc eſt probabiliter ſatis, & quantum exiſtimo conſentaneè ad Sanct. Thom. doctrinam prima par. quæſt. 19. artic. 6. affirmari à peritis Theologis, reperiri in Deo formaliter voluntatem antecedentem, quæ re ipſa eſt potius veleitas, quam voluntas, qua voluit Deus omnes homines ſaluos fieri. Quatenus Dei voluntas illud amauit bonum, quod ei fuit præſentatum in communi omnium hominum ſalutem, non conſideratis ſingularibus circunſtantijs, ſed ſola ipſa ratione communis ſalutis.

Proportionabiliter ergo in præſentia dicimus, ꝙ ſuppoſita illa voluntate, qua Deus voluit ſeipſum cōmunicare, ſuamque manifeſtare maieſtatem & gloriam, primum quod ſe illi obtulit, fuit triplex ille modus in ratione cuiuſdam totalis & integræ communicationis, nam in eo reperiebatur tota poſſibilis diuinæ cōmunicationis ratio. In qua vniuerſali præſentatione neque ex parte intenti finis, puta, manifeſtationis gloriæ, & maieſtatis diuinæ: neque ex parte ipſius hypoſtaticæ vnionis, aliqua ſe obtulit Deo ſpecialis ratio, ob quam illa potius diuina perſona, quam iſta, naturam creatam aſſumeret.

Nam ad manifeſtandum Dei maieſtatem, & gloriam, æquam vim habebant tres ipſæ diuinæ perſonæ. Similiter neque tunc ſe offerebat ratio ſpecialis, propter quam aſſumenda potius eſſet, ad hypoſtaticam vnionem natura humana, quam Angelica; cum ad finem à Deo intentum vtraque hæc natura ſufficientem habeat proportionem, quatenus vtraque in eodem intellectualitatis gradu collocatur. Quod exiſtimo eſſe veriſſimum, etiamſi in illa prima Dei intentione incluſa fuiſſet ſiue implicitè, ſiue explicitè voluntas exaltandi, & magnificandi totam creaturarum vniuerſitatem, conſummandique & perficiendi vtrumque, & naturæ & gratiæ ordinem, quod affirmare non diſplicet.

Nam & in natura Angelica, quæ in rerum vniuerſitate ſupremū tenet apicem, & in qua proinde, iuxta S. Dionyſ. ſententiam, res omnes inferiores eminenti quadam ratione comprehenduntur: & in natura rationali, quæ totum ipſum vniuerſum quaſi breui quodam, & artificioſo epilogo complectitur, commodè fieri potuit hæc vniuerſarum rerum exaltatio, atque vtriuſque ordinis, naturæ, & gratiæ adimplementum.

Sed iam vlterius pergo meum explicare diſcurſū. Et aſſero, quod poſt primum illud vniuerſale decretum continuò ſe obtulit Deo ratio tractandi de ſingulis modis communicationis. Incepit autem ab infimo ordine, quia erat aliorum fundamentum, decreuitque totum ordinem creaturarum conſtituere, ſecundum primariam ſaltem vniuerſi cōſtitutionē, quæ præcipuis conſtat partibus. In quibus primū locum tenēt intellectuales, & rationales creaturæ. Quo peracto ordine naturali ad gratiæ ordinem tranſijt (loquimur ad modum noſtrum cum tranſitum nominamus) & tunc decreuit ſingulis Angelis propria gratiæ ſupernaturalia conferre dona; iuxta proportionem naturalis perfectionis Angeli cuiuſque: vt cum Sanct. Thom. 1. par. quæſt. 62. peritiores arbitrantur Theologi. Naturam etiam humanam clariſſimis gratiæ donis exornare ſtatuit in vno totius naturæ capite primo parente Adamo. Sed iam tunc in huius gratiæ ordinis diſpoſitione, & in homine, & in Angelo defectum reperit. De Angelis enim in promptu eſt illud Iob 4. *Ecce, inquit, qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* De homine autem ibidem ſubiungitur. *Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſummentur velut à tinea.* Et Sap. 2. & Eccleſiaſt. 17. multa habemus expreſſa, vidit ergo Deus Angelum peccantem, & eius peccatū, iniqua & callida ſupremi cacodemonis ſuaſione ad hominē transfuſum. Et ob id ceſſauit tractatus de ordine naturæ, & gratię: & iam ad tertium, & ſūmum communicationis modum diuina peruenit ſapientia. Cœpitq; Deus deinceps de ſui vtriuſq; & naturæ, & gratiæ operis reparatione cogitare. Neque enim tantum decebat artificem, vt imperfectū ſuum relinqueret opus, ſed quod maiorem potius in reparatione ſapientiam & virtutem, quam in prima conſtitutione oſtenderet. Et quoniam in virtute primi vniuerſaliſſimi decreti tertius hic communicationis modus non erat ſeparatim, & ſeorſim conſiderandus à primis duobus, vt dixi, ſed prout vnum facit cum eis, integram, nimirum, & conſummatam diuinæ bonitatis communicationem.

Idcirco hunc vltimum, & maximum communicationis gradum decreuit Deus accommodare duobus inferioris cōmunicationis gradibus, ad reparandum videlicet, malū illud, quod primi hominis peccatum ex Angelorum culpa occaſionatum, per ſe primo in ordine gratiæ, & ſecundario in ordine naturæ intulerat, Ad cuius reparationem non Angelicā, ſed naturam elegit humanam aſſumendam, quæ funditus erat per peccatum euerſa; vt in ipſa, & per ipſam repararet, non ſolum damnum, quod ipſa rationalis natura per peccatum incurrerat, ſed ipſas etiam Angelorum ruinas, vt nihil non reſarcitum, & refectum: ac non valde proinde perfectum remaneret.

Decteuit enim terreſtres homines cœlicolas facere, & ſimiles Angelis conſtituere, qui Angelis in cœleſtibus ſuffecti ſedibus neque ederent, neq; nuberent, ſed veluti puriſſimi ſpiritus diuina contemplatione ſatiarentur. Qua in re oſtendit Deus, quam vnicè diligeret rationalem naturam, quamque eam ſibi caram haberet, illam Angelicis ſpiritibus præferens, eiq; meliora, & excellẽtiora ex abundantiſſimis theſauris ſuis bona pręparãs. Quorum illud fuit ſummũ omnem, & hominum, & Angelornm admirationẽ excellens, quod ipſam rationalem naturam ſibi decreuerit hypoſtaticè copulare, ſeq; per omnia humanis accommodare officijs, & vſibus, vna peccandi ratione prætermiſſa. Sed adhuc reſtabat illud, quod maximum erat, maiorique conſideratione digniſſimum. quænam ex tribus Sanctiſsimæ Triadis perſonis hoc ſibi tam grande munus eſſet aſſumptura. Certæ vſq; ad iſtud rationis ſignũ nullam fere poſſumus inuenire congruentiæ rationem, quæ ſe poſſet offerre Deo, ob quam filius potius quã pater, aut Spiritus ſanctus naturã & formã creatam indueret (legatur Athan. lib. de incarnatio. verbi.) At deinceps caterua tim Deo congruentiæ quamplurimæ ſe obtulerunt. Iam enim æqunm erat, vt ſapientia, per quam Deus humanam condiderat naturam, & vtrumque naturæ, & gratiæ conſtituerat ordinem, omnes ſui operis ruinas, mirabili, ſapientiſſimoq; artificio repararet. Et quod qui inordinato, & ſuperbo appetitu, Deo reſeruatam ſapiennam affectauerat, ipſam Dei ſapientiam nube humilitatis contectam, ad ſui reparationem, & remedium acciperet (videatur Bernardus ſerm. 1. de Aduentu.) Et quod Filius, qui in Sanctiſſima Trinitate medius eſt inter Patrem, & Spiritum ſanctum, natura indutus humana medium inter Deum & hominem teneret, mediatoriſque officium ageret. Et quod is, qui in ſinu integerrimi Patris filius eſt ſine matre, homo factus, filius ſit Virginis ſine patre. Et quod verbum patris cuius diuinæ voci non obtempetauerat primus homo, voces verè formet hnmanas homini accommodatiores, & quibus homo obtemperare aſſueſcat. Et denique, vt hominem in tenebris peccatorum latitantem, ipſe ſplendor patris in humana natura quaſi lampas accenſus humanis in cordibus mira radiatione illuſtraret. Deficeret me dies in huiuſmodi congruentijs, optimiſque, accommodatis rationibus enarrandis; Quæ continuo vt peccauit homo diuino ſe potuerunt conſilio offerre, vt vnigenitus Dei filius præ cæteris diuinis perſonis humanam carnem aſſumeret. Et ita in hoc poſtremo tarionis ſigno prædeſtinatus eſt Chriſtus, non ſolum vt eſſet homo, ſed & vt eſſet hominum redemptor, & ægrotanris naturæ humanæ medicus peritiſſimus, ac valde pius, & ſollicitus. Vnde prædeſtinatns eſt filius Dei in virtute, & In ſpiritu ſanctificationis, in reſurrectione mortuorum. In virtute, ad redimendum, fuit enim redemptio eximiæ virtutis opus, in ſpiritu ſanctificationis, ad ſanandum animæ ægritudines, exitialeſque morbos, qui nouo vitæ ſpiritu ab ægrotis animabus depellendi erant.

Et quia contagioſæ infirmitates illæ antiquæ ortnm habuerant in natura humana, neceſſarius fuit ſpiritus ſanctificans, qui ipſam mundaret à terra, terrenos ab ea affectus euellens, cœleſtiaque illi deſideria imprimens. Sed quoniam peccatum non ſolam animam infecit, & lęſit, ægramque reliquit, & miſeram, ſed & corpoream etiam accerſiuit mortem, prędeſtinatus fuit Chriſtus in reſurrectione mortuorũ, ideſt, cum virtute reparãdi corpoream vitam. Quod & tunc mirabili exequetur artificio, incredibilique potentia, cum *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* ad Philippen. 2. Quod fiet in illa die. *Quando alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.* Iſai. 30. Huc peruenit ratiocinationis noſtræ decurſus, & hic plane ſiſtet. Nam quæ ad prædeſtinationem hominum, qua in Chriſto, & per Chriſtum prædeſtinati ſunt, non libet deſcendere, dicam nonnulla ſequenti quæſtione.

Ex dictis infero primo, quod ſi ad illud decretum, quod in dinino intellectu primum eſſe diximus, attendamus: Deus quidem non veniret in mundum, ſi homo nõ peccaſſet propter cauſam iam expoſitam, non tamen veniret propter remedium peccati, ſi ſummo cum rigore dictionem, propter, ſumamus. Quia peccati remediũ medij quidem rationem haberet ad perfectam manifeſtationem diuinæ gratiæ, non vero finis rationem indueret: cum nullatenus fuerit præintentum, ſed duntaxat implicitum, & inuolutum in illa prima diuinæ voluntatis intentione, vt medium ad perfectam intenti finis conſecutionem neceſſarium.

Infero ſecundo, quod ex vi ſolius primi decreti iam expoſiti, infallibiliter quidem Deus veniret in mundum, non vero eſſet infallibilis filij Dei aduentus. Quoniam ex vi illius primi decreti nõ magis aduentus in mundum ad Dei filium, quam ad Patrem, vel ad Spiritum ſanctum attinebat. Neque vero eſſet infallibilis humanæ naturæ aſſumptio, ſi ad formalem præſertim illius decreti diſpoſitionem tantũ attendamus. Quoniam formaliter, & explicitè nulla fuerat facta mentio naturæ humanæ aſſumendæ, ſed naturæ duntaxat ad aſſumptionem congruæ. Virtualiter tamen & implicitè dicendum erit idipſum, quod de remedio originalis peccati diximus, nimirum, quod aſſumptio humanitatis medium erat requiſitum, vt perfecta fieret diuitiarum gloriæ, & gratiæ Dei communicatio, & oſtenſio. Nam perfectio conſummata oſtenſionis diuinæ iuſtitiæ, diuinæque miſericordiæ, in remedio originalis peccati faciendæ, ſuo iure poſtulabat, vt Deus reparaturus, & redempturus naturã humanã, non Angelicã naturã, ſed ipſam aſſumeret humanã. Vt homo qui peccauerat, ſatisfaceret Deo, & hãc iuſtæ, ſatisfactionis, & cõpenſationis gloriã, exuberans Dei miſericordia, non Angelicæ, ſed ipſi eidem humanæ naturæ cõcederet.

Tertio infero, quod non ſolum eſt concedendum eſſe, qnod filius Dei non aſſumeret humanitatem, niſi originis extaret peccatum, verum abſolutè, & omni cum ſermonis rigore concedi debet, filium Dei in mundum veniſſe propter remedium peccati, & ex amore, quo Deus humanum dilexit genus, quæ duo affirmant ſcripturæ ſacræ, & paſſim inculcant. Probatur iſtud conſectarium. Iuxta doctrinam à nobis ſtatutam, prius ordine rationis, quam decreuiſſet Deus filiũ ſuũ in mũdum mittere, pręceſſerant in diuino intellectu originalis peccati præſcientia, & in diuina voluntate intentio redimendi genus humanum, & reparandi totum illud malum, quod

originalis intulerat culpa: ergo veriſſimè aſſeritur Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe, filiumque Dei incarnatum, & propter remedium peccati, & ex ſpecialiſſimo amore, quo Deus ſpontanea voluntate humanam prædilexerat naturam. Neque obſtat huic veritati, & proprietati loquendi, quod ex vi primi decreti, in quo nulla remedij originalis expreſſa fuerat facta mentio Deus infallibiliter veniret in mundũ, cuius aduentus non eſſet in rigore ſermonis propter peccati remedium. Non inquam obſtat hæc obiectio, quo minus Chriſtus propriè dicatur veniſſe propter remedium peccati, quoniam in illo primo decreto non fuit prędeſtinatus Chriſtus niſi inchoatiuè. Ad eum modum, quo electorum prædeſtinatio inchoationem accepit in illa voluntate, qua Deus abſoluiè voluit naturam humanam redimere, & homines aliquot ad æternam vitam deducere. Ipſam autem Chriſti prædeſtinationem præceſſit expreſſa originalis culpæ cognitio, & explicita voluntas humanum genus reparandi, atque adeo veriſſimè aſſeritur Chriſtum prædeſtinatũ fuiſſe propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem. Ita vt dictio, propter, finem importet, non quidem præcipuum, ſed proximum, & intermedium, quod iam ſuperius explicuimus ſatis. Vnde hæc noſtra interpretatio proprietatem loquendi ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, & Patrum optima ratione ſaluat, & tuetur. Et notandum eſt obiter, quod in ſacris litteris nuſquam, quod ego ſcierent, habetur, Deum in mundum veniſſe, vt hominem à peccati ſeruitute redimeret, ſed in particulari de ipſa ſecunda Trinitatis perſona ſemper loquuntur ſcripturæ ſacræ, quod vel ex circunſtantijs, ex antecedentibuſque, & conſequentibus colligitur, vt ſunt multa, quæ habentur in illo Zachariæ Cãtico, quod incipit *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, vel expreſſis continetur verbis, vt ex locis ſupra citatis colligi poteſt, vbi dicitur, quod venit filius hominis quærere quod perierat, & quod miſit Deus filiũ ſuum factum ſub lege, vt ſub lege exiſtentes redimeret. Et quod ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuũ vnigenitum daret. Et denique, quod proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum Quę omnia maxima cum proprietate ſermonis accipi debent, & iuxta ea, quæ nos diximus ita ſunt accipienda. Non tamen tãta cum ſermonis proprietate acciperentur, ſi non de filio in particulari, ſed de Deo vt tribus perſonis communi procederent. Nam primum illud decretum, quo diſpoſitum fuit, vt Deus creatam aſſumeret naturam, non præſuppoſuit, vt diximus intentionem redimendi humanum genus; quamuis illam voluntatem inuoluit, & implicuit. Fateor, quod poſſet verificari talis loquendi modus ad Deum tribus perſonis communem comparatus, quatenus electio illa aſſumendę naturæ, qua Deus humanam Angelicæ prætulit, vtrumque præſuppoſuit, & peccati præſcientiam, & redimendi voluntatem. Sed adhuc proprior eſt illa loquutio, cum ad Dei filium in ſpeciali refertur. Et ob id hæc à nobis excogitata ſententia tantiſper placet, quia videtur magis accommodata, ad ſaluandum rigorem, omnemque ſermonis proprietatem in modo loquẽdi ſcripturæ ſacræ, Conciliorum, & Patrum, & ad explicandum, quantopere Deus dilexit hominem, & ad manifeſtandum ipſa viſcera miſericordiæ eius in quibus viſitauit nos, oriens ex alto.

Sed non libet eas difficultates diſſimulare, quæ huic ſententiæ obſtare poſſunt. Nam primum poſſet obijci nouitas, quæ regulariter ſolet eſſe de veritate ſuſpecta. Secundo obijci poterit id, quod opponunt communiter nouiores Theologi Caietan. quod in illa ſua interpretatione à nobis ſuperius relata, ordinem intentionis, cum executionis ordine confundat, cum tamen intentionis ordini contrarius ſit ordo executionis. Intentio namq; à fine incipit, & ad media terminatur, contra vero executio inchoat à medijs, & in ipſa finis aſſecutione ſiſtit. Hoc namque vitium noſter hic diſcurſus incurriſſe videtur. Quoniam intentionis ordo poſtulare videbatur, vt poſito illo primo communi, & vniuerſali decreto in Dei mente, non de ordinis naturalis diſpoſitione primũ tractaret Deus, ſed mox diſponeret ea, quæ ad hypoſtaticam vnionem attinebant. Tertio denique illud ipſum argumentum noſtram hanc labefactat intelligentiam, quod nos Caiet. doctrinæ oppoſuimus, videlicet, quod permiſſio originalis peccati nõ potuit eſſe rationabilis, ſi leges communis, & ſuauis prouidentiæ conſulamus, niſi præſuppoſuerit Chriſtum prædeſtinatum in remedium ipſius peccati, & in humani generis redemptionem. Eo quod tantũ illud malum non debuit permitti niſi propter maximum aliud bonum: quod iam Deus haberet diſpoſitum, & paratum. Hæc argumenta ſuo ordine ſunt à me diſſoluenda.

Primum quidem argumentum facilis eſt expeditionis, tum quia, vt ſuperius aduerti, etſi ſententiam iſtam non legerim expreſſam, debitaque ratione expoſitam, legi tamen & audiui à viris doctis inſinuatam, & quaſi in ſuo primo fœtu conſtitutam, quam proinde, vel clamando, vel lambendo, in animatam formam deducere, ſumus conati. Tum præterea, quod modum quidem nouum præſefert hæc noſtra explicatio, ſed veterem, & antiquam doctrinam amplificat. Magnus autem ille & antiquitate, & authoritate Perilluſtris Vincentius Lyrenenſis in ſuo aureo libello, quod aduerſus prophanas hæreſum nouitates inſcripſit; noua prohibuit dicere, nouiter autem dicere conſuluit. Et hęc primo argumento ſufficiant.

Ad ſecundum reſpondeo, quod neque Caiet. diſcurſus, qui, ni fallor, cum hac noſtra interpretatione omni fere ex parte coincidit, neque noſtra præſens ratiocinatio vitio illi incuſari debent, nimirum, quod ordinem intentionis cum ordine executionis confundat. Nam præſuppoſita illa communi intentione, qua Deus bonitatem ſuam, maieſtatemque, & gloriam ſummo decreuit modo & manifeſtare, & communicare. Quam intentionem Caiet implicitè expoſuit, & nos explicuimus in ipſa Dei mente reperiri, continuo licuit Deo ad ordinem executionis diſponendum tranſire. Quoniam communicatio tribus illis modis ſæpe connumeratis facienda, rationem ſortiebatur totalis medij ſub illa communi intentione contenti. Qui autem de medijs tractat, ordinem executionis neceſſe eſt attendat. Neque quicquam aduerſus nos efficiet, qui, huic inſiſtendo difficultati, dixerit. Quod licet tres prædicti ordines ad illum communem finem comparati vnius totalis medij conditionem induant, debuit tamen inter

ipſos

ipſos partialiter conſideratos debitus ſeruari ordo, ita vt is qui perfectiſſimus eſt, finis teneat locum ad alios comparatus. Atque adeo voluntas ab eius intẽtione ad alios deſcendat, vt à fine ad media.

Huic enim obiectioni ſic reſpondeo. Quod ille ſupremus communicationis modus, qui hypoſtatica fit vnione, non ita finis eſt alterius vtriuſque communicationis, qui ad naturæ ordinem, & gratiæ ſpectat, quod ab eo ſit neceſſario deſumenda ratio bonitatis, & conuenientiæ per comparationem ad finẽ præcipuum, & vltimum à Deo intentum.

Nam, vt oſtendi ſuperius, in quolibet iſtorũ ordine potuit diuina bonitas & maieſtas demonſtrari abſque dependentia ab hypoſtatica vnione, ſaltem ſubſtantialiter. Vnde non fuit neceſſe, quod poſt primam illam communem intentionem, poſt primũq; illud vniuerſale decretum, Deus inciperet ſuæ communicationis negotium ab ordine hypoſtaticę vnionis, cum illa communis intentio non eſſet neceſſario accommodanda ad inferiores gratię, & naturæ gradus mediante vnione hypoſtatica, ſed immediatam ad quemlibet gradum iſtorum trium habitudinem haberet, & ſine dependentia ex parte finis vnius ab alio. Non ineptum huius rei afferri poteſt exemplũ in Principe, qui vt magnificentiam ſuam, magnamque diuitiarum copiam oſtendat, inſigne pararet conuiuium tribus diſtinctum ordinibus. In quorum infimo vulgares, & plebei locarentur homines, in ſecundo viri nobiles ciuitatis, in tertio tandem & ſupremo Principes & Magnates Regni.

Certum eſt, quod ſuppoſita illa Intentionẽ magnificentiam gloriæ ſuæ oſtendendi, non eſſet neceſſe, vt inchoaret diſpoſitionem conuiuij ſaciendi à ſupremo gradu, à menſaque præcipua magnatum, quamuis huius menſæ diſpoſitio magis ſine dubio eſſet à Principe intenta: ſed quia nulla eſt dependentia aliorum graduum ab iſto primo, neque aliarum menſarum ab iſta, nulla eſſet neceſſitas inchoandi ab hac præcipua conuiuij parte. Similiter eſt in præſentia dicendum, imo multo cum maiori ratione. Nam conueniens procedendi ordo, ipſiſque rebus accommodatus poſtulabat, vt primum inchoaret Deus ab infimo naturali ordine, quia ab ipſo pendebat tanquam à fundamento tota diuinæ bonitatis communicatio per gratiam, & per hypoſtaticam vnionem faciendam: Inde enim debuit totus diſpoſitionis rerum ordo deſumi, vnde ſe offerebat dependentiæ habitudo. Dixi quod ſecundum ſubſtantiam iſte ordo debuit ſeruari.

Nam ſi perfectionem diuinæ communicationis attendimus, vterque ille ordo naturæ, & gratiæ ab hypoſtatica vnione pendebat. Sed quoniam non à perfectione accidentaria, ſed à ſubſtantiali erat inchoandum: Idcirco ita noſtro more, & concipiendi, & loquendi diuinæ mentis proceſſum diſponimus. Quod poſt illud generale, & commune decretum, immediatè tractauit Deus de communicatione pertinente ad ordinem naturæ, diſponendo nõ omnia, quæ ad huius ordinis perfectionem attinebant, ſed ea duntaxat ex quibus primaria & ſubſtantialis vniuerſi, tum viſibilis, tum inuiſibilis conſtitutio neceſſario pendebat.

Nam hæc erat fundamentum neceſſarium ad gratiam, imo & ad hypoſtaticam vnionem, quia Deus non intendebat illam ſeparatim, & ſeorſum à naturæ & gratiæ ordine, ſed vt vtrique potius coniunctã, & vt perfectiuam & conſummatiuam vtriuſque.

Et ſimiliter conueniens fuit, vt poſt hanc primariam vniuerſi diſpoſitionem, immediatè tractaretur de ipſo gratiæ ordine. Tum quia proximior eſt ordini naturali. Tum etiam, quia ordo hypoſtaticæ vnionis illum vt perficiendum præſupponebat. Et tandem vltimo deueniretur ad tractandum ea, quæ vnionem hypoſtaticam concernunt. Hic fuit debitus procedendi ordo, vt apparet immediatè poſt illud commune decretum, & poſt intentionem illius finis, qui etſi communiſſimus ſit, & vniuerſaliſſimus eſt tamẽ proprijſſimus Deo. Sed hoc peracto diſcurſu, qui ſubſtantialem tantum attendebat diſpoſitionem, ordine retrogrado procedendum erat ad perfectionem, & conſummationem in prædictis diuinę communicationis gradibus conſtituendam.

Nam in huiuſmodi perfectione ordo naturæ gratiæ ab hypoſtanca pendent vnione, atque adeo ſub hac perfectionis ratione vnio hypoſtatica locum debuit habere finis pœnitenti ad vtrumque ordinem, & naturæ, & gratiæ.

Cęterum illud primum originale peccatum, quod Deus præuidit ſubſtantiali ordini gratiæ, imo & naturæ contrarium, intercluſit diuino intellectui aditum, quo pertranſiret ad hunc perfectionis ſtatuendæ progreſſum. Sed neceſſario fuit Deo (ſi ita nobis fas eſt loqui) gradum ſiſtere, & alia tendere via, via nimirum reparationis. Vnde prius tractauit de reparatione in vtroque ordine & gratiæ, & naturæ facienda, quam deſuper addenda aliqua perfectione operi conſtituto. Fateor quod talẽ voluit reparationẽ adhibere, vt ſimul eſſet & completa reparatio, & conſummatiſſima, abſolutiſſimaque perfectio: vt poſſet doctiſſimus Apoſt. Rom. 5. dicere *non ſicut delictum ita & donum*. Et paucis interiectis. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*. Et ex his ſupereſt plenè ſolutum argumentum ſecundum noſtræ intelligentiæ, & interpretationi obiectum.

Sed iam tertio argumento occurramus, quod nõnulla nos difficultate premit.

Cui primum reſpondeo, quod cum in illo primo communi decreto implicitè, & virtualiter comprehenderetur voluntas efficax redimendi genus humanum, & quidem redemptione ſuperabundanti, & copioſa, iam fuit locus permiſſioni diuinæ, qua originale permiſit peccatum. Quod citra dubium Deus non permiſiſſet, niſi in illo primo decreto præincluſum habuiſſet tale remedrum.

Sed reſpondeo ſecundo, vel potius explico ſolutionem priorem. Quod in ipſa prima vtriuſque ordinis, naturæ, & gratiæ ſubſtantiali conſtitutione voluit Deus oſtendere quid poſſit natura, quidue poſſit gratia. Decreuitque & Angelis & hominibus ob oculos ponere ſuæ vtriuſq; naturæ debilitatẽ erga diuina, & oſtendere quanta eis ſit indigentia diuini adiutorij & auxilij, quamque verum ſit id quod poſtea dixit Apoſt. non longe ab hoc intento loquẽs. *Itaque qui ſtat videat ne cadat*. Et hoc vt Deus luce clarius oſtenderet, tam grandem in Angelis permiſit ruinam, & quidem non in inferioribus tantum ſpiritibus, ſed in eorum ſupremo, ac proinde naturę, &

gratiæ

Digitized by Google

gratiæ donis omnium excellentiſſimo, vt ego cum Magno Gregorio, & alijs clariſsimis auctoribus, ſentio, vt qui in officio perſeuerarunt, & ad eum peruenerunt finem, quem Deus omnibus æque propoſuerat Angelis: non ſibi ipſis, ſuæque naturali virtuti tantam tribuerent perſeuerantiam; atque in ſemetipſis gloriarentur, ſed ſub potenti manu Dei humiliati omnia bona ei referrent accepta, & in maximas gratiarum eius prorumperent laudes. Hominem autem mirificè exornatum, clariſſimiſq; donis præditum, quæ Eccleſiaſt. 17. connumerantur, ita reliquit in manu conſilij ſui poſitum, quod dedit ei tamen ſufficientiſsimum auxilium vnde perſeuerare poſſet, ſi vellet, & ſe in officio virtutis continere, ſed quoniam, vt Auguſt. verbis vtamur, vnde perſeueraret illi non eſt datum, ideſt, non fuit illi conceſſum efficax auxilium, quo actu vellet Dei gratia, diuiniſque donis, & adiutorijs vti, breuiſsimo ſtetit tempore, citiſſimè ruit, & ab illo feliciſſimo, eminentiq; innocentiæ, & iuſtitiæ ſtatu, in miſeram & calamitoſam deſcendit inferni ſeruitutem. Ita vt non immerito Chriſtus ipſum comparauerit ei, qui à Hieruſalem in Ierico deſcendens (qui plane deſcenſus in ſacris ſcripturis in malum, quam ſæpius ſonat) in latrones incidit, qui eum gratuitis ſpoliauerunt donis, & in naturalibus lacerauerunt miſerè. Ita vt plagis impoſitis ſemiuiuum relinquerent. Quod eo ſane factum eſt, ob idque Deus maxime ſua prouidentia vtens tantum permiſit malum, vt cœlo, terræque conſtaret, quam debiles ſint vniuerſi rationalis naturæ conatus, vt Deo non ſpecialiſſime opitulanti, aſſurgere valeant ad cœleſtia inſequendum bona: quamque parum fœlices neceſſum eſt habeant exitus hi vitæ æternæ candidati, qui ſuæ naturæ viribus, ſuæque induſtriæ freti aliquid moliuntur, & tentant. Et vt cognoſcerent homines ex primo parente propagandi, quod ſi homo in terra pacis vndequaque vallatus, munitus, & circunſeptus, ſecurus non fuit, quid poterit illis accidere, qui ſunt in ſuperbia Iordanis conſtituti, niſi ſpecialiſſima Dei ope defendantur.

Sed ad ſolutionem præcedentem reuertamur, quam minime excludere, ſed præſupponere intendimus, iuxta quam credimus, Illud quoque Deum voluiſſe, ſaltem implicita voluntate, vt cum Deus homo factus gratiam conferret hominibus, virtus gratiæ per ipſum donatæ manifeſtior appareret: miriſque ſplendeſceret modis, cum ad ipſam protoparentis gratiam innocentiæ, iuſtitiæque præſidijs munitam comparata, multo excellentior, illuſtrior, potentior, ac fortior, vel ipſo experimento monſtrante cognoſceretur. Quam rem inſinuare tantum decreui, quia memini me ſuperius quæſtione præcedenti articulo tertio dubio vltimo, non nihil amplius de excellentia gratiæ per Chriſtum collatæ dixiſſe. Propter has omnes igitur cauſas rationabiliſsima, prudentiſsimaque, ac omni iuſtitia & æquitate plena fuit illa diuina primi peccati permiſsio, quæ & in eximiam, auguſtiſsimamque Dei gloriam, & in magnam naturæ humanæ vtilitatem, præclaramque ipſius dignitatem ceſsit, de qua re legantur Cyril. lib. 8. theſ. cap. 1. & Athan. or. 2. contra Aria. ex quibus hæc noſtra intelligentia poterit facili opera deſumi: & ex oratione etiam 3. Athanaſ. contra Arian. Præſupponunt enim hi Patres Chriſtum non propter ſe primo, ſed propter nos veniſſe, ideſt, propter remedium noſtrum, quod aliquo modo etiam per modum finalis cauſæ præceſsit in Dei mente ipſum Chriſti aduentum.

Et hactenus dictum fuerit de ſententia S. Thom. & ipſius intelligentia. Illud duntaxat aduertere oportet, nos in concluſione quarta, in cuius expoſitione tam late noſtra diffuſa eſt diſputatio, non caſu, & temere, ſed conſulto potius de originali tantum peccato mentionem feciſſe. Quia licet Chriſtus non ſolum voluerit nos ab originali culpa redimere, ſed ab vniuerſis, & mortalibus, & venialibus, vt ex his, quæ diximus verſus finem præcedentis quæſtionis poterit conſtare, pro qua re lege Concil. 6. Tolet. c. 1. & S. Leon. epiſt. 8. Et ijs quæ ſuperius dixi, hanc vnā addam rationem, quæ conuincit falſitatis, & erroris contra fidem, ſententiam, quæ negauerit Chriſtum pro venialibus, & pro pœnis ſatisfeciſſe. Sacramenta ſecundum fidem applicant nobis virtutem paſsionis Chriſti, meritorum eius, & ſatisfactionum. Et ob id fontes Saluatoris Iſa. cap. 12. appellantur. Sed ſacramenta præſertim baptiſmus & pœnitentia vim habent ad mortalia, & venialia remittenda, atque eadem pœnas omnes. Quod in Concil. Trid. & in Eccleſiæ traditione, & in Patrum doctrina reperiet facilè Theologus eſſe manifeſtum: ergo, &c. Pręcipuè tamen in remedium originalis peccati, quod totam naturam infecit, Chriſtus in mundum venit. Et ita Ioan. 1. vbi noſtra lectio habet. *Ecce qui tollit peccata mundi*. Græci Patres communiter legunt, *peccatum mundi*, videlicet originale. Quod S. Thom. 3. par. q. 1. art. 4. docuit, & clarius in 3. diſt. 1. & opuſculo 10. cap. 28. & opuſculo 22. cap. 13. Et quidem licet alia ſint peccata intenſiuè grauiora, & tota peccatorum mortalium collectio maiorem malitiæ grauitatem importet, quam ſola originalis culpa, nihilominus conuenienter aſſeritur, Chriſtum propter remediū originalis peccati potius veniſſe, quam in remedium omnium aliorum, etiam ſi collectiue ſumantur. Quia fuit peccatum commune, vt dicebam, totam humanam inficiens naturam. Et ita ſicut bonum generis, magis eſt procurandum, & promouendum, quam particulare, & priuatum quodcunque bonum. Ita malum commune maiori cura repellendum eſt, quā quodcunque priuatum malum, etiam ſi intenſiuè maius ſit, & grauius. Tum etiam, quia originis peccatum radix fuit, & ſeminarium omnium peccatorum, & ex hac parte multo pernitioſius quocunque alio peccato, quantumcunq; graui, & enormi. Et ob id in ſcriptura ſacra appellatur quandoque peccata, Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Præterea id volui dicere in cōcluſione, quod Chriſti prædeſtinationem anteceſſit quidem peccati originalis præſcientia in diuino intellectu, non vero neceſſum eſt dicere, quod præceſſit etiam præſcientia aliorum peccatorum.

Poſſet hic diſputari, an ſi Adam non peccaſſet, incarnatus eſſet filius Dei in remedium peccatorum alicuius, vel aliquorum hominum.

Cui dubitationi reſpondeo. Satis eſſe veroſimile, & quantum opinor certum, quod ſi vera eſt S. Tho. doctrina, aſſerentis Chriſti prædeſtinationem non

factam

Digitized by Google

factam fuiſſe per ſe primo in exaltationem, & gloriam humanæ naturæ, ſed in remedium naturæ eiuſdem per peccatum infectæ, Chriſtus non veniret niſi originali peccato extante, quia remedium naturæ ab originali peccato fuit totalis cauſa aduentus Chriſti, totalem voco cauſam, in ſenſu quem expoſui ſuperius, nimirum, quod aliæ omnes quæcunque numerari poſſint, ad hanc cauſam tanquam ad primam, & radicalem reducantur.

Si vero Chriſti prædeſtinatio alio modo fuiſſet facta, ita quod Chriſtus veniſſet nullo extante peccato, ego cenſerem, quod non mutaret incorruptibilitatem corporis, eiuſque immortalitatem toti naturæ communem: corpuſque mortale, & corruptibile aſſumeret propter remedium alicuius hominis, vel aliquorum, qui in illo ſtatu peccaſſet. Quoniam tam excellens beneficium, puta quod Dei filius ſeipſum exinaniret, ſeruilem formam accipiens, vt in ea moreretur, non debuit fieri niſi propter excellens bonum, quale eſt bonum gentis, & toti naturæ commune, ne ſcilicet tota gens pereat. Iuxta notiſſimum Caiphæ vaticinium, & ſi verum ſui decreti ſenſum ignorantis. Et quidem in illo ſtatu, in quo perſeueraſſet innocentia, & originalis iuſtitia in paucioribus, vt rationabiliter apparet hominibus, peccatum contingeret, quia ab intrinſeco nulla, ab extrinſeco vero non tot ſe offerrent homini ad peccandum occaſiones, quot ſe illi corruptæ naturæ ſtatui paſſim offerunt.

Sed cenſeo præterea, & ſi cum formidine, quod ſi ſupponamus Chriſtum in illo ſtatu venturum, ita quod eſſet viator, capaxque proinde meriti: offerret ſua merita in ſufficiens remedium pro peccatis eorũ hominum, qui in ſtatu illo deliquerent. Quod quidem ego aſſeueranter dicerem, & non ſub ea formidine, qua reuera dico, ſi Chriſtus in illo ſtatu capax eſſet ſatisfactionis offerendæ Deo. Sed ſatisfacere non poſſet, quia ratio ſatiſfactionis, non ſolam operis bonitatem, ſed aliquam etiam pœnalitatem exposcit, vt communiter Theologi in 4. diſt. 19. dicere ſolent, cuius pœnalitatis Chriſtus tunc non eſſet capax, cum immortale corpus, & incorruptibile indueret. At remedium pro peccato, non tam conſtat merito, quam ſatisfactione, per quam fiat compenſatio pro iniuria Deo illata. Vnde non poſſum certam in hac parte proferre ſententiam. Quamuis non improbabile cenſeam, quod Chriſti meritum in illo ſtatu ęquiualeret, propter ſui infinitatem, ſatisfactioni debitæ pro peccato.

S. Chryſoſt. & Theophila. ſuper illa verba Paul. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro mę*, ad Gala. 2. videntur dicere, quod etiam ſi vnus tantum homo peccaſſet, Chriſtus pro ipſo moreretur. Cæterum non apertè id dicunt, neque vero illa Paul. verba ad id dicendum nos cogunt. Habent enim illam explicationẽ legitimam, quod Chriſti paſſio tam prodeſt cuicunque noſtrum, atque ſi Chriſtus pro quolibet noſtrum in particulari mortuus eſſet, vt S. Tho. 3. par. quęſt. 1. art. 4. ad 3. Chryſoſt. lib. 2. de compunctio. cordis luculenter explicuit. S. Dionyſ. in Epiſto. ad Democrit. mentionem facit reuelationis factę cuidam S. Carpo, in qua Chriſtus ei dixit, ſe paratum eſſe iterum ad moriendum pro hominibus, ſi oporteret. Verũ hęc reuelatio, ſi vt certa admittitur, ea habet ſufficientem explicationem, quod Chriſtus erat paratus mori pro hominibus, ſi alia ſimilis ſuperueniret eis neceſſitas, videlicet peccatũ, quod totã iterũ inficeret naturam, ſicuti eam originale peccatum infecit. Sed de iis, quę tam incerta ſunt rebus, de quibus non poſſumus certum & determinatum proferre iudicium, quia principiis ad iudicandum ſufficientibus caremus, hęc pauca dixiſſe ſat fuerit.

§. 11. *Quinta Concluſio.*

NOn licet affirmare Chriſtum in carne paſſibili, & mortali venturum, ſicut venit de facto, non extante originis peccato: abſque vllo tamen erroris aut temeritatis periculo dici poteſt, quod alio modo, puta, impaſſibili veniret: ſed abſolutè nihilominus concedere debemus, quod Chriſtus propter humani generis redemptionem, & ſalutem in mundum venit.

Prima huius concluſionis pars adeo eſt certa, vt oppoſitum eſſet manifeſtus error in fide. Docent eã vniuerſi Theologi, quę manifeſta eſt ex teſtimoniis ſacrarum literarum, Conciliorum, & Patrum, quæ ad probandas duas pręcedentes concluſiones attulimus, quę ſi non probant Chriſtum abſolutè non venturum niſi extaret originale peccatum (quod ſatis probabiliter ſuadent) probant tamen efficaciſſimè, quod ſaltem non veniret in forma ſerui, & in mortali corpore, Neque oportet huius veritatis maiores aut plures probationes afferre, quoniam teſtimonia citata illam probant ſufficiẽtiſſimè, aliquot in 3. huius concl. parte ex Patribus addam loca, quę adnotari debent pro iſta 1. concl. parte.

Secunda vero pars concluſionis ab vniuerſis doctiſſimis cõceditur. Quam vnus Vldericus, quem refert Dionyſ. Carthuſ. in 3. diſt. 1. q. 3. negauit, aſſerẽs S. Tho. ſententiam adeo certam eſſe, vt eius oppoſitum ſit pluſquam temerarium, ſed hic Author ſingularis fuit in hac rigoroſa ſententia. Nam omnes alii Theologi, ipſe etiam S. Tho. vt ſupra retulimus, docet illam ſententiã, quam poſtea affirmauit Scot. eſſe probabilem. Et quidem rigoroſum eſſet plus nimio, non probabilem eam cenſere ſententiam, quã viri grauiſſimi vt veram: vel vt valde probabilẽ tuentur. Inter quos annumerari debet Alex. Alenſ. Nam licet aliquando viſus fuerit ſententię S. Th. adhęſiſſe, aut ſaltem non repugnaſſe, ſed tandem in ſententiam propendit Scot. in 3. par. q. 2. membr. 13. Si autem quęras in qua Chriſtus veniret carne, ſi non peccaret homo. Aliqui dicunt, quod in carne impaſſibili & glorioſa, qualis eſt ea in qua reſurrexit, & ad dexteram Patris ſedet, ac proinde fatentur, quod Chriſtus neq; viator eſſet, neq; mereri potuiſſet. Alii vero, & probabilius mea ſententia, dicũt, quod veniret in carne eo modo impaſſibili, quo homines eam habuiſſent in primo innocentię ſtatu, atq; adeo capax eſſet meriti, ſicut fuit Adam. Ob id cenſeo hoc ſecundum dici probabilius, quia primum accedit ad ſententiam, quę dicit Chriſtum fuiſſe prędeſtinatum in carne glorioſa venturus. Quod eſt dictu intolerabile, vt ſuperius oſtendi.

Tertia vero eiuſdem concluſionis pars mihi apparet omnino vera, quoniam ſiue ſcriptura ſacra, Concilia, & Patres iſto, ſiue illo modo probabiliter

expli-

explicentur, oportet tamen vt nõ diſcedamus à modo loquendi ipſius ſacræ ſcripturæ, Conciliorum, & Patrum. Conſtat autem ex præcitatis teſtimonijs in ſacris his omnibus libris abſolutè, & ſimpliciter proferri, Chriſtum veniſſe in mundum in peccati remedium. Nam cum dixit Ioan. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſũ non pereat, &c.* non dixit paſſibilem aut mortalem daret, ſed abſolutè daret. Præterea Patrum teſtimonia, quæ ſuperius in huius veritatis confirmationem retulimus, legendi ſunt. Hierony. in cap. 7. Eccleſiaſt. vbi ita inquit, *Quia homo infixus peccatis maiori indiguit auxilio, venit ipſa ſapientia, &c.* Chryſoſt. homil. 3. in Luc. circa parabolam de Samaritano, Gregor. Nazianz. in oratione 38. fere per totam. Damaſcen. lib. 3. c. 1. & lib. 4. c. 4. Theophilat. in illud Ioann. 3. *Deus dilexit mundum, &c.* Iuſtin. de vera fidei expoſitio. S. Dionyſ. lib. 3. cœleſt. hyerar. par. 3, verſus finem, Lactant. lib. 4. de vera ſapientia cap. 24. & 25. & denique nullus eſt inter Patres, & Authores graues, vno forſan excepto Ruperto Abbat. (qui non immerito inter graues Authores eſt recenſendus) qui docuerit Scot. ſententiã. Imo nullus eſt, qui non expreſsè affirmauerit ſententiam S. Thom. Non deſunt, qui Irenęum pro ſententia Scot. Idcirco referant, quia lib. 3. cap. 33. ita dixit. *Prædeſtinante Deo primum animalem hominem, vt à ſpirituali ſaluaretur. Nam eum præexiſteret ſaluans, oportebat, quod & qui ſaluarentur fierent, vt non vacuum eſſet ſaluans.* Quibus verbis dixiſſe videtur Chriſtum prius fuiſſe prædeſtinatum, quam Deus decreuerit efficere primum hominem: atque adeo quod fuerit prædeſtinatus ante originalis peccati præſcientiam. Sed certe Irenęus in locis ſupra citatis manifeſtè ſuam explicuit mentem pro S. Thom. ſententia, & verbis nunc citatis eandem inſinuat, in eo, quod dicit Chriſtum prædeſtinatum Saluatorem, ideſt, Redemptorẽ, loquebatur enim de illa ſalute, ex qua Chriſto impoſitum fuit Saluatoris nomẽ, nimirum Ieſus, quod nomen vocatum fuit ab Angelo, quia ipſe ſaluum facturus erat populum ſuum à peccatis eorum. Cum autem Irenęus dixit, quod oportebat fieri, qui ſaluarentur, &c. hæc verba vel non referuntur ad primũ hominem, ſed ad alios ipſius primi hominis filios, vel, ſi de primo homine intelliguntur, illud verbum, fieri, idem pollet, quod prędeſtinari, nam quia reprobi nihil ſunt in Dei æſtimatione, neque eos nouit dominus approbationis notitia; idcirco grauiſsimus iſte Pater pro eodem reputauit fieri homines, qui ſaluarentur per Chriſtum, atq; prædeſtinari in Chriſtum, & per Chriſtũ. Colligitur hæc explicatio ex illis verbis. *Prædeſtinante Deo primum hominem animalem, vt à ſpirituali ſaluaretur.* Vel tãdem dici poſſet ſenſum Irenęi hunc eſſe, quod poſtquam Deus ab æterno Chriſtum prædeſtinauerat Saluatorem, neceſſum erat neceſsitate conſequentiæ, quod in tempore produceret homines ſaluandos, ſiue primum hominem, ſiue alios. Qui ſenſus eſt veriſſimus. Sed adhuc non caret difficultate explicatio Sanctorum Patrum. Nam ſi Patres nihil aliud intellexerunt, quam quod Chriſtus propter peccatum, & in eius remedium in carne venit mortali, & paſſibili, qua ratione tam ſine diſtinctione, tamque ore pleno dixerunt Chriſtum non venturũ, niſi homo egeret remedio? Dicunt aliqui docti, quod certè Patres tam ſunt in hac parte abſolutè, & indiſtinctè loquuti, tamque in fauorem ſententiæ S. Thom. quod ſi ſcriptura ſacra tam apertè in eius fauorem loqueretur, non poſſemus integra fide ab ipſa S. Thom. ſententia recedere, verum hic modus dicendi à me nullatenus probari poteſt. Nam qui fateretur omnes Patres, quorum retulimus teſtimonia, ſeotentiam S. Thom. affirmanter docuiſſe, valde temerarius eſſet ſi contrarium eius aſſeueraret. Imo & erraret in fide: concors enim Patrum ſententia in explicatione alicuius ſcripturæ ſacræ teſtimonij certum in fide facit illum ſenſum fuiſſe à Spiritu ſancto intentum.

Si ergo Patres tam vnanimi conſenſione illa ſuperius à nobis citata ſcripturæ ſacræ teſtimonia in eo ſenſu explicuere, quod non extante hominis peccato filius Dei nullo modo in humanam carnem veniret, certa fide teneremur credere hunc eſſe legitimũ illarum ſcripturarum ſenſum.

Quocirca dicendum eſt, quod Sancti Patres in omnibus illis locis, in quibus fauere videntur ſententiæ Sanct. Thom. nihil aliud docuerunt, quam quod Chriſtus originali peccato non extante, non moreretur, neque carnem proinde paſſibilem & mortalem indueret.

Et cum in ſcripturis ſacris hoc nomen, caro, regulariter deſignet carnem non abſolutè, ſed ſubiectam paſſionibus, & miſerijs per peccatum originale introductis, in quo ſenſu communiter ſacrorum Bibliorum interpretes intelligunt accipi carnẽ in primis verbis noſtri prothematis, ſcilicet, *Verbum caro factum eſt.*

Hinc fit, quod Sancti Patres intendentes docere Chriſtum non venturum in carne paſſibili originali peccato ſemoto putauerunt ſe hunc ſenſum ſufficienter explicare, vtẽdo hoc nomine carnis, aut nomine ſanguinis, quod ſimilem etiam intelligentiã habet.

Quibus vocibus Patres quam ſæpius vtuntur, aut alijs ſimilibus, ex quibus hæc eorum intelligentia ſatis poteſt veroſimiliter colligi. Verum quare tam abſolutè, & tam abſque aliquo diſtinctionis limite affirment, Chriſtum, niſi peccaret homo, non vẽturum in mundum, non ſatis adhuc eſt explicatum.

Dicunt aliqui Theologi, quod quemadmodum ſi quis ſtatuto decreto, efficacique voluntate decreuerit Romam venire, præſcius tamen, quod vocandus eſſet ab amico Romæ exiſtenti: & ob id differret Romam venire, vſque ad ipſam amici vocationem, quam certo ſcit eſſe futuram, verè diceretur venire, quia vocatus, & quod alias non veniret. Ita Chriſtus dicitur veniſſe propter noſtram ſalutem, & in peccati remedium: & non venturus niſi inſtaret remedij noſtri neceſſitas. Quia licet decretum, & ſtatutum apud ſe habuiſſet in mundum venire, nulla conſideratione habita ad peccatum humani generis, ad eiuſque reparationem, & remedium, præſcius tamen futuri caſus totius humanæ naturę diſtulit aduentum vſque ad tempus opportunum, in quo homines à peccato redimeret, ab eiuſque miſeria liberaret. Cæterum hæc expoſitio nonnihil apparet violenta: quoniam certe valde impropriè homo ille, de quo exemplum procedit diceretur venire Romam cauſa amici vocantis, cum nulla vocationis eius

conſi-

Digitized by Google

conſideratione habita efficaci voluntate decreuerit Romam proficiſci. Et adhuc improprius loqueretur qui diceret, hominem illum non venturum eſſe Romam, niſi fuiſſet ab amico vocatus: cum antequam præſcius eſſet futuræ vocationis decretum haberet Romam pergere.

Dicunt alij idcirco tam abſolutè Patres dixiſſe, & ſcripturam inſinuaſſe, quod ita Chriſtus venit in peccati remedium, quod peccato ſemoto non veniſſet in mundũ, quia ita Chriſtus animatus erat adhuc in ſinu Patris exiſtens, ita affectus ad hominum gloriam, & exaltationem, vt cum primum originalem maculam in humana natura exiſtens præuidit: ita decreuit venire in mundum, vt remedium afferret homini, quod ſi in alio priori ſigno non habuiſſet apud ſe ſtatutum, & decretum hominem fieri, tunc primum illud ipſum ſtatuiſſet, & decreuiſſet, & ita quaſi denuo ſtatuit.

Verum hic dicendi modus ſufficientiſſimus plane eſt ad ſaluandum proprietatem ſermonis illius, qui familiaris eſt ſcripturis ſacris, nimirum Chriſtum in remedium peccati veniſſe, & propter hominum redemptionem.

Nam illa animi præparatio, quam modus iſte dicendi non irrationabiliter commentatur in Deo, (dum tamen omnis ſucceſſionis, & mutabilitatis ſecludatur imperfectio) ſufficiens eſt ad hunc modum loquendi omni cum proprietate verificandum. Quemadmodum Philoſophus cui ratione naturali antequam ad fidem veniret, conſtabat Deum eſſe omnipotentem & vnum, poſtquam fidem Chriſti accipit, non impropriè dicitur fide tenere veritatem eandem: quatenus paratum habet animum, vt quamuis ceſſaret omnis ratio ex lumine naturali deſumpta, quæ illi prædictam veritatem oſtenderet, eam nihilominus certa fidei perſuaſione amplecteretur.

Cæterum præfata illa animi præparatio in Deo, & noua complacentia decreti præhabiti, ex cuius vi Chriſtus in mundum eſſet venturus: nullatenus ſufficit, vt cum proprietate dicamus, Chriſtum non venturum in carne, ſi natura humana non indiguiſſet peccati remedio. Quoniam indigentia naturæ humanæ conſequenter, & per accidens omnino ſe habuit ad decretum illud primum, ex quo neceſſarius fuit, ſuppoſitionis neceſſitate, ipſe Chriſti in carne aduentus.

Hac eadem ratione impugnatur id quod dicunt alij. Nimirum, quod poſtquam Deus in primo illo decreto ſtatuit, vt Chriſtus in mundum veniret, in alio rationis ſigno efficaci voluntate voluit originale peccatum permittere, vt eſſet occaſio ipſius Chriſti aduentus, quod ſatis eſt, vt Chriſtus dicatur veniſſe in peccati remedium. Afferunt exemplum, qui ita dicunt, ex illo 1. Reg. 16. vbi poſtquam Dominus Samueli præcepit, vt iret Bethleem, vt ibi Dauid in Regem vngeret, Samueli dicenti, *Quomodo vadam, audiet enim Saul, & interficiet me?* Reſpondit Dominus, *Accipe vitulum, & dic, ad ſacrificandum Domino veni.* Quod ipſe Samuel fecit, & reſpondit, & id quidem ſine mendacio: eo quod licet ſacrificium non eſſet prima, & præcipua cauſa, erat tamen immediata, & proxima reſpectu aduentus Samuelis in Bethleem.

Hic modus dicendi primo non adhuc tanta cum proprietate, atque modus præcedens ſaluat proprietatem ſermonis illius, quo ſcripturæ ſacræ dicunt Chriſtum veniſſe in peccati remedium, quia ſicut ſacrificium Samuelis non erat aſſumptum à Deo, vt ſufficiens cauſa itineris in Bethleem, neque enim Deus illum ad ſacrificandum mitteret, niſi extaret cauſa regalis vnctionis. Ita iuxta hunc dicendi modum peccati remedium rationem tantũ habuit impulſiuæ cauſæ, & non motiuæ, & ſufficientis: neque enim ſufficiens cauſa eſſet, propter quam Deus filiũ ſuum in mundum mitteret, niſi decretum iam, & ſtatutum habuiſſet in primo ſigno, ipſum in humanam carnem mittere.

Authores autem præcedentis ſolutionis libenter fatentur, quod peccati remedium, & ſi non fuerit prima cauſa, fuit tamen verè ſufficiens, ita vt ſi alia prius non occurriſſet Deo, propter quod decreuit filium mittere mundum, ipſa ſufficeret ſola ad huiuſmodi diuinum decretum.

Sed quicquid de hoc ſit, illud tamen eſt certum, quod neutra ratio harum ſufficit ad verificandum id, quod Sancti dicunt, puta, quod Chriſtus non veniret in mundum, niſi inſtaret humani generis neceſſitas. Nec enim poſſet dicere Samuel abſque mendacio, quod ſi non eſſet ſacrificaturus Deo, non veniret ad Bethleem, priuſquam tractatum fuiſſet de ſacrificio, præceptum iam erat illi à Domino, vt in Bethleem proficiſceretur.

Miſſum facio, nulla ratione fieri veriſimile, quod eo modo ſcriptura ſacra incarnationis Chriſti cauſam nobis exponat, quo Samuel volens iniuſtam Saulis iram effugere, prædicta fuit equiuocatione vſus, quæ ob Saulis malitiam Semueli fuit licita, quãuis inde Saul occaſionem deceptionis acciperet, occaſionem, ſcilicet, exiſtimandi illam eſſe præcipuam cauſam: nam talis deceptio ipſius Saulis malitię erat imputanda. At ſcriptura ſacra veram nobis voluit rationem, & cauſam Chriſti incarnationis exponere, & non errandi occaſionem præbere. Nulla enim ex parte hominum malitia eſt commentanda, propter quam licita eſſet talis æquiuocatio.

Miſſum præterea facio illud Samuelis exemplum valde eſſe diſſimile; Quoniam poſtquam Deus præcepit Samueli, vt in Bethleem ſacrificium offerret, æque tenebatur obedire Deo in oblatione ſacrificij, atque in vnctione Dauidis in Regem: atque adeo reſpectu eius ſufficiens, & efficax cauſa erat offerendũ ſacrificium, vt Bethleem adiret. Dicunt tandem alij, quod Sancti Patres executionis ordinem, non intentionis conſiderarunt: & ſecundum executionis ordinem, decreuit Deus filium non mittere, niſi in peccati remedium. Quod ob id permiſit, vt in eius remedium veniret Chriſtus, & non alias.

Hęc interpretatio haberet locum in illa priori intelligentia opinionis ſecundæ, quam nos penitus ſuperius improbauimus, ſecundum quam in ipſo Chriſti incarnationis decreto implicitè inuoluebantur, & peccati permiſſio, & humani generis reparatio, tanquam media ad executionem neceſſaria.

Cæterum ſententia Scoti hanc virtualẽ continentiam non admittit: vnde non poteſt ei iſta accõmodari ſolutio & doctrina. Quod vero nõ procedat ſolutio iſta, ſi Chriſti prędeſtinatio non incluſit virtualiter

Digitized by Google

liter peccati permiſſionem, eiuſq; remedium, patet. Illud prædeſtinationis Chriſti decretum fuit abſolutum, & efficax, & totaliter independens à peccati permiſſione, quia neq; illam in aliquo genere cauſæ præſuppoſuit, neq; vt neceſſarium mediũ virtualiter incluſit. Vnde ergo ab ea in executione pendere potuit? niſi per accidens forſan ex volũtate Dei ſuperueniente, & id ordinante, quę conſtare nequit nobis.

His ergo & alijs prætermiſſis. Dico primum in huius rei expoſitionem. Abſolutè & ſine diſtinctione fatendum eſt (etiã ſuppoſita Scoti opinione) quod Chriſtus venit in mundum in peccati remedium. Patet, quia ita loquuntur ſcripturæ ſacræ, à quarum loquendi modo nemini recedere licet. Non enim per hiperbolem, aut per figuram ita loquuntur, ſed proprio, & plano, ac eis familiari ſenſu, quem proinde loquendi modum, & poſſumus, & debemus imitari. Et mihi quidem valde placet ſecundus ille modus dicendi relatus ad proprietatem huius ſcripturarum loquutionis tuendam, videlicet, quod præuiſo peccato Deus paratum habuerit animum, & ita expeditũ ad mittendum filium ſuum in mundum, atque ſi ante illud facere non decreuiſſet.

Dico ſecundo. Suppoſita *Scot.* opinione non eſſet abſolutè concedendum, quod Chriſtus non veniret in mundum niſi extaret humanæ naturæ neceſſitas, ſed hoc dicendum eſſet aliquo additamento appoſito, ex quo, vel formaliter, vel virtualiter daretur intelligi, quod Chriſtus non veniret in carne paſſibili, & mortali, crucíſque morti adictus, niſi talis inſtaret neceſsitas, & ita loquuti ſunt Sancti Patres, vt ſuperius aduerti. Qui tamen prætermiſſere diſputationem, de qua nunc agimus, an ſcilicet, Chriſtus non extante peccato aliter veniret, & quia nihil certum ad eius reſolutionem poterant ex ſacris ſcripturis afferre, & quia eius reſolutio parum referebat ad fidẽ, & mores. Iuxta hæc, quæ diximus, intelligenda eſt tertia quintæ concluſionis pars.

Solutionibus argumentorum deinceps inſiſtere oportet. Et primo quidem ſoluenda ſunt argumenta, quæ pro prima informauimus ſententia.

§.12. Solutiones argumentorum primæ opinionis.

AD primum igitur argumentum principio aſſero. Non eſſe certum, quod illa Paul. verba, ſcilicet, *Primogenitus omnis creaturæ*, referri debeant ad Chriſtum ratione humanitatis eius, quamuis ſit valde probabile. Quia præter authores, quos in argumẽto pro hac retuli intelligentia, docent idipſum Athanaſ. in ſerm. 3. contra Arianos, & in tractatu de definitionib. & Cyrill. in lib. de incarnatio. vnigeniti c. 1. & Dialog. de Trin. lib. 4. Et Concil. Sardicenſe in Epiſt. ad omnes Epiſc. Dico tamen non eſſe certam hanc Paul. intelligentiam, quoniam alij quidam Patres, & grauiſſimi Bibliorum interpretes cenſent illa verba ad Chriſti diuinitatem fore referenda, ita Ambroſ. ſuper illum Paul. locum, & S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. Chryſoſt. ſuper hæc verba Pauli. Etſi in 1. cap. ad Hebr. tantiſper viſus fuerit priori interpretationi fauere. Et Baſil. lib. 4. contra Eunomi. inquit, quod ſicut Chriſtus dicitur primogenitus ex mortuis, quia eſt cauſa omnibus mortuis reſurgendi, ita ipſemet Dei filius, vt patris verbum dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia eſt omnibus cauſa eſſendi. Cæterum ſuppoſita priore intelligentia, quæ ad humanitatem Chriſti illa verba accommodat. Reſpondeo primum, quod in eo ſenſu Paul. Chriſtum appellauit primogenitum omnis creaturę, in quo vocauit illum primogenitũ ex mortuis, cui intelligentiæ fauet Cyril. citato in loco. Et multo clarius Concil. Sardicenſ. in epiſt. citat. & colligitur apertè ex Athanaſ. locis citatis, & quidem in tract. de definition. quærens quare Chriſtus dicatur primogenitus, nihil aliud reſpondet, quam quod eo quia primus ab inferis ſurrexit non amplius moriturus. Et ſerm. 3. citato, exponens illa verba Paul. ita dicit. *Veritas ipſa docet eum primogenitum inter multos fratres appellatum fuiſſe ob carnis noſtræ cognationem, Primogenitum quoque ex mortuis, eo quod per eum, & cum eo reſurrectio mortuorum inceperit. Primogenitum porro omnis creaturæ, eo quod pater ſuo in homines amore per verbum ſuum non ſolum omnia condere: verum etiam, quia creaturam, de qua loquitur Apoſtolus, accepta reuelatione filiorum Dei liberare voluerit ab omni ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, atq; ita creatura in libertatem vindicata futurum eſt, vt & ſit Dominus noſter, & iſtius, & omnium adoptiuorum primogenitus, & vt in ipſo, qui primus dicitur, hi qui poſt ipſum ſubſequuntur, quaſi ſuo principio conſerti, coaptatique perdurare queant.* Et paucis interiectis ſic ait. *Ita vt patris quidem vnigenitus, quoniã ex eo ſolus & vnicus eſt, Creaturæ autem primogenitus, quoniam omnes per eum ius filiorum, adoptionemque adipiſcuntur.* Ex his verbis, & alijs multis, quæ ibidem habentur, manifeſtè colliguntur duo. Alterum, quod nomine creaturæ in illis verbis, *Primogenitus omnis creaturæ*, non omnẽ creaturã, vt inſenſibilem, & brutam comprehendit, ſed homo duntaxat intelligitur, qui à S. Paul. ibidem aduertente Athanaſ. noua creatura vocatur. *Si qua*, inquit, *in Chriſto noua creatura, &c.* Illa interpoſita Athanaſij verba, Creaturam de qua loquitur Apoſtolus, iſtud primum inſinuant. Sed expreſsioribus verbis id aſſerit ibi Athanaſ. reputans magnum abſurdum, quod Chriſtus comparatione ad bruta animantia, & ad res inſenſibiles primogenitus dicatur, quia non debet, neque poteſt harum rerum frater vocari. Et in eadem fuit ſententia Hieronym. verſans illud Pauli Roman. 8. *Expectatio creaturæ, &c.* Alterum quoq; ex Athan. verbis colligitur, Chriſtũ ſcilicet, ob id primogenitum omnis creaturæ vocari, quia primus fuit prædeſtinatus, & in ipſo prædeſtinati ſunt omnes, qui perfectam, & conſummatam filiorum Dei adoptionem accipient: quæ tunc erit vndequaque perfecta, quando in vltimo die Beatorum animæ reaſſument corpora in glorioſo immortalitatis ſtatu cõſtituta, ad inſtar reſurrectionis Chriſti, qui fuit primitiæ dormientium.

Ex hac autem Athanaſ. intelligentia, nullatenus inferri poteſt, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum prius ordine rationis, quam Deus totum iſtud creaturarũ vniuerſum futurum præordinaret. Sed colligitur duntaxat, quod prius ratione Chriſtus prędeſtinatus fuit, quam cæteri prædeſtinarentur homines. Poſſet etiam dici (& non longe à mente Athanaſ. in eodem loco) quod Chriſtus dicitur primogenitus omnis

crea-

Digitized by Google

creaturæ, non comparatione ad ipſam primam creaturarum productionem, & creationem. Hæc enim non ad Chriſtum, vt hominem, ſed ad ipſum, prout Dei Verbum, eſt referenda: ſed dicitur omniũ creaturarum primogenitus, comparatione ad eam reformationem, & nouitatem, quam omnis creatura accipiet, cum in vltima hominum reſurrectione reuelabitur gloria filiorũ Dei. Tunc enim, vt Pau. Rom. 8. dicit, *Omnis creatura liberabitur à corruptione ſeruitutis*. Nam tunc Deus cęlum nouum, & terram nouam faciet, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum nouam eorum perfectionem. Et omnis creatura in ipſa hominis renouatione (qui Marci cap. vltimo, omnis dicitur creatura) reformabitur, & renouabitur, ac ſimul cum homine reſurgẽte in nouam reſurget vitã. Ac proinde quaſi de nouo generabitur, ſicut ipſa hominis reſurrectio, regeneratio in ſcripturis ſacris vocatur. Reſpectu igitur huius nouæ totius creaturæ natiuitatis Chriſtus dicitur primogenitus omnis creaturæ. Chryſoſt. hom. 21. ad popul. hanc interpretationem verbis expreſſiſſimis docuit.

Tertio reſponderi poteſt cum Hieronymo exponente eadem illa Pauli verba: *Primogenitus omnis creaturæ*, quod primogenitus appellatus eſt Chriſtus non duratione pręceſſionis, ſed dignitatis prioritate. Itaque non vocatur primogenitus ratione æternæ prædefinitionis, ſed ratione temporalis generationis, in qua non tempore, ſed dignitate creaturas omnes anteceſſit.

Quarto reſpondetur, argumentum illud primum nullatenus procedere aduerſus S. Tho. ſententiam, in illo ſenſu, quem cæteris eſſe dixi præferendum, nimirum, quod licet in genere cauſæ materialis pręceſſerit etiam intẽtionis ordine ipſa totius vniuerſi, totiuſque & naturæ, & gratiæ ordinis conſtitutio, in genere tamen finalis cauſæ præceſſit ſimpliciter ipſa Chriſti prędeſtinatio. Dixi ſimpliciter, quia ſecundum quid, humanæ naturæ redemptio, etiam in genere finalis cauſæ, vt ſuperius expoſui, eandẽ præceſſit Chriſti prędeſtinationem: ſecundũ quod Chriſtus prædeſtinatus fuit non abſolutè, ſed vt venturus in carne paſſibili, & mortali humanæ redemptioni accommodata. Iuxta hanc ſententiam argumentum illud nullam vim habet. Nam concedimus ei, quod intẽdit, Chriſtum ſcilicet primogenitum eſſe omnis creaturæ. Quia decretum incarnationis eius, quæ generatio in litteris ſacris quandoque vocatur, vt pſ. 2. *Ego hodie genui te*, prius fuit prioritate cauſæ finalis, quæ eſt prioritas ſimpliciter, quam totius vniuerſi conſtitutio. Non autem tam facilè ſoluitur hoc argumentum, ſi ſequamur modum alium à nobis excogitatum, & vltimo loco in quinta concluſione poſitum: iuxta quem in primo decreto non fuit facta expreſſa incarnationis Chriſti mentio. Poſſet tamen dici, quòd ex vi illius primi decreti, in quo Deus voluit ſe communicare triplici illo poſſibili communicationis modo, & potiſſimum ſumma communicatione, quæ eſt vnio hypoſtatica, ortum habuit ſpecialis illa Chriſti prædeſtinatio, quæ in alio ſigno, & alio decreto conſtituta eſt. Nam in illo primo decreto, vt ſuperius dixi, implicabatur efficax voluntas permittendi originalem culpam in natura humana, ac proinde & aſſumendi eandem naturam per hypoſtaticam vnionem. Imo & quod perſona hanc naturam aſſumens, ipſe eſſet Dei Filius. Et hoc vltimum probatur, quia poſita originalis peccati præſcientia, continuo inſurgebant congruentiæ illæ ſuperius à nobis expoſitæ, & aliæ innumerę, ob quas conueniens erat, vt potius diuinum Verbum negotium reparationis humanæ ſibi aſſumeret, quàm alia diuinæ Trinitatis perſona. Et inter alias congruentias, quarum non meminimus, quæ ſunt innumeræ, de quibus legatur Alexand. Alenſ. 3. part. quæſ. 1. memb. 5. art. 1. illa eſt præcipua, congruum fuiſſe, & diuinam ſapientiam decens, vt Filius, qui eſt figura, & ſubſtantialis imago Patris repararet, & reformaret illam Dei imaginem, & ſimilitudinem, in qua homo à principio ex præcipua ipſius Dei conſideratione fuerat conditus, vt conſtat ex illo Geneſis 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Quam ſimilitudinem peccatum abſtulerat, ipſamque deturpauerat, & fœdauerat Dei imaginem. Huic congruentiæ atteſtatur Paulus ad Romanos 8. illis verbis, *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filii eius*. Cum ergo in illo primo communi diuinæ mentis decreto, implicita fuerit Chriſti incarnatio, quamuis explicita, & formalis eius prędeſtinatio non intelligatur, niſi poſt decretum creationis mundi: non improbabiliter dici poteſt, quod Chriſtus hac ratione potuit primogenitus omnis creaturæ vocari. Sed cũ hæc ſolutio non placuerit, recurrat ad alias præcedentes, quæ ſunt ſufficientiſſimæ, & in ipſa Patrum doctrina fundatę.

Ad ſecundum argumentum omnino negandum eſſe cenſeo, quod Paulus per illa verba, *Ante mundi conſtitutionem*, non intellexerit ipſam realem productionem creaturarum, ſed æternam eiuſdem productionis diſpoſitionem, & præordinationem. Neque reperio in Patribus illam intelligentiam huic Pauli textui accommodatam: ſed plano ſenſu procedentes intelligunt Paul. fuiſſe loquutum de illa externa mũdi conſtitutione, quam Moyſ. Gen. 1. factam deſcripſit, *In principio*, inquiens, *creauit Deus cœlum, & terram*. Legantur ſacri expoſitores ſuper illum locum, ſpeciatim Hieron. & Ambr. Legantur Patres locis in hac quæſtione citatis. Et qui legerit, videbit hanc fuiſſe Patrum ſententiam. Ad impugnationem autem eius in argumento inſinuatam dicitur eam fuiſſe Paul. mentem in illo loco, quod antequam Deus in tempore crearet mundum, ab æterno nos elegit in Chriſto principali electione. Ita quod aliarum rerum creandarum electio huic comparata, pro nihilo reputabatur in ipſa Dei æſtimatione, nec creaturæ aliæ, quamlibet perfectæ pertinuerunt ad principalem, & potiſſimam Dei electionem, & prædefinitionem ſolis prædeſtinatis conceſſam. Nam quamuis volitæ fuerint, & electæ à Deo res omnes aliæ, quas produxit in tempore, in earum tamen electioctione quaſi ludens, & ferè nihil agens ſe geſſit Dei Sapientia. Cum vero ad electorum prædeſtinationẽ peruentum fuit, ſerio, & magna conſideratione tractatum eſt negotium, agebatur enim de re valdè chara Deo. Vtpotè de membris Chriſto capiti miro vnionis glutino incorporãdis, & indiſſolubili vinculo coniungendis. Solet ad hoc notari id, quod diuina Sapientia Prou. 8. dicit, *Eram ludens coram illo per ſingulos dies*, ideſt, ludebam in diſpoſitione earũ

Digitized by Google

rerum, quæ ſpatio ſex dierum Geneſ. 1. narrantur à Deo creatæ, & ſubiungit, *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*. Notetur verbum, *eſſe*, denotat enim permanētiam, & perpetuitatem, quæ ex ipſa oritur prędeſtinatioue. Expendatur præterea illa dictio, *Et*, quæ cauſalem, vel quaſi cauſalē reddit ſenſum, hunc ſcilicet, idcirco in aliarum rerum diſpoſitione ludebam, quia deliciæ meæ non illis in rebus, ſed eſſe cū filijs hominum. Legatur ad pleniorem huius ſolutionis intelligentiam S. Th. 1. p. q. 2. art. 3.

Secundo reſpondetur eidem argumento, quod ſi velimus intelligere illa Paul. verba, in ſenſu quem argumentum contendit, ita quod conſtitutio mundi non ad externam, & temporalem eius creationem, ſed ad ęternam, & internam ipſius in Dei mente prędordinationē ſit referenda, facilè dici poteſt, quod illa particula *Ante*, non denotat anteceſſionem durationis, aut naturę prioritatem, ſed auctoritatem, & dignitatem electorū in Chriſto. In quo ſenſu Ioan. Bapt. Io. cap. 1. dicebat, *Qui poſt me veniet, ante me factus eſt*, ante me, ideſt dignior me, mihique prędlatus eſt, vt inquit Auguſt. Itaque ſenſus Pauli eſt, quod in illa ęterna rerum omnium conſtitutione, & prędordinatione, prædeſtinatorum electio multis partibus in dignitate, & excellentia præſtat conſtitutioni, & præordinationi aliarum rerum, conſideratis ipſis obiectis diuinæ præordinationis, & inter ſeſe comparatis. Nam ex parte diuini actus, omnia ſunt ęqualia. In hoc ſenſu referebā paulo ſuperius S. Hieron. exponentem illa verba, *Primogenitus omnis creaturæ*, ita vt primogenitus ſolam dignitatis prioritatem, & anteceſſionem in humana Chriſti generatione importet.

Tertio denique reſpondetur, illud argumentum, vt plurimum probare Chriſti prędeſtinationem in genere cauſę finalis pręceſſiſſe ęternam rerum omnium prędordinationem: quod nos libenter admittimus. Sed quod attinet ad ordinem prędeſtinationis electorum, per comparationem ad conſtitutionem totius vniuerſi, niſi duas ſupra poſitas ſolutiones amplectamur, hoc argumentum non facilem in doctrina S. Th. ſolutionem habebit: ſecundum quam non poſſumus negare, quin hominum prędeſtinatio prędſuppoſuerit originalis peccati prędſcientiam, ac prędſcientiam proinde hominis creati, & totius vniuerſi conſtitutionis. Poſſemus quidem dicere, hac ſtante S. Th. doctrina, quod ſicut de Chriſti prędeſtinatione dicebamus, eam pręceſſiſſe in genere finalis cauſę prędordinationē ordinis vtriuſque, & naturę, & gratiæ, fuiſſe autem in genere materalis cauſæ poſteriorem: ita hominum prædeſtinatio in genere cauſæ finalis anteceſſit æternam vniuerſi totius conſtitutionem, quam tamen prioritate cauſæ materialis præſuppoſuit, quantum ad primariam ſaltem eius conſtitutionem. Nam multa ſingularia, quæ effectus ſunt prædeſtinationis, in nullo genere cauſæ ipſam præceſſerunt in diuina præſcientia. Hæc ſolutio eſt ſatis accommodata ad multa ſoluenda argumenta, & exiſtimo eſſe valdè rationabilem, ac proinde amplectandam, iuxta quam ita tenemur procedere in diſponendo ordine diuinæ prędordinationis: quod poſtquam Deus ſpeculatrice notitia tres nouit ordines ſępè connumeratos, quibus ſuam poterat bonitatem diffundere, mox in primo ſigno rationis practicæ prædeſtinauit Chriſtum, vt eſſet Filius Dei naturalis, atque itidē Redemptor, & Saluator hominum, principatumque ſuper omnia teneret. In ſecundo vero eiuſdem rationis ſigno quoſdam homines Deus in Chriſto, & per Chriſtum elegit, ac ſanè prædeſtinauit; quos præfecit, & miſeris reprobis (quorum reprobatio ad idem ſignum reduci poteſt) atque cunctis alijs rebus homine inferioribus. Nam ſicut omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, & impium quoque in diem malam, ita & eadem omnia ſibi dilectiſſimis prædeſtinatis ſubiecit, neque planè mirom, nam cum ſint coniunctiſsima Chriſto capiti membra: ea quæ capiti deſeruiunt, æquum erat in ſeruitium quoque, & obſequium corporis deſtinarentur. In tertio tandem ſigno præordinauit totam earum rerum diſpoſitionem, quę ad ordinem ſpectant naturę. Cæterum hæc diſpoſitio, quæ ſimpliciter pertinet ad tertium ſignum, ſecundum quid, ideſt ſecundum ordinem cauſæ materialis pertinet ad duo priora ſigna, eſtque prior in iſto materiali genere vtraque prædeſtinatione & Chriſti, & ſanctorum.

Tertium argumentū nunc nunc aſſignata ſolutione diluitur: neque oporteret vllum verbum addere, niſi nos cogeret noſter ille vltimus dicendi modus circa quintam concluſionem excogitatus. Iuxta quē ſanctorum prædeſtinatio præſuppoſuit abſolutè decretum conſtitutionis mundi ſecundum ordinem naturæ, & gratiæ diſpoſitum. Imo & ipſa Chriſti prædeſtinatio formaliter ſumpta, iſtud præſuppoſuit decretum, iuxta modum declaratum ibidem. Vnde aliter oportet hoc argumentum diluere, vt illud dicendi modum probabiliter tueamur.

Secundo ergo reſpondetur huic argumento tertio per interemptionem præmiſſæ maioris. Probationi dicitur, quod ex Pau. teſtimonio ibi citato colligitur, & id quidem non infirma deductione, Chriſtum finem eſſe rerum omnium. Prædeſtinatos ſimiliter omnium eorum finem eſſe, quæ ſub ipſis continentur. Ad hanc autem ſubordinationem ſaluandam, nō eſt neceſſe, vt in prædeſtinatione, & prædefinitione in Dei æternitate conſtituta, prius rationis ordine Chriſtus fuerit prædeſtinatus, quam fuerit ordinata rerum naturalium creatio. Nam cum ad manifeſtandam Dei bonitatem, & gloriam, qui eſt vltimus finis, & præcipuè à Deo intentus, rerum naturalium creatio, ipſeque naturalis ordinis conſtitutio non per ſe pendeant à Chriſti prædeſtinatione, & multo minus à prædeſtinatione ſanctorum, nulla eſt neceſſitas cōſtituendi illam prioritatem, & anteceſſionem finalis cauſæ in decreto prædeſtinationis Chriſti, aut ſanctorum reſpectu decreti creationis rerū. Sed potius ratio probabilis poſtulat, vt cum Chriſti prædeſtinatio, atque etiam ſanctorum per ſe pendeant in genere cauſæ materialis ab ipſa vniuerſi conſtitutione, quod tota Dei præordinatio, & rerum diſpoſitio inchoauerit ſimpliciter à decreto conſtitutionis mundi, tanquam à fundamento omnium diſponendorū. Non me latet, hanc dependentiam prædeſtinationis Chriſto, & ſanctorū à mundi conſtitutione, vt à fundamento non eſſe ſufficientem ad inducendam prioritatem ſimpliciter: quia poterat eſſe ex alio extremo maior dependentia, videlicet formalis, aut finalis, & ita tantum induceret prioritatem ſecundum

quid,

Digitized by Google

quid, ideſt in ſuo materiali genere, quod iam ſuperius ipſe dixeram. Sed tamen ſuppoſito, quod non ſit, vt ſuperius probaui, dependentia ordinis naturalis, & conſtitutionis mundi à prædeſtinatione Chriſti, aut ſanctorum in genere formali, aut finali reſpectu diuinæ prouidentiæ, quæ licet magis reſpiciat Chriſti prædeſtinationem, & ſanctorum, quàm totã rerum vniuerſitatem, non tamen prius, nec immediatius: idcirco illa fundamentalis dependentia inducit prioritatem ſimpliciter in diuinis decretis. Quia ex alio extremo non eſt vnde coarctetur, & limitetur hęc prioritas: atque ita manet prioritas ſimpliciter à nulla prioritate alterius generis pendens. Vt autem verè, & propriè dicamus, quod omnia naturalia ordinantur in Chriſtum, & in prædeſtinatos tanquam in finem, ſatis fuerit dicere cum Sylueſtr. in q. t. primæ Dominicæ Aduentus. Quod & alij grauiſſimi docuerunt Theologi, quibus annumerãdum cenſeo Caiet. 3. p. loco citato, quod poſtquam Deus tribus decretis in ſua æternitate ſtatuit mundũ creare, Chriſtum incarnari, electos ſaluari. Inter quæ decrota primum fuit creationis mundi, ſecundum prædeſtinationis Chriſti, & tertium electorum prædeſtinationis, quæ ab vno primo vniuerſaliſſimo decreto quaſi primam traxerunt originẽ, in quo Deus voluit ſe ſummo poſſibili modo communicare, quæ communicatio conſiſtit triplici illo ordine ſuperius expoſito. Intuenſque exceſſum perfectionis, quo Chriſtus res vniuerſas, & naturalis, & ſupernaturalis ordinis ſuperabat, eas omnes in Chriſtum retulit, vt in finem, eumque ipſis omnibus prætulit, & præpoſuit, & eas omnes ipſi Chriſto ſubiecit. Prædeſtinatos quidem immediatè tanquam præcipua Chriſti capitis membra, & quæ pręcipuum ab ipſo influxum participãt: res autem alias omnes mediatè, & remotius, & ipſis medijs prædeſtinatis: quibus, tanquam præcipuè poſt Chriſtum totius ordinis à Deo prouiſi parti, ſubiecit, & ſubmiſit res alias omnes, & ad ipſos vt ad finem proximum ordinauit, quo mediante in Chriſtum, & Chriſto mediante in Deum referentur, quia Deus eſt Chriſti, vt hominis, caput. Hunc diſcurſum ſeruauit Paul. in loco, qui in tertio argumento refertur.

Sed dices: Quare Deus hunc ordinem, quem inter Chriſtum, prædeſtinatos, & res alias omnes iã præordinatas conſtituit, non ſeruauit in prima harũ omnium rerum præordinatione. Ita vt à decreto prædeſtinationis Chriſti totus ordo diuinę pręordinationis inchoaret? Reſpondetur conſentaneè ad ea, quæ iam diximus, quod primus præordinationis ordo nõ debet attendi ſecundum rerum perfectiones, ſed ſecundum depẽdentiam, & habitudinem, quam habent inter ſeſe in ordine ad finem, quem per ſe primò, & principaliter prouiſor intendit, quia tunc non attenditur ad perfectiones ipſarum rerum, quæ vt media ad illum finem aſſumuntur, ſed ad habitudinem quam habent ad ipſum finem. Vnde ſi immediatè, & ex æquo hęc omnia media illum præcipuum reſpiciunt finem, quem prouiſor intendit, & ſine dependentia vnius ab alio, quamuis ſint diſparis, & inæqualis perfectionis, ex æquo tamen, ideſt independenter, omnes acceptantur, vt media ad illũ finem. At poſtquam iam ceſſauit illa immediata conſideratio vltimi finis, & agitur de ipſis rebus ad illum finem acceptatis, & ordinatis, conſiderari debet particularis earũ perfectio: & quæ perfectior fuerit, & excellentior, potiori loco debet haberi, & reponi.

Ad confirmationem tertij argumenti reſpondetur eiſdem ſolutionibus, quibus diluimus ipſum tertium argumẽtum. Concedimus enim prędeſtinatos habere rationem finis comparatione ad res omnes alias ipſis inferiores, & quod ipſa inſenſibilis creatura ſuam tunc omnem conſummationem accipiet, quando cõſummata fuerit, & reuelata ipſorum prędeſtinatorũ gloria. In ſolutione primi diximus nonnulla, quæ ad huius confirmationis ſolutionem valde expediunt. Hieron. ſuper hęc Pauli verba, varias refert eorum intelligentias, & tandem in eam propendit, quæ creaturæ nomine ſolam intelligit rationalem, quę omni eam parte conſummabitur in die generalis reſurrectionis. Eandem ſequuntur expoſitionem Aug. lib. 83. quęſt. in q. 67. & lib. 1. retract. c. 26. & Greg. lib. 4. moral. cap. 42.

Quartum argumentum ex duabus etiam ſolutionibus tertio argumento aſſignatis diluitur. Concedo enim Chriſtum eſſe omnium rerum egregium, & excellentiſſimum epilogum, in quo Deus omnia recapitulauit, & in quem retulit, & ordinauit omnia, tanquam in excellentem finem: ſiue hoc fuerit in primo decreto, ſiue in ſecundo, ſiue in tertio, nam de hoc nihil ibi dixit Paulus, ſed theologico reliquit diſcurſui, & diſputationi ſapientum.

Quintum argumentum, quod tantopere magnificant Scoticæ ſcholæ Anteſignani, & quo putant ſe rem efficere aduerſus Thomiſticam doctrinam, valde ex dictis infirmum, & penitus eneruatum relinquitur. Nam primũ concedimus Scoto, Deum prius in ordine cauſę finalis Chriſtum dilexiſſe, & prędeſtinaſſe, quàm prędeſtinauerit Sanctos, quàmq; pręordinauerit ipſam totius vniuerſi, ſiue viſibilis, ſiue inuiſibilis machinam. At quod in ordine materialis cauſę non Deus pręſcierit, & approbauerit res ad naturę ordinem ſpectãtes, vnde probat Scotus? Atque adeo neque probat, quod pręſcientia originalis peccati non anteceſſerit ſecundum ordinem materialis cauſę Chriſti prędeſtinationem.

Dico præterea, illud argumentum nec etiam ſufficienter probare, quod Deus prius ordine cauſæ finalis Chriſtum prædeſtinauerit, quàm mundi conſtitutionem diſpoſuerit. Nam illa Scoti propoſitio, Omnis ordinatè volens, magis, & prius vult ea media, quæ ſunt fini propinquiora: habet verũ, quando media ſunt propinquiora in hoc ſenſu, quod prius, & immediatius, atque independentius participant ipſam finis bonitatem, & conuenientiam, & dependenter ab ipſis alia media participant eandem finis conuenientiam, & bonitatem. Falſa autem eſt illa propoſitio, ſi intelligatur de medijs, quæ propinquiora ſunt fini ratione perfectionis duntaxat, vt in præſentia contingit. Dicere ſolent Dialectici (quod non erit extra cauſam referre) ſpecies, quæ ſub genere continentur, non eſſe perfectionis ęqualis, neque æqualiter ſecundum perfectionem ipſam generis eſſentiam participare, quia, vt Ariſt. 7. Phyſ. tex. 17. & 18. dicebat, *In genere latent multa*, ſeu, vt alia verſio habet, *Latent æquiuocationes*, ideſt multæ ſpecies perfectionis inæqualis. Sed nihilominus omnes ſpecies æqualiter participant eſſentiam, & rationem

ſui generis æqualiter, ideſt immediatè, & ſine dependentia vnius ab alia. Itaque maior perfectio in vno extremo, nõ inſert alterius extremi dependentiam ab ipſo, neque dependentiam vtriuſque extremi ab aliquo ſuperiori, cui vtrunque ſubordinatur. Quare ex eo, quod Chriſti prædeſtinatio longè ſit perſectior, quàm tota vniuerſi viſibilis, & inuiſibilis conſtitutio, non legitima conſecutione deducitur, quod in ordine ad illum vltimum finem, quẽ Deus intendit, ipſam nempe ſuæ maieſtatis, & gloriæ manifeſtationem, res ordinis naturalis, & quæ ad conſtitutionem vniuerſi ſpectant, aliquam habeant dependentiam, præſertim quoad ſubſtantialem ſui diſpoſitionem, à Chriſti prædeſtinatione, & gloria, & à prædeſtinatione Sanctorum. Vnde ex toto Scoti diſcurſu tantum colligitur, quod Deus magis amat Chriſtum, & eius gloriam, quàm res alias vniuerſas: non tamen infert diſcurſus ille, quod prius in primo præordinationis ordine ipſum Deus amauerit, & prædeſtinauerit, quàm totam ipſam mundi conſtitutionem ordinauerit, & diſpoſuerit faciendam.

Ad confirmationem reſpondetur primò, quòd ſi Chriſtus ex vno extremo, & res aliç omnes ex altero ſeorſum ſumantur, & non per reſpectum, & ſubordinationem ad vnum: bene concluderet illa confirmatio, concedendaq; proinde eſſet eius conſequentia. Cæterum cõſideratis & Chriſto, & rebus alijs omnibus per modum vnius totalis medij, vnico ſupremo fini, & vltimo ſubordinati, non oportet, imo vix fieri poteſt, quod prius Chriſtus diligatur, & ametur, quã res aliæ: niſi aliæ res ab ipſo Chriſto pendeant ſecundum habitudinem ad illum finem. Nam ſi ex ęquo ad illum finem ſe habent, & non res aliæ mediante Chriſto, nulla ratio eſt, propter quam aliæ res poſterius eligantur, & amentur, quamuis diligantur minus, quia ſunt minus perfectæ, & imperfectius participant finis bonitatem, & conuenientiam.

Secundo reſpondeo, quod etiam ſi Chriſtus, & res aliæ omnes ſeorſim conſiderentur quaſi duo extrema nulli ſuperiori rationi ſubordinata: adhuc non eſt neceſſarius ordo inter amorem Chriſti, & amorẽ aliarum rerum. Nam cũ inter ſe hæc extrema eſſentialiter non pendent, quod vnum ſit perfectius altero, tantum infert, quod ſit magis diligibile, nõ verò quod ſit prius diligibile. Quoniam etſi leo ſit perfectior equo, non ſubinde dicere tenemur, quod Deus vt author naturæ in prima rerum cõſtitutione prius leonem, quàm equum voluerit, & amauerit, etſi magis amauerit: quia Deus magis diligit, quæ meliora ſunt, & perfectiora. Ecce quemadmodum tota illa Scotica argumentatio debilis eſt, & plus verboſitatis habens, quàm roboris. Et illud habet imbibitum peccatum, quod pro eodem reputat aliquid magis diligi, & prius diligi: quæ eſt manifeſta & vocis, & mentis æquiuocatio.

Ad authoritatem Ruperti Abbatis, qui in huius ſententiæ confirmationem adducebatur, reſpondetur, Rupertus nihil dixiſſe aliud, quam id, quod nos libẽter fatemur, videlicet, Chriſti prædeſtinationem in ordine finalis cauſæ, & hominum, & Angelorum prędeſtinationem anteceſſiſſe, & totã vniuerſi conſtitutionem. Quod ſi quid aliud docuit, ſingularis fuit in hac ſententia inter omnes graues authores, & Patres.

Ad ſextum argumentum. Non poſſum non mirari, quo pacto auctores graues, & in Patrum lectione verſatiſſimi huic argumento tantum deferant, vt ipſum ferè palmare, vt aiunt, & efficaciſſimum eſſe crediderint. Cum inter omnia argumẽta, quæ pro hac ſententia ſolent afferri, ſit debiliſſimum, & quantum opinor, eſt impertinens. Primo, quoniam adhuc nõ eſt res omnino conſtans num in illo loco Prouerb. 8, Salomon de Sapientia increata ſermonem inſtituerit, an potius de illa creata ſapientia, quam ipſe, & petiuit, & impetrauit à Deo 3. Reg. c. 3. Nam quod hoc teſtimonium de creata ſapientia poſſit intelligi, illudque ſic intellexerint olim multi doctiſſimi viri, docẽt Auguſt. ſermon. 58. de verbis Domini, & Hierony. verſans illa eadem verba, & Greg. Nazianze. oration. 36. num. 5. Quod ſi poſteriores Patres hunc locum de creata ſapientia intelligendum eſſe tam libenter dixerunt, eo planè fuit, vt ex Auguſt. & Naziãzen. colligitur, ne Ariani hæretici, qui ex hoc loco Prouerb. 8. ſuum conabantur errorem alicere, Chriſtum creaturam eſſe aſſeuerantes, putarent Catholicos Eccleſiæ Patres, & Doctores ſuorum argumẽtorum difficultates effugere, deeſſeque illis modum, quo poſſent eorum argumenta manifeſtis ſolutionibus diluere. Et ob id probabilem ſcripturæ ſacræ negarent intelligentiã. Nam quod locus iſte de increata poſſit Sapientia intelligi, nemo eſt qui ambigat. Nam huic intelligentiæ valdè fauent multa, quæ in contextu illius loci habentur, quæ multo ſuauius ad increatam, quam ad creatam ſapientiam accommodantur, vt legenti fiet manifeſtum. Deinde ſecundo, ſuppoſito, quod de increata Sapientia hoc teſtimonium debeat intelligi, & quod referẽdum ſit ad humanam naturam, quam ipſa Dei Sapientia ſibi in tempore copulauit (nam vtrunque ego libenter admitto, quia vtrũque grauiſſimi docuerunt in eodem ſexto argumento citati Patres) nulla poteſt veroſimili ratione ex antiqua Patrum doctrina colligi, quod illa Sapientiæ creatio, de qua ibi fit ſermo, fuerit diſpoſita, & præordinata ante omnem mundi conſtitutionem, & pręordinationem. Quoniam omnes ferè Patres, quibus de interpretatione huius loci incidit ſermo, dicunt ſapientiam fuiſſe creatam, ideſt præordinatam ab æterno in humana carne venturã, vt initium eſſet viarum Dei, ideſt operum Euangelicæ doctrinæ, quæ ſunt propria Dei opera ſpeciali conſideratione ab ipſo prędordinata. Et quod fuit incarnata Sapientia initium viarum Dei, in eo ſenſu, in quo Chriſtus Ioan. 15. ſeipſum appellauit viam, *Ego ſum*, inquiens, *via, veritas, & vita*. Quod ſi iſta eſt Patribus familiaris illius loci intelligentia, vt eſt reuera, qua probabilitate colligunt contrariæ ſententiæ authores, quod ante decretum diuinum conſtitutionis mundi, Deus præordinauerit futuram increatæ Sapientiæ humanationem? Nam ſolum poteſt colligi hanc humanationis, & incarnationis prædefinitionem præceſſiſſe decretum Euangelicæ legis, & doctrinę, quę diſponit vias, ideſt opera Dei, de quibus ibidem loquebatur Salomon.

Quod autem hæc, quam retulimus fuerit ipſa Patrum intelligentia, in dubium verti nõ poteſt. Quoniam non obiter, & in tranſcurſu, & quaſi aliud agẽtes hanc interpretationem teſtimonio prefato adhibuerunt Patres, ſed cum ex profeſſo huius loci intelligen-

ligentiam quærebant, vt Arianis hæreticis reſpõderent, & ſatisfacerent. Legantur ex Græcis Patribus Athanaſ. in ſermo. 3. contra Arianos, vbi non ſolum prædictam adhibuit huius loci intelligentiam, verũ expreſſiſſimè docuit, Christi prædeſtinationem, & præordinationem incarnationis Sapientiæ increatæ præſuppoſuiſſe in diuino intellectu originalis peccati præſcientiam, & præuiſionem. Nam tractans de expoſitione huius loci, *Dominus creauit me, &c.* poſt ſermonis medium hæc inter alia dicit. *Cæterum cum iam opera extarent, & neceſſum erat ea alicuius adminiſtratione caſtigari, tunc demum Verbum ſeſe dedit, vt condeſcenderet, & operibus ſimile efficeretur, quod nobis per hanc vocem, Creauit, indicatum eſſe voluit*, Cyrill. Alexandr. lib. 5. theſaur. c. 7. & c. 8. multa dixit, eaque lectione, & conſideratione digniſſima in huius intelligentiæ, proſecutionem. Notentur inter alia verba illa c. 7. *Dominus creauit me in opera ſua, & initium viarum ſuarum: Quarum porro viarum? Virtutum profectò, & euangelicæ vitæ, quam prius ille iuſſit, & nos docuit.* Greg. Nazianze. oration. citata nu. 7. *Creauit*, inquit, *me, principium viarum ſuarum ad opera ſua. Opera autem ipſius, veritas, & iudicium, quorum cauſa diuinitate delibutus eſt.* Inter Patres Latinos Hieron. exponens illamet verba Prouer. 8. primum refert ad æternam Verbi generationem. Quæ intelligentia nihil improbabilitatis habet: & ſi aliquantiſper infirmari videatur ex verbis, quæ habentur c. 9. ſequenti, nimirum, *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, &c. vt adnotauit Ambroſ. ſtatim referendus, quæ vidẽtur accommodanda ad Sapientiam incarnatam. Poſt prædictam, inquam, explicationem, & intelligentiam, adhibet aliam ſecũdã, qua illa verba *Dominus creauit me*, &c. ad incarnationem prædeſtinationis referantur. Et ſubdit, quod diuinum Verbum ſecundum diuinitatem principium fuit omnium operum Dei ad ordinem vniuerſi ſpectantium, Sapientia vero incarnata fuit initium operum Dei, quæ ad gratiam, & Euãgelium attinẽt, & ob id dicitur creata initium viarum Dei. Eandem intelligẽtiam multis, & apertis verbis nos docuit Auguſt. in ſermon. citato 58. & Ambroſ. lib. de fide ad Gratian. cap. 7. & eadem intelligentia colligitur ex eodem in Epiſt. ad Coloſs. cap. 1. verſans illa verba. *Quia in ipſo condita ſunt omnia*, notentur illa verba, *Ideo autem quæ ab ipſo* (ſcilicet vt diuino Verbo) *factæ ſunt, per ipſum facta dicuntur, quia ad hoc natus eſt, vt faceret creaturam.* Et loquitur ſine dubio, vt ex antecedentibus, & ſubſequentibus cõſtat, de euãgelica creatura noua, de qua dicebat Paul. *Si qua in Chriſto noua creatura*, Baſil. lib. 4. ad Eunomium apertiſſimè eidem intelligentiæ fauet, etſi nõ tam expreſſis verbis id dicat, atque alij Patres, quos retulimus. Conſtat igitur ex dictis, argumentum illud ſextum, quod tam magnificant contrariæ ſentẽtiæ anthores, nihil aduerſus S. Th. doctrinam difficultatis habere. Alia verba, quæ in eodem argumento referuntur ex Eccleſiaſtic. cap. 24. ſimilem prorſus habent intelligentiam, ei quam adſcripſimus ex doctrina Patrum verbis citatis ex cap. 8. Prouerb. Quod inſinuant aliqui ex Patribus, quos retulimus, mentionem faciẽtes illorum verborũ Eccleſiaſt. 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*, &c. cum de illis verbis Prouerb. 8. *Dominus creauit me*, &c. ex intentione tractabant. Et ex multis, quæ dicuntur in illo c. 24. manifeſtè conſtat, quod Sapiẽtia dicitur ab initio, & ante ſæcula creata, quatenus in æterna humanationis eius præordinatione fundata fuit tota Eccleſia, & Euangelica vita, quam Chriſtus inter nos viuens inſtituit, & fundauit.

Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, admittendo id, quod locis ibi citatis S. Th conceſſit, nimirum, quod Adæ in ſtatu innocentiæ reuelata fuerit Chriſti incarnatio, fuiſſeque ei reuelatũ, quod Chriſtus futurus erat totius gratiæ conſummator. Non vero oſtenſus illi fuit modus, quo Chriſtus gratiam erat conſummaturus. Ex hoc autem debile ſatis argumentum colligitur, ad probãdum, quod Chriſtus fuerit prædeſtinatus abſque præſcientia peccati, ſed ſolum ſequitur, quod quando facta fuit Adæ hæc reuelatio, Chriſtus iam erat prædeſtinatus, & prædeſtinata erat incarnatio eius. Quam Deus voluit manifeſtare Adę, quantum ad id, quod non derogabat integritati illius ſtatus, in quo adhuc non erat aliquod peccatum reparandum, ſed gratia, quæ poterat conſummationem accipere. Neque vero debuit manifeſtari Adæ præcipuus finis incarnationis Chriſti, qui totus fundabatur in remedio originalis culpæ, ne ipſe Adam præſcius fieret ſui futuri caſus. Talis enim præſcientia magna ex parte deturbaret, & impediret ſuauiſſimam illius ſtatus felicitatem.

Sed rogas: Si Chriſtus nullatenus ad illum ſtatum pertinebat, ſed ad ſtatum futurum naturæ corruptę, & per peccatum læſæ, quænam fuit illa congruentiæ cauſa, ob quam Deus in illo innocentiæ ſtatu reuelaret Adæ futurã Chriſti incarnationem? Reſpondeo, & primum dico, ſatis eſſe veroſimile, quod gratia, quæ fuit data Adę in ſtatu innocentiæ, ad Chriſtum, & ad eius merita pertinebat, de qua re non nihil dicemus ad finem huius quæſt. Secundo reſpondeo, communem eſſe apud Theologos doctrinam, quod licet illa gratia non fuerit Adæ collata per Chriſtũ, & eius merita, erat tamen per Chriſtũ conſummanda: in hoc ſenſu, quod merita, quæ habuit Adam in ſtatu innocentiæ, viuificanda erant per Chriſti gratiam, & ſuam conſummationem acceptura. Et hoc ſatis eſt, vt Chriſtus pertineret aliqua ratione ad illũ ſtatum, & fuerit eius incarnatio Adæ reuelata. Tertio tandem dico, quòd Chriſtus ex vi ſuæ prędeſtinationis, reparaturus erat totum illud damnum, quod peccatum originis intulit innocentiæ ſtatui & in animam, & in corpus: quę reparatio integrã habebit conſummationem in ſtatu reſurrectionis futurę. Vnde ſatis fuit conueniens, vt ille innocentiæ ſtatus Chriſtum recognoſceret, illiq; ſubijceretur tãquam ſuo reparatori, & conſummatori. Quamuis tunc nõ cognoſceretur ipſa reparationis futuræ cauſa, neque verò Chriſtus in ratione reparatoris. Quarto tandem dico, quod iuxta interpretationem tertio loco ſuperius adhibitam doctrinæ S. Thom. quam valde probabilẽ reputauimus, Chriſtus prædeſtinatus fuit vt finis totius ordinis naturalis, & ſupernaturalis, & cuiuſcunque ſtatus rationalis naturę, etiam ſtatus innocentiæ, & originalis iuſtitiæ, quãuis in genere cauſæ materialis Chriſti prædeſtinationem anteceſſerit præſcientia ſtatus originalis culpæ, & ſpecialiter fuerit Chriſtus illi ſtatui deputatus. Ita enim debemus intelligere prædeſtinationẽ Chriſti, quod ante eius

decretum præceſſit in genere cauſę materialis cognitio totius ordinis naturalis, & vtriuſque ſtatus, ſcilicet innocentiæ, & originalis culpæ. Quam præſcientiam anteceſſerat in genere finalis cauſæ Chriſti prædeſtinatio. Vnde Chriſtus fuit prędeſtinatus vt finis vtriuſque ſtatus prædicti. Sed ſpecialiter fuit accommodatus ſecūdo ſtatui, & ita Chriſtus per ſe primo, & ex vi ſuę prædeſtinationis, nullum influxū habuit, neque habere potuit in ſtatū innocentiæ, niſi dependenter à ſtatu originalis culpæ. Igitur cum Chriſtus fuerit prædeſtinatus vt finis, etiam illius innocentiæ ſtatus, quamuis tunc propter aſſignatam cauſam nullum influxum in eum haberet. Conueniens fuit nihilominus, vt Adæ in illo ſtatu exiſtenti manifeſtaretur Chriſtus vt finis totius ordinis naturæ, & gratiæ. Et hæc dicta ſufficiant in ſolutione argumentorum primæ ſententiæ.

Deinceps diluere adnitemur argumenta, quæ in confirmationem quartę opinionis adduximus. Ex quorum ſolutione, & ſolutione præcedentium argumentorum manebunt ſoluta, & explicata omnia argumenta, quæ aduerſus S. Th. ſententiam in quarta concluſione ſuperius expoſitam, ſolent objici à peritis Theologis.

§. 13. *Solutiones argumentorum opinionis quartæ.*

AD argumenta igitur quartę opinionis, quę eſt ipſa Scoti ſententia, reſpōdetur. Et ad primum dicitur, Chriſtum incarnatum, & vniuerſa incarnationis opera, in hominum quidem ceſſiſſe gloriam, mirificamq; humanę naturę exaltationem, nam *erit germen Domini in magnificentia, & gloria*, prædixit Iſa. cap. 4. Sed in eam tamen exaltationem, & gloriam, quæ ipſius humanæ naturæ redemptionem, & reparationem præſuppoſuit. Atque adeo huiuſmodi humani generis glorificatio non ponit in numero cum peccati remedio, cum ipſaque humani generis per Chriſtum facta reparatione, iuxta ea, quæ diximus ſuperius circa concl. 3. huius dubij. Eadem eſt confirmationis ſolutio. Nam vita quam per Chriſtum accepimus, mortem per peccatum illatam præſuppoſuit. Et de hac vita duntaxat loquebatur Chriſtus Ioan. 10.

Ad ſecundum reſpondetur, nullatenus eſſe admittendum interpretamentum illud ad teſtimonium Ioannis, quod in hoc argumento inſinuatur: eſſet enim (vt ſupra dixi) manifeſtus error dicere, quòd Chriſtus efficaci voluntate, abſolutaq; prædefinitione prędeſtinatus fuit in carne impaſſibili, & immortali venturus. Quare vera illius loci Io. 17. intelligentia ea eſt, quā aſſignarunt Athanaſ. concion. 2. & 3. cōtra Arian. & Cyrill. lib. 3. Thē. cap. 2. & in lib. 11. in Ioan. cap. 18. nimirum, quod Chriſtus ibi petebat à Patre illam ſuæ humanitati gloriam, quam ipſe vt Deus ab æterno poſſederat apud Patrem. Et id quidem, vt in ſumma dicamus, petebat, quod manifeſta fieret vniuerſis creaturis ipſa eius diuinitas, & quod notum fieret omnibus ipſum verum eſſe Deum, & quod ille, qui eſt homo, ſimul eſt verus, & naturalis Dei Filius: in hac enim diuinitatis manifeſtatione conſiſtit potiſſima Chriſti vt hominis, gloria, vltimaque, ac ſuprema ipſius humanitatis exaltatio. Et ad hoc pertinet, quod Deus dedit Chriſto nomē, quod eſt ſuper omne nomen, id eſt, manifeſtum fecit cœlo, & terræ, atque ipſis etiam infernorum habitatoribus, cōpetere Chriſto verum naturalis Filij Dei nomen, quod illi nō extraneum eſt, & aduentitium, ſed iuſta hæreditate habitum. Hoc enim eſt illud excellens nomen, quod differentius prę Angelis Chriſtus hæreditauit, vt dixit Paulus Hebr. 10. Vel poteſt intelligi cum Aug. tract. 105. in Ioan. quod petebat gloriam, quæ ex prædeſtinatione Dei eterna ei debebatur poſt paſſionem, & mortem, dicitque eam habuiſſe, in eo ſenſu, in quo omnia, quæ ſunt futura in tempore, Deo ſunt in eius ęternitate coexiſtentia, eiuſque oculis aperta, & præſentia.

Ad confirmationem dicitur, intelligentiam ibi aſſignatam minimè attinere ad illud teſtimonium Ioan. 8. quamuis explicationem aliam huic affinem nō incongruè ei poſſimus accommodare, nimirum, quod Abrahæ primum facta fuerit Chriſti in humana carne venturi reuelatio, nulla expreſſa facta mentione paſſionis, & mortis eius, ſed ſubſtantię dūtaxat incarnationis, & finis eius proximi, puta humanæ naturę reparationis, & redemptionis. Et hinc exuberās illa exultationis lętitia exorta fuit in corde Abrahę. Sed ſpecialiori tandem facta reuelatione de Chriſti laboribus, & ærumnis, de ipſaque eius paſſione, & morte pro humani generis redemptione tolerādis, moderatus in eo fuit lętitię affectus, & non exultauit vlterius, ſed gauiſus fuit duntaxat. Vide alias huius loci expoſitiones apud S. Aug. ſerm. 70. de tempore, & lib. 2. de gratia Chriſti, ſeu de peccato orig. contra Pelag. & Cęleſtium cap. 27.

Ad tertiū reſpondetur, quòd prędeſtinatio Chriſti non ſolam cognitionē peccati infallibiliter futuri præſuppoſuit in diuino intellectu, ſed & præſcientiā; ac pręuiſionem eiuſdem peccati, vt iam exiſtentis in natura humana, quod explicabitur in ſolutione confirmationis primę ſexti argumenti. Nec hoc negaunt grauiſſimi Patres Cyrill. & Bernard. explicant autem peccatum originis vt futurum in diuina pręſcientia, eo quod in ordine ad noſtram temporariā mēſuram adhuc reuera futurum erat, cum Chriſtus in eius remedium fuit prędeſtinatus. Sed præſupponebant iſti Patres id, quod ipſi aliàs expreſſerūt, imo & ibidem Cyrill. dixit, & verbis apertis Ambroſ. lib. de fide ad Grati. cap. 7. de hoc eodem incarnationis myſterio loquens, quod ea, quę nobis futura ſunt, iam Deo ſunt facta, id eſt eius ęternitati coexiſtunt, atque adeo diuino ſunt preſentia conſpectui. Auguſtinus verò locis citatis, preſertim in manuali, ſuam mentem explicuit apertè, ſe videlicet loqui de felicitate, & paſcuis, quę redemptionem per Chriſtum factam præſupponunt. Anſelm. & Rupert. explicari poterunt, preſertim Anſelm. in præcipuo quintę noſtrę concluſionis ſenſu, videlicet, Chriſtum in genere cauſæ finalis prędeſtinatum fuiſſe ante præſcientiam peccati, & omnium aliarum rerum, ſecus autem in genere materialis cauſę.

Quarto argumento. Primum dico, nulla poſſe veritate ſubſiſtere id, quod opinatur Scotus, gloriam videlicet, Chriſti animę, quę in diuinę eſſentię viſione, eiuſque fruitione conſiſtit, eſſe vltimum, & pręcipuum bonum, quod Deus in Chriſti incarnatione intendit, & amauit; fuit enim multo excellentius, mul-

multoque anguſtius bonum ipſa incarnationis ſubſtantia, cuius vltimum complementum (cui vltimi finis locum dare ſolemus) non fuit ipſa Chriſti animæ gloria, ſed illa gloria in ſecundo argumento à nobis expoſita, quę ſita eſt in præclara Chriſti nominis exaltatione. Gloria namque animæ Chriſti, ſicut & gratia & cætera ſpiritualia chariſmata, locum habuerunt in Chriſto cuiuſdam diſpoſitionis perfectæ iſtam hypoſtaticam vnionem concomitantis: & minimè rationem obtinent vltimi finis reſpectu ipſius incarnationis Chriſti. Quam tamen rationem habet in nobis, quia per gloriam conſūmatur, & manifeſtatur ipſa Dei adoptiua in nobis filiatio, vt Ioa. 1. cano. cap. 3. magnificis verbis expoſuit, Chriſti autē dignitas non filiationem adoptiuam admittit, ſed conſiſtit potius ſubſtantialiter in naturali filiatione, quę tunc fuit perfectè, & conſūmatè declarata, quādo datum fuit Chriſto nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Ad Philip. 2.

Sed reſpondeo ſecundo. Quod gloria Chriſti ſiue hæc, ſiue illa fuerit, prius fuit in genere cauſæ finalis à Deo volita, & intenta, quam fuerit præuiſum originis peccatum, & quam fuerit volitus, & intentus totus ordo, & naturæ, & gratiæ. In genere vero materialis cauſæ è conuerſo, dicebamus ſuperius, contigiſſe, & nunc ſimiliter affirmamus.

Denique tertio dico. Quod tota Scoti argumentatio, vt ſuperius aduerti, id tantū conuincit, quod magis intenta fuerit, & volita gloria Chriſti, quā vterq; totus, & naturæ, & gratiæ ordo. Non verò probat, quod fuerit prius volita, & intenta.

Ad argumentum quintum. Reſpondetur primo per diſtinctionem primi conſequentis. Si enim illud aduerbium, occaſionaliter, idem denotet, quod per accidens, ſeu quod caſu, & forte fortuna, neganda eſt omnino ſequela, fuerunt enim ex ſumma Dei prouidentia per ſe intentæ, & reparatio humani generis, & incarnatio diuini verbi. Si vero ſenſus fiat, quod ſummum incarnationis beneficium non fuit homini collatum, niſi præſuppoſita, & præuiſa neceſſitate remedij, quam per originis peccatum humana incurrerat natura, concedenda eſt ſequela, neque derogat quidpiam incarnationis Chriſti maieſtati, quod non aliter fuerit præordinata, quam occaſione ſumpta ex tam grandi, tamquè vrgenti humani generis neceſſitate, quin potius ad magna pertinet congruitatem, quod tantum hoc, tamque indicibile beneficium non aliter conferretur mundo, niſi propter tam vrgentem neceſſitatem, tamque communem humani generis cauſam. Sed præterea ad ſolutionis complementum illud eſt addendum, quod ex ſuperius dictis manifeſtè colligitur, ipſam, videlicet, peccati origiualis permiſſionem per ſe fuiſſe in Chriſti incarnationem ordinatam, & in eximiam gratiæ Chriſti manifeſtationem. Illud item aduertat Theologus, quod nulla ratione concedendum eſt, incarnationem Chriſti eſſe bonum occaſionatum, nam licet ex occaſione peccati, & eius remedij hoc beneficium nobis fuerit donatum, non tamen incarnationis Chriſti bonitas, & conuenientia ex hac occaſione pendebat, ſed per ſe, & ſecundum ſeipſam bonum, quoddam eſt excellens, propter ſe amabile, & appetibile, imo vt eius granditas, & excellentia fieret manifeſtior, eiuſque eminentiſſima virtus explicatior, non fuit conceſſum humanæ naturæ, niſi eius indigentia, & neceſſitate ſuppoſita, ad cuius remedium Chriſtus immēſas ſuæ gratiæ diuitias diffunderet: ita vt eius gratia non ſolum iuſtificans eſſet, & ſanctificans, ſed ſimul purgans, & ſanans, reſtaurans, & pacificans, ac totū tandem perfectè conſummans. Niſi enim extaret morbus, medici & peritia, & virtus occultæ permanerent.

Ad primam confirmationem ſuperius reſpondimus ſufficienter circa interpretationem vltimam quartę concluſionis, & S. Thom. ſententiam, vbi explicuimus rationem & cauſas, ob quas ſecundum leges ſuauiſſimæ prouidentiæ Dei, expediens fuit peccati originalis permiſſio; & tandem quod præcipua cauſa, quam vel explicitè vel implicitè intendit fuit incarnatio Chriſti, vt ſcilicet, in ipſo originalis culpæ remedio Chriſtus inenarrabiles gratiæ ſuæ theſauros, & effunderet, & manifeſtaret, quæ ſane manifeſtatio, & effuſio, haud quaquam fieri potuiſſent, niſi communi culpæ originalis miſeria in humana præextitiſſent natura, vt dudum aſſeruimus.

Hanc veruntamen ſolutionem, & doctrinam labefactare videtur modus loquendi, & ſcripturæ ſacræ, & ſanctorum Patrum, quo ſępe ſępius dicitur Chriſtum propter nos in mundum veniſſe propterque humani generis reparationem, & remedium. Omneſque fere Patres vel dicunt, vel inſinuāt, imo, niſi fallor, in ſua doctrina, vt certum præſupponunt, id quod ex Athan. & Cyrill. referebamus ſuperius, nimirum, Chriſtum non propter ſeipſum, & propter commodum proprium in carne veniſſe, ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem. Quod nō ſolum eſt intelligendum de ſuppoſito diuino: quamuis id potiſſimum intenderent cita. patres, ſed etiam de eius humanitate debet accipi. Nam quod Deus illi ſingulari humanitati quam verbum ſibi perſonaliter vniuit, tantum vellet bonum tamque excellens & diuinum conferre, non fuit per ſe primo propter illam ſingularem humanitatem (nam quæ ratio erat vt ei tantum Deus exhiberet amoris affectum? ſed tota ipſa fuit humana natura, ob cuius amorem Dei filius illam particularem aſſumpſit humanitatem. Quod dixit Ioan. verbis illis ſæpe citat. *Sic Deus dilexit mundum*, idest, totum humanum genus, *vt filium ſuum vnigenitum daret*, ſcilicet, ipſi humano generi eius aſſumens naturam. Et notandum non eandem poſſe rationem haberi illius humanitatis ſingularis poſtquam fuit aſſumpta, vel vt ſic adeo, præuiſa, & eiuſmet antequam aſſumeretur, præſcireturque adeo vt aſſumptibilis, & non vt aſſumpta. Nam poſtquam eſt aſſumpta ſpecialiſſimus ei diuinus debetur amor, & quod in eius gloria omnia Deus deſtinaret, & referret. Cui fortaſſis accōmodari poteſt illud Iſai. cap. 43. *Poſtquam glorioſus, & honorabilis factus es in oculis meis, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua*, cæterum ante aſſumptionem nihil horum ei debebatur. Neque vlla erat congruitatis ratio; ob quam tantopere diligeretur, niſi quia erat pars quædam totius humanæ naturæ, quam Deus mire amabat, ac vnicè dilexit, & ita totum ſingularis huius humanitatis bonū in totam retulit humanam naturam. At ſi vera eſt illa ſolutio, totum redemptionis beneficium tandem redu-

Digitized by Google

reducitur ad magnum Chriſti vt hominis commodum, ad eius nimirum humanitatis gloriam quam Chriſtus per incarnationem, vt homo fuit aſſecutus. Et augeo huius difficultatis vim, ſi Deus ex amore Chriſti, & gloriæ eius, & ad diuitias gratiæ ipſius manifeſtandas originale permiſit in humana natura peccatum, amor quo Deus dilexit Chriſtum, eiuſque gloriam, non ſolum non ceſſit in commodum, & vtilitatem naturæ in humanæ, verum è contra, in magnum eius detrimentum, & incommodum, quoniam originale peccatum magnam attulit naturæ humanæ incommoditatem, atq; adeo eius permiſſio non debet inter beneficia humano generi à Deo collata connumerari, ergo, qua cum proprietate cōcedi poteſt Chriſti prædeſtinationem, ex nimio quo nos Deus amore dilexit, ortum habuiſſe intra ipſa diuinæ miſericordiæ viſcera, ſi potius Chriſti prædeſtinatio attulit voluntatem permittendi originale peccatum in humana natura, quo nihil deterius, nihilque perniciosius humano generi potuit accidere? Dices forſan, quod incarnatio Chriſti attulit nobis multo maiorem, & præſtantiorem gratiam, quam fuit illa quam accepit primus homo, vt toti ſuæ ſimul cum originali iuſtitia communicaret naturæ, & licet non extenſiuè ſit maior, ſed minor potius, quia pauciores ſaluantur homines poſt peccatum originis, quam in illo ſaluarentur innocentię ſtatu, vt ego admiſi ſuperius, intenſiuè tamen eſt longe præſtantior, & excellentior: atque adeo ſimpliciter eſt maior. Nam intenſio præferenda eſt extenſioni. Vnde permiſſio peccati originalis, ſecundum quod proceſſit ex intentione Dei, nihil nobis incommodauit, ſed multam potius, & magnam nobis attulit commoditatem.

Sed contra hanc ſolutionem adhuc procedit ex animo non quieto minime contemnenda replica. Dicebamus ſuperius, & id quidem veriſſime, quod quamuis tota peccatorum actualium collectio ſit ſine dubio grauior, & deformior, quam vnicum illud originale peccatum, Chriſtus tamen principaliter in remedium originalis peccati venit, quoniam potius eſt attendenda peccati communitas, quam grauitas. Nam ſicut bonum generis præferendum eſt cuicumque priuato bono quamlibet excellentiori, ita & malum commune, & ſi minus graue ſit, minuſque deforme, eo tamē, quia commune eſt, multu magis eſt vitandum, & repellendum, quam quodlibet malum particulare, quia pernicioſius eſt, ergo ad propoſitum colligo, quod etſi gratia innocentiæ, & originalis iuſtitiæ ſtatus ſecundum intentionem minus perfecta eſſet, quam gratia per Chriſtum collata: optabilior tamen nobis fuit ſecundum rectam, & prudentem rationem, potuimuſque prudenter, & cordate cum Augu. lib. de nat. & grat. c. 26. dicere. *Vtinam non fuiſſet miſeria, neque ipſa fuiſſet miſericordia neceſſaria.* Etenim licèt Chriſti gratia intentione excedat, excedebat tamen extenſione ſtatus innocentiæ gratia: ac proinde erat maius bonum commune, & ob id excellentius, & optabilius. Neque ſatisfuerit dicere ad huius difficultatis euaſionem, quod Chriſti gratia quantum eſt ex ſe communis eſt toti humano generi, ita quod tam de intentionis, quam de extenſionis perfectione verum habeat, id quod Paulus Rom. 5. dicebat. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Non, inquam, hoc dixiſſe ſufficiet, quia ſupponimus, quod innocentiæ gratia, niſi in primo fuiſſet parente deperdita, non modo quoad ſufficientiam toti eſſet naturæ communis, in qua ratione ad paria videntur ſe habere gratia Adę, & gratia Chriſti, verum etiam quod eſſet generalis, & communis vniuerſis ferè hominibus ex Adam propagatis quantum ad efficaciam; pauciſſimique eſſent qui delinquerent, & qui iuſtitiæ, & virtutis officio deeſſent: in quo gratia Adæ videtur, quam plurimum ſuperare ipſam Chriſti gratiam, quæ nec in omnibus nec in pluribus, neque vero, ſi comparatiue ad eos, qui pereunt, loquamur, in multis efficaciā habet: nam *multi ſunt vocati*, dixit Chriſtus Mat. 20. *pauci vero electi.* Neque valet etiam ſi dixeris, quod illud eſt maximum naturæ bonum Chriſtum caput habere, tantoque potiri honore, vt Deus homo ſit, & homo Deus: neque, inquam, hoc valet, dicent enim hi, qui ſi innocentiæ ſtatus perſeueraſſet ſaluarentur, & modo pereunt. Quid nobis prodeſt Chriſtus, ſi damnati in æternum ſine Chriſto manebimus?

Non poſſum his conſideratis non inſcitiam meā libenter fateri, nam poſtquam ſæpe mecum de hac re, & nunc, & olim ad legendum, ad diſputandum, ad intelligendum, ac denique ad ſcribendum cogitaui, vix quicquam inuenire potui, quod meum in hac parte animum quietum redderet. Credo quidē libentiſſime ſubmiſſo ac humillimo corde Chriſto Ioan. 3. dicenti, quod *ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, & Paul. etiam ad Eph. 2. prædicāti, *q propter nimiā charitatē ſuā qua dilexit nos Deus, cum eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Chriſto.* Non tamen plenè rem iſtam calleo, ac penitus percipio, ſi quidem vera eſſet eorum ſententia, qui putāt peccata, antequā exiſtant, non eſſe penitus Deo perſpecta, & quod poſita permiſſione Dei non eſt infallibilis eorum perpetratio; & quod Deus non aliter peccata, neque ſpecialiori prouidentia permittit, quam relinquendo humanum arbitrium operari iuxta leges libertatis ſuæ, quod cum imperfectum ſit, non poteſt non quam ſæpius deficere, & labi. Si hæc inquam vera eſſent, facillima opera, & ego intelligerem, Deum non aliqua ſpeciali permiſſione originale peccatum permiſiſſe, ſed quod abſq; vlla ſpeciali Dei prouidentia, ex labili humanę naturæ conditione dimanauit, & quod Deus illud iam perpetratum videns, totamque conuulſam, & laceratam naturam, tam grandi peccato maculatam, cōſpiciens, viſceribus ſuæ infinitæ miſericordiæ commotus de remedio adhibendo cogitauit; & vt nobis mederetur, noſtroſque exitiales curaret languores proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quid quæſo ſuauius, quidue ad Dei miſericordiam amplificandam, & extollendam accommodatius dici poterat, ſi ea quæ retulimus veritati conſentirent? Verum quis illa credet? Ego vero tunc credam cum Eccleſia ſua auctoritate definierit, nam quæuis alia inferior auctoritas ad horum perſuaſionem, quæ tam apparent diuinæ prouidentiæ, & ſcientiæ iniurioſa, me nullatenus commouebit. Quare alia nobis eſt tenēda via. Et primo quidem his, quæ ſuperius circa finem concluſionis quartę diximus, inſiſtendum erit. Quæ, ne faſtidium

in

Digitized by Google

Ingenere tent, duxi non repetẽda, reuideat illa, qui noſtram voluerit mentem capere. Sed ſecundo aliam mihi viam ſtraui, quam plane ſtratam non reperi, & neſcio an bene, compoſite, & aduertenter gradiẽtibus ſuauis erit, & grata, quam certè ſi ingratam eſſe nouerim facillime ab ea pedes auertam, nollem enim à ſemitis, & veſtigijs antiquorum Patrum, & eorũ, qui in Eccleſia vere ſunt ſapiẽtes, & docti, neq. per latum, vt aiunt, vnguem diuertere. Sed ad rem.

Cenſeo igitur non eſſe veritate conſtans, id quod ipſe ſuperius communiorem ſententiam ſecutus affirmaui, videlicet, quod ſi perſiſteret ille innocentiæ ſtatus, in quo primũ creatus fuit Adã, multo pauciores perirẽt homines, q̃ nũc pereũt, multiq. ſimiliter pauciores à iuſtitię rectitudine caderent, q̃ modo cadunt. Exiſtimo enim oppoſitum eſſe verius, & ſi paradoxica ſit exiſtimatio. (Quandoque ingenio permittendum eſt ſpaciari tantiſper, niſi vel fidei, vel ſanæ doctrinæ ratio in contrarium efflagitet.) Et quidẽ in hac parte non licet recurrere ad ordinem ex diuina prouidentia præſcriptum, quoniam certo certius eſt, nullum alium ordinem à Deo fuiſſe diſpoſitum, & prædefinitum circa hominum ſalutem, præter illum quem de facto ſeruari conſpicimus, neque alia fuit prædeſtinatio, neque alia prædefinitio: Nõ enim mutatus eſt Deus, nec mutata fuere æterna ipſius decreta, quia homines fuerunt mutati. Quare ad ipſas rerum naturas, & conditiones recurrendum erit, & ad modum, quem in ipſis reperimus rebus conſtitutum: hinc enim venari fortaſſis poterimus aliquale huius rei iudicium. Ob id ergo crediderim, quod illo innocentiæ ſtatu perſeuerante in natura humana, multo plures perijſſent homines, quam nunc pereũt, multoque plures ſufficientibus Dei abuterentur auxilijs, quam nunc abutuntur. Quoniam licet in hoc ſtatu, ex parte inferioris naturæ multo plura ad virtutum officia impedienda occaſiones, & allectamenta ſubminiſtrentur. Imo in illo ſtatu inferior hominis portio nullo eſſet ei ad bene operandum impedimento. Sed tamen ex ſuperiore portione, & parte multo grauiora, efficacioraque, ac violentiora in illo ſtatu orirentur impedimenta: Vel vt verius & dilucidius dicam, vnum inſurgeret impedimentũ, quod eſſet virtute, & fœcunditate multiplex. Illud autem eſſet ingens ſuperbiæ, & elationis appetitus, qui omnium eſt malorum fertiliſſima radix. Qui in tribus fundaretur.

Primum in excellentia donorum quibus eſſet ſtatus ille ſpeciali Dei munificantia exornatus, eſt namque excellentia quaſi ſuperbiæ, & elationis nutrimentum. Nam ſicut tinea in delicatiori, & nobiliori nutritur veſte, & panno, ita vanitatis, & elationis appetitus, excellẽtia, & virtutum gloria vti proprio paſcitur pabulo, & quanto fuerit maior, & præſtantior excellentia, tanto illi maior, & periculoſior inſidiatur ſuperbiæ, & elationis cupiditas. Secũdo ipſa humanæ naturæ fragilitas, ac debilitas rationis eius, quæ & ſi iuſtitiæ originalis atque itidem innocentię, & gratiæ donis eſſet reformata, ſemper tamen inter ſuos debilitatis limites contineretur concluſa. Neq; aſcenderet ad fortitudinem Angelicæ rationis ſi cętera ſint in donis gratuitis paria, quamuis, & in ordine ad ſupernaturalia, neque ipſa Angelorum ratio fortis eſſet, & valens. Tertio denique ipſa naturalis inclinatio intellectualis naturæ, quæ alta petit, ad ſuperiora, & eminentiora aſpirat, omnemque quaſi ſine termino (niſi ratio appetitui præſcribat limitẽ) excellentiam affectat. Vnde ſicut portio inferior corporea ad inferiora, & humiliora propendit, pronaque eſt, & decliuis ad ea, quæ ex vili terra originem ducunt. Ita ſuperior, & rationalis hominis portio non minori, ſed rapidiori impetu ſuperiora, & altiora petit, & ad ea in quibus quidpiam eminentiæ, & excellentiæ ſplendeſcit, toto impetu, & conatu fertur. Eamque in hoc breuiori mundo in homine, videlicet, inferior, & ſuperior portio diſpoſitionem obtinent, quam in toto viſibili vniuerſo tenent terra, & ignis, extrema huius viſibilis orbis elementa. Quanto enim pondere terra ad infernum inclinat locum, tanto namque concitu impetu ignis ad ſupernum locum aſcendit. Quo circa tanta poteſt homini eſſe occaſio deficiendi, & peccandi innatus animæ ad excellentiam intellectualis appetitus, quanta eſt eidem ſenſibilis inferioris portionis inclinatio. In hoc quidem corruptionis ſtatu non tam experimur nimiam hanc ſuperbiendi affectionem. Neque tantam nobis occaſionem peccandi offert. *Quoniam corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sap. c. 9. Pondus, namque inferioris partis animũ ad vilia, & humiliora declinat, & in ſenſibilibus occupatum detinet. Hęc enim ſenſibilis inferioris portionis deflexio non ſolum ipſa cum virtute pugnat, verum, & cum iſta de qua loquimur, eleuatione ſuperioris partis cupiditate. Quo circa in illo ſtatu originalis iuſtitiæ, & innocentiæ, in quo anima à terrenis curis, & affectionibus libera prorſus eſſet, & expedita, non poſſet nõ in magno eſſe periculo conſtituta, plus nimio ſe exaltandi, & indebitam ſibi excellentiam appetendi, ſeu pluſquam par eſſet de ſui ſtatus eminentia gloriandi, ita vt ſui conditoris oblitus homo in ſeipſum gloriam haberet, propriamq; oſcularetur manum, *quæ* vt ſanctiſſimus dicebat Iob. cap. 31. *eſt iniquitas maxima*, poſſetque Deus quam ſepius de illius ſtatus hominibus illam formare quærelam, quam Iſai. cap. 1. de filijs Iſrael hiſce verbis propoſuit. *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi vero ſpreuerunt me.* Et expendenda ſunt illa verba *enutriui, & exaltaui.* Quæ ſecundum Hebraici ſermonis rigorem reflexionem quandam in ipſum Deum creatorem denotant, ita quod ſit ſenſus, filios enutriui mihi, & exaltaui mihi, ideſt in honorem, & gloriam meam, ipſi vero huius finis obliti, alium ſibi præſtituentes, propriam videlicet excellentiam, ſpreuerũt me. Si à poſteriori, & ob effectu rem iſtam licet librare, & perpendere, nonne Angeli, & inter eos, vt ſupra dicebam, omnium eorum ſupremus, nimio excellentię affectu, quo Deo ſemetipſos æquare, ſeu aſſimilare cupiebant è cęleſtibus deturbati ſunt ſedibus. Quoniam Deus reſiſtit ſuperbis. Sed quid extra cauſam ad Angelos aſcendimus. Nonne ipſe primus homo cum tantis ſe erga Deum beneficijs deuinctũ deberet agnoſcere, ſuæ conditionis oblitus, ſimilis eſſe voluit Deo, ſcientiamque ſoli Deo reſeruatam attingere. Habuit Angelus, & habuit homo egregium Dei adiutorium, & ſufficientiſſimum auxilium, quo poſſent ſi voluiſſent ſtare, in proprijſque perſeuerare gradibus, ſi debitum, vt par erat, Deo deferrent

ho-

honorem. Sed appetitu inordinatæ excellentiæ deuicti, dum altiora quæſierunt è proprijs deiecti ſunt locis, è ſuiſque gradibus exciderunt. Et reuera vtraque natura Angelica, & humana ſi ſuis tantum innitatur viribus, magnaque Dei non iuuetur ope, impar eſt ad ſuſtinendum tam excellens bonorum cœleſtium pondus, & vt ordinato affectu, & appetitu in eorum ſe contineat complacentia, & vſu, ita vt ſe altiora non quærat, ſed his ſit contentus, quæ ſupra proprium ſenſum diuinitus ei fuerunt reuelata. Et hoc fortaſſis inſinuauit Iob capit. 4. illis verbis. *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum conſumentur veluti à tinea?* Ponderentur illa verba. *Non ſunt ſtabiles*. Deſignant enim conſiſtentiæ defectum in Angelis, inſinuatque Angelicam naturam imparem eſſe ad firmiter, ſtabiliterque ſuſtinẽdum grande illud cęleſte eleuationis pondus: quod Deus ſupernaturalis auctoris officio fungens ipſi Angelicæ ſuperimpoſuit naturæ, miris eam donis exornãs, clariſſimiſque gratiæ, & gloriæ extollens donibus. Vnde factum eſt, vt ſtabiles coram Deo non eſſent inuenti. Ponderanda ſunt præterea illa verba, *Terrenum fundamentum*. Denotant enim infirmitatem, & debilitatem rationalis naturæ erga maxima, & præcioſa ſupernaturalis ordinis bona. Quæ niſi efficaciſſimis iuuetur adiutorijs, citiſſime corruet, ac plane euaneſcet. Sed iam ex his omnibus ſic colligo in forma argumentum, ad oſtendendum quam parum conſiſtentiæ haberet natura humana in ſtatu illo innocentiæ conſtituta, & quam facilis eſſet eius defectus, & caſus. Sic arguo. Non minus eſt naturalis homini excellentiæ appetitus erga res præclaras, & eminentis honoris, quam eſt illi naturalis appetitio ſenſibilis ad bona proportionata ſenſui: ergo tantum illi periculum immineret in illo ſtatu inordinate appetendi indebitam ſibi excellentiam, quantũ in ſtatu naturæ corropię imminet ei periculum inordinatè appetendi bona ſenſibilia, ſenſibuſque vicina, & grata. Rurſus. Inclinatio ſpiritualis eſt multo maior, & vehementior ſi libera relinquatur, & non aliunde frenetur, & deprimatur, quam inclinatio, & appetitio corporalis, & ſenſitiua: ergo cum ſuperior hominis portio in ſtatu innocentiæ non corporis deprimeretur grauedine, & ad ſenſibilia diſtraheretur obiecta, neceſſum eſt dicamus, quod in illo ſtatu maius homini imminebat periculum ſuperbiendi, & excellentiam ſupernaturalium bonorum inordinatè affectandi, quam ſit periculum in hoc naturæ corruptæ ſtatu, ad ſenſibilia bona inordinata concupiſcentia appetendi. Confirmatur. Primus homo, in ſumma dignitate poſitus, magniſque Dei ſuffultus auxilijs per breuiſſimum tempus ſtetit: & mulier quidem ad vnam ſerpentis vocem in ſuperbiam eleuata, & deſiderio ſibi improportionatæ excellentię ſeducta, illam Dei legem fuit tranſgreſſa, cuius adimplementum erat facillimum, & ipſis adeo ſpecialiſſime comendatum. Vir autem leui mulieris ſuaſione, & neſcio qua importunitate victus, ſuperbo quoque appetitui locum dedit. Et neque timor ſubeundæ mortis, cuius communicationis nõ poterat eſſe oblitus, neque magnum illud detrimentum, quod ſuo peccato toti humano generi inferebat, quodque ipſum minimè latuit, valuerunt retrahere ab illo ſuperbiæ vitio, quod non tam verbum mulieris ſuadentis, quam ipſa quaſi naturalis animi eleuatio eius impreſſit cordi. ergo ſignum eſt manifeſtum, quod ſi primi homines in quibus, & rationis vſus, & ipſetum corporis, tum mentis vigor tam excellenter vigebant, & quibus tam cumulate gratuita, & ſupernaturalia conceſſa ſunt dona, tanta cum facilitate prolapſi ſunt, tamque ſubito ad affectum aſcenderunt ſuperbiæ, vt quaſi ex adipe videretur iniquitas eorũ prodire: quod ſi ſtatus ille diu perſeueraſſet, ſimile quid accidiſſet omnibus fere illius ſtatus hominibus, niſi Deus ſpeciali fauore) qui tamen illi ſtatui non erat debitus) non ipſis miſericorditer opitularetur. Valet enim argumentum à maiori ad minus, à perfectiori ad minus perfectum, à potentiori, & robuſtiori ad minus potentem, minuſque robuſtum, & fortem. Si tam facile victus eſt primus homo ſapientiſſimus, potentiſſimus, & corpore, & animo robuſtiſſimus: quid de alijs minus ſapientibus, minus valentibus minuſque robuſtis, & fortibus cenſere debemus, ſi prudenter: & rationabiliter rem iſtam perpẽdimus, & iudicamus? Docet enim prudentiæ regula, vt ex prioribus, & quæ anteceſſerunt, ea cõiectemur, quæ in poſterum poſſunt contingere.

Dicet quiſpiam. Primi hominis caſum ſpeciali Dei prouidentia fuiſſe permiſſum: atque adeo non poſſe ex eo ſufficiens indicium deſumi comparatione ad alios homines, qui in illo ſtatu ſucceſſiſſent. Hæc ſolutio alijs me doctioribus probabilis eſſe poterit, mihi vero apparet impertinens. Quoniam quæcumque ibi admittatur ſpecialis Dei permiſſio, non tollit quo minus primus homo fuerit conſtitutus in apice totius innocentiæ ſtatus, & quod aderant illi omnia ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca Dei adiutoria, quæ debita erant innocentiæ ſtatui, imo quæ debebantur homini, qui primus fuit, & princeps illius ſtatus, & qui non priuatam, ſed communem totius generis humani cauſam gerebat. Si ergo homo hic tantis præſidijs, & adiutorijs munitus, tam cito defecit, & corruit, in ſuperbumque fuit affectum tã arroganter elatus, quid de alijs iudicare debet, qui rem iſtam æqua lance librauerit?

Scio obijcies mihi originalis iuſtitiæ virtutem, quæ nullum inordinatum in anima permittebat affectum; ac proinde dices, quod niſi ab extrinſeco praua homini imprimeretur ſuggeſtio minime in affectum ſuperbum, & deordinatum incideret. Ita obiicienti ſic reſpondeo. Me non videre cauſam quare ſupremus Angelus nullo extrinſeco ſuggerente, in ſuperbiſſimum aſcenderit affectum, & quod primus homo originali iuſtitia ornatus non poſſet à ſemetipſo in ſimilem appetitionem prorumpere, abſque vllo extrinſeco ſuggerente, aut excitante. Nunquid originalis iuſtitia perfectiorem reddidit primum hominem, quam eſſet ille ſupremus omnium Angelorum ſpiritus, omni virtutum decore ornatiſſimus, qui in ſcriptura ſacra ſignaculum ſimilitudinis idcirco appellatur, quia tota Dei ſimilitudo cæteris creaturis communicata, in ipſo quaſi quodam epilogo fuit collecta, & tanquam in ſupremo diuinæ virtutis opere conſignata. Cenſeo igitur originalem iuſtitiam, ita primi hominis animam compoſuiſſe, quod poſſet, ſi vellet, vniuerſa vitare peccata, &

quod ita omnes animæ vires inferiores comprimebat, vt è rationis dictamine minime exorbitarent, neque ipſum rationis iudicium præuenirent, & animaduerterent, quandiu ſuperior ipſa ratio Deo permanſiſſet coniuncta. Verum quod ipſa ſuperior animæ portio, non poſſet ex ſe ipſa abſque aliquo extrinſeco ſuadente deficere, & per ſuperbiã, & inobedientiã ſua male vtens libertate peccare: nullatenus intelligere valeo, neque pro contraria ſententia rationem vllam video. Fateor quidem, quod primum cuiuſcũque hominis illius ſtatus peccatum deberet eſſe mortale, quia eſſet deuiatio ab vltimo vero fine. De qua re non eſt in præſentia diſputandum, S. Tho. trac. de originali iuſtitia, cum de primi hominis ſtatu diſputationem inſtituit 1. p. q. 95.

Sed iam vlterius progredior in huius paradoxicæ ſententiæ confirmationem. Homines in illo ſtatu nō habuiſſent auxilia ita efficacia, atque habent homines per Chriſtum redempti, quod colligitur ex S. Tho. 1. par. q. 95. art. 4. Eſtque doctrina apud Theologos recepta communiter. Item extrinſeca motiua & incitamenta ad peccandum, & ad perpetrandum peccatum illud, quod eſſe poterat in illo ſtatu puta, peccatum inobedientię, & ſuperbiæ, haudquaquam deeſſent. Nam ad innatam Demonis inuidiam attinebat, non permittere hominum vllum in ſtatu innocentiæ perſiſtere, ſi aſtutis, callidiſque ſuaſionibus, id poſſet efficere. Ad reſiſtendum autem illis extrinſecis ſuaſionibus parum erat potens homo in illo conſtitutus ſtatu, vt rei probauit euentus. Si ergo Dei auxilia debiliora erant, & ad peccandum incitamenta fortiſſima: quare non dicemus, quod homines illius ſtatus non magis, quin potius minus in virtutis officio perſeueraſſent, quam homines per Chriſtum redempti? Fateor quod ſtatus ille nō erat expoſitus periculo tantorum criminum immediate, & primario, quam eſt noſter hic ſtatus naturæ corruptæ. Sed peccatis tantum ſpiritualibus patebat aditus in ſtatu illo, & præſertim ſuperbiæ vitio, quod erat quaſi illius ſtatus proprium. Dixi formaliter, & primario: quoniam poſtquam quis originalem iuſtitiam per peccatum ſpirituale deperderet, continuo maneret expoſitus ſenſualibus etiam vitiis: Et ita videmus contigiſſe primis parentibus, qui mox, vt in ſuperbiam fuerunt elati, & eſſe ſicut Dij ſtulte appetierunt, in gulæ inciderunt peccatum, de pomo ſibi vetito comedentes. Continuoque matri Euæ pomum viſu pulchrum, & delectabile apparuit. Præterea ex ijs, quæ contingunt nobis colligo, quam potens eſſet in illo ſtatu ſuperbiæ appetitus. Experimento didicimus, quam ſit difficilis humilitas in hominibus, qui vel ditione, & imperio, vel auctoritate in Rep. vel ſapientiæ, & prudentiæ ſplendore emicant, & ita de ſcientia dicebat Paul. 1. Corint. cap. 8. quod *ſcientia inflat*. Item viri ſpirituales experiuntur, quod poſtquam carnis conculcauerunt affectus, magnum eis inſtat, & ingens certamen cum ſpiritu elationis, & ſuperbiæ, ergo, quid cenſendum eſt de hominibus in tam excellenti conſtitutis ſtatus dignitate?

Hac igitur ſententia ſuppoſita, quam vix poſſum ab animo euellere, optime actum eſt à Deo cum humana natura, permittendo in primo homine primum illud peccatum, quod totam ipſam infecit, vt eſſet occaſio incarnationis Chriſti, & aduentus eius, vt per ipſum ſuſciperet homo duplicia pro omnibus peccatis ſuis, gratiam, videlicet, quæ & intenſione, & extenſione multis partibus excederet gratiam iuſtitiæ originalis, & innocentiæ ſtatus. Vnde ſiue ad prædeſtinationem Chriſti, qua originali peccato præuiſo Chriſtus prædeſtinatus eſt redemptor, & reparator humani generis, ſiue ad præuiam Dei voluntatem, qua iſtud primum voluit peccatum permittere, vt Deo occaſionem offerret Chriſtum prædeſtinãdi occurras, nihil inuenies in Deo aliud, quam ſummã erga homines miſericordiam, pręcipuumque humani generis amorem, qui ſic mundum dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret.

Exiſtimo hãc doctrinã fundari poſſe in his quæ in 3. argumento retulimus ex Cyr. Alex. li. 5. Theſ. c. 8. Ita inquit, *præuidit Deus peccaturum hominem, & in mortem caſurum, præuidit etiam conſerentia generis eius, & quomodo reuocaretur, & ad immortalitatem rediret. Ideo quaſi radices huius ſpei in filio ſuo nobis depoſuit, per quem ad adoptionem nos vocauit, & omni benedictione ſpirituali nondum factos muniuit, vt quãdo præuaricatione in morte caderemus ex priſca illa radice in vitam rurſus reſurgeremus, & veluti iam benedicti non omninò ſemperque iacere poſſemus*. Et paucis interiectis verbis, quæ ad hoc propoſitum ſunt etiam valde ponderanda, ſubiunxit alia, quæ in quinto argumento referuntur, quæ ſunt cum alijs, quæ in textu habentur omninò legenda. Ex quibus tamen auferenda ſunt illa verba, *propter ſuſpitionem peccati*, quæ per errorem fuerunt ibi impoſita, nec enim in textu habentur, nullam namque Cyrill. in Deo ſuſpitionem agnouit, ſed certam, & determinatam futuri peccati præſcientiam. Sed iam ſic expendo hæc Cyrilli verba. Nam ſi attente legantur eam apparebit mentem huius doctiſſimi, & ſanctiſſimi patris fuiſſe præcipuam, ac radicalem incarnationis Chriſti, & prædeſtinationis eius occaſionem, ipſam fuiſſe defectibilitatem humanæ naturæ, quæ in quocunque ſtatu conſtituta facillime in peccatum rueret, in ipſoque perſeueranter iaceret, niſi tam excellens architectus Deus ſolidiſſimum ſuæ ſtructuræ iaceret fundamentum, Chriſtum, videlicet, in quo homines radicati, & fundati, & ſtare poſſent, & ſi quãdo caderent huic fundamento innitentes poſſent reſurgere. Itaque non reuocat decretum prædeſtinationis Chriſti ad ſpecialem permiſſionem, qua Deus eo tantum fine vt diuitias gratiæ ſuæ, & magnificentius communicaret, & perilluſtrius oſtenderet, originale permiſit peccatum, quamuis neque hoc negauit, neque vero nos negamus, ſed admittimus libentiſſime, verum cõtendimus cum hoc fine à Deo principaliter intento ſimul occurriſſe diuinæ menti aliud, puta maius, & excellentius humanæ naturæ bonum, quod illi erat ex Chriſti meritis obuenturũ, præſtantioremque gratiam non intenſione ſolum, ſed intenſione, & extenſione ſimul, ſine qua multo pauciores ſaluarentur homines, etiam ſi innocentiæ ſtatus perſeueraſſet, quam ſaluantur in hoc ſtatu naturæ corruptæ Chriſti tamen ſanguine reparatus. Bernard. in locis tertio argumento citatis tantiſper huic fauet ſententiæ. Sed fauet quamplurimum Aug. in illis cit. verb. *Vtinam non fuiſſet miſeria, &c.* Qua ratione pater hic totius ſapientiæ lumen pru-

dentér

Digitized by Google

denter potuit, tam deteſtari originis culpam, & deſiderare illius miſeriæ carentiam, & eam miſericordiæ per Chriſtum acceptæ præferre, cum Gregor. ab vniuerſis tum alias, tum præcipuè in hac parte laudatus dixerit, *O felix culpa? &c.* Ego ſane in hoc ſenſu illam Auguſtin. citata verba intelligo, quod optauit Auguſt. vt non eſſet miſeria, ideſt, quod ille ſtatus in quo fuit Adam conſtitutus, cum primum fuit conditus, non tam fuiſſet labilis, tamque facili ruinæ expoſitus, vt ei non fuiſſet neceſſaria originalis culpæ permiſſio, vt tandem per Chriſti miſericordiam, & gratiam repararemur. Et hanc ſtatus infirmitatem, vocauit Aug. miſeriam.

Ad ſecundam confirmationē dicitur, quod vtroque modo potuit præſciri peccatum in genere cauſæ materialis ante prędeſtinationem Chriſti, & vt pręexiſtens per ſcientiam viſionis, & vt infallibiliter futurum, per ſcientiam permiſſionis. Et quidem de priori modo ſatis conſtat ex dictis. Nam ſicut totus ordo naturę, & gratię potuit ex parte materię, vt fundatus, & exiſtens pręintelligi ad Chriſti prędeſtinationem: ita & peccatum originis potuit eo modo præſciri, vt humanæ naturæ inexiſtens. De ſecundo modo maior eſſet difficultas, ſi in præſentia foret pertractanda, ſed non eſt locus tam prolixę diſputationi, quam exacte diſſerui in primo lib. de origi. grat. tract. 3. Nunc autem præſupponendum eſſe duxi poſſe Deum cognoſcere peccatum futurum, vt infallibiliter futurū, ſiue iſto ſiue alio modo fiat, quod in in tractatu illo tertio explicui latiſſime.

Ad tertium argumentum reſpondetur, nos minimè poſſe complacere in peccato Adę, quia ſicut non ſunt facienda mala, vt veniant bona: ita neque licet complacere in malo propter bonum ſubſequutum euentum. Licet tamen de ipſo euentu bono lętari. Et ita fas eſt nobis gaudere de Chriſti prędeſtinatione, & in eius gratia lętari, quamuis ex peccato occaſionata fuerit iuxta modum ſuperius expoſitum. Imo exiſtimo, quod poſſumus lętari de permiſſione, qua Deus ipſum permiſit originis peccatum, quia illa permiſſio bona fuit, & nobis valde vtilis. Auguſ. vero ibi citatus rōnabiliter de facto deſiderabat, vt nō fuiſſet miſeria. Quo loco, vt nunc nunc dicere cęperam, miſerię nomine non originis duntaxat culpam intellexit Auguſt. ſed & totam humanę naturę, quā cognouit, inſtabilitatem erga cęleſtia. Quę tanta eſt, vt etiam in fęliciſſimo illo innocentię ſtatu (ſi felix is dicit poteſt cuius inſtabilis eſt fęlicitas) non ſolidū gratia repperiret in homine fundamentum. Neque plane mirum, nam *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles*, inquit ſanct. Iob. Expende particulam, *Ecce*, nā rem admiratione dignam ſubindicat. Neque vero admiratione vacat, vt ij qui ad hoc ſunt in cęlo Empyreo creati, vt coram Deo ſtarent, non ſint ſtabiles. Cur quęſo Deus non ſtabilis condidit naturę, vt ſine cadendi periculo in tam ſublimi loco conſtituti coram ipſo adſtarent, eique indeficienter deſeruirent?

Reſpondent nobis Patres. Quia omnis creatura ex nihilo eſt, & ad defectum proinde & ad nihilum reſpicit: nulla ergo ſtabilis eſſe potuit creata natura. Quid igitur de illa quę creata ex nihilo in terreno ſtabilita eſt fundamento. Niſi Deus ei fundamenti loco lapidem electum, ſubſtituerit Chriſtum, vt Cyr. dicebat. Quo pacto Iacob ſecurus dormiret, niſi lapidem illum ſupponeret capiti, quem ipſe in titulum erexit, poſtquam ſcalam cæli cacumina attingentem ex loco, vbi lapis ille fundatus erat, conſpexit aſcendere Gen. 28. Non ergo ſine tam firmo, tāque ſolido hoc fundamento firma potuit in ſtatu aliquo conſiſtere ſalus. *Quia fundamentum aliud nemo poteſt ponere* dicebat Paul. 1. Corin. 3. *præter id, quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus.*

Sed obijcis mihi ruinam Angelorum quæ paucis contigit, ſi ad millia millium, & decem centena millia Angelorum Deo miniſtrantium comparatio fiat. At ſi natura Angelica ex ſe tam fuit, vt inſinuabamus inſtabilis, multo plures oportuiſſent cadere.

Reſpondeo, quod cum conderentur à Deo, vt coram illo ſtarent, Deum ipſum intererat auxilia efficaciſſima eorum multis præſtare, ne cęlum Empireū ipſis Dei miniſtris locum apertiſſimum dicatum, vacuum aut fere vacuum relinqueretur. Neque enim probabo aliquādo, id quod iuniores quidam Theologi, tam ſine fundamento vllo conſtantiſſimum eſſe putant, nimirum, efficaciā auxiliorum in Angelis ex libera eorum voluntate penſari debere: & quod prædeſtinatio Angelorum ad bonum ipſorum vſum reuocanda eſt. Nam in cęleſti Hyeruſa. eamdem eſſe menſuram hominis, & Angeli dixit S. Io. Apoc. c. 21 & omnem creatam naturam debiliſſimum eſſe cenſeo gratiæ fundamentum. Neque pedes, ideſt, affectus creaturæ cuiuſpiam ſufficiunt non moueri in loco tam prominenti locati. Altius ergo, & firmius fundamentum in Angelis eſt quærendum, quam ſit liberum eorum arbitrium: quod ex ſe vanitati ſubiectum eſt, ſicut, & humanum. Et ad ſpecialem Dei miſericordiam, & gratiam recurramus, qua Deus cum Angelis, qui in ſuis domicilijs permanſerunt, gratuita ſua voluntate vſus eſt. Quæ plane ſpecialis Dei miſericordia decebat quamplurimum primo illos cælicolos. Quia, vt dixi, non ad paradiſum voluptatis cuſtodiendum, & ad laborandum in eius terra conditi erant, vt primus fuit terrenus Adam, ſed vt ſtatent coram Deo: eique, vt par erat, ſeruirēt. Verū vt cognoſcerent Angeli, quibus tanta hæc affuit Dei miſericordia, ſuæ naturæ conditionem, ex omnibus ordinibus, & gradibus permiſit non paucos ruere, imo & eorum ſupremum, vt iam me cum Gregor. Magno opinari dixi. Cuius ſententiæ in ſcripturis ſacris non leue reperimus fundamentum. Cum homine vero proportionabiliter quodammodo ſe geſſit Deus: nam ſicut cecidit primus in dignitate Angelus, ita cecidit primus origine homo, & in quo tota innocentiæ ſtatus ſplenduit excellentia. Sed in eo fuit abſimilis caſus, quod Angeli caſus ſingularis fuit, caſus vero hominis toti fuit humanæ naturæ communis.

Sed hæc diſparitas aliunde fuit cum fænore reparata, & reſarcita: cum tam excellens humano generi beneficium fuit exhibitum, vt verbum fieret caro, & in hominibus habitaret, eſſetque caput totius eccleſiæ ſupremum, miraque ad influēdum in membra virtute fæcundiſſimum: eſſet & primum totius cęleſtis ædificij firmiſſimum fundamentum. Angelis quidem ſpecialem tribuit præſeruationis gratiā, & id quidem vt dicam, 3. dub. ſine Chriſto. Homini vero reſurgendi per Chriſtum, in eoque ſtandi

nai-

miſericordiam conceſſit. Et omnibus Deus perſpectum eſſe voluit, quod gratia etſi natura ſua firmitatem habeat, & robur, quia generis eſt diuini, quod non ex nihilo ſuam traxit originem, ſed eſt ipſum eſſe. *Sum qui ſum*, dicebat Deus Exod. 3. Eſt tamen in creaturis ſuſcepta quaſi arma Saulis Dauidi, & ſuſcipitur in creaturis ad modum earum, videlicet, defectibiliter. Nam licet ipſa gratia minimè deſit alicui, omne autem creatum arbitrium facillime poterit ei deeſſe, & ob id hortabatur Paul. ad Hebr. c. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*. Voluit ergo Deus in his, quæ Angelis, & primo homini contigere, ſignificationem huius rei facere, vt omnes quibus ſtabilitas in gratia, in eiuſque rectitudine quaſi diuina ſorte contigerit, agnoſcat erga ſe ſummam Dei miſericordiam, & nihil ſibi reſeruans, ſoli Dei miſericordiæ, ſpecialiſſimæ eius nulli debitæ gratiæ, omnia ſua bona referat accepta, & dicat cum Regio Propheta. *ſaluum me fecit quia voluit me*. Hæc tam late dixi, vt nonnihil adijcerem roboris illi ſingulari noſtrę exiſtimationi, qua exiſtimauimus præſentem hunc, quem ex Chriſti dono, colimus ſtatum, non ſola dignitate capitis, & efficacię gratiæ (quam in quibuſdam exequitur) innocentiæ ſtatui pręſtare, ſed & in ſecuritate, & firmitate, ac in ipſa proinde formali ſtatus ratione: ita quod multo ſecurius in hoc viuimus ſtatu, etſi tantis inimicorum telis expoſiti, quam in ſtatu illo, qui Adam non peccante, perſeueraſſet viuerent homines. Qui pleno ore dicere poſſent, id quod Paul. cum Chriſtianis omnibus, ſed cũ viris prę ſertim, qui ad perfectionem aſpirant, ad Epheſ. 6. capit. dicebat. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & rectores tenebrarum harum in cœleſtibus:* tunc enim non ceſſaſſet inuidia ſpiritualium inimicorum ſuper cęleſtia, inuiderẽt enim quamplurimũ hominibus innocentię cuſtodiam. Et eo magis curarent eos ab innocentiæ faſtigio deijcere, quanto periculoſiorem agnoſcerent eſſe caſum. Nam firmiſſimo huius noſtri ſtatus ſublato fundamento, nimirum Chriſto, ſemper aut fere ſemper iacerent, qui caderent, vt Cyrill. loc. cit. non obſcurè inſinuauit. Etſi ab extrinſecis inimicis tantum hominibus tunc immineret periculum; neque intra ſemetipſos, & ex ipſis ſecuritatem ſibi ipſis rationabiliter polliceri poſſent. Nam etſi originalis iuſtitia rationi erga inferiora compeſcenda magnum homini præſtitit vigorẽ; at erga ſuperiora, id non valuit efficere.

Vnde non firma erat mentis ad Deum adhæſio per gratiam: etſi ipſa perſeuerante, portio hominis inferior plenè, & in omnibus ei obediens ſubſiſteret. Itaquè iuſtitia originis cum ſubſtantialiter ordinem, & limites non tranſiret rationalis naturæ, neque ſupernaturalem ipſum attingeret finem, niſi ex gratiæ conſortio adiuta; nullam erga ſupernaturalia vim contulit, etſi inferiora abſtulerit impedimẽta. Quocirca rationalis natura ſolis viribus gratiæ erga ſupernaturalem finem tunc fidere poterat, quæ in illo ſtatu inferiores multo eſſent, quam ſunt eæ, quas cõfert gratia nobis per Chriſtum donata. Atque adeo erga finem hunc rationali natura altiorem, multo firmior eſt ſtatus hic noſter in firmiſſima fundatus petra, quam eſſet ſtatus ille in quo primus homo poſitus fuit. Qui ſtatus erat quoque primus in ordine gratiæ. Cum enim ordo gratiæ inferior ſit ordine hypoſtaticæ vnionis, non habuit à Chriſto primum inchoari, ſed per ipſũ conſũmari, & perfici, & ſi opus fuiſſet (vt reuera fuit) reparari. Et hæc ſufficiant dixiſſe occaſione illorum Aug. verborum. *Vtinam non fuiſſet miſeria*, ideſt, vtinam tam labilis non eſſemus conditionis, ſed in illo poſſemus fęlici ſtatu perſeuerare. Et poſſet quidem primus homo, quia vnde perſeuerare poſſet accepit, vt Aug. ipſe dicebat. Sed poterat, vt ſolent dicere Theologi, in ſenſu diuiſo, non vero in ſenſu compoſito, ideſt, gratia ſufficiens ad perſeuerandum præſtabat auxilium, ſed quamdiu ſolidiori non innitebatur fundamento, puta Chriſto, tandem ex noſtræ naturæ debilitate infallibiliter omnia ruerent. Et hanc ruinæ infallibilitatẽ Augu. vocauit miſeriam, quam deſignauit de correctione, & gratia c. 12. cum dixit, quod primus homo vnde perſeuerare non accepit, ſed accepiſſe tamen vnde potuiſſet perſeuerare ſi vellet; Accepit quidẽ poſſe, ſed non accepit velle. Quod puto deſignatum fuiſſe in illis verbis Eccl. cap. 15. *reliquit illum*: ſcilicet, primum hominem *in manu conſilij ſui*, itaque non ſolã libertatem vtcumque deſignant verba iſta, ſed libertatem non adeo confirmatam, & ſtabilitam in bono, ſed ſibi totaliter commiſſam, quod ſane ad magnam hominis miſeriam pertinet.

Ad ſextum argumentum neganda eſt ſequela. Ad probationem dicitur. Quod prædeſtinatio, & Chriſti, & ſanctorum, originalis culpæ ſuppoſuit præſcientiam, neque huic veritati contradicit Paul. in argumento citatus. Quoniam de actuali tantum merito loquebatur Apoſt. de qua re 1. par. quæſt. 23. artic. 5.

Ad primam confirmationem, primum reſpondeo non eſſe vllum inconueniens admittere originis peccatum cauſam fuiſſe reprobationis, quod cõceſſit Aug. & forſam S. Doct. non negauit: ſed ſi velimus contrariam tueri ſententiam, maiorem patiemur difficultatem, Mag. Med. 3. p. q. 1. art. 3. multa dicit in huius argumenti ſolutionem, & tandem, vt tueatur nullam dari reprobationis cauſam, dicit, quod ante prædeſtinationem Chriſti Deus non prę uidit peccatum primi hominis, vt commiſſum, & actu in humana natura exiſtens, ſed præſciuit illud, vt infallibiliter futurum. Vnde nullum demeritum præceſſerat ex parte hominum, etiam originale, in diuina præſcientia antequam prædeſtinaret electos, & miſeros homines reprobaret. Hæc tamen ſententia alijs omiſſis, quæ ei poſſent opponi, propter duas cauſas non placet. Prima, quia ſequeretur ex hac ſolutione Chriſtum non fuiſſe formaliter prædeſtinatum, vt redemptorem, conſequens eſt falſum, ergo, &c. Sequela probatur, in illo ſigno, in quo fuit prædeſtinatus, nulla erat ſeruitus in natura humana, nullumque ſeruitutis contrahendæ debitum, ergo pro illo ſigno Chriſtus non potuit habere formalem rationem redemptoris. Imo videtur ſequi, quod quãuis poſtea nullum ſequeretur peccatum, Chriſtus veniret in mundum, ex vi decreti prędeſtinationis ſuę, quia prædeſtinatus fuit non præſuppoſito peccato. At prius non pendet à poſteriori.

Secunda cauſa eſt. Quoniam ſi Deus præſciuit peccatum infallibiliter futurum, iam datur ſufficiens reprobationis cauſa. Vniuerſi enim Theologi cum de

reprobatione tractant, admittunt, quod ſi Deus antequam reprobaret homines certo præſciuit eos male vſuros eſſe ſua vocatione, & gratia, ex cauſa eos reprobauit, & non ex mera voluntate ſua. Nam diuinæ voluntatis, qua Deus vellet reprobare illos homines, veram aſſignaremus cauſam, ſcilicet, malum eorum vſum futurum à Deo præſcitum. Si reprobatio eſſet formaliter iuſtitiæ vindicatiuæ opus, ita quod eſſet vera punitio; neceſſarium eſſet, vt eius cauſa eſſet peccatum actu commiſſum, & perpetratum. At reprobatio formaliter non eſt punitio, ſed opus prouidentiæ ſpecialiſſimę permittentis defectum in natura defectibili, & ſubtrahentis auxilium merè liberale, & nulla ratione debitum. Vnde ſufficientiſſima cauſa erit ad reprobandum aliquem, eius peccatum præuiſum, vt infallibiliter futurum. Non ergo Mag. à Medina hac via argumentum diſſoluit, ſed dum Scyllam fugit in caribdim incidit.

Prętermiſſa ergo hac ſolutione dico, reprobationem pręſuppoſuiſſe peccati originalis actu exiſtentis pręſcientiam; neque inde tamen ſequitur dari reprobationis cauſam. Quoniam licet illud peccatum ex ſe ſufficiens eſſet cauſa reprobationis, non tamen Deus illud aſſumpſit vt cauſam.

Sed rogas, vnde ſcimus Deum illud non aſſumpſiſſe, vt reprobationis cauſam, cum ex natura ſua verum eſſet demeritum, & ſufficiens proinde cauſa, vt Deus reprobaſſet non aliquos, ſed etiam homines vniuerſos. Reſpondeo. Quod primum hoc ſcimus à poſteriori: quia, videlicet, ſi Deus illud vt cauſam aſſumeret, omnes reprobos propter illud peccatum reprobaſſet, quod tamen falſum eſt. Nam multis reprobis per baptiſma remiſſum eſt originis peccatũ: atque adeo non poteſt in eis dici reprobationis cauſa. Secundo id ipſum ſcimus à priori, nimirum, quia Deus dedit Chriſti paſſionem toti naturæ humanę, vt per ſe primo ſufficiens eſſet remedium in omnibus pro originali culpa, ex quo probabiliter colligimus, quod ſi Deus toti naturæ dedit hoc commune, & ſufficiens remedium, & ex primaria intentione ad originalis peccati remiſſionem, quod non voluit aſſumere hoc peccatum pro ſufficienti reprobationis cauſa, ſed de hac re copioſius diſputatur prima p. q. 23. ar. 3.

Ad ſecundam confirmationem nego ſequelam. Ad probationem dicitur primo, quod non ex amore Adæ, vt ſingularis erat perſona, Deus factus fuit homo, ſed ex amore naturæ humanæ, quæ in Adam, vt in primo capite præfuit tota. Et quidem ſi vera ſunt, quæ paulo ante dicebamus, poſtquam intelligimus Deum propter ſeipſum, propterque ſuam amplificandam, & illuſtrandam gloriam, voluiſſe ſe tribus illis ſupra connumeratis modis communicare, prius rationis ordine quam voluiſſet verbum hominem fieri, humanam conſpexit naturam, eiuſque ex vna parte dignitatem, & ex altera neceſſitatem intuens, ipſam prætulit Angelicæ naturæ, & ſemetipſũ ei communicare decreuit, eo modo, quo eius communicatio fructuoſior, & glorioſior eidem naturæ eſſe poſſet, qui modus fuit iſte quem Deus elegit de facto, originis peccatum permittens, vt in eius reparatione, & Chriſti dignitas, & eius gratiæ virtus ſplendeſcerent magis, & natura humana pluribus exornaretur donis, excellentioribuſque donaretur beneficijs. Itaque licet independenter ab amore naturæ propter ſuam gloriam manifeſtandam decreuiſſet per vnionem hypoſtaticam ſeipſum communicare, verum quod fieret homo, & quod paſſibilem, & mortalem carnem aſſumeret diſpoſitum fuit, & decretum dependenter (ſi ita licet loqui) ab amore naturæ humanæ, non tamen ab eius prædeſtinatione: illa enim voluntas qua Deus humanã dilexit naturam, antecedenter ſe habuit ad ſanctorũ prædeſtinationem: quæ poſterior fuit ipſa Chriſti prædeſtinatione.

Secundo reſpondetur iuxta alium dicendi modũ, qui forte gratior erit Theologis, quia communior eſt, & antiquior (etſi neſcio an verior) quod Chriſtus in genere finalis cauſæ fuit ſimpliciter, & prædeſtinatus, & prædilectus, antequam quicquam Deus de natura humana, deque eius amore, ac de hominum prædeſtinatione tractaſſet: quamuis in genere cauſæ materialis, vt ſępe dixi, antecederet præſcientia naturæ humanæ, & originalis peccati, &c. Sed tamen diximus quoque ſuperius, quod ſecundum quid reparatio humanæ naturæ finis rationem habuit reſpectu incarnationis Chriſti, quatenus Chriſtus paſſibilem carnem, & mortalem, aptamque noſtræ redemptioni aſſumpſit. Itaque cum hic non alia prioritas ſit inquirenda, niſi quæ conſiſtit in cauſalitate, & dependentia, quæ inter res ipſas à Deo præuiſas, & prædeſtinatas reperitur, ſingula erunt ſingulis accommodanda; vt hanc cauſalitatis dependentiam inueniamus, ac ordinẽ proinde prioritatis in æterna Dei præordinatione. Dico ergo quod ſi natura humana, omni cum naturali, & ſupernaturali perfectione ſua abſolute conſideretur reſpectu Chriſti, non determinando hunc, vel illum ſtatum, in quo Chriſtus eſſet, mortalem, videlicet, aut immortalem, rationem habuit medij, & Chriſtus præintentus fuit, & præuolitus per modum finis. Et id ipſum, & fortiori ratione dicendum eſt, ſi conſideretur natura humana cum omni ſua perfectione per comparationem ad Chriſtum in ſtatu glorioſo conſtitutum. Cæterum ſi natura eadem humana eiuſque reparatio, & redemptio comparetur ad Chriſtum conſideratum in carne mortali, & paſſibili, in humilique viatoris ſtatu, Chriſtus ſecundum hunc modũ conſideratus rationem habuit medij, comparatione ad naturam humanam, ad eiuſque redemptionem, & ſalutem, ipſa autem natura eiuſque ſalus rationem induit finis proximi, & immediati, ac proinde prædefinitio, & prædeſtinatio Chriſti, vt futuri in carne paſſibili, & in carne proportionata humanæ redemptioni, præſuppoſuit ipſius humanæ naturæ dilectionem, & intentionem redemptionis, & ſalutis eius. Neque tamen huic licet inferre, quod Chriſtus prius fuerit prędeſtinatus abſolutè venturus, quã prædeſtinaretur venturus in carne mortali. Quia in vnico inſtanti rationis, prædeſtinatus fuit venturus, & taliter venturus: & fuit prædeſtinatus vt eſſet immortalis, & glorioſus, qui eſt ſtatus connaturalis, & debitus ipſius Chriſti dignitati, dependenter tamen ab eius paſſione, & morte: ſed ea, quæ in illo ſimpliciſſimo rationis ſigno contigere, nos rationabiliter diſtinguimus, & per noſtrũ intellectũ ſecernimus ac cõmodãtes ſingula ſingulis. Quod explicari poterit,

exem-

Digitized by Google

exemplo naturalis generationis ſuperius adducto, circa quandam ſimilem huic ſolutionem, quam ob id tunc noo probauimus, quia in ſententia Scot. de qua tnoc fiebat ſermo, hæc ſolutio locum nõ habet.

Ad tertiam confirmationem, ſuppoſitis his quæ nunc dicebamus, quæ ſunt velut fundamenta totius doctrinæ S. Thom. in hoc tractatu ſupponenda: Reſpondetur. Nullum eſſe inconueniens, imo eſſe rationabile, quod maius bonum quandoque referatur ad minus bonũ vt medium ad finem, quando minus bonũ nõ propter ſe principaliter appetitur, ſed propter bonum aliud altius, & eminentius. Ita quod habet rationem finis non vltimi, & principalis, ſed proximi, & immediati duntaxat. Poteſt enim prudenter Princeps totum exercitus robur periculo exponere, propter cuiuſdam parui Caſtri expugnationem; quatenus Caſtrum per ſe ordinatur in totius Regni bonum. Sed aliud exemplum huic intento eſt accommodatius. Poteſt homo iuſte, & rationabiliter propriam vitam alicui periculo exponere propter comparandas diuitias, vt faciunt hi mercatores, qui mare nauigant, & exteras peragrant regiones: quatenus diuitiæ eadem ordinantur, & tandem cædunt in eiuſdem vitę ſuſtentationem, & ſplendorẽ. Ex his duobus exemplis colligo integram confirmationis tertiæ ſolutionem. Ex primo infero, quod nulla eſſet ordinis peruerſitas, ſi Deus Chriſtum, vt hominem, & omnia quæ ad ipſum, vt hominem ſpectant, in humani generis redemptionem, & ſalutem, vt in quendam finem ordinaſſet, quatenus ipſa redemptio generis humani, atq. omnis itidẽ eius ſalus cędunt tandem in manifeſtationem, & exaltationem diuinæ bonitatis, & gloriæ, qui eſt finis præcipuus à Deo in omnibus eius operibus præintentus. Ad hunc modum Angelos hominibus, & natura, & ſtatu pręſtantiores humanis Deus obſequiis deſtinauit, ita vt Paul. ne quis Angelorum dignitatem eximiæ Chriſti æquaret excellentiæ Hebr. 1. Ipſis ſpiritibus Angelicis oppoſuit: quod Chriſto ad Patris dexteram ſedenti, ipſi tamen omnes adminiſtratorij ſint ſpiritus, propter eos, qui hæreditatem capiũt ſalutis. Et hoc plane eatenus Deus prudenter ordinauit, quatenus hominum ſalus, quam Angeli ſuis promouere miniſterij curant, in ipſam Dei gloriam tandem, vt in finem potiſſimum deſtinatur, & cędit. Infero ex ſecundo exemplo, quod Deus laborioſam Chriſti vitam, eiuſque paſſionem, & mortem, eo deſtinauit in hominem redemptionem, & ſalutẽ, vt in finem proximum, quia ipſa humana redemptio, & ſalus non ſolum refertur, & cędit in magnificam ipſius Dei gloriam, ſed in gloriam etiam, & exaltationem pręclarã ipſiuſmet Chriſti: eam, videlicet, quã poſt mortem fuit aſſequutus. Et hoc quidem re ipſa non eſt aliud, quam quod laborioſa Chriſti vita, atque itidem eius paſſio, & mors referantur, vt in finẽ intrinſecum, in glorioſam ipſiuſmet Chriſti exaltationem, auguſtiſſimamque gloriam; aſſumendo, vt quoddam intermedium ipſam hominis redemptionem, & ſalutem. Et ob id nulla hic interuenit ordinis peruerſio.

Septimo argumento facile dicitur (multis prætermiſſis alijs) quod hoc argumentum cum ſua confirmatione probat ſufficientiſſimè, potuiſſe rationabiliter fieri, quod Deus mitteret filium ſuum in mundum, etſi nullum extitiſſet in natura, vel humana, vel Angelica peccatum; non verò probat ita factum fuiſſe. Imo (vt plenè euacuatum maneat argumentum) oeque probat congruentius fuiſſe, quod ſine præuiſione peccati origioalis Deus decreuerit filium ſuum in mundum mittere. Nam multo congruentius fuit oppoſitum. Quia ſecluſo originali peccato, neq. efficacia, & virtus gratiæ Chriſti, neq. ipſa diuina bonitas, tam apertam manifeſtationem accèpiſſent, nec tam copioſe Deus ſupereminentes diuinæ gratiæ ſuæ diuitias ſuis communicaret & diffunderet creaturis, nec tam ſe liberalem oſtenderet, & magnificum: oeque humanæ naturæ, imo nec ipſi creaturarum vniuerſitati tantam contuliſſet excellentiæ dignitatem.

Ad argumentum octauum conceditur maior, ſi intelligitur in genere cauſæ finalis, nam in ordine materialis cauſæ, etiam ipſum peccatum Angelicum præuiſum fuit ante prædeſtinationem Chriſti, vt cõſtat ex ſupradictis.

DVBITATIO APPENDIX.

Cum ſua reſolutione de gratia collata primo parenti.

AD alia quæ vltimo tandem loco ex innocentiæ ſtatu obijciuntur, primum, quod attinet ad cognitionem, qua Adam in illo ſtatu Chriſtum agnouit, ſatis eſt ſuperius expoſitum, vnde id tantum explicandum ſupereſt. Num gratia Ade fuerit ei in illo ſtatu ex Chriſti meritis collata. Et breuiter dico, vtrãque ſententiam eſſe probabilem. Et quidem licet Chriſtus abſolutè in ſcripturis ſacris vocetur auctor ſalutis, & gratiæ totiuſque ſpiritualis benedictionis, & alia ſimilia habeantur paſſim in ſacra pagina, & apud ſacratos auctores, & patres, qui dicunt Chriſtum fontem eſſe omnium gratiarum: ex quibus videtur colligi gratiam, quæ fuit in ſtatu innocentiæ, Chriſti meritis, & ſanguini tribuendam eſſe. Sed tamen ſatis probabiliter hæc omnia explicantur de gratia ſanante, quæ à Chriſto, vt Redemptore, & Saluatore humanæ naturæ per peccatum infectæ ortum habuit. Atqui cum Chriſtus nullum habuerit meritum, quod non ſpectauerit ad redemptionis ordinem, cuius oppoſitum nullus Theologorum audebit dicere; quia omnia Chriſti merita referebantur ad Crucis mortem, vt colligitur ex illis ſæpe citatis Pauli verbis. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, &c.* Et colligitur ex illa prima voluntate qua Chriſtus nos ſanctificauit, de qua Paul. ad Hebræos 10. Nam per illam ſeipſum obtulit in oblationem, & ſacrificium pro hominum peccatis. Cum, inquam, omne Chriſti meritum, ad humani generis redemptionem ſpectet, vix vlla cum probabilitate dici poteſt, Chriſtum aliquam promeruiſſe hominibus gratiam, quæ ad ordinem redemptionis non ſpectaret. Vnde neque dici debet, quod meruerit ſimpliciter gratiam primo parenti in ſtatu ſuæ creationis collatam.

Hoc argumentum, quod nunc inſinuaui, non omninò debile eſt ad confirmandam S Th. ſententiam, quæ docet Chriſtum non eſſe prædeſtinatum ante peccati præſcientiam. Nam ſi fuit prædeſtinatus, nõ

præuiſo peccato, ſed ipſo non extante veniret in exaltationem, & glorificationem rationalis naturę: cedo merita, quæ reſpondeant illi prædeſtinationi. Nam ſi ad glorificandam naturã humanam fuit prædeſtinatus, aliqua debuerunt prædefiniri merita, quibus hanc humanitatis exaltationem Chriſtus ipſe promereretur. Quod ſi nulla ſignari poſſunt, voluntariè & ſine fundamento talis configitur prædeſtinatio. Hæc dicta ſint ad probabilitatem explicandam ſententiæ aſſerentis gratiam Adæ ad ſtatum innocentiæ pertinentem, reparationem quidem per Chriſtum accepiſſe, ac reuiuiſcentiam etiam in ſuis operibus meritorijs, quę in illo ſtatu Adam effecit, non tamen ipſam ſecundum ſubſtantiam ſuam ex Chriſti meritis ortum habuiſſe, ſed ex ſola Dei liberali voluntate dimanaſſe.

Sed cui placuerit ſententia contraria dicat, quod ſuppoſita S. Thom. ſententia in cuius expoſitione hactenus verſabamur. Ita dicendum eſt. Quod gratia collata fuit Adæ duplici titulo. Alter quidem liberaliſſimæ ſuæ donationis Dei, qua in ipſo voluit totam rationalem naturam, ad ſupernaturalem finem ordinare, & diſponere. Et hic titulus non Chriſto, ſed communi, & generali Dei prouidentiæ eſt adſcribendus ad quam pertinet res omnes in ſuos fines dirigere, mediaque ad eorum aſſecutionem ſufficientia præſtare. Alter vero fuit titulus iuſtitiæ, paſſionis, & meritorum Chriſti. Ita vt titulus liberalitatis pręcederet iuſtitiæ titulum. Et quidem cum vterque titulus iam fuerit multo ante præuiſus, quando Adam gratiam illam accepit, nullũ eſt incõueniens, vt titulũ vtrũq; in ipſa actuali gratiæ collatione reperiamus.

Dices, quod ſecundus iuſtitiæ titulus non bene cohæret cum primo liberalitatis titulo: iuſtitia enim liberalitatem euacuat.

Reſpõdeo dupliciter. Primo, quod ſi iuſtitia eſſet ipſius Adæ ſuſcipientis gratiam, forſan hæc obiectio alicuius eſſet conſiderationis. Cæterum iuſtitiæ titulus, cui correſpondet collatio prædictæ gratiæ, nullã iuſtitiam ponebat in Adamo gratiam ſuſcipiente, ſed potius augebat liberalitatis, & magnificentiæ diuinæ titulum, quod præced. q. ar. 3. dub. vlt. copioſa reſolutione demonſtrauimus. Tota autem iuſtitia ex parte Chriſti ſe tenebat.

Secundo reſpondeo, repugnare quidem, vt id, quod ex dono liberalitatis iam quis accepit, & actu poſſidet, denuo recipiat ex iuſtitiæ titulo. Verum nõ implicat, quod cum aliquod bonum, liberali promiſſione fuerit alicui oblatum, quod antequam is, cui oblatum fuit, ad actualem eius poſſeſſionem perueniat, nouum iuſtitiæ titulum acquirat ad eiuſdem boni perceptionem, ſiue ex proprijs, ſiue ex alienis operibus. Exemplum habentur in gloria, quę reſpõdet primæ gratiæ in iuſtificatione impij. Nam valde probabile reputãt ſapientiores etiã Theologi, quod eo ipſo, quod is qui iuſtificatur accipit gratiam, deſignatur, & acceptatur ad eum gloriæ gradum, cui illa gratia eſt proportionata: nam eſt Dei filius, & hæres gloriæ per Chriſtum: quem tamen gradum gloriæ meretur ipſe qui iuſtificatur per proprium actum, qui per illum, videlicet, quem habet in ipſo iuſtificationis inſtanti, prout eſt diſpoſitio concomitans gratiam, ipſam in genere efficientis, & formalis cauſæ ordine naturæ præſupponens.

Similiter ergo in præſentia dico, quod innocentiæ gratia ex prima, & generali Dei ordinatione data fuit Adæ ſine Chriſti meritis, vt ipſo totus ordo gratiæ primo fundaretur, & ſimul cum natura ad totam eius deriuaretur poſteritatem, quod ante præſcientiam meritorum Chriſti in ipſa fuit Dei æternitate diſpoſitum. Sed quoniam priuſquam æterna hæc Dei præordinatio ad effectum perueniſſet, præuiſum fuit à Deo originale peccatum, fuitque etiam prædeſtinatus Chriſtus in eius remedium, intuens Deus totam ipſam meritorum Chriſti infinitatem, decreuit; vt eadem ipſa gratia, quæ Adamo in ipſo ſuæ creationis momento ex vi generalis antecedentis prouidentia conferenda erat, eſſet ſimul præmiũ meritorum Chriſti: vt Chriſtus omni cum proprietate; & ſermonis rigore dici poſſet agnus occiſus ab origine mundi, id eſt, à primo inſtãti creaturæ rationalis, quod fuit primum inſtans, in quo mundi conſtitutio fuit conſũmata. Et hæc ſententia inde magnã probabilitatem accipit, quod matrimonium in ſtatu innocentiæ inter primos parentes celebratum, ex Chriſti meritis accepit ſignum eſſe ſpiritualis matrimonij Chriſti cum Eccleſia. Nam quod illa ſignificatio non pertineret ad innocentiæ ſtatum, ſi Chriſtus per ſe primo prædeſtinatus fuit venturus in peccati remedium, manifeſtiſſimum eſt: atque adeo ſignificatio illa non ad prouidentiam illi ſtatui debitã pertinere potuit, ſed ad ordinem prædeſtinationis Chriſti, & ex conſequenti ex eius meritis ortum habuit. Quod vero matrimonium Adæ in ipſo innocẽtiæ ſtatu prædictam habuerit ſignificationem, & quod Adam non cognouerit illam quaſi pro alio ſtatu futuram, vt quidam arbitrantur, ſed pro tunc iam exiſtentem, docuit expreſſe Auguſt. lib. de nupt. & concup. c. 21. quem locum retuli ſuperius in calce argumẽtorum quæ pro prima opinione informaui. Cuius ſolutionem conſulto ad hunc locum diſtuli: ne ſæpius eadem repetere eſſet neceſſum, in quo loco nihil aliud Aug. docuit, quam quod in ſtatu innocentiæ independenter ab exiſtentia peccati matrimonium primorum parentum myſterioſam, & quaſi ſacramentalem matrimonij Chriſti ſignificationem accepit. Non vero Aug. dixit, quod ante præſcientiã peccati præordinaſſet Deus, vt matrimonium Adæ ſignum eſſet prognoſticon, ſpiritualis matrimonij Chriſti cum Eccleſia.

Sed iam affirmo, quod ſi matrimonium primorum parentum hanc ex Chriſti meritis ſortiebatur in illo ſtatu ſpiritualem ſignificationem, circa vllam improbabilitatem dici poterit, quod gratia Adę rationem quoq; induit præmij meritorum Chriſti. Hæc autem perfectio nullatenus ei inerat ea præciſa ratione, qua gratia erat innocentiæ ſtatus: Nam ſtatus hic formaliter conſideratus, ad Chriſtum non ſpectauit: ſed quia aliquo modo pertinebat ad futurum ſtatum redemptionis per Chriſtum faciendæ, prout in diuina præſcientia præuidebatur reparanda per Chriſtum.

Ecce multa diximus in huius primi dubij expoſitionem, & plane laborauimus (neſcio an fęliciter) vt ipſam attingeremus veritatem. Sed non adhuc diſtincte explicauimus id, quod explicandũ in quęſtionis titulo propoſuimus, nimirum, an Chriſtus vere, & propriè dici poſſit omnium rerum caput, nam

ſi vera

Digitized by Google

ſi vera ſunt, quæ in explicatione S.Thom. diximus, Chriſti videlicet, prædeſtinationem in genere finalis cauſæ ordine rationis omnium præordinationem in Dei mente præceſſiſſe, ita videtur fore dicendum. Sed nihilominus vt huic prolixæ quæſtioni vltimam imponamus manum ſit.

§. 14. *Vbi ponitur reſolutio reſponſiua ad primum dubium principale aſſerendo, quod Chriſtus eſt caput rerum omnium naturalium in ordine ad ſupernaturalium finem.*

CHriſtus non debet appellari caput rerum omnium naturalium ſecundum eorum eſſe naturale. Poteſt tamen, & ſi non admodum propriè, vocari caput omnium naturalium rerum comparatione ad ſupernaturalem finem. Primam partem conclufionis negaſſe videntur aliqui Theologi, ex illis præſertim, qui putant Chriſtum venturum in mundum, etſi nec primus homo, nec quiuis alius peccaſſet: Sed tamen hæc concluſionis pars mihi apparet adeò certa, vt nemo poſſit eam probabili ratione inficiari. Probatur. Ad rationem capitis per ſe requiritur influxus in membra, ſi non actualis, ſaltem aptitudinalis: at Chriſtus, vt homo, nõ habet influxum aliquem in omnes creaturas vniuerſi huius, qui ſpectet ad naturalem ordinem, neq. vllus vnquã Theologum docuit Chriſtum influere creaturis motum, aut perfectionem aliquam, quæ ad eorum eſſe naturale ſpectent. (Nam finis, quem Chriſti aduentus intentus intendit, non naturalis eſt, ſed ſupernaturalis. Et ſicut ipſe tempore ſuæ paſſionis inſtanti dixit, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, id eſt, principatum quem tenet, & exequitur in homines, non ad finem naturæ ſpectare: ita dicere potuiſſet, quod illa ſuprema auctoritas, quam ſupra omnes obtinet creaturas, non eſt de hoc mundo, id eſt, non ſm̃ naturæ leges penſanda eſt, neque ex fine naturali regulanda) ergo nullatenus dici poteſt Chriſtum capitis rationem ſortiri ſupra totum vniuerſum ſecundum dudum eius eſſe naturale. Neque valet illa conſequentia dudum inſinuata. Chriſtus eſt finis omnium rerũ naturaliũ quantum ad totum illarum eſſe, ergo eſt ipſarum caput. Quoniam ad rationem finis non eſt neceſſarius influxus ille, quem ad rationem capitis diximus eſſe neceſſarium. Vnde niſi Deus influeret in creaturas perfectiones earum naturales, & niſi verè potuiſſet dicere Paul. actorum 17. quod *in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus*, nullatenus caput vniuerſi poſſet appellari.

Secunda vero pars concluſionis probatur. Et primo de partibus vniuerſi quæ, vel ad mores ſolent conferre, vt honores, diuitiæ, &c. vel quæ ſunt quædam contingentia, quæ ad primariam, & principalẽ vniuerſi conſtitutionem non pertinent, vt generatio alicuius indiuidui, mors, ſanitas, egritudo, &c. Probatur hæc conc. pars. Res iſtę omnes poſſunt cadere, & cadũt quam ſæpius ſub Chriſti meritis; ſunt enim multoties prædeſtinationis effectus: ergo participãt influentiam Chriſti in ordine ad ſupernaturalem finem; atque adeo Chriſtus aliqua ratione poteſt earum dici caput, comparatione ad iſtum finem. Probatur etiam hæc concluſionis pars, de partibus vniuerſi præcipuis, & quæ ad primariam eius conſtitutionem ſpectant. Partes iſtæ ex Chriſti meritis accipient perfectionem magnam, & renouationem in die vltimo, cum conſummabitur totus humanæ vitæ curſus. Nam ſuperius explicantes illa verba Paul. ad Colo. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, & illa Rom. 8. *Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis*, diximus ſecundum intelligentiam Chryſoſto. à qua non recedunt Ambroſ. S. Thom. & alij non pauci graues S. Paul. interpretes, quod in vltima hominum reſurrectione totum ipſum perficietur vniuerſum, & à ſeruitute corruptionis liberabitur. Hanc autem perfectionem accipiet ipſa creaturarum vniuerſitas, ex Chriſti meritis prouenientem, eſt enim velut quid conſequẽs ad ipſam filiorum Dei manifeſtationem, quæ tunc, & conſũmabitur, & reuelabitur, eſtque veluti præmium, & merces ſeruitutis, qua omnis creatura ſeruiuit Chriſto in expeditione negotij prædeſtinationis filiorum Dei; qui in ipſo Chriſto ab æterno fuerunt electi, & prædeſtinati, & in Chriſto, & per Chriſtum ſuam in tempore certam fecerunt vocationem, & ipſam adoptionem filiorum Dei fuerunt aſſequuti. Hac igitur ratione omnis creatura ſub Chriſto non ſolum tanquam ſub fine, ſed etiam, tanquam ſub capite comprehenditur; eſtque proinde Chriſtus totius vniuerſi caput per comparationẽ ad ſupernaturalem finem. Dixi tamen non omni cũ proprietate Chriſtum irrationabilium, & inſenſibilium creaturarum caput vocari. Quoniam vt S. Th. 3. par. q. 8. ar. 4. ad 1. inſinuauit, caput debet eſſe homogeneum, id eſt, eiuſdem rationis cum membris. Vnde propter huius conditionis defectum, Chriſtus non multa cum proprietate poterit caput harum creaturarum vocari: ſed appellabitur tamen aliqua bona ratione, quia, v3. eminentiam habet, & excellentiam ſupra totam creaturarum vniuerſitatem, & influit præterea in ipſas creaturas perfectiones aliquot, quæ ad ordinem pertinent ſupernaturalem. Et hactenus dictum fuerit de hoc primo dubio.

DVBITATIO II.

VTrum Chriſtus caput ſit omnium hominum ſecundum omnem eorum ſtatum.

Hoc dubium, & ſi propter rationem à principio huius quæſtionis inſinuatam, in prima ſui ſpecie de Chriſto procedat, præcipue tamen inſtituitur ad inueſtigandum ipſam gratiæ habitualis Chriſti perfectionem, An v3. vere, & propriè appellanda ſit gratia capitis. Et idcirco tota huius dubij diſputatio incipiet ab huius rei examinatione.

§. 1. *Proponuntur argumenta in contrarium.*

EſT igitur primum argumentum quo probatur gratiam habitualem Chriſti non eſſe capitis gratiam. Habitualis Chriſti gratia eiuſdẽ eſt ſpeciei ſimpliciter loquendo cum gratia aliorum iuſtorum vt ſuperius q. 3. art. 2. diffiniuimus ex cõmuni Theologorum doctrina, ſed gratia aliorum iuſtorum non poteſt ex ſe referre bona operantis opera in ſpiritualẽ commodum aliorum, ſed in priuatam duntaxat

Digitized by Google

ipſius operationis vtilitatem, oeq; vllam habet vim, vt poſſit efficaciter ſpiritualem aliquem influxum in alios cauſate, ergo neq; competit habituali Chriſti gratiæ, atq; adeo nequit eſſe gratia capitis. Ratio enim capitis exigit vim ad influendum in membra. Maior patet. Tum qnia alias quælibet gratia cuiuslibet iuſti, eſſet appellanda gratia capitis, tum quia purus homo iuſtus non ob aliud nequit mereri alteri de condigno, oiſi quia eius gratia ex ſe nou habet vim refetendi ſua opera in alterius commodum. Vnde ſi quando referantur, talis relatio non erit à gratia, ſed à volũtate operaotis, & conſequenter poterit ibi meritum congrui interuenire, minimè vero meritnm cõdigni. Namque condigni meritum poſtulat ſupernaturalitatem proportionatam præmio, & in ſubſtantia operis meritorij, & in relationē, qua in ipſum præmiuin referatur, neque alia à priori poterit aſſignari ratio meriti de condigno, quod eruditè docuit S. Doctor 1.2.q.114. ar.3.

Dices, quod hæc vis refereodi opera in ſpiritualẽ aliorum vtilitatem, non conuenit quidem eſſentialiter gratiæ habituali Chriſti: conuenit autem ei ex ſubiecto, in quo reſidet. Contra. Superius præſertim q.3.ar.2.& q.4.ar.etiam ſecundo oſtendimus, quod ex reali coniunctione ad diuinum verbum nulla phiſica virtus, aut virtutis modus reſultat io habitualem Chriſti gratiam, eo quod verbum, qua ratione exequitur officium ſuppoſitandi, & perſonandi humanitatem, nihil effectiuè operatur in ipſa humanitate, aut in eius accidentibus, ſed tantum vnitur ei per modum terminantis ipſam perſonaliter, & complentis illam eius dependentiam, qua pendet à proprio ſuppoſito. Sed ſi qua ponenda eſſet in gratia vis refereodi opera Chriſti in aliorum commoduin, illa deberet eſſe phyſica. Nam hoc quod eſt ordinare, & referre proprium opus in aliũ, & ſi moralitatis habeat admixtionem; reale tamen quid eſt, & phyſicũ, & quod proinde phyſicam vim in ipſo referente prę exigit. ergo, &c.

Confirmatur. Vel iſta vis, & perfectio, qua habitualis Chtiſti gratia poteſt ipſas Chriſti operationes in ſpiritualem hominum vtilitatem ordinare, reſidet inherenter in ipſa gratia, vel in eius ſubiecto dũtaxat. Si in ſubiecto tantum; ergo ipſa reuera, nihil in ſe habet, quo intrinſecè conſtituatur in ratione gratiæ capitis: atque adeo denominatione taotum extrinſeca, capitis gratia vocatur: & ex cooſequenti, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid gratia capitis. Si vero in ſemetipſa vim illam, & perfectionem participat, oporiet explicare, ex quo principio ei competat: cum neque ex intrinſecis ſuæ naturæ principijs, eo quod eſt eiuſdem ſpeciei cum gratia noſtra, neque, vt ſufficieoter probauimus, ex Verbo cui realiter coniungitur, ei conueniat: ergo, &c.

Secundo arguitur. Gratia capitis ſpecie differt à gratia perſonali; ergo ſi in Chriſto cooſtituamus gratiam capitis, affirmare tenebimur, vel quod io in ipſo duplex eſt gratia, quarum altera eſt perſonalis, & altera gratia capitis, vel quod voa, & eadem gratia in genuina ſubſtantiali ſpecie reponitur. Sed vtrumque falſum eſſe apparet: ergo, &c.

Tertium argumentum. Habitualis Chriſti gratia, neque ob id eſſe poteſt gratia capitis, quia eſt accidens Chriſto Eccleſiæ capiti, inexiſtens. Nam hac ratione quodcunque accidens Chriſto inhærens diceretur, & eſſet capitale. Neque vero quia eſt inſtrumentum cooiunctum Chriſto capiti, quo vtitur ad gratificandos, & ſanctificandos homines. Nam hac ratione caro Chriſti, & eius paſſio, imo & ipſa corporis Chriſti membra manus, pedes, &c. eſſeot capitalia, quia Chriſtus Eccleſiæ caput his omnibus, vti diuinæ ſuæ virtutis, diuinique verbi inſtrumentis vtitur ad ſaoationem, & gratificationem animarũ. Igitur nulla eſt in habituali Chriſti gratia ſpecialis aliqua ratio, ob quam cum proprietate vocari debeat gratia capitis.

Quartum argumentum. Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ: ergo nec habitualis eius gratia debet cenſeri gratia capitis. Huius conſecutionis vim à principio huius quæſtionis oſtendimus. Antecedens vero probatur. Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ in quantũ homo: quod vero ſit caput in quantum Deus, eſt ad propoſitum impertineus. Quia etiam Pater, vt Deus eſſet Eccleſiæ caput, & ſimiliter Spiritus ſanctus: nos vero loquimur de Chriſto ſecundum ſpecialem rationem, quæ oon eſt ei communis cum alijs ſanctiſſimæ Triadis perſonis: ergo, &c. Probo maiorem, & oſtendo, quod etiam ſi illa dictio, in quantum, ſpecificatiuè ſumatur, falſum ſit, quod Chriſtus in quantum homo eſt Eccleſiæ caput. Chriſtus in quantum homo non habuit meritum infiniti valoris, neque ſatisfecit ſatisfactione rigoroſa. Nam valoris meritorij infinitas, & ſatisfactionis rigor, noo ex humanitate, ſed ex diuino tantum verbo deſumebantur, & participabantur in humanis Chriſti operibus. At ſi huiuſcemodi valorẽ ab humanis Xp̃i operibus ſecludamus, nequaquam nobis proderũt: neq; enim alia ratione Chriſti meritum, & ſatisfactio ad nos pertinent, niſi quia perfectum fuit meritum, & perfecta exactaque fuit ſatisfactio: ergo in quantum homo non ioflui Chriſtus in ipſos Eccleſiæ fideles communicans eis ſuorum meritorum, ſuæque ſatisfactionis virtutem: atque adeo ooo eſt eorum caput.

Quinto arguitur, & probo itidem Chriſtum Dominum non eſſe Eccleſiæ caput. Si Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ſequitur eum eſſe quoque ipſius Eccleſiæ membrum & partem. Conſequens non apparet admittendum. Quia eſſe partem, aut membrum imperfectionem importat: ergo, &c. Sequela probatur. Caput in naturalibus (ad quorum analogiam Chriſtus caput Eccleſiæ dicitur) membrum eſt, & pars totius ſuppoſiti, cuius eſt caput, & reuera membrum eſſentialiter eſt ſuperius ad caput, & ad cęteras corporis partes, atque adeo hæc prædicatio, caput eſt mẽbrũ eſſentialis eſt; ergo, &c. Beoe valet conſequentia illa, Chriſtus eſt Eccleſiæ caput: ergo eſt eius mẽbrum, & ſi præcipuum.

Confirmatur, ſequitur ex contraria ſententia concedi poſſe hanc propoſitionem Chriſtus eſt caput, imo & membrum Chriſti. Conſequens autem manifeſtam præſefert abſurditatem: ergo, &c. Probatur ſequela Paul. 1. Corin. 12. Eccleſiam appellat Chriſtum illis verbis, *ita Chriſtus*. Vbi liquet ex contextu illam vocem Chriſtus pro Eccleſia accipi: ergo ſi Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, poterit, & caput Chriſti vocari.

Sextum

Sextum argumentum extra rationem capitis eſt, quod per ſuum influxum conſtituat in actu ſubſtantiali ipſa membra corporis cuius eſt caput: ita quod ex membris in potentia efficiat membra actu. Proprium enim capitis officium eſt, influere motum,& ſenſum in membra iam conſtituta in actuali eſſe mẽbrorum, & vnita ipſi capiti, & toti compoſito per ſubſtantialem generationem. Quod ex capite corporis naturalis cõſtat, ad cuius ſimilitudinem Chriſtus caput ſui corporis myſtici, nimirum Eccleſiæ, vocatur. Sed Chriſtus propria virtute efficit membra Eccleſiæ in actu ſubſtantiali membrorum, eaque ſibi vnit,& copulat,quod eſt certa fide tenendum: ergo non poteſt niſi magna forſan cum improprietate caput Eccleſiæ dici.

Septimum argumentum. Gratia Chriſti habitualis non cauſat efficienter, ſaltem phyſica efficientia, ſpiritualis vitę motum,& influxum in omnes homines, qui Chriſti virtute ſanctificantur, ac proinde neque influit in omnia corporis Chriſti myſtici mẽbra. At proprium capitis officium eſt, efficienter influere in omnia corporis membra;ergo improprijſſimè appellatur à Theologis gratia capitis. Maior probatur. Primo de illis hominibus, qui in ſtatu legis Moſaycæ in fide Chriſti venturi ſalutem fuerunt aſſequuti. In quibus Chriſti gratia, cum non adhuc extaret, non potuit vllam efficientiã præſertim phyſicam habuiſſe. Nulla enim cauſa operari poteſt niſi prout exiſtit actu. Quod vero neque in homines, qui in præſenti ſtatu ſalutem aſſequuntur eiuſmodi habeãt efficientem influxum. Probatur. Quia cum nullo eos phyſico attingat contactu, nulla poteſt phyſica eius actio circa hos homines conſtare;ergo. Chriſti gratia nullum habet influxum, qui ad rationem capitis pertineat.

§.2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum autem militat communis Theologorum doctrina in 3.diſt.13. vbi S.Th. & 3.par. quæſt.8.per totam, ſed præcipuè art.5.eam luculenter amplificat.

§.3. *Notanda pro deciſione dubitationis.*

AD propoſitæ quæſtionis deciſionẽ illud eſt præuia obſeruatione pręmittendum,quod licet ratio capitis non propriè,ſed metaphoricè, & ſimilitudinariè Chriſto comparatione ad Eccleſiam accommodetur: ſicut & ratio corporis de Eccleſia ſiue militanti,ſiue triumphanti, non niſi metaphoricè dicitur, & per ſimilitudinem ad naturale corpus. vt ex Paulo 1.Corinth.12. colligitur in illis verbis, *Sicut enim corpus vnum eſt*, &c. Quamquam hoc ita ſit, nihilominus tamen hæc figurata, & ſimilitudinatia loquutio magnam vim habet ad explicandum eum ſuperioritatis modum, quo Chriſtus ſuæ Eccleſiæ præeminet. Qui non tam in externa præeminentia, & gubernatione conſiſtit, etſi hanc cognoſcamus, (& ob eam S.Thom.3.par.quæſt.8.art.1.ad 3.dicat, Chriſtum potius caput Eccleſiæ, quàm eius cor appellandum fore)quàm in ſpirituali,& interno in animabus fidelium influxu. Quem vox iſta *Caput*,nobis denotat,proportione deſumpta ex his,quæ in capite naturalis corporis contingunt. Cuius proprium officium eſt in omnia viuentis corporis membra motum, & ſenſum, iuxta membrorum proportionem, aſſiduo influxu operari.

Scio equidem perſuaſum fuiſſe grauiſſimis Philoſophis cum Ariſt.lib.de ſomno,& vigil.cap.2. & lib. de communi motu animal. cap.4.& 5. & libro 2. de generat. animal. (alijs, & non paucis, iiſque in philoſophia, & medicina peritiſſimis reclamantibus) caput in animali non eſſe principium totius vitæ,ſed vitæ tantum ſenſitiuæ, nam primum vitæ gradum cordi tribuit. Verum hæc limitatio id tantum efficit,quod ſicut infinitam Dei perfectionem, quamlibet ſimpliciſſima ſit,non valemus,Dionyſio in libro de diuin. nomin. adnotante, vnica voce non modò comprehendere (eſt enim & nomine, & intellectu creato incomprehenſibilis) verum neque aliquali ſignificatione attingere, ſed quamplurimis oportet vocibus vtamur: ita ſpiritualis Chriſti virtus, quam fidelibus communicat, & modus,quo in ipſa corporis ſui myſtici membra influit, neque vna ſimplici voce, propter grandem, & eximiam tantę virtutis, tamque vniuerſalis, efficaciſſimique influxus excellentiam exprimi poteſt, neque vna tantum ſimilitudine ex creaturis deſumpta ſufficienter explicari. Quo fit, vt ſacrę litterę diuerſis appellationibus fœcundiſſimam, multiformemque Chriſti virtutem nobis inſinuent. Appellatur quãdoque radix Iſa.11. *Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*. Vbi obſeruatione dignum cenſeo, quod Spiritus ſanctus hoc in loco duo inſinuauit, & ferè explicuit, quæ in Chriſto, prout eſt ſupremum, & vniuerſale Eccleſiæ caput, reperiri certa fide credimus.

Alterum eſt ſecreta quædam ſpiritualis viuifica virtus, quam interno quodam, & inuiſibili influxu Chriſtus in ſua membra, diuerſorum membrorum proportione ſeruata,aſſiduè influit. Quam virtutem Paulus ad Epheſios 4. grauiſſimis verbis expreſſit: *Veritatem*, inquit, *facientes in charitate creſcamus in illo per omnia,qui eſt caput,Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis,ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſcunque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*, occultam hanc ſpiritualem Chriſti virtutem inſinuat illa dictio *Radix*. Arboris enim radix occulta eſt, & recondita, neque hominum conſpectui patet: ſed ex ea latenti quadã diffuſione viuificatrix virtus ad totam arborem, ad vltimum vſque eius folium deriuatur.

Alterum verò quod ad caput pertinet, eſt viſibilis eminentia in corpore, in quo principem locum tenet; & quaſi viſibilem exercet totius corporis gubernationem. Quod Iſa. illis verbis ſubnotauit conuenire Chriſto: *Qui ſtat in ſignum populorum*, &c. Quem radicem vocauerat, ac proinde occultatam, & inuiſibilem, mox dicit ſtare in ſignum populorũ, vt ad ipſum, in conſpectu omnium gentium poſitũ, omnes confugiant tanquam ad militare Principis vexillum. In quo ſimiliter alia duo,quæ inter caput, & corpus contingunt,ſignificantur. Vexillum namque, ſeu militare ſignum defenſioni militum præcipuè deſeruit: nam ſub ipſo adunati, & aggregati, defenduntur,& impetuoſo hoſtium incurſui facilius

ob-

Digitized by Google

obſiſtunt, ac vltimam tandem victoriam reportant. Et milites primarij eo potiſſimum contendunt in prælio, ne ipſum Principis, aut Ducis ſignum periclitetur.

Quæ duo in corpore erga ſuum caput ipſa ducente natura obſeruata reperimus, ſub capite enim adunata corporis membra, & capitis influxui bene coaptata, facilè conſeruantur, & coaleſcunt. Et in conſeruando, ac tuendo capite vniuerſa membra maximè ſunt intenta; ſic adeo, vt propter capitis conſeruationem alia particularia membra manifeſto ſe exponant diſcrimini. Hæc mutua, & vicaria capitis, & corporis officia in Chriſto, & Eccleſia conſpicieris, qui attentè rem conſideraueris. Chriſtus enim ſignum eſt, & Princeps militare vexillum, ſub quo ſaluantur, quotquot in ſpirituali huius vitæ militia ſaluantur. Eſtque caput, cuius influxu ceſſante, ceſſaret ipſa omnium Eccleſiæ fidelium ſpiritualis vita. Quod Propheta magis adhuc explicuit verbis mox adiunctis, *Ipſum gentes deprecabuntur.* Sed prçterea in eius gloria tuenda, & amplificanda laborant vniuerſi fideles, illi præſertim, qui in præcipuo Eccleſię loco ſunt à Spiritu ſancto, vt robuſtiores, & valentiores milites collocati, & qui potiora ſunt huius myſtici corporis membra; cuiuſmodi ſunt illi, de quibus Paulus meminit 1. Cor. 12. ibi, *Diuiſiones verò gratiarum ſunt*, &c. & ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos*, &c. Hæc obiter ſunt adnotata, non ſolum vt exacta citati ex Iſa. teſtimonij habeatur intelligentia, ſed potiſſimum vt rationem capitis, quæ in Chriſto comparatione ad Eccleſiam reperitur, aliqualiter inſinuemus.

Quandoque verò vitis vocatur, Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera, & vos palmites*, vbi non ſolum viuificum, ac fœcundiſſimum influxum, eumque apprime neceſſarium, quem Chriſtus in ſuos influit fideles, nobis deſignat: verum & externam etiam coniunctionem, quam cum Chriſto, & in Chriſto habemus, apertè declarat. Sed quoniam vnio vitis ad palmites, ad fructuoſitatem potius, quàm ad ſuperioritatem pertinere videtur, idcirco hæc ſimilitudo tantiſper apparet deficiens. Cuius deficientiam ſupplet ſimilitudo alia, qua ſe Chriſtus comparauit luci, & illum ſcriptura ſacra Soli comparat. Sol enim eminentiſſimum tenet in toto orbe locum, ac per modum eminentiſſimæ ſuperioritatis in hunc viſibilem mundum mira virtute, & poteſtate influit. Sed neque cõparatio iſta ſatis eſt adæquata: nam et ſi Ariſt. lib. 1. Metheor. dicente, *Neceſſum ſit mundum iſtum viſibilem contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde tota eius virtus gubernetur*: at non tanta, tamque intranea eſt inter hunc inferiorem mundum, & cœleſtes orbes coniunctio, neque tam intrinſeca vnio, vt exactè nobis referre poſſit eam, quę inter Chriſtum, & eius fideles reperitur.

Vocari etiam ſolet Chriſtus Eccleſiæ fundamentum, vt à Paulo 1. Cor. 3. vocatur. Quæ plenè aſſimilatio exprimit ſatis, qua ratione totam huius ſpiritualis Eccleſiæ ædificationis firmitatem ad ſolum Chriſtum reuocare debeamus, vt ad firmiſſimum, & ſolidiſſimum fundamentum: ad quam ſimilitudinẽ pertinet ea, qua Chriſtus in ſcriptura ſacra petra vocatur. Verum iſthæc comparatio exacta non eſt. Fundamentum namque ædificium inchoat, & ſuſtentat, at nõ ipſum perficit, exornat, & conſummat. Vnde vt ſcriptura ſacra alia comparatione huius deficientiam compenſaret, Chriſtum lapidem angularem vocauit, cuius proprium eſt claudere, perficere, ac ſumma cum firmitate ædificium conſummare, atque omnia, quæ diſperſa videbantur, in vnum colligere, ac conſummatim copulare.

His, & alijs figuratis locutionibus, Spiritus ſanctus in ſacra pagina vtitur, vt vnionem Eccleſiæ ad Chriſtum explicet, mirabilemque, ac fructuoſam virtutẽ, & vim, quã ab ipſo ſuſcipit, & qua ſemota, tota eius & pulchritudo, & ſubſtantia euaneſcerent. Sed efficacioribus adhuc comparationibus vtitur, quæ licet cum referuntur ad ea ex quibus fuerunt deſumptæ, figuratam, & metaphoricam acceptionẽ importent: ſubindicant tamen verè, & propriè ea, quæ Chriſto, & Eccleſiæ contingunt. Et prætermiſſis alijs, duæ ſunt præcipuę. Altera qua Chriſtus ſponſus, & vir Eccleſiæ vocatur, & ipſa Eccleſia Chriſti ſpõſa, Agnique vxor. Nam vt vir, & vxor duo ſunt, vt inquit Paulus Epheſ. 5. in carne vna: ita Chriſtus, & Eccleſia in carne vna ſunt, non ſolum ſpecificæ naturæ vnitate, ſed & ſpecialiori alia coniunctione, quæ ſponſalitio affectu, & officio conciliatur. Vnde factum eſt, quod Chriſtus nihil ſibi proprium reſeruauerit, ſed totum quod ad ipſum pertinet authoritatis, dignitatis, gloriæ, & excellentiæ, atque itidem poteſtatis, ſuę ſponſæ dilectiſſimæ communicauerit Eccleſiæ. Neq; enim, & ipſam poteſtatem, quæ propria eſſe videtur viro, & marito digna, ſibi reſeruauit Chriſtus, ſed & eam quoque ſuæ chariſſimæ ſponſæ voluit eſſe communem. Quod Chriſtus Ioan. 14. ſe facturum illis promiſit verbis, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Quam rem attigit Auguſt. hæc verſans verba, & longo, mirabilique diſcurſu digeſſit Chryſoſtomus in hom. 55. ad populum. Et quoniam nemo carnem ſuam odio habet, vt Paul. ad Epheſ. 5. dicebat, ſed nutrit, & fouet eam. Ita & Chriſtus, & nutrit, & fouet, ditat, nobilitat, & amplificat Eccleſiam. Et neque eius carnẽ odio habet, ſed amat, & diligit, ex cuius amore tandem corpus humilitatis noſtræ reformabit configuratum corpori claritatis ſuæ.

Verum etſi excellens hæc ſit comparatio, Eccleſiæ dignitatem magnificè extollens, & dilectionẽ Chriſti erga Eccleſiam mirificè commendans: ſed neque tamen ſufficiens Spiritui ſancto viſa eſt ad intimam, & mirabilem Chriſti cum Eccleſia vnionem, vt par erat, explicandam. Quoniam etſi maritalis hæc coniunctio carnis vnitatem inducat, duo tamen adhuc ſunt vir, & vxor, tametſi in carne vna. Vnde tandem eo deuentum eſt, vt omnimodam vnitatem Spiritus ſanctus inter Chriſtum, & Eccleſiam exprimeret, vt Eccleſiam Chriſti corpus, & Chriſtum Eccleſiæ caput vocaret, qua planè metaphorica, & ſimilitudinaria locutionis phraſi, veram, realemque ſpiritualem vnitatem, quæ inter Chriſtũ eſt, & Eccleſiam, mirè nobis Spiritus ſanctus expoſuit: illã videlicet, quam Chriſtus optabat, & petebat a Patre, Ioan. 17. cum dicebat, *Pater ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Et paucis interpoſitis. *Sed & pro eis rogo, qui credituri ſunt, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, & vt ipſi in nobis vnum ſint.* Sed & eadem ſimilitudine manifeſta ſigni-

gni-

gnificatione inſinuatur eminentia,qua Chriſtus Eccleſiæ præſidet,quæ tam amicabilis eſt, vtilis, & ſuauis Eccleſiæ, quam Chriſto præclara, & glorioſa. Quid enim corpus vitæ,motus, ſenſus, & perfectionis habet,quod à capite oon participet? Quam vero caput dignitatem,excellētiam, ac virtutem ſortitur, & obtinet,quam corpori non communicet? Et quæ denique maior,intimiorve vnitas,& coniunctio eſſe dignoſcitur,quam ea quæ inter corpus,& proprium eius,ac congeneum repetitur caput? Non libet amplius ſpatiari in his referendis, & ponderandis eius vnionis titulis,quæ inter Chriſtum, & Eccleſiam verius,& proprius inuenitur, quam inter res ipſas ex quibus hæc figuratæ,& metaphoricę comparationes deſumuntur. Sed ad noſtrum deueniamus intētum, & qnibuſdam ſubiunctis concluſionibus breuiori, & ſtrictiori orationis ſtylo propoſitæ quæſtioni ſatiſfaciamus.

§.4. *Prima concluſio.*

Fide Catholica tenēdum eſt Chriſtum caput eſſe Eccleſiæ: Eccleſiamque corpus eſſe Chriſti. Niſi noſter hic inſtitutæ relectionis de gratia Chriſti tractatus ad deſideratum properaret finem, multa hoc loco nobis ſe,& diſputanda,& tractanda offerebant, & cum hæreticis, Chriſti,& Eccleſiæ hoſtibus exagitanda,quibus adamuſſim explicatum daremus: quo nam hæc ſpirituali glutino Chriſti cum Eccleſia cōiūctio,& incipiat,& perficiatur. Nam incipit à fide, & charitate,quæ vinculum eſt perfectionis,conſummatur. Et num in ſola inuiſibili Spiritus ſancti directione, ſuggeſtioneque, & impulſu, an vero viſibili etiam,& externa ſubordinatione cōſtet. Nam præcipuū quidem,quod ad hanc ſpectat vnionem,nō ſolū interna, ſpiritualiq; vnctione,& influxu cōſtituitur: ſed externa quoque,& viſibili ſpecie apparet. Viſibilibus enim legibus ſub vno viſibili Romano Pont. capite gubernatur Eccleſia: ſed inuiſibili fauore,ſpiritualique gratia, nobis Chriſtus ſupremum caput, occulta quadam ſubminiſtratione, ad harum legum obſeruantiam opitulatur, & fauet: ſpiritualemque influxum ſuis ingerit membris, quibus ad præcepta virtutum officia coaleſcant,& valeant. Sub viſibilibus quoque Sacramentis adunatur Eccleſia, ſed ſub tegumento viſibilium rerum diuina Chriſti virtus ſecretius operatur, vt Mag. Greg. 1. quæſt. 1. cap. multis doctiſſimis verbis dixit, viſibilia, & externa ſunt in Eccleſia miniſteria Apoſtolorum, Paſtorum, Doctorum,&c. quæ tamen ad opus miniſterij,quod potiſſimum ſpiritu conſtat, perficiendum, & conſummandum deſtinautur, vt ad Epheſ. 4. egregius miniſter Paul. dicebat.

Valeat ergo inordinata Lutheranorum caterua, quæ cum vero ſpiritu penitus vacua ſit,totum ſuæ ſathanicę ſynagogę ordinem,ſeu,vt verius dicam,confuſionem,ad phanaticum quendā ſpiritum reuocat. Et nos in noſtra viſibili gloriemur Eccleſia, ſub vno Chriſto ſupremo capite conſtituta: cuius viſibilem locum Romanus Pontifex tenet in terra. Et ſub hoc externo, viſibilique tegumento, verum ab ipſo Chriſto quæramus participatum ſpiritum, & ad noſtræ concluſionis probationem reuertamur,quę certam eſſe in fide veritatem, docuerūt vniuerſi Theologi Scholaſtici in 3. diſt. 13. ad cuius explicationem legatur S. Thom. 3. par. q. 8. art. 1. & 2. ex quibus conſtabit, Chriſtum caput eſſe Eccleſię,& ſecundum corpus,& ſecundum animam; ita quod tota ipſa humanitas Chriſti ad rationem capitis in Chriſto conſtituendam concurrit. Et ſimiliter Eccleſia ſecūdum vtrunque, & corpus,& animam, Chriſti corpus eſt: ſingulares itidem fideles anima, & corpore conſtantes, particularia ſunt huius corporis membra, influxumque recipiunt à capite,qui non ſolum animę,ſed etiam corpori,prout & ipſi animæ,ac Dei ſubeſt ſpiritui,quamplurimum virtutis confert. Regius enim Vates pſal. 33. dicere ſolebat: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Communis hęc vtriuſque humanæ partis lætitia ex communi influxu à capite Chriſto ſuſcepto ſuam deducit originem.

Legantur etiam S. Thom. q. 29. de veritate art. 4. Alex. Alenſ. 3. p. q. 12. membro 2. & Altiſiod. lib. 3. tract. 1. c. 4. 5. & 6. & Driedo. lib. de capt. & redempt. tract. 2. c. 2. art. 5. Teſtimonia ſcript. ſac. pro hac veritate confirmanda ſunt multa, & manifeſtiſſima, præſertim in Pau. ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo eius, cui omnia in omnibus adimpletur.* Quibus verbis exprimit Apoſtolus abundantiam influxus diuini, quo corpus ſuum, ſingulaq; eius membra perficit, & adimplet omni ſpirituali plenitudine, vt ſit perfectum, & plenum corpus,& dignum tanti capitis coniunctione, in quo & ipſe adimpletur, ſicut & euacuari dicitur in eis, qui ab ipſo recedunt. Legatur ſuper iſta Pauli verba S. Ambroſ. c. 5. *Vir,* inquit, *caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Ad Coloſſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* 1. Cor. 6. *Neſcitis, quia corpora veſtra, membra ſunt Chriſti?* ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. diuerſa munia, variaſque functiones, alternaq; officia, quę ipſa diuerſa huius corporis membra exequuntur ſpirituali Chriſti capitis influxu gubernata,& confortata mirificè,& luculenter Paulus expoſuit. Explicuerunt hanc veritatem Patres grauiſſimi, Aug. pſ. 139. à principio,& epiſt. 57. & potiſſimum legatur in lib. de agone Chriſtiano, cuius verba referunt Dried. loco citato, & Medin. 3. par. q. 8. art. 1. Baſil. lib. de Spiritu ſancto c. 5. Hilar. lib. 8. de Trin. & lib. de ſynod. c. 38. & ſuper pſal. 139. & denique hæc veritas conſtat ex his duobus notabilibus, & ex ſcript. ſacr. ibi adnotatis, quę paulò ante à me fuerunt præſuppoſita. Ex quibus theologicæ congruentiæ, quæ ad hanc veritatem exponendam afferri ſolent, facillima opera colligi poſſunt. Vnde ad ſequentes pergamus concluſiones.

§.5. *Secunda concluſio.*

Chriſtus (vt in præſentia de capite loquimur) non in quantum Deus in ſua puritate naturæ conſideratus, ſed in quantum Deus homo, caput eſt ſui corporis, quod eſt Eccleſia.

Ad intelligentiam huius concluſionis aduertendū eſt, nos minimè negare Chriſtum, vt Deum caput eſſe Eccleſiæ: eſt enim,& Eccleſiæ,& totius creaturarum vniuerſitatis caput omnem vitam, & motum, ac totum itidem eſſe omnibus creaturis influens: *Nec enim longè eſt ab vnoquoque noſtrum,* Actor. 17. multoque intimius nobis, ac vniuerſis creaturis aſſiſtit,

Digitized by Google

ſtit, quam caput ſui corporis mēbris: ſed loquimur in præſentia de capite viſibili, & homogeneo, ideſt, ſimilis formæ cum membris, quod inter omnia mēbra præcipuum tenet locum, eminenti virtute complectens omnem vitam, ſenſum, & motum omnium ſui corporis membrorum. Qua ratione Deus in puritate ſuæ diuinæ naturæ conſideratus, nō eſt in hoc ſenſu Eccleſiæ caput. Nam eſt caput inuiſibile alterius rationis, & formæ à corpore cui præeſt.

Secundo notandum eſt, & ad memoriam reuocādum id, quod dixerunt illi Theologi, quorum ſententiam præcedenti quæſt. a. 3. retulimus, qui dicebant, Chriſtum neque meruiſſe, nec ſatisfeciſſe, neq; vero redemiſſe nos prout eſt Deus homo, ſed prout eſt homo duntaxat, etſi virtutem ſatisfaciendi, merendi, ac redimendi, à diuino acceperit ſuppoſito: nā ſi humanitas non eſſet vnita Verbo, non hac tanta polleret virtute. Vnde gratia vnionis antecedenter fuit neceſſaria, vt Chriſti humanitas noſtram operaretur redemptionē: formaliter tamen gratia vnionis ſuppoſita, Verbum, non concurrit, ad noſtram redemptionem operandam, ſed ipſa ſola Chriſti humanitas, etſi quadam denominatione, quaſi extrinſeca diuinum Verbum nos redemiſſe dicatur; quatenus eam perſonaliter ſuſtentat humanitatem, quę nos redemit, ſicut aqua calorem ſuſtentās, dicitur calefacere. Theologi, qui ita tunc dixerunt, dicerent ſimiliter in præſentia, quod Chriſtus ratione tātum humanitatis caput eſt Eccleſiæ, etſi diuinum ipſum Verbum quadam denominatione veluti extrinſeca, caput quoque noſtrū dicatur. Cæterum nos, quibus ille modus dicendi tunc non placuit, aliter dicimus cum ſententia communiori, quæ in modo loquendi ſcripturæ ſacræ, & Patrū magis videtur eſſe fundata. Nimirū, quod Chriſtus ſicut ex humanitate habuit formalem rationem merendi, & ſatisfaciendi, valorem autem meritorium, & ſatisfactorium, à Verbo diuino perſonaliter ſuppoſitante naturam humanā, & actu cum ipſa concurrente ad operationem meritoriam, & ſatisfactoriam: ſic adeo vt totus Chriſtus Deus homo per ſe intraret rationem principij totalis ſatisfactionis, & meriti: ita ipſemet Chriſtus Deus homo per ſe pertinet ad rationem capitis Eccleſię.

Eſt quidem humanitas formalis ratio Chriſto, per quam ſit Eccleſiæ caput. Diuinum autem Verbum, vt ſuppoſitans, & terminans naturam humanam per ſe concurrit ad cōſtituendam capitis rationem: mutuoque pendent Verbum, & humanitas, (ſi licet vti dependentiæ nomine) ad conſtituendam eſſentialem capitis rationem: Verbum enim accipit ab humanitate requiſitam eſſētiam, & formam, qua poſſit capitis officium gerere: humanitas verò accipit à Verbo totam illam perfectionem, totumq; valorem illum, qui per ſe, & eſſentialiter ad ſupremi capitis Eccleſiæ dignitatem, & officium requiritur. Et quidem iſta ſententia conſequenter ſe habet ad aliam de merito, & ſatisfactione. Quoniam influxus huius capitis in membra ſatisfactorius eſt, & meritorius: atque adeo, quod de principio meriti, & ſatisfactionis diximus, dicendū eſt ſimiliter de capite. Quod hæc ſententia conformis ſit modo, quo ſcriptura ſacra, & ſancti Patres loquuntur, ex eo cōſtat, quod Paulus locis prima concluſione citatis, abſolutè vocat Chriſtum Eccleſię caput, & Eccleſiam appellat corpus Chriſti, Chriſtus autem, vt ſuperius aduertimus, neque ſolam diuinitatem, neque ſolam humanitatem importat, ſed ipſum Dei Verbum in humana natura ſubſiſtens.

Patres etiam tertio quoque verbo repetunt, quod ſi Chriſtus non eſſet verus Deus, neque nos potuiſſet redimere, neque proinde rationem capitis Eccleſiæ habere meruiſſet. Et ita Aug. in lib. de Trin. inquit, *Chriſtus non eſſet Dei, hominumque mediator, niſi eſſet idem Deus, & homo.* Relegantur, quæ ſuperius diximus in confutationem prædictæ ſententiæ. Sed aduertendum eſt, quod quia humanitas, vt dixi, formale principium eſt Chriſto, vt caput Eccleſiæ dicatur, & ſit, ipſumque capax reddit denominationis huius, idcirco abſolutè ſolet, & poteſt dici, quod Chriſtus, inquantum homo, eſt Eccleſiæ caput. Et ita Paul. ad Epheſ. 1. dicit, quòd Deus *ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, qui modus loquēdi deſignat officium, & rationem capitis competere Chriſto vt homini, ea ſcilicet ratione, qua ſubiectus eſt Deo, vt ab ipſo poſſit dari, & pręfici Eccleſiæ, honoremque, & dignitatem capitis ab ipſo recipere.

Confirmatur, Chriſtus meruit ſibi ſupremam capitis dignitatem, vt quæſtione diximus præcedenti; ergo hæc dignitas ſimpliciter competit Chriſto vt homini. Sed obiter notetur pro his, quæ ibi dicebamus, quod cum dicimus, Chriſtum meruiſſe capitis dignitatem, non ſit ſenſus, quod Chriſtus meruerit virtutem, qua poſſet influere in reliquos homines gratiam, & gloriā, & reliqua ſupernaturalia dona: nam hanc virtutem ſiue radicaliter cōſideretur, quæ eſt ipſa vnionis gratia, ſiue ſumatur pro immediato, & proximo principio formali, quo Chriſtus influit in membra, abſque vllis meritis Chriſtus accepit: ſed meruit ipſam formalem capitis dignitatem, & quod nullus vniretur Deo, niſi prius ſecundū rationis prioritatē ipſi, vt homini, per fidem copularetur, eiuſque actualē ſuſciperet influxum, ipſumq; vt Principem, Paſtorem, & caput recognoſceret. Meruit etiā quod Deus eius humanitate vt inſtrumēto vteretur, ad influendū in ſua membra phyſico influxu ſupernaturalem vitam, & motum. Et ſimili ratione cōceditur à S. Th. 3. q. 26. art. 2. quod Chriſtus ſecundū quod homo, mediator eſt Dei, & hominū. Ex dictis ſequitur, ꝙ hęc propoſitio, Chriſtus inquantum homo, eſt Eccleſię caput, vera eſt, ſi dictio, inquantum, ſpecificatiuè ſumatur, quę tamē eſſet falſa, ſi reduplicatiuè ſumeretur. Nō libet immorari in his terminis explicandis, tum quia ſciētibus dialecticā, ſunt manifeſti, tum etiam quia ſuperius à nobis fuerunt explicati, cū de Chriſti adoptione in q. 1. loquebamur: ſatis fuerit nunc dicere, ꝙ ſi dictio, inquantū, denotet adęquatā, & totalē rationē capitis, falſa eſt illa propoſitio, quomodocunq; ſumatur, etiā ſpecificatiuè, quia dignitas capitis poſtulat per ſe, & neceſſariò diuinū ſuppoſitū, eſt autē vera, ſi denotet principiū formale ſpecificam rationē capitis conſtituens, ſub illo tamen dignitatis modo, qui ex diuino ſuppoſito dimanat. Et hic eſt ſpecificatiuus ſēſus, in quo iſta admittitur propoſitio.

§. 6. *Tertia concluſio.*

CHriſtus caput eſt, non ſolum fidelium, qui in noui teſtamenti ſtatu commorantur, ſed omnium

nium fidelium, qui poſt Adæ peccatum Chriſti præceſſerunt aduentum.

Hæc concluſio eadem eſt tenenda certitudine, qua verſus finem q. 5. diximus credendũ eſſe, quod Chriſti fideles, qui Chriſti anteceſſerunt incarnationem, gratiam, & iuſtitiam ex Chriſti meritis acceperunt. Et eodem modo, quo ibi explicuimus veritatem illã explicanda eſt hæc noſtra præſens concluſio. Iſque in ſumma legitimus eſt noſtræ concluſionis ſenſus, quod Chriſtus, vt præuiſus, & præcognitus à Deo in ipſa æternitatis præſcientia, propter homines, & eorum ſalutem homo futurus in tempore, caput fuit antiquorum fidelium. Ita quod omnis ſpiritualis influxus, quem à Deo acceperunt, non aliter ad eos peruenit, neque aliter à Deo fuit è cœlo demiſſus, quam habito reſpectu ad venturum Chriſtum, vt ad ſupremum omnium credentium caput. Et ob id in loco ſuperius ex Iſaia c. 11. cit. *Erit radix Ieſſe*, &c. Chriſtus Ieſſe, ideſt, Dauid radix appellatur, etſi multo tempore fuerit ipſo Dauid poſterior. Et ob hanc cauſam Patres in lymbo ſuſtentati fructũ perceperunt illius victoriæ, quam Chriſtus de ſuis hoſtibus magno peracto bello reportauit, pugnauitque Chriſtus etiã pro eis. Vt ex illo Zach. Cantico Luc. 1. colligitur. *Et erexit cornu ſalutis nobis, ſalutem ex inimicis noſtris, ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris*, qui iam, ſcilicet, olim erant defuncti.

Hanc veritatem docuit Auguſt. qui nihil non profunda ſemper eruditione, & ſapientia dixit, lib. de catechizandis rudibus c. 3. cuius verba, quia digna ſunt conſideratione, decreui ad hunc locum tranſcribere. Sic inquit. *Neque enim ob aliud ante aduentum Domini ſcripta ſunt omnia, quæ in ſanctis ſcripturis legimus, niſi vt illius commendaretur aduentus, & futura præſignaretur Eccleſia: ideſt, populus Dei per omnes gentes, quod eſt corpus eius: adiunctis, atque annumeratis omnibus ſanctis, qui etiam ante aduentum eius in hoc ſæculo vixerunt, ita eum credẽtes venturum eſſe, ſicut nos veniſſe. Sicut enim Iacob manum prius dum naſceretur, emiſit ex vtero, qua etiam pedem prænaſcentis fratris tenebat, deinde vtique ſequutũ eſt caput, tum demum neceſſariò membra cætera: ſed tamen caput non tantum, & membra, quæ ſequuta ſunt, ſed etiam ipſam manum, quæ in naſcendo præceſſit, dignitate, ac poteſtate præcedit, & quãuis non tempore apparendi, tamen naturæ ordine prius eſt, ita & Dominus Ieſus Chriſtus, etſi antequam appareret in carne, & quodammodo ex vtero ſecreti ſui, ad hominum oculos mediator Dei, & hominum homo procederet, qui eſt ſuper omnes Deus benedictus in ſæcula, præmiſit in ſanctis Patriarchis, & Prophetis quandam partem corporis ſui, qua velut manu ſe naſciturum eſſe prænuncians, etiam populum præcedentem ſuperbè, vinculis legis, tãquam digitis quinque ſupplantauit: quod & per quinque temporum articulos prænunciari venturus, prophetarique non deſtitit: & huic rei conſonãs, per quem lex data eſt, libros quinque conſcripſit. Et ſuperbi carnaliter ſentientes, & ſuam iuſtitiam volentes conſtituere, non aperta manu Chriſti repleti ſunt benedictione, ſed conſtricta, atque concluſa retenti ſunt: itaque illis obligati ſunt pedes, et ceciderũt; nos verò ſurreximus, & erecti ſumus. Quamuis ergo, vt dixi, præmiſerit Dominus Chriſtus quandam partem corporis ſui in Sanctis, qui eum naſcendi tempore præierunt, tamen ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, illique omnes eidem corpori, cuius ille caput eſt, cohæſerunt, credendo in eum, quem prænunciabant. Non enim præcurrendo diuulſi ſunt, ſed adiuncti potius obſequẽdo. Nam etſi manus à capite præmitti poteſt, connexio tamen eius ſub capite eſt.* Hæc Aug.

In quibus perpendendum eſt, quàm citra improprietatem vllam Aug. ipſam æternam Dei præſcientiam diuinũ quaſi vterũ appellauerit, in quo diuina præfinitione, & prædeſtinatione totus ipſe ab æterno Chriſtus, & in capite, & in mẽbris fuit præcõceptus: ita quod prædeſtinatio Chriſti capitis, & membrorũ eius perfecta quędã fuit ipſius Chriſti in diuino vtero cõceptio. Cuius cõceptionis fœtus, quaſi immaturo tempore demõſtratus fuit in illa manus ex vtero emiſſione, quę in antiquo fideli populo facta eſt. Voco immaturum tempus totum illud, quod eam tẽporis plenitudinem præceſſit, de qua Paulus ad Gal. 4. dicebat: *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*, &c. tunc æterna illa Dei pręconceptio ſuũ habuit adimplemẽtum, cum Deus Filium ſuum in mundũ miſit.

Et quemadmodũ dicebamus ſuperius cum Paulo ad Epheſ. 1. quod reſurgente Chriſto, reſurreximus omnes, ideſt, reſurrexit corpus in ſuo capite, & Chriſto cœlos penetrante, & aſcendente, nos quoque cum illo cœlos conſcendimus, ideſt, corpus aſcendit in capite: ita Chriſto capite noſtro ex diuino æternæ pręſcientiæ vtero tunc egrediente, & naſcente, & nos quoque nati ſumus, corpus videlicet fidelium in ſuo capite natum eſt, & exortum.

De hac forſan natiuitate, & diuini vteri partu explicari poterunt non incõmodè illa vaticinantis Iſa. verba c. 66. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe nõ pariam, dicit Dominus? Ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, dicit Dominus Deus tuus?* Certè, ſi ſequentia in cõtextu adnotẽtur verba illa. ſ. *Lætamini cum Hieruſalem, & exultate*, &c. non poterit hæc intelligentia non videri textui conſentanea. Exhortabatur enim Propheta Hieruſalem ad lętitiã, eo quod diuinus hic æterni vteri partus tandem erat in hanc lucem incommodum ipſius Hieruſalem futurus.

Hæc eadẽ veritas conſtat ex illo Prou. 8. *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram:* quo loco de incarnata Sapientia ſermo erat Salomoni, eamque ab æterno conceptã vocat, quia in ęterna Dei prædeſtinatione, & pręordinatione ipſam quaſi in pulcherrimo Dei vtero ad partum properantem contemplabatur. Et quod properaret ad partum, illa ſequentia indicarũt verba: *Et deliciæ meæ eſſe cũ filiis hominum.* Et hęc dixiſſe ſat fuerit ad huius tertię cõcluſionis explicationẽ, nam ex his, quibus comprobaui ſuperius veteres Patres ex Chriſti paſſione, & meritis fidem accepiſſe, & gratiam, poterit quiſque petere alia, quę ſunt neceſſaria ad huius cõcluſionis probationẽ, quę probatio ad formã redacta talis eſt. Antiqui Patres ex influxu Chriſti fidem acceperunt, & cætera ſupernaturalia dona, quæ ad eorum iuſtificationem attinuerunt. Chriſtus ergo capitis rationem habuit comparatione ad fideles illius priſci, & veteris ſtatus.

§. 7. Quarta concluſio.

CHriſtus caput eſt iuſtorum fidelium in loco purgatorij exiſtentium. Hæc concluſio ſi materialiter intelligatur, in hoc videlicet ſenſu, quod illi, qui in Purgatorio exiſtunt, ſunt vera Chriſti membra, &

Chri-

Chriſtus eorum caput, non poteſt reuocari in dubiũ. Sunt enim coniuncti Chriſto per fidem, & charitatem, & ex influxu Chriſti, & virtute meritorum eius gratiæ confirmationem, & ſtabilitatem in illo ſtatu accipiunt. Atque itidem ex theſauro Eccleſiæ, qui meritis, & ſatisfactionibus Chriſti potiſſimum conſtat, per modum ſaltem ſuffragij à debitis releuantur pœnis. At ſi formaliter ſumatur concluſio, ita vt ſenſus ſiat, quod ſecundum quod animæ iuſtæ in illo loco purgantur, influxum participãt à Chriſto capite, & quod capitis officium in earũ purgatione exequitur, rationem aliquam habet dubitandi quarta iſta concluſio. Quoniam animæ in purgatorio non ſatiſfaciunt, ſed ſatiſpatiuntur: ita quod iuxta rationem tormentorum, & propriæ paſſionis quantitatẽ à ſuis purgantur debitis, & nõ virtute applicationis meritorum, & ſatisfactionũ Chriſti. Sed hac ratione non obſtante, exiſtimo ſtatutam cõcluſionem veram eſſe in hoc formali ſenſu, quam ſic probo: quod illę paſſiones, illaq; tormenta acceptentur à Deo per modũ ſufficientis ſatiſpaſſionis, ſintq; gratę, & acceptabiles Deo purgatorij pœnæ, quibus iuſtę purgãtur animę, totum reducitur ad Dei gratiam, & miſericordiam: ergo & ad Chriſti paſſionẽm, & merita: quia omnis gratia Dei nobis collata, nõniſi per Chriſtum ad nos deſcendit: nam *benedixit nos Deus*, inquit Paulus, *omni benedictione ſpirituali in Chriſto.* Antecedẽs conſtat primò, quia ſi extra gratiam, & charitatem, quæ per Chriſtum habẽtur, animæ ſenſibiles illas pœnas, grandiaq; paterẽtur tormẽta, nihil reuera prodeſſet illis, vt à debitis per peccata contractis liberarentur: ſicut non proſunt damnatis inferni tormenta, vt à pœnarum æternarum liberentur debitis. Quod probat grauiſſime Mag. Sot. cõtra Scot. in 4. diſt. 19. Secundò ad ſpecialem Dei gratiam, & miſericordiam ſpectat, quòd inſtituerit locum iſtũ pœnarum, in quo animæ poſſent ſeipſas expedire à debitis, quibus propter culpas tranſactas, Deo obligantur: ergo & hoc etiam beneficium ad Chriſti merita pertinet. Tertiò denique, quoniã ſi Deus magno vellet rigore vti, poſtquam animæ ſunt extra viæ ſtatũ conſtitutæ, poſſet ad nullum earũ opus reſpicere, nullamq; vel ſatisfactionem, vel ſatiſpaſſionem earum acceptare, ſed propter illas debitas pœnas, & maximè propter veniales culpas ſi quas ſecum deferunt, eas in perpetuum à regno excluſas detinere. Nàm licet hoc ad rigorem pertineret, nõ tamen ad iniuſtitiam, & hoc intelligo conſiderando Deum, non ſulum vt dominum vitæ, & mortis, qui abſoluto, & plenario ſuo vteretur iure: ſed etiam cõſiderando ipſum, vt legiſlatorem, & gubernatorem. Nam cum ipſæ animæ in ſtatu viæ nõ ſe purgauerint ſufficienter, cum poſſent ex vi gratiæ, & charitatis, & auxiliorum Dei, nulla eis irrogaretur iniuſtitia, ſi viæ curſu peracto, neque ad ſatisfaciendum, neque ad ſatiſpatiendum eis daretur locus: ſed propter impedimentum, quod ſecum deferrent, exorres in perpetuum manerent, & exules à regno cœleſti: ergo quod earum accipitur ſatiſpaſſio in purgatorij loco, vndequaque ſpectat ad Dei gratiam, ad ipſaque proinde Chriſti Saluatoris noſtri merita, qui Saluatoris officiũ & in omnibus, & vbique in ſuis membris operatur. Et in illo tormentorum loco ſua ipſis merita, & ſuæ paſſionis, virtutẽ actu applicat. Ita quod ſicut Paulus ad Gal. c. 2. dicebat, quod in eo viuebat Chriſtus, & 2. Cor. c. 13. quod in ipſo loquebatur Chriſtus. Et nos, vt benè Caiet. opuſ. de fide, & op. c. 9. dicere poſſumus, quod in nobis meretur, & in nobis ſatisfacit Chriſtus. Ita & illæ iuſtorum animę, quę in purgatorio detinẽtur, dicere quoque poſſunt, quod in eis ſatiſpatitur Chriſtus, quia earum paſſiones inutiles prorſus eſſent, niſi Chriſti paſſioni inniterentur. Paterentur illæ quidem, ſi a Chriſti eſſent paſſione alienatæ, vt miſeri in inferno patiuntur: at ſatis non pati potuiſſent. Vſque ad ſtatum ergo gloriæ incluſiue nihil nobis contingere poteſt, quod conuenientiæ quidpiam, & vtilitatis ſpiritualis conferat, quod pretioſiſſimo Chriſti ſanguini, eiuſque paſſioni, & meritis non debeamus. Et ob id in omnibus, & pro omnibus gratias agunt ſancti in cœlo Deo, & Agno, Apoc. c. 5. non ſoli Deo, ſed ſimul & Agno.

§. 8. Quinta concluſio.

PRobabile eſt, Chriſtum fuiſſe caput primorum parentum in ſtatu innocentiæ exiſtentium. Hæc concluſio explicatione potius indiget, quàm probatione, ſuppoſitis his, quæ diximus & ſuperius in hoc dubio, & dubio itidem pręcedenti.

Vnde primò aduertendum, hanc concluſionem procedere ſuppoſita Sancti Thomæ ſententia, quæ docet, Chriſtum non venturum, ſi nullus peccaret homo.

Secundo eſt aduertendum, non eodem modo loquendum eſſe de primis parentibus, dum extiterunt in ſtatu originalis iuſtitiæ, & de ipſo originali iuſtitiæ ſtatu: ac de his, quæ formaliter ad ipſum ſpectabant. Suppoſita namque prædicta S. Thomæ opinione, ego non reputo probabilem ſententiam, quæ docuerit, Chriſtum fuiſſe caput ſtatus innocentiæ, formaliter ſumpti. Nam cum gratia Chriſti ſit Redemptoris gratia, per ſe, & ex vi prædeſtinationis Chriſti, neque Chriſtus aliter fuerit prædeſtinatus, quàm vt Redemptor, & in remedium originalis peccati, & in reparationem ruinarum, quæ fuerunt ex peccato relictæ: nequit probabiliter dici, (ſi conſequenter eſt loquendum) quod ſtatus innocentiæ formaliter ſumptus ad Chriſti gratiam, & ad eius merita ſpectauerit. Nam ſtatus ille, & quæ formaliter ad ipſum pertinebant, nullam habuerunt ad peccatum, nec ad remedium eius habitudinem: ac proinde neque ad Chriſtum, vt reparatorem naturæ per peccatum infectæ. Et ita dicebam ſuperius prope finem præcedentis quæſtionis, quod gratia collata hominibus in ſtatu innocentiæ per ſe primo non attinuit ad Chriſtum, nec ad eius merita. Sed ex ſola Dei gratuita, & liberali voluntate fuit donata.

Cæterum ſi non formaliter de illo ſtatu loquamur, ſed materialiter potius, non reputo improbabile, ſed valde mihi probabile eſt, quod infinitas meritorum, & ſatisfactionum Chriſti ad illum etiam ſtatum ſe extendit: quatenus ſtatus ille potuit ſubijci Chriſto, vt Redemptori, & reparatori, ideſt, prout conſideratur tanquam reparandus per Chriſtum. Et hac ratione ſuperius dicebam, quod eademmet gratia, quam primus parens in inſtanti ſuæ formationis accepit, quæ fuit innocentiæ, & origi-

originalis iuſtitiæ gratia: primo quidem & formaliter conſiderata, vt erat gratia innocentiæ, ſine Chriſto, & ex ſola Dei voluntate fuit ipſi primo homini data. Sed eademmet prout reparãda per Chriſtum. & ex merito paſſionis eius collata quoque fuit, ac ex gemino proinde titulo primi parentes gratiam illã acceperunt, quod ibi explicatum dedimus.

Neque miretur quiſquam, quod dicamus innocentiæ ſtatum reparatum fuiſſe per Chriſtum: quia licet ad innocentiæ ſtatum reuocari nequeat, is qui ſemel nocens fuit, & peccator, qua ratione irreparabilis eſt innocentiæ ſtatus, ſicut ſtatus virginitatis. Sed nihilominus eatenus abſque improprietate vlla ſtatus ille reparatus per Chriſtum dicitur, quatenus homo & ſecundum animam, & ſecundum corpus eam omnem per Chriſtum recuperaturus eſt perfectionem, quam peccando perdidit, imo & multo vberiorem perfectionem: quod apparebit in illa die cum alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit, Iſai. 30. Qui erit dies glorioſæ filiorum Dei reſurrectionis. Cui proinde diei Chriſtus redemptionis nomen accommodauit, cum Luc. 21. dixit, *iis autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra*. Reſurrectionem ſimul cum finali ſententia, quam iuſti à dextris Chriſti in iudicio ſtantes audient, Chriſtus Dominus redemptionem vocauit, quia tunc plenè apparebit totus factæ per ipſum redemptionis fructus. Mitto explicationes alias.

Igitur noſtra concluſio in hoc poſteriori ſenſu materiali eſt intelligenda, in quo egregiam habet probabilitatem: etſi non certitudinem; quia probabilis eſt etiam ſententia contraria, quæ docet ſtatum innocentiæ, neque formaliter, neque materialiter ad Chriſtum pertinuiſſe: ita vt gratia, & ſupernaturalia illius ſtatus dona ad pretioſum Chriſti ſanguinem, & ad ipſa Chriſti merita referri poſſent. Qua ſententia ſuppoſita, Chriſtus minime poſſet dici illius caput, quia nullum influxum habuit in totum ſtatum illum, quamuis iuxta ſuperius dicta præcedenti quæſtione, Chriſtus cum proprietate appellandus eſſet illius ſtatus finis: eo, quod omnia, quæ ad naturæ ordinem, & gratiæ pertinent, præordinata fuerunt ad Chriſti gloriam.

§. 9. *Sexta Concluſio.*

IN ſtatu glorioſo futuræ beatitudinis Chriſtus perfectiſſimè caput erit hominũ beatorum. Hæc concluſio non ob id à me ſtatuta eſt, quia noua egeat probatione; cum ex dictis conſtet, quod in illo ſtatu, in quo Chriſtus omnia ſibi ſubiecta habebit, cum totum ſuum regnum in vnum corpus collectum tradiderit Deo, & Patri, maximè ſplendeſcent in ipſo Chriſto ſupremo Eccleſiæ capite ratio, auctoritas, & poteſtas. In illo enim ſtatu ſumma erit conformitas inter corpus, & caput, inter Eccleſiam glorioſam nõ habentem maculam, neque rugam, & ipſum innocentiſſimum, & puriſſimum Chriſtum: Sancti enim perfectè erimus ſicut & ipſe ſanctus eſt. Tuncq; reformatum erit corpus humilitatis noſtræ, & configuratum corpori claritatis eius erit: & tunc corpus plenè, & in omnibus ſuo capiti Chriſto ſubiectum: atque omnia membra ſumma vnione, maximoque ſpiritus glutino inter ſe coaleſcent, vnumque corpus efficient, ac tunc denique ſummum à ſuo capite, & ſupremum ſuſcipient gloriæ influxum.

Hæc cum tam ſint manifeſta, & ex ſuperius dictis facili poſſint opere colligi, ſexta noſtra concluſio eo tantum fuit propoſita, quo diſtinctius ob oculos poneremus diligenti lectori omnem illum ſtatum, in quo Eccleſia Chriſto, vt vero ſuo capiti coniungitur, & in quo particulares homines membra ſunt huius corporis actu Chriſto copulata. Et cum contrariorũ eadem ſit ſcientia, & ratio: ex his facillimum erit cuique deducere, quinam ſint miſeri illi ſtatus, in quibus homines ad Chriſtũ non pertinent, vt membra corporis eius. Nam ſi fides primum vinculum eſt, quo huius corporis membra inter ſeſe, & capiti ſuo Chriſto copulantur, promptum erit cuique inferre, infideles non actu, ſed potentia tantum membra dici, quiá Chriſti virtute ad actualem membrorum formam, & vnionem venire poſſunt. Per Chriſtum namque, vt dubio vltimo quæſtionis præcedentis dicebamus, ad ipſum venitur Chriſtum: Eſt enim Chriſtus oſtiũ, per quod ad eius intratur ouile, ad eiuſque paſtoralem curam peruenitur. Si vero totus influxus Chriſti capitis eo tẽdit, vt nos ſibi perfectè in ſtatu gloriæ coniungat, omneſque in vnam regalem coactos Remp. in vnumq; corpus perfectè adunatos, Deo tradat, & Patri: quis, nõnullo etiã mõſtrante deducet, miſeros illos homines in extrema infelicitatis miſeria conſtitutos, à cœleſti Regno, à Deique fauore in perpetuum excluſos, & relegatos, teterrimiſque inferni carceribus addictos, omnino ſeparatos eſſe à Chriſto capite, & neque actu, neque potentia ad ipſum, ad eiuſque corpus attinere?

Quod in primis illius ſententiæ verbis, quam hi miſerrimi à ſiniſtris iacentes in finali à Chriſto audient iudicio, non obſcurè demonſtratur. *Ite*, dicet, *maledicti Patris mei, &c.* Nam illud verbum, *ite*, perpetuum deſignat receſſum, ite nunquam ad me reuerſuri. Alia verba. *Maledicti Patris mei*, excluſionem à Patris miſericordia denotant, quæ elongationem, & ſeparationem eorum à Chriſto neceſſario conſequitur: quia ſi per Chriſtum, & in Chriſto, vt Paul. Epheſ. 1. ait, *Benedixit nos Pater omni benedictione*: à Chriſto totaliter ſeparatis, & in perpetuum relegatis, quid potuit ſupereſſe aliud quam ſola Patris maledictio? Neque iam vt Eſau à patre Iſaac, Gen. cap. 27. in pinguedine ſaltem terræ, & in rore cœli benedictionem accipient, qua acceperunt dum in mortali carne viuerent; quia temporaria fuit benedictio illa à cœli motu orbiculari, & reuolutione pendens. At tunc iam amplius non erit tempus, accipiet enim ſibi Deus tempus totum, vt iudicet iuſtitias, & reddat vnicuique iuxta ea, quæ fecit in corpore, ſiue bene, ſiue male: ſed iam hos miſerrimos homines in perpetuum ſine Chriſto, & in exterioribus iacentes tenebris relinquamus, & ad Chriſtum caput noſtrum: ad ſuauiſſimamque eius gratiam, noſtra redeat diſputatio.

§. 10. *Septima Concluſio.*

HAbitualis Chriſti gratia, verè, & ꝓpriè dicitur gratia capitis. Hęc cõcl. quã S. Th. 3. p. q. 8. a. 5.

Digitized by Google

verbis expreſſis docuit, commuois eſt apud Theologos in 3.d.13.& in 4.d.5.& conſtat eius veritas, ex his, quæ diximus q. 3.ar.2. & q.5. ar. 1. quibus locis explicuimus quo pacto habituali Chriſti gratiæ competat principium eſſe infiniti meriti, infinitæque ſatisfactionis. Ex quibus ſic argumentor pro veritate concluſionis præſentis: Chriſtus per gratiam tanquam per formale effectiuum principium proximũ influit ſupernaturalem vitæ, & motus virtutem in ipſa ſui corporis membra, nimirum, in homines fideles: ergo verè, & propriè gratia capitis appellatur. Conſequẽtia eſt manifeſta, & antecedens probatur. Chriſtus merito, & ſatisfactione potiſſimum influit in membra ſua, ſed gratia eſt formale principium ſatisfaciendi, & merendi: ergo influxus capitalis, quo Chriſtus in ſuos fideles ſpiritualem vitam, & motũ influit, referendus eſt in habitualem Chriſti gratiã, ac proinde merito debet gratia capitis vocari.

Confirmatur. Gratia infinita eſt in eſſe gratiæ ſecundum ordinem moralis perfectionis: ergo omne meritum, omniſque ſatisfactio Chriſti, quo meruit nobis, & qua pro nobis ſatisfecit, clauditur ſub poteſtate & virtute habitualis Chriſti gratiæ: atque adeo verè dicitur gratia capitis. Et iſta pro hac concluſione ſufficiant. Nam cætera, quæ ad eius explicationem ſunt neceſſaria in ſolutionibus argumentorum adnotabimus.

§.11. *Soluuntur argumenta propoſita initio dubitationis.*

AD argumenta, quæ à principio dubitationis huius fuerunt propoſita, neceſſe eſt reſpondeamus. Ad primum argumentum, eiuſq; confirmationem in ſumma reſpondeo, Chriſti gratiam non perfectione aliqua phyſica eius eſſentiæ ſuperaddita conſtitui in ratione gratiæ capitis, nec habere virtutem referendi ipſa Chriſti opera ſatisfactoria, & meritoria ad noſtram vtilitatem, noſtrumque commodum: ſed totum hoc illi competere ex infinitate perfectionis moralis, quæ ex coniunctiooe ad diuinũ verbum in ipſa conſurgit. Cum autem argumentũ inſtat, quod referre operationes meritorias, & ſatisfactorias in commodum alterius cuiuſpiam ab ipſo operante diſtincti, phyſicum quid eſt: ergo neceſſum eſt perfectionem aliquam phyſicam ſpecialem in Chriſti gratia inuenire, vt Chriſti operationes in noſtram vtilitatem referret.

Reſpondetur. Quod ipſa habitualis Chriſti gratia, non refert Chriſti operationes ad ſpiritualem hominum vtilitatem; ſed hanc relationem ipſe Chriſtus ſua voluntate fecit. Ea tamen fuit habitualis gratiæ virtus, & perfectio in Chriſti anima, vt operationibus ad noſtram vtilitatem à Chriſti voluntate relatis, vim conferret meritoriam, & ſatisfactoriam, tantumque valorem; vt non ſolum de condigno, ſed & de rigoroſa iuſtitia eas efficeret meritorias eius præmij, ad quod per Chriſti voluntatem deſtinabantur.

Et hoc quidem ſpecialiſſimum fuit in Chriſti gratia, propter infinitatem quam ſortitur in ratione gratiæ, ex qua prouenit, vt opus ab ipſa dimanans dignum ſit ſecundum ſe omni eo bono, quod inducere poteſt rationem præmij, ſiue ſit bonum ipſius Chriſti, ſiue bonum alienum, nihilque ei deeſt aliud vt actu totum huiuſmodi mereatur bonum, niſi determinata applicatio ex voluntate Chriſti operantis facienda: quæ conditio tantum eſt requiſita ad rationem meriti. Et in hoc quamplurimum Chriſti gratia à noſtra differt.

Noſtra enim gratia, cum limitatæ ſit, & finitæ virtutis in ratione gratiæ, operi meritorio quod ex ipſa proficiſcitur, non præſtat valorem, quod extendatur ad præmium alteri conferendum, ſed limitata eſt ad bonum operantis, quem diſponit, & perficit in ordine ad gloriam, & vltimam ipſius fœlicitatem. Vnde ſi operaos opus ſuum meritorium in alterius hominis commodum referat, gratia materialiter tantum ſe ad talem relationem habet, in hoc videlicet, ſenſu, quod tantum habet illud opus conſtituere bonum, & Deo gratum, ac proportionatum proinde, vt à Deo per modum cuiuſdam meriti de congruo acceptetur. Nullam ei tamen vim confert meritoriam de condiguo in ordine ad bonum alterius hominis, ad quod ordinatur. Etenim gratia conſideranda eſt, vt forma conſtituens in quolibet noſtrum participationem diuinæ naturæ, quæ nos ordinat & refert in vltimum & noſtrum, & ipſius gratiæ finem: quæ eſt ipſamet gratia per diuinam viſionem conſummata, quam communiter appellamus gloriam. Et cum natura ſit determinata ad vnum, ipſa naturalis inclinatio gratiæ tota ſub hoc fine comprehenditur, ſicut inclinatio naturæ cuiuſcunque ſubſtantialis, non egreditur ſui vltimi finis terminos, ſed intra ipſos continetur concluſa.

Quo fit, vt gratia noſtra noſtris operationibus nullum conferat valorem meritorium, niſi per reſpectum ad prædictum finem. Et ſicut natura creata ſubſtantialis quæcunque in quolibet indiuiduo determinationem habet indiuidualem ad finem particularem, & proprium talis indiuidui, neque ſe valet extendere ad alterius cuiuſquam indiuidui, etiam eiuſdem ſpeciei finem, & bonum: ita quælibet ſingularis gratia in quolibet noſtrum conſimili indiuiduali determioatione finem tantum particularem reſpicit, gloriam, videlicet, eius hominis, in quo reſidet. Vnde habitualis Chriſti gratia, ſi ſecundum eſſentiam tantum phyſicam conſideretur, conſimilem habet determinationem: eſtque determinata ad propriam gloriam animæ Chriſti, neque gloriam alterius cuiuſque hominis reſpicit: neq; opera Chriſti ad alium quempiam refert finem.

Cæterum quia eſt in ſubiecto, in quo eminentiſſimè, & infinitè tota hominum, & Angelorum præhabetur gloria, omniſque itidem eorum perfectio: eam induit moralem infinitatem ex tanta ſubiecti dignitate participatam, qua poteſt ad booum cuiuſcunque & hominis & Angeli extendi, & valorem confert humanis Chriſti operibus, quo omnem & gloriam, & gratiam hominum, & Angelorum promereri poſſint, ſi ex ipſa Chriſti voluntate ad ipſos homines & Angelos referantur, & applicentur. Et idcirco habitualis Chriſti gratia rationem ſortitur gratiæ capitis: quæ ratio minime poteſt competere alicuius puræ creaturæ gratiæ.

Quod adeo verum eſſe exiſtimo, vt crediderim, non poſſe fieri per abſolutam etiam Dei potentiã, vt aliqua

aliqua pura creatura ſit caput in ratione gratiæ hominum, vel Angelorum. Ita quod de condigno propriè, & rigoroſè loquendo, mereatur ipſis gratiam, & gloriam. Quoniam non eſt factibile, quod gratia puræ creaturæ quantacunque ſit, conferat ſuis operationibus valorem meritorium, quo aliquid mereantur de condigno alteri diſtincto ab ipſo operante: eo quod ſua natura, ab intrinſeco eſt determinata, & coarctata ad proprium operantis finem: neque aliud bonum poteſt intendere niſi iſtum finem, neq; alia media diſponere, & ordinare, aut mereri, niſi quæ ad hunc finem referantur. Et ſic in forma propono argumentum in huius rei confirmationem. Gratia puri hominis, aut Angeli, quantumcunque creſcat intra limites ſuæ naturæ, non aliam perfectionem intrinſecam habere poteſt, quam ſit intenſiua perfectio, ſed ex hac perfectione non competit gratiæ, conferre meritorium valorem operationibus ad bonum alterius diſtincti ab operante: ergo abſolutè eſt concedendum, quod gratia puræ creaturæ nequit ſimpliciter eſſe gratia capitis.

Graues quidem Theologi, è quorum numero fuit Magiſter Sotus in 4. diſtin. 1. quæſt. 5. artic. quarto, fatentur, poſſe Deum communicare puræ creaturæ gratiam capitis.

Sed certè iſta ſententia, non video quo pacto ſuſtineri poſſit, niſi recurramus ad acceptionem, & ordinationem Dei extrinſecam, qua Deus vellt acceptare opera bona puræ creaturæ, tanquam merita propter quæ conferret gratiam & gloriam alijs hominibus. Qua ſuppoſita ordinatione, & acceptatione Dei extrinſeca, deberetur illi homini ex vi talis promiſſionis, & ordinationis, quòd eius opera acceptarētur, vt merita, quibus bona ſpiritualia aliorum hominum, gratia ſcilicet, & gloria, loco præmij reſpondeant. Hæc autem ordinatio Dei, & promiſſio non conſtituunt meritum de condigno, niſi ſecundum quid, & denominatione quadam extrinſeca.

Neque talis meriti ratio ex ipſa gratia, & intrinſeca eius virtute penſanda eſſet, ſed ex illa tantum extrinſeca Dei promiſſione, & ordinatione: atque adeo cum ad rationem capitis neceſſarius ſit moralis, & meritorius influxus in membra (nam phyſicus, ſi quis reperiri poteſt, inſtrumentalis tantum eſt) fateri tenemur, gratiam capitis nulli puræ creaturæ communicabilem eſſe, ſi propriè loquamur. Quia non eſt communicabilis gratiæ puræ creaturæ, quod operationibus à ſe elicitis, aut imperatis valorem conferat meritorium reſpectu alterius ab ipſo operante diſtincti, vt diximus.

Quod ſi quiſpiam in hunc modum opponat. Meritum quo iuſtus homo ſibi gloriam, & augmentum gratiæ meretur, meritum eſt de condigno, & tamen in extrinſeca Dei ordinatione fundatur. Nam S. Tho. 1. 2. q. 114. art. 1. dicit, quod noſtrum meritum apud Deum eſt ex ordinatione ipſius Dei. Ergo ſi ex Dei ordinatione, & acceptatione pura creatura poteſt alteri mereri gratiam, & gloriam, abſolutè concedendum eſt, quod poteſt ei hæc bona de condigno mereri: atque adeo concedendum etiam eſt, poſſe illi gratiam capitis communicari.

Huic obiectioni negandum eſt omnino, quod noſtrum meritum in extrinſeca Dei ordinatione fundetur. Neque S. Thom. ad extrinſecam Dei ordinationem noſtrum vſquam meritum reuocauit, ſed ad intrinſecam potius, ad eam, videlicet, qua per gratiam, & charitatem nos intrinſecè diſponit, & ordinat ad gloriam, quam noſtris operationibus in gratia & charitate fundatis promeremur. Et puto eſſe meram fictionem in Theologia, ad extrinſecam Dei ordinationem, & promiſſionem noſtrorum meritorum condignitatem, & iuſtitiam reuocare. Quoniā tam proprium eſt, & natiuum gratiæ, nos, noſtraque opera ad ſupernaturalem finem, gloriam, videlicet, efficaciter ordinare, & referre, atque proprium eſt cuicumque ſubſtantiali naturæ referri ad connaturalem ſibi finem, & opera indiuidui in ipſa natura ſubſiſtentis ad eundem finem ordinare.

Vnde ſicuti opera, quæ Petrus ſecundum rationē efficit, ex ipſomet principio à quo procedunt in rationalem finem deſtinantur abſque ſpeciali vlla Dei ordinatione: ita & opera hominis iuſti, quæ ex gratia, & charitate prodeunt, in vltimam fœlicitatem, ſcilicet, gloriam ipſius operantis per ſe, & ab intrinſeco referuntur, abſque aliqua ſpeciali Dei ordinatione. Et ſicut homini bene ſecūdum rationem operanti, debita eſt ſecundum naturæ ordinem aſſecutio naturalis finis: ita & homini iuſto bene operanti ſecūdum charitatem & gratiam debetur vltimus ipſe gratiæ finis, nimirum, gloria. An vero hoc debitum abſque ſpeciali Dei ordinatione ad iuſtitiam pertineat, necne, non eſt huius loci explicare, propriam ſedem habet in 1. 2. q. 114. ar. 1. & 3. exiſtimo quidē (vt meam obiter inſinuem ſententiam,) quod ex ſe ipſo habet opus hominis iuſti facere debitam gloriā operanti, debito pertinente ad diſtributiuam iuſtitiam. Sicut opera bona rationali bonitate, ſimile intra naturæ ordinem debitum induunt, vt ex doctrina S. Th. 1. p. q. 21. & 1. 2. q. 21. facillima opera colligi poterit. Et cū alia iuſtitia, puta cōmutatiua nullatenus ſit admittenda in noſtris meritis erga Deū, conſequenter cogor dicere, iuſtitiam noſtram ex condigno meritoriam nullam extrinſecam Dei ordinationem, aut promiſſionem expoſcere, ſed in ipſa gratiæ & charitatis natura fundari.

Poteſt ſecundo, ad eiuſdem argumenti ſolutionē dici, quod cum homines, & Angeli ad Chriſtum attineant, vt membra ad caput, vnumque corpus integrum cum ipſo conſtituant: quod Chriſtus hominibus, & Angelis mereatur, non eſt mereri alteri, ſed mereri ſibi, id eſt, corpori ſuo, ſuiſque membris. Atq; adeo non eadem eſt ratio de Chriſti gratia, & de gratia noſtra, quod attinet ad meritum, prout refertur ad alterum ab operante diſtinctum.

Ad ſecundum argumentum S. Thom. 3. p. q. 8. ar. 5. dicit in Chriſto triplicem reperiri gratiam: vnionis, perſonalem, & capitis. Gratia quidem vnionis realiter differt à gratia perſonali, & capitis. Gratia autem perſonalis eadem eſt ſecundum eſſentiam cū gratia capitis, ratione tamen ab ipſa differt. Itaque eſt vnus, & idem habitus; qui tamen, prout actuat, informat, & perficit Chriſti animam gratia eſt perſonalis, prout vero eſt principium formale, quo Chriſtus vitam ſpiritualem, & motum in ſua influit membra, gratia eſt capitis. Sicut lux Solis, qua ratione actuat, & perficit ipſum ſolare aſtrum, particularis quædam eſt qualitas: eſt autem vniuerſale quoddam principium, qua ratione eſt virtus, &

formale principium, quo Sol varios in his inferioribus producit effectus, multiformemque influit virtutem. Diſputant autem Theologi nonnulli, an hæc diſtinctio gratiæ formaliter conſideratæ diuerſas conſtituat ſpecies eſſentialiter diſtinctas. Et quidam affirmantem ſequuntur ſententiam. Alij vero negatiuè reſpondent.

Ego vero breuiter dico, diſtinctione vtendum eſſe in hac parte, nimirum, in Chriſti gratia poſſe conſiderari rationem cauſæ formaliter: poſſe etiam conſiderari formam ipſam, in qua ratio cauſæ inuenitur. Tunc aſſero, quod ſi formalem cauſæ rationem attendamus, duplex in Chriſti gratia reperitur cauſæ ſpecies. Comparata namque gratia ad ſubiectum cui ineſt, formalis cauſa eſt, formalemque effectum animæ tribuit. Comparata vero ad extrinſeca membra, homines videlicet, & Angelos, prout in ipſa ſpiritualem vitæ motum influit, efficientis cauſæ rationem ſortitur. Hæc autem gemina cauſæ ratio non vnius, & eiuſdē eſt ſpeciei, ſed duas, vt liquet, ſpecies conſtituit, eſſentialiter differentes. Si vero ipſamet forma, & qualitas conſideretur, in qua prædicta duplex cauſæ fundatur ratio, minimè commentari debemus in ea eſſentialem aliquam diſtinctionem. Volo dicere, quod ſicut nullus Phyloſophorum hactenus dixit, Solis lucem in ratione lucis in duplici ſpecie reponi, aut quod ſcientia, quæ prout in Doctore eſt, & Magiſtro doctrinæ nomen accipit, in duplici ſit ſimpliciter ſpecie. Ita nulla ratione eſt dicendum, quod gratia Chriſti in ratione gratiæ ad geminam pertineat ſpeciem. Nam vtraque illa ratio, quam in ordine cauſalitatis diximus reperiri, in vna ſimpliciſſima ſpecie gratiæ fundatur. Et ita S. Thom. loco proxime citato ad 3. dicit, quod gratia capitis, & gratia perſonalis in Chriſto eſt vna ſecundum eſſentiam.

Sed eſt omnino aduertendum, nos in hac parte non recedere ab ea ſententia, quam ſuperius q. 3. art. 2. expoſuimus, nimirum, Chriſti gratiam in duplici ſpecie collocari, altera phyſica, & altera morali: ſed id tantum aſſerimus, quod ſecundum vtramque ſpeciem, & eſt gratia perſonalis, & eſt gratia capitis. Quamuis, ſi formaliſſimè, & rigoroſe loquamur, capitis gratia ad moralem tantum pertinet rationem, quia influxus moralis quem Chriſtus habet in membra ſua, non ex phyſica perfectione gratię prouenit, ſed ex illo tantum morali valore, quem ex coniunctione ad verbum participat, vt ex ante dictis faciè poteſt conſtare.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quod omnia, quæ ſunt in Chriſto, ſunt capitalia: Nam ſunt vel partes integrantes ipſum caput, vel accidentia ipſum caput exornantia. Verum hac ratione non ponunt in numero cum ipſo capite, ſed omnia comprehenduntur ſub appellatione Chriſti capitis. Habitualis vero gratia non ea ſolum ratione capitis gratia dicitur, quia eſt qualitas ipſum caput perficiens, & exornans. In qua ratione conuenit cum alijs Chriſti accidentibus, ſiue corporalibus, ſiue ſpiritualibus. Sed ſpecialiori ratione gratia capitis vocatur, quatenus, videlicet, eſt principium formale proximum effectiuum, quo, gratificandi, & ſanctificandi ipſa Chriſti membra: quod eſt ipſi gratiæ peculiare. Nam & ſi accidentia alia ſpiritualia virtutes, videlicet, infuſæ ad hunc effectum concurrant, vt plane concurrunt, id tamen non habent ſecundum ſpecificas rationes, & differentias ex proprijs obiectis deſumptas. Quia inde nullum habent infinitatis valorem, vt q. 3. ar. 2. diximus, ſed id totum habent ex gratia in qua radicantur, & ex qua fluunt.

Quartum argumentum plenè ſupereſt ſolutum ex concluſione ſecunda. Et negandum eſt, quod hæc propoſitio ſpecificatiuè ſumpta, Chriſtus in quantū homo eſt caput, non ſit abſolutè vera. Nam ad hunc ſpecificatiuum ſenſum verificandum, ſatis, ſuperque ſunt ea, quæ circa prędictam ſecundam diximus concluſionem, ſenſus namque ſpecificatiuus, vt ex dialecticis patet, valde amplus eſt, & non vnam, & eandem acceptionem habet. Satiſque eſſet, vt hæc propoſitio in ſenſu ſpecificatiuo ſit vera, quod in hac verificaretur intelligentia, putà, quod Chriſtus in humanitate aſſumpta capitis exequitur officium, & non alias. Sicut Petrus in quantum capillatus dicitur criſpus, quia in ſolis capillis criſpitudinem habet. Sed aliquid amplius ad hanc propoſitionem in ſpecificatiuo ſenſu verificandam concurrit, nimirum, quod humanitas eſt ratio formalis, & proxima, in qua fundatur tota ſubſtantia influxus, quem Chriſtus influit in membra ſua; legantur dicta circa ſecundam concluſionem. Ex quibus etiam conſtabit, quod hæc propoſitio, Chriſtus, in quantum Deus homo eſt caput Eccleſiæ, formalior eſt iſta, Chriſtus in quantum homo eſt Eccleſiæ caput. Poſterior namq; propoſitio in ſenſu tantum ſpecificatiuo vera eſt, & propria: poſterior vero etiam in reduplicatiuo ſenſu veritatem habet.

Ad quintum argumentum, non deſunt Theologi graues, qui concedunt, Chriſtum Dominum appellari debere membrum, & partem Eccleſiæ. Ita docent Altiſiodoren. loco citato q. 6. & Turrecremata lib. 1. ſumm. Eccleſiæ. & S. Tho. 1. ad Corinth. 12. Lectio. 3. quæ ſententia probatur ex illo Paul. loco nunc citato. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, id eſt, de Chriſto, qui eſt potiſſimum Eccleſiæ membrum.

Sed contraria ſententia eſt longe probabilior, & vera, quam docuit S. Thom. in 3. diſt. 13. q. 2. art. 1. ad 4. vbi mutans ſententiam, quam loco proximè citato docuerat, dicit, Chriſtum, neque membrum, neque partem Eccleſiæ appellandum eſſe. Et ratio eſt manifeſta, quoniam membrum, & ſimiliter pars dependentiam important à capite, & à cæteris membris, & partibus eiuſdem corporis; vt conſtat ex membris corporis phyſici, ex quo capitis metaphora ad Chriſtum eſt deriuata. Huiuſmodi autem dependentia auferenda eſt omnino à Chriſto. Ab ipſo enim totum pendet Eccleſiæ corpus, at Chriſtus ipſe nullam ab Eccleſia dependentiam habet, quia nullam ab ipſa perfectionem ſuſcipit. Quocirca ad argumentum neganda eſt ſequela. Ad probationem dicitur, quod in locutionibus metaphoricis illa conſequentia ab inferiori ad ſuperius non ſemper valet. Ex eo enim, quod ſcriptura ſacra Chriſtum Leonem, & Agnum appellat, non licet nobis inferre Chriſtum appellandum eſſe brutum, quod ad Leonem, & Agnum, ſuperius eſt eſſentiale prædicatum. Et quia Deus ignis conſumens appellatur, non idcirco licebit eum corpus, aut elementum vocare.

Et

Digitized by Google

Et ratio eſt in promptu. Quoniam in ratione inferiori quandoque explicatur aliquid pertinens ad metaphoram aliquam, nimirum, proportionalis ſimilitudo, ex qua ipſa metaphorica denominatio ſumitur, quæ tamen in ratione ſuperiori minimè explicatur, ſed aliquid potius ipſi metaphoricæ appellationi repugnans.

Ad illud vero, quod ex Paul. nunc obijciebamus. Reſpond. primo, quod in Græcis Codicibus, non legitur membra de membro, ſed membra ex partibus, vt legunt Chryſoſtom. & cæteri Patres Græci. Similiter ſi velimus, vt ęquum eſt, imo & neceſſariū, vulgatam noſtram lectionem amplecti, quæ pro autentica eſt in omnibus habenda, illa dictio, Membro, iuxta hanc lectionem græcam, poteſt optimè explicari in hoc ſenſu, vt idem polleat de membro, quod ex parte, ideſt, vos eſtis aliqua pars membrorum corporis Chriſti. Ita hunc Paul. locum interpretatur Caiet. quæ interpretatio placet etiam alijs doctiſſimis. Poteſt etiam in alium ſenſum (ſi alius dici poteſt, & non præcedentis explicatio) hoc teſtimonium intelligi, vos eſtis membra de membro, ideſt, membra ad inuicem diuiſa, & ad diuerſas functiones, & operationes deſtinata. Quæ interpretatio minime à Paul. intentione diſſentit. Sed poteſt tertio tandem explicari locus ille D. Pauli, quod Corinthij dicerentur membra Chriſti capitis de membro, ideſt, nõ coniuncta Chriſto per immediatam ipſius Chriſti prædicationem: ſed per prædicationem ipſius Apoſtoli, qui erat membrum Chriſti, & Eccleſiæ. Vnde illud verbum, de membro, idem pollet, quod per miniſterium, & prædicationem, particularis membri corporis Eccleſiæ. Legatur S. Tho. in explicatione eiuſdem teſtimonij, & in 3. loco citato.

Ad cõfirmationem poſſet quiſpiam dicere, quod cum Paul. Eccleſiam appellauit Chriſtum, accepit Eccleſiam cum ſuo capite Chriſto, atque adeo non poteſt dici, quod Chriſtus ſit caput Chriſti in hoc ſenſu, ſicut non eſt caput ſui ipſius. Cæterum ſi expendantur verba Paul. & ſenſus quem in illo loco intendit, manifeſtum erit legenti, quod ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, Paul. hanc dignitatem tribuit, vt etiã ſeorſum à Chriſto conſiderata, ſicut corpus conſideratum abſque formali, & intrinſeca capitis incluſione, Chriſtus appellatur, eo quod corpus Chriſti eſt. Præterea quamuis hanc admittamus intelligentiam, argumentum eaſdem prorſus vires retinet, vt ex nunc dicendis manifeſtum fiet.

Vnde ad argumentum, negatur, Chriſtum appellari debere caput Chriſti ad æquiuocationem tollendam, quamuis ſi Chriſtus accipiatur pro Eccleſia, ſiue includente caput, ſiue ſeorſum ab ipſo conſiderata, re ipſa Chriſtus dici poſſit caput Chriſti. Sicut caput in Petro dicitur caput totius Petri, conſiderando Petrum, vt includit caput, ad eum modum, quo dicimus albedinem eſſe formam albi. In his plane metaphoricis locutionibus valde ſunt cõſulendæ aures, neque valent multi modi argumentandi, qui in proprijs locutionibus ſunt efficaciſſimi.

Ad ſextum argumentum, reſpondetur primo. Quod in naturalibus, animalis caput non alia generat, aut conſtituit membra in proprijs membrorum formis, ſed ipſum ſimul cum membris alijs accipit eſſe à generante. At in moralibus nihil inconuenit, quod caput taliter influat in membra, quod det illis omnem vitam, omnem rationem, & formam membrorum. Sicut Princeps, qui fundaret aliquam ciuitatem, perſonas in eius habitatione adunans, nouas condens leges, & formam tribuens viuendi, verè diceretur conſtituere ea membra, quorum eſt caput. Et ita Chriſtus omnem vitam, & motum ſpiritualẽ influit in membra ſua, ipſaque conſtituit in formali ratione membrorum: & ex membris in potentia, efficit membra in actu. Et ob id Paul. ad Epheſ. 1. electos vocat creatos in Chriſto Ieſu in operibus bonis; quoniã ſicut in creatione nihil præſupponitur, quod pertineat ad rem creandam: ſed totum à creante producitur, & fit ex nihilo. Ita ad noſtram iuſtificationem nihil ex parte noſtra præſupponitur, quod ad ſpiritualem vitam cuiuſpiam eſſe poſſit momenti, ſed totum nobis aduenit de nouo, & id quidem per Chriſtum.

Secundo reſpondetur. Quod vt ſuperius dicebamus, Chriſtus in ſcriptura ſacra non ſolum caput, ſed & Pater appellatur; & ita non ſolum habet influere in membra actu conſtituta, verum & ipſa efficere, & generare. Et quidem licet in naturalibus nequeat intelligi, quod vnus & idem ſit pater, & caput. At cum in ſuperioribus adunentur, ea quæ ſunt in inferioribus diſperſa, optime intelligitur, quod vnus & idem Chriſtus ſit pater in eſſe ſpirituali generans homines iuſtos, ipſoſque efficiens actu membra corporis ſui, & ſit etiam eorum caput in ipſos influens.

Vnde ad argumentum concedo, quod ſi formaliſſimè loquamur, conſtituere membra in eſſe mẽbrorum, extra rationem capitis eſt, & ita pertinet ad Chriſtum, non vt caput, ſed vt pater eſt. Quo fit, vt reſpectu Angelorum, quibus non meruit gratiã iuſtificantem, & gloriam, Chriſtus in rigore ſermonis non eſt pater: eſt tamen caput ſimpliciter, vt poſtea dicemus.

DVBITATIO I. APPENDIX.

Vtrum Chriſtus phyſica efficientia in membra ſui corporis vitam, & gratiam influat.

SEptimum, & vltimum argumentum, grauem illam, & difficilem dubitationem nobis diſputandam, & definiendam offert. Num Chriſtus phyſico influxu, phyſicaque efficientia, in mẽbra ſui corporis vitam & gratiam influat. Quod Chriſtus morali influxu, meritorio, videlicet, in nobis efficiat gratiam, & omnia ſupernaturalia chariſmata, ſatis ſuperque probatum, & explicatum dedimus quęſtio. pręced. ar. 3. dub. 3. Quocirca in præſentia id à nobis explicandum ſupereſt. Vtrum eandem gratiam quã ſuis operibus promeruit, phyſica in nobis efficientia cauſet. Et pars negatiua probatur.

§. 1. Sex argumenta pro parte negatiua proponuntur.

PRimum argumentum. Patres varijs in locis loquentes de miraculis à Chriſto editis, dicunt, quod in ſanationibus, & curationibus factis à

Chriſto, humanitas tantum attingebat id, quod erat humanum contactum, videlicet, externum: verborum prolationem, & ſimilia. Et quod diuinitas exequebatur, id quod diuinum erat, & miraculoſum, ipſam ſcilicet, curationem & ſanitatem. Sed eadẽ omnino ratio eſt de ſpirituali curatione, & ſanitate, quæ fit per iuſtificantem gratiam. Imo & ipſi Patres fere indifferenter de vtraque curatione, & ſanitate loquuntur: ergo Chriſtus vt homo non phyſica cauſalitate noſtram efficit ſanctitatem, & gratiam.

Probatur maior. Athanaſ. ſerm. 4. contra Arianos. *Humano*, inquit, *modo Chriſtus manum extendit, diuinitas autem morbum compeſcuit*. Damaſc. in lib. quomodo ad imaginem Dei facti ſumus, verſus finẽ, loquens de huiuſmodi ſanationis miraculis, ita inquit, *Sicut quando ferra ignita ſcindendo vrunt, altera eſt actio ſecandi, & altera vrendi, & à diuerſis principijs ſunt: ſic quando diuinitas tactu carnis ſanabat infirmum, alia erat propria humanitatis actio & alia diuinitatis. Et finis humanæ actionis in manus extenſione, & tactu poſitus erat. Diuinæ autem naturæ in excitatione puellæ, & ſanatione infirmi*. Huc attinet, quod dicebat Sophron. in epiſtola, quæ habetur 6. Synod. actione 11. vbi ita inquit, *Chriſtus ſecundum humanã naturam humana patiebatur, ſecundum vero diuinam, ſigna faciebat*. Ad eandem etiam ſententiam pertinet, quod habetur in Concil. Lateranen. ſub Martino I. conſultatio. 5. canon. 15. *Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos Dei virilem operationem Theandricham, vnam operationem inſipienter ſuſcipit non autem duplicem eſſe confitetur ſecundum Sanctos Patres, hoc eſt, diuinam & humanam, condemnatus ſit*.

Ecce quemadmodum S. Synod. operationem humanam Chriſti. V. G. contactum infirmi, ab operatione diuina, ſcilicet, infirmi ſanatione ſecundũ rem diſtinguit. Quod fieri non poſſet, ſi ipſa humanitatis actio ſanationem tangeret, vt inſtrumentum operationis diuinæ. Actio enim inſtrumenti non diſtinguitur ab operatione principalis agentis. Nam vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt vnum tantum. Et ad eundem fere modum loquitur S. Leo epiſt. 11. ergo non eſt admittenda phyſica efficientia in Chriſti humanitate reſpectu gratiæ, quæ nobis per Chriſtum confertur.

Confirmatur. Omnia Patrum teſtimonia, atque itidem ſcripturæ ſacræ, in quibus dicitur Chriſtum iuſtificare nos, gratiamque, & ſanctitatem nobis conferre, ſatis commodè intelligi poſſunt de cauſalitate morali, quæ fit merito, & impetratione: ergo ſine fundamento confingitur hæc phyſica cauſalitas, quę fere eſt inintelligibilis. Antecedens patet, quoniam cauſalitas moralis eſt vera efficientia, & effectiua cauſalitas: ergo ſi recurramus ad hanc efficientiam moralem, abſque vlla improprietate & violentia, ſacras litteras, Patrũq; teſtimonia interpretabimur.

Præterea, idem antecedens ſic probo. Eadem locutionis phraſi, quo Patrès, & ſcripturæ ſacræ dicunt Chriſtum iuſtificare, & ſanctificare nos. Dicunt etiã Sanctos feciſſe miracula. V. G. ſuſcitaſſe mortuos, infirmos curaſſe, &c. At ſufficientiſſimè explicantur locutiones iſtæ ſcripturæ, & Patrum per moralem efficientiam, vt apertè Auguſt. docuit lib. 21 de ciui. Dei cap. 9. his verbis. *Vt quæ per martyres fieri dicuntur* (& loquebatur de miraculis) *vis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, ſiue alia fiant iſtis, alia, illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus poſſunt: ei profecto atteſtantur hæc fidei in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur*.

Ecce quemadmodum Auguſt. nihil referre dicit, quod iſto vel alio modo facta fuerint miracula: atq; adeo ſenſit, quod modus loquendi ſcripturæ, & Patrum, per ſolam moralem cauſalitatem poteſt conuenienter explicari. Confirmatur ſecundo ex Concil. Triden. Seſſ. 6. cap. 7. Vbi referens cauſas iuſtificationis impij, Chriſtum, dicit cauſam eſſe meritoriam, neque de phyſica efficientia meminit: ergo vt minimum ex S. Conc. doctrina conſtat, quod ad verificanda omnia, quæ in ſcripturis ſacris dicuntur de efficientia, qua Chriſtus noſtram iuſtitiam cauſat, ſufficiens eſt moralis efficientia.

Secundum argumentum. Inſtrumentum nequit attingere effectum principalis agentis, niſi duplici actione ad ipſum effectum concurrat.

Altera, quæ fit ex participatione actionis, & virtutis agentis principalis, & altera, quæ fit proportionata formæ naturali ipſius inſtrumenti, quæ diſpoſitiuè ſe habeat ad actionem principalis agentis. Quod docuit S. Tho. 1. par. q. 45. art. 5. & lib. 2. contra gentes cap. 21. ratione 2. ſed in Chriſti humanitate nulla poteſt inueniri actio eius naturæ proportionata; quę diſpoſitiuè ſe habeat ad effectum principalis agentis Dei, nimirum, ad gratiam. Neque vero actio, quæ fit participata à principali agenti, ab eiuſque actione, & virtute. Igitur Chriſti humanitas nõ poteſt inſtrumentum eſſe phyſicum diuinæ virtutis ad gratiam in animabus noſtris efficiendam.

Minor propoſitio probatur. Et primò de priori operatione videtur manifeſta, quoniam nulla operatio humanitati Chriſti propria poteſt quidquã conferre ad productionem gratię in anima. Nam vel eſt operatio ſpiritualis, vel corporalis, ſi corporalis improportionata eſt omnino ad hunc ſpiritualem effectum, neque poteſt animam, quæ eſt ſubiectum, in quo gratia producitur realiter contingere. Si vero eſt ſpiritualis, non poteſt non eſſe actio immanens. Actio vero immanens non tranſit in externum ſubiectum: neque illud poteſt diſponere ad aliquã ſuſcipiendam formam: ergo, &c. Si dixeris, quod diuina virtute hęc ſpiritualis actio Chriſti poteſt contingere animam hominis iuſtificandi, iam non ſaluas illam priorem actionem pręrequiſitam. Quoniam talis contactus, taliſque diſpoſitio non eſt ex proportione naturalis formæ humanitatis Chriſti, ſed ex virtute principalis agentis: atque adeo aſſignata ſolutio non eſt conformis Sanct. Thom. doctrinæ, geminam illam poſtulantis actionem in inſtrumento.

Sed iam probatur ſecunda pars illius propoſitionis minoris. Nimirum, quod Chriſti humanitas per actionem communicatam à Deo principali agente non attingat animam, neque productionem gratię. Et formo argumentum de Chriſti humanitate ſecundum partem corpoream, & materialem. Nam ſi huic operationi non tribuimus ſanctificandi virtutem phyſicam, nulla eſt ratio, propter quam tribui debeat alicui ipſius operationi. Sancti enim Patres, virtutem ſanctificatiuam potiſſimũ tribuunt Chriſti carni, cuius paſſione, & vulneribus redempti ſumus.

Sed

Sed ſic arguo. Operatio carnis,& corporis Chriſti, etiam ſi ſit communicata ex actione, & virtute principalis agentis, materialis eſſe debet,& corporea: ergo nequit attingere animam, quæ eſt gratiæ producendæ ſubiectum, neque etiam ipſam gratiam, qui eſt ſpiritualis effectus. Conſequentia eſt manifeſta; nam cum inter agens, & patiens, neceſſaria ſit proportio: actio materialis,& corporea, neque ſpirituale ſubiectum, neque ſpiritualem poterit effectum attingere. Antecedens vero probatur. Actio à principio corporeo producta neceſſum eſt corporea ſit,& materialis: nam debet eſſe proportionata principio à quo dimanat: ergo,&c.

Dices forſan, quod ex virtute ſupernaturali communicata carni Chriſti Domini, poterit ipſa caro in ſpiritoalem operationem prodire, & attingere ſpirituale ſubiectum,& effectum quoque ſpiritualem producere.

Contra. Virtus ſpiritualis non poteſt ſubiectari in corporeo,& materiali ſubiecto, quia non poteſt extenſiuè ſe habere, ita qood vna virtutis pars ſit in vna parte ſubiecti, & alia pars eius ſit in alia ſubiecti parte: talis enim extenſio ſolis corporeis accidentibus competere poteſt: ergo,&c.

Confirmatur ex illo vulgari Philoſopborũ axiomate. Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo virtus ſuſcepta in ſubiecto corporeo ad modum eius ſe habere debuit, extenſiuè, nimirũ, iuxta proportionem extentionis partium ipſius ſubiecti. Neque quicquam refert, quod quidam Thomiſtæ dicont hanc virtutem ſpiritualem recipi in carne Chriſti, non permanenter, ſed in tranſcurſu, & quaſi per tranſitum, ſuſcipi que intentionali quodam modo. Nam ſiue permanenter, ſiue tranſeunter virtus hæc in Chriſti carne ſuſcipiatur, ſpiritualis eſt, atque adeo omnino improportionata ſubiecto corporeo. Et in illo vnico inſtanti, in quo ſuſcipitur virtus hæc in carne Chriſti procedit argumentum factum, nempè, quod ſe debet habere coextenſiuè ad partes ſubiecti, qui modus repugnat ſpirituali accidenti, & virtuti.

Et hoc argumentum ſimiles vires habet, etiam ſi fingamus modum illum intentionalem in ſpirituali virtute. Nam ſemper inquiro. Virtus illa ſub tali modo conſtituta, eſtne corporalis, an ſpiritualis; ſi corporalis non eſt ad propoſitum, qoia nec attingit ſubiectom ſpirituale, neque ſpiritualis effectus productionem: ſi ſpiritualis eſt, idem reddit argumentum. Neque vero licebit recurrere ad ſolotionẽ, quam aſſignant nonnulli, quorum Princeps eſt Ferrari. 4. cont. gent. cap. 56. quæ aſſerit, illam virtutem ſpiritualem non extendi in ſubiecto corporeo, iuxta partium extenſionem, ſed indiuiſibiliter ſe habere. Ita quod eſt tota in toto ſubiecto, & tota in qualibet eius parte. Sicut verè dici ſolet de anima rationali, quæ citra vllam ſui extentionem corpus extenſum informat. Hæc ſolutio apparentiam poſſet habere, ſi prædicta virtus ſubſtantialis eſſet, vti rationalis anima. Cæterum cum debeat eſſe ſpirituale quoddam accidens, non poteſt non inherenter ſe habere ſubiecto, quod ſi inhæret, neceſſum eſt inhęreat extenſiuè ad modum ſubiecti, cui inhæret.

Tertium argumentum. Ad phyſicam efficientiam neceſſarius eſt contactus phyſicus inter agens, & paſſum, in quod operatur. Hunc autem contactum neqoit habere Chriſti humanitas cum animabus noſtris, quas iuſtificat per gratiam, eſt enim longe diſtans à nobis: non ergo effectiuè nos iuſtificat Chriſti humanitas. Quod ſi dixeris, ſufficere contactum virtutis inter agens & paſsũ, vt poſſit conſtare actio, & effectus productio. Tunc explicandum tibi reſtat, quænam ſit hæc virtus, per quam Chriſti homanitas attingit animam, quam ſanctificat: ergo,&c.

Quartum argumentum Si humanitas Chriſti effectiuè concurrit ſecundum efficientiam phyſicam ad iuſtificationem, & ſanctificationem animarum, ſequitur, quod paſſio,& mors Chriſti, atque eius reſurrectio ſimilem habeant efficientiam in eadem animarum iuſtificatione. Conſequens apparet falſiſſimum: ergo,&c. Sequela patet. Nam Chriſtus virtute paſſionis, & reſurrectionis ſuæ omnem noſtram operator ſalutem. *Traditus eſt enim*, inquit Paul. Roman. 8. *propter peccata noſtra reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*. Minor vero probatur. Id quod actu non exiſtit, nullam phyſicam poteſt efficientiã exequi, cauſa enim efficiens operatur, prout eſt in actu. At paſſio, & reſurrectio Chriſti, cum iam olim tranſierint, non actu exiſtunt: ergo,&c.

Quintum argumentum. Chriſtus inter nos viuẽs non operabatur miracula efficienter phyſicè: ergo neque iuſtificationem, & gratiam phyſica cauſat efficientia. Conſequentia ex paritate rationis conſtat, & præterea, quia ſacra ſcriptura,& Sancti Patres eodem modo loquuntur in vno caſu, quo in alio. Nam ſicut dicunt Chriſtum nos iuſtificare, & viuificare, dicunt ſimiliter ipſum ſuſcitaſſe mortuos, ægros curaſſe,&c. Antecedens probatur. Chriſtus dum viueret multa operabatur miracula abſque aliquo interueniente contactu, vt patet in ſalute, quam contulit. Centurionis ſeruo, qui diſtans erat, & longè à Chriſto: ergo ſignum eſt, nollam ibi interueniſſe phyſicam efficientiam, ſed moralem duntaxat.

Confirmatur primo. In Euangelio legimus ſcriptum, oraſſe, preceſque fudiſſe ad Patrem, cum aliquot miracula edidit: manifeſtum ergo inditium eſt, ipſum non phyſicè, ſed moraliter talia patraſſe miracula. Ita quod oratione impetrabat à patre, vt ipſe pater illa efficeret miracula.

Confirmatur ſecundo. Aliquot miracula edidit Chriſtus, io quibus nulla potuit interuenire phyſica eius efficientia, ſed omnia miracula in ſcripturis ſacris eodem modo tribuuntur Chriſto, ergo ex modo loquendi ſcripturarum ſacrarum inualidum prorſus argumentum deſumitur, ad probandam efficientiã in miraculis à Chriſto patratis. Imo voluntariè, & abſque rationabili fundamento id aſſeritur: atque adeo irrationabiliter, Nam res tanti momenti, tamque difficilis ad intelligendum, non debet affirmari abſque grauiſſimo, & ſolidiſſimo fundamento.

Antecedens probatur. Expulſio dęmonum à corpore non poſtulabat efficientiam phyſicam: nam ſolum Chriſti imperium, cui cœlum, & terra parere tenentur, ſufficiens erat ad expellendum dęmonem à corpore. Huiuſmodi autem imperium, moralem, & non phyſicam efficientiam denotat. Item cum Chriſtus Matt. 8. permiſit dęmones porcos intrare, certum eſt in illa permiſsione magnum ioteruenisſe miraculum, ſed certum eſt etiam, quod permiſſio

non

non ad phyſicum,ſed ad moralem tantum pertinere ordinem.

Præterea cum Sol fuit in Chriſti paſſione obſcuratus, miraculum interuenit grande, à Chriſto patratũ. At ibi nulla potuit ex parte humanitatis Chriſti phyſica interuenire efficientia.

Quod ſic probo. Tenebroſa illa Solis obſcuritas tantũ proceſſit ex ſubtractione generalis diuini concurſus,qui neceſſarius eſt ad operationem ſecundarũ cauſarum, quo ſubtracto, Sol radios ſuos neceſſum fuit occultaret,vel vt proprius dicam, in ſe contineret, & ad extra non emitteret: In ſubtractione autẽ huiuſmodi concurſus nulla efficientia phyſica locũ habet,præter efficientiam ſolius voluntatis Dei volentis ſuum ſubtrahere concurſum: ergo,&c.

Confirmatur. Nam hac ratione docent peritiores Thomiſtæ,nullam creaturam aſſumi poſſe,vt inſtrumentum Dei ad annihilandum, quoniam annihilatio non aliter fieri poteſt, quam per ſubtractionem generalis Dei concurſus, quo vt prima, & generaliſſima cauſa creaturas omnes in ſuo eſſe conſeruat, quam ſubtractionem nulla creatura phyſicè poteſt contingere: ſed moraliter duntaxat,merito,ſcilicet, oratione, &c.

Sextum argumentum,quod indifferenter de efficientia Gratiæ, & de miraculis Chriſti procedit. Si Chriſti humanitas concurrebat inſtrumentaliter effectiuè ad miracula, & ad iuſtificationem animarũ, ſequitur,quod Chriſtus hos miraculoſos effectus nõ operabatur ad nutum, & quando eius humanæ voluntati placebat,ſed tunc duntaxat, cum eius humanitas mouebatur à Deo ad huiuſmodi prodigioſa opera. Conſequens non conſentit Euangelicæ hiſtoriæ,ex qua conſtat Chriſtum, & miracula edidiſſe, & peccatores iuſtificaſſe, quoties ei libitum erat,ergo,&c. Patet ſequela. Inſtrumentum non operatur effectum pro ſua voluntate,ſed prout ab agente principali mouetur,quia non operatur per virtutem,quã in ſe habeat permanenter,ſed per virtutem ſuſceptã ex actuali motione principalis agentis, alias enim non inſtrumentalis, ſed principalis eſſet cauſa: ergo Chriſtus vt homo haudquaquam per efficientiam phyſicam,prodigia, & miracula, dum inter nos viueret operabatur: neque tunc,neque modo gratiam efficit in animabus noſtris.

Confirmatur. Chriſti humanitas non eſſe poteſt ſolius diuini verbi inſtrumentum, ſed totius Trinitatis diuinæ,ſi phyſicè operatur, vel gratiam in animabus noſtris, vel opera miraculoſa: ergo non niſi dependenter ab ipſa Dei voluntate hæc poteſt operari. Patet antecedens, quia non operatur vt natura in verbo ſuppoſitata: Sed ad eum modum, quo ſi fuiſſet ab eo ſeparata,& Deo tribus perſonis communis ad hæc prodigioſa mouetur opera. Operari enim miracula non magis Verbo, quam patri conuenit. Neque vero opus miraculoſum, formaliter conſideratum, elicitiuè ſe habuit à Chriſti humanitate; cuius elicientiæ cauſa ſpecialiter eſſet verbo adſcribenda.

§.2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum eſt S.Tho.doctrina. 3. p.q.48.poſt, quam definierat Chriſti paſſionem operatã fuiſſe ſalutem,& iuſtificationem noſtram per modum ſatisfactionis,& ſacrificij,quæ omnia pertinent ad ordinem moralem,in ſexto tandem,& vltimo articulo quæſtio. docet, quod etiam per modum efficientiæ,paſſio Chriſti noſtram fuit operata ſalutem. Atque cum modum iſtum cauſandi ſalutem noſtram S. Doctor ſecernat ab omnibus modis cauſalitatis moralis,neceſſum eſt intelligatur de phyſica efficientia. Et ſimile fere argumentum deſumi poteſt ex Paul. 1.Corint. 1. in illis verbis. *Qui*,ſcilicet, Chriſtus, *factus eſt nobis ſapientia,iuſtitia,ſanctificatio, & redemptio.* Vbi expendendum eſt, quod omnem efficientiam,& cauſalitatem meritoriam reſpectu iuſtitiæ.& ſanctitatis noſtræ ſub illis tribus rationibus ſapientia,iuſtitia, & redemptione comprehendit. Nam ſub nomine Sapientiæ comprehendit omnem eruditionem ad ſalutem noſtram neceſſariam, quæ nõ ſolum doctrina, ſed & legibus quoque, & mandatis conſtat. *Lex enim lux eſt,& lucerna mandatum.* Prou. 6. Sub nomine iuſtitiæ & meritum, & ſatisfactionẽ Chriſti complectitur Paulus, Nomine vero Redemptionis, ipſam pretij exſolutionem, quam Chriſtus pro nobis in Cruce pendens, ſuum pretioſiſſimum offerens ſanguinem, chyrographum debiti noſtri cruci affigens. Et quoniam,vt ſuperius me dixiſſe memini,totum redemptionis noſtræ opus à cruento crucis ſacrificio inchoauit; idcirco rationabiliter aſſeritur, quod nomine redemptionis Apoſt. comprehenderit ipſum crucis ſacrificium; atque adeo ſub ratione ſanctificationis ipſam noſtræ ſanctitatis, & gratiæ phyſicam efficientiam ſubindicauit. Quæ efficientia cum ſanctificatiua ſit animarum noſtrarum, merito Chriſtus noſtra ſanctificatio à Paulo vocatur.

§.3. *Referuntur DD.placita.*

VAriæ in hoc dubio circunferuntur Theologorum ſententiæ. Prima in vno extremo dicit Chriſti humanitatem nullam phyſicam efficientiã habere,aut in miraculis,aut in iuſtificatione animarum, ſed ſolam moralem cauſalitatem. Sic docent Duran. in 3. diſt. 14. quæſt. vlt. & in 4. diſt. 2. Scot. ibidem q. 1. & in 2. diſt. 37. Palu. d. 14. q. vlt. & multi Doct. extra ſcholam S. Th. conſentiunt in hanc ſententiam. Ex S. Tho. diſcipulis tuentur hanc ſententiam Mag. Cano. in relectione de ſacramentis in genere,in 4. par. circa finem. Et Caiet. 2.2. q. 178. ar. 1. circa ſolutionem ad 1. idipſum ſentit, quod attinet ad miracula.

Secunda ſententia in alio extremo docet, Chriſti humanitatem concurrere ad omnia miracula, & ad iuſtificationem animarum, non ſolum per modum cauſæ moralis,ſed etiam vt inſtrumentum phyſicum verbi diuini: quam cauſalitatem habet etiam nunc exiſtens in cœlo. Hanc ſententiam docet S.Thom. 3. p. q. 13. ar. 3. quod attinet ad miracula. Et q. 6. de veſit. art. 4. licet olim in 3. d. 14. q. 3 conſenſerat primæ opinioni. De cauſalitate gratiæ 1. 2. q. 112. ar. 1. Caiet. quamuis 2.2. vbi ſup. primam ſententiam probauerat,at in 3. p. & 12. loc. nunc cit. illam retractat. ſequutus hanc ſententiam, & alijs etiam in locis relatis à Mag. Med. 3. p. q. 13. ar. 2. Denique hæc ſentẽtia eſt communis apud Thomiſtas.

Tertia

Tertia ſententia,hanc ſecundam extendit opinionem: docens Chriſti humanitatem fuiſſe cauſam effectricem iuſtificationis antiquorum Patrum, quatenus apprehendebatur per fidem. Itaque dicit hæc opinio, quod Chriſti humanitas, antequam in mundo exiſteret, effectiuè inſtrumentaliter cauſauit gratiam & iuſtitiam in Patribus antiquis, quatenus eius apprehenſio per fidem aſſumebatur à Deo, vt inſtrumentũ effectiuum iuſtitiæ,& gratiæ. Quemadmodum quidam Metaphyſici docent, quod finis apprehenſio,ſeu finis,vt eſt ſub apprehenſione, effectiuè voluntatem mouet. Iſtam ſententiam refert Mag. Med. loco cit. & pro ea citat Capr. & Sotum, & non reputat improbabilem. Quam alij extenſius adhuc eam intelligunt. Non curantes de fidei apprehenſione,ſed abſolutè affirmantes, Deũ aſſumpſiſſe humanitatem futuram,vt inſtrumentum phyſicum ad iuſtificandos veteres Patres.

Quarta ſententia docet, Chriſti humanitatem, eſſe quidem per ſe loquendo effectiuum inſtrumentum verbi, ad omnia miracula, & ad iuſtificationem animarum, & ita de facto effectiuè concurrebat ad omnia miracula, quæ Chriſtus fecit in hac vita mortali: & ad iuſtificationem illorum, quos Chriſtus dum erat in hac vita mundauit à peccatis, vt Magdalenam, & Latronem: at modo humanitas Chriſti non concurrit efficienter ad animarum iuſtificationem, eo quod eſt magna diſtantia, & interuallum inter humanitatem Chriſti, & animas iuſtificandas. Nam licet inſtrumentum diuinæ virtutis (dicit hæc ſententia) ad quamcunque diſtantiam poſſit operari: ſed tamen non eſt credibile, quod verbum vtatur ſua humanitate ad operandum phyſicè in tam diſtantem materiam: quoniam Deus abſque magna neceſſitate non ſoluit legem communem,ſecundum quam cauſa effectiua, & inſtrumentalis nõ poteſt operari niſi circa ſubiectum ſibi proximum. Ex quo infert hæc ſententia, quod cum Chriſti humanitas in ſacramento Euchariſtiæ proximam habeat habitudinem ad animam eius, qui hoc ſacramentum ſuſcipit, conſequenter eſt concedendum, quod effectiuè phyſicè concurrit ad gratiam ſacramentalem. Hanc ſententiam docet Andr. de Vega lib. 7. ſuper ſeſſio. 6. Concil. Trident. cap. 14. & vt fertur hæc ſententia non diſplicuit Magiſtro Victoriæ.

Vltima ſententia docet, quod Chriſti humanitas in cœlo exiſtens non cauſat phyſicè immediatè gratiam in animabus noſtris propter maximam diſtantiam, cauſat tamen mediatè, mittens imperio ſuo Angelos, qui inſtrumentaliter efficiant gratiam,& iuſtitiam in nobis: ſic docent quidam moderni Theologi.

Ad exactam huius quæſtionis reſolutionem. Primum omnium decreui eas Theologorum opiniones refellere, quæ minus mihi probabiles viſæ fuerint, vt tandem in referenda doctrina S. Thom. in eiuſque explicatione tantiſper liceat immorari. Eſtque aduertendum, ne ſæpius eadẽ repetamus, quod ſi quando in ſequen. dixerimus Chriſtum inſtrumentaliter gratiam cauſare, aut prodigioſa opera efficere, Chriſti nomine ipſam eius intelligimus humanitatem. Nam certum eſt,& indubitatum, Chriſtum ratione ſuppoſiti principalem horum effectuum cauſam eſſe, inſtrumentalem vero nequaquam. Poſita autem hac intelligentia indifferenter vtemur in ſequen. nomine Chriſti,& humanitatis eius.

§. 4. *Prima concluſio.*

Sententia quæ docet, Chriſtum, gratiam effectiuè in nobis efficere Angelorum miniſterio, parum habet probabilitatis.

Probatur primo. Illa ſententia à nullo Theologorum antiquorum cognita fuit, neque vllum in antiquiore Patrum doctrina fundamentum habet, neque in modo loquendi ſcripturæ ſacræ, ſed quorundam nouitiorum Theologorum fuit adinuentum: ergo non debet inter opiniones verè probabiles recenſeri.

Secundo probatur. Quod Angeli immutent realiter hominum mentes, & intra hominum corda efficaciter operentur, non eſt hactenus auditum in Theologorum ſchola: ergo impertinenter aſſeritur Chriſtum Angelorum miniſterio gratiam,& ſanctitatem in noſtris animabus efficere.

Tertio. Fundamentum præcipuum cui innititur contraria ſententia, nimirũ, quod Chriſti humanitas propter localem diſtantiam nequeat per modum inſtrumẽti diuinæ virtutis gratiã efficere in noſtris animabus falſum eſt, ſupponitq; falſum, videlicet, quod diuina virtus inſtrumento communicata pendeat à diſtantia loci: ita quod non poſſit operari niſi in ſubiectum propinquum. Etenim coniunctio agentis ad paſſum conditio tantum eſt ſecundũ ordinem naturæ requiſita,& non eſt principium à quo formaliter vel effectus, vel operatio pendeant. At huiuſmodi ſecundum ordinem naturæ requiſita conditio, ſuppleбilis eſt à Deo, imo dicam verius, quod non ab ea neceſſario pendet operatio, quæ non ſecundum naturæ leges fit, ſed iuxta infinitum,& abſolutum diuinæ potentiæ modum: ergo cum magis ad dignitatem humanitatis Chriſti pertineat, quod ipſa immediatè gratiam,& ſanctitatem in nobis efficiat, quã quod Angelorum miniſterio idipſum operetur, ſi nihil aliud obſtat, quam loci diſtantia, irrationabiliter hãc dignitatem à Chriſti humanitate adimimus, & Angelicis tribuimus ſpiritibus. Miſſum facio, quod etiã intra naturæ ordinẽ, Scot. & quidã alij graues Theologi docuerunt loci diſtantiam inter agens, & paſſum, minimè operationem impedire. Quod ſi hoc à viris doctis probabile creditur, qua ratione negandũ erit, quod Chriſti humanitas in cœlo exiſtens poſſit gratiam in nobis inſtrumentaliter efficere, ſi nihil aliud quam loci diſtantia obſtat.

Ex his ſequitur falſam eſſe aliam ſententiam, quam retulimus quarto loco. Quia ſine ratione denegatur humanitati Chriſti efficientia gratiæ in animabus noſtris ad euitandum illud miraculum, quod non eſt tam grande miraculum, quin graues Theologi exiſtimauerint de facto contingere, ſecundum ordinem à natura præſcriptum. Et quidem cum fateantur illius quartæ opinionis authores Deum per Chriſti humanitatem multa patraſſe miracula, quæ totam ſuperant naturæ facultatem: non ſatis rationabiliter denegant hoc ſpeciale miraculum Chriſti humanitati in animarum noſtrarum iuſtificatione; cum neque ſit magnum miraculum,

& ad

Digitized by Google

& ad Chriſti humanitatis excellẽtiam cõmendandã, inter omnia Chriſti miracula magis ſit accommodatum. Eo quod iuſtificatio & ſalus noſtra finis fuerit incarnationis Chriſti, quam Chriſtus tot, tantiſq; ſuis laboribus fuit operatus.

Sed antequam vlterius progrediamur, ne noſtra vel obſcuritate, vel ęquiuocatione diſputatio laboret, aduertendum eſt, quod cum dicimus præſentiam inter agens & paſſum, ſeu quod idem eſt, contactum agentis ad paſſum non eſſe intrinſecè, & eſſentialiter neceſſarium, vt conſtet operatio, ſed ad requiſitã duntaxat conditionem attinere: quæ proinde iuxta naturæ leges neceſſarius eſſe poterit, non vero ſi abſolutam Dei potentiam contemplemur.

Cum hoc inquam dicimus, non loquimur de contactu, & præſentialitate virtuali, quæ reperitur in ipſa actuali effectus productione, de iſto enim contactu non fit ſermo, quia non ponit in numero cum ipſamet actione. Nam hoc ipſo, quod agens operatur in paſſum, coniungitur illi virtualiter, ſuam ei virtutem in actu vltimo applicans. Quocirca tantum loquimur de contactu præuio, qui naturæ ordine ipſam præcedit actionem: qualis eſt quantitatiuus contactus, quo agens corporeum paſſum quoque corporeum attingit. Qui plane contactus operationem anteuerrit, & ſecundum naturæ leges neceſſario pręrequiritur. Et hunc contactum præuium, ſiue quantitatiuus ſit, ſiue virtualis, credimus non tam eſſe ad operationem neceſſarium, quin operatio, diuina virtute facta, poſſit ſine ipſo conſtare. Atque adeo omnes Theologorum opiniones, quæ idcirco negant phyſicam efficientiam humanitati Chriſti reſpectu gratiæ nobis conferendæ, quia talis efficientia non poteſt ſine præuio contactu, & ſine reali præſentia conſtare, debili fundamento innituntur, parumque proinde probabiles cenſeri debent. Et ob id opiniones. 4. & 5. non in magno pretio habentur inter Theologos: quia tota eorum probabilitas ad prædictum reducitur fundamentum. Et de opinione quinta hoc præſertim verificatur. Quæ abſolutè putat prædictum contactum omnino eſſe ad operationem neceſſarium.

§. 5. *Secunda Concluſio.*

ILla ſententia, quæ docet Chriſtum phyſica efficientia antequam veniret in mundum antiquorum Patrum gratiam cauſaſſe, parum quoque probabilitatis habet.

Probatur. Manifeſta eſt implicatio, quod res quæ non exiſtit, phyſica efficientia aliquem producat effectum, neque id valet intellectus percipere: parum ergo probabilis eſſe poterit ſententia illa.

Probo antecedens. Efficere eſt aliqua ipſius effectricis cauſæ actualitas, ergo cum non ſit prima, neceſſum eſt præſupponat primam omnium actualitatem, quæ eſt ipſa rei exiſtentia. Et eſt ſine dubio mera fictio dicere, quod Deus rem nullatenus exiſtentem aſſumat vt inſtrumentum phyſicum ad effectum aliquem efficiendum. Imo neſcio quid malè ſonantis doctrinæ ſeſe mihi in hac ſententia offert. Nam qui abſolutè concedit, Chriſti humanitatem ante eius incarnationem fuiſſe inſtrumentum phyſicum diuinæ virtutis ad gratiam antiquorum Patrum efficiendam, tenetur ſecundum legem bonæ conſequentiæ concedere, Chriſti humanitatem ante eius aſſumptionem creatam extitiſſe: videtur enim ineptiſſimum, & rationi naturali contrarium, hanc conſequentiam negare. Chriſti humanitas ante aſſumptionem, phyſica efficientia produxit gratiam. Ergo ante aſſumptionem extitit extra ſuas cauſas producta.

Dices diuina virtute effici poſſe, vt id quod in ſe non exiſtit, verè & phyſicè operetur vt inſtrumentum diuinæ virtutis; quatenus id, quod futurum eſt, iam præſens exiſtit diuino conſpectui, eiuſque coexiſtit æternitati. Hæc tamen ſolutio apparens quidem eſt, ſed nulla probabilitate fulcitur.

Contra quam ſic argumentor. Res futura, & ſi coexiſtat diuinæ æternitati, quatenus æternitas ſumma cum ſimplicitate, & præſentialitate omnes temporis differentias ambitiat comparatione ad nos, ad omneſque creatos effectus, quamdiu non extra ſuas cauſas producta, non maius eſſe habet, quam habent res aliæ poſſibiles fieri, quæ nunquam erunt intra rerum ordinem productæ. Quoniam futurum vt futurum, præſertim ſi eſt futurum contingens, nullum eſſe determinatum habet in toto rerum ordine. At res, quæ phyſicè operatur, prout ſic operatur, non ad æternitatis menſuram eſt comparanda, ſed ad temporaneam & extrinſecam, per quam menſuratur eius operatio: ergo nihil refert, quod Chriſti humanitas ante aſſumptionem coextitiſſet æternitati, vt poſſet aſſumi à Deo tanquam phyſicum inſtrumentum in productione gratiæ. Patet conſequentia. Quia illa operatio, vt dixi, non eſt menſuranda per æternitatem, imo ad ipſam formaliter conſideratam, per accidens eſt omnino, quod res futuræ æternitati coexiſtant, vt S. Thom. cenſuit, vel quod iuxta multorum Theologorum ſententiam, non coexiſtant.

Confirmatur. Res quæ phyſicè operatur, ſub eadem menſura debet exiſtere, ſub qua operatur. Nam cum exiſtentia per ſe, & intrinſecè ad operationem pertineat, conſideranda eſt neceſſario intra ipſam operationis menſuram. At dicere, quod Chriſti humanitas ante aſſumptionem, exiſtentiam habuit tempore menſuratam, error eſſet, & hæreſis manifeſta in 7. Synodo generali, & alias non ſemel damnata: ergo, &c.

Hæc quæ diximus, non immediatè procedunt contra ſenſum illum, in quo Authores citati pro quarta ſententia illam probabiliter ſuſtinent. Sed aduerſus quoſdam nouitiores Theologos, qui vt ſe metaphyſicos oſtentent, chimericis quibuſdam opinionibus libenter præbent aſſenſum, quas nec ipſi intelligunt, neque aliter alijs explicare poſſunt, quam dicentes, quod ſecundum metaphyſicam conſiderationem, quæ ab omni materia abſtrahit, nulla in rebus ſimilibus implicatio reperitur: ſed ſunt verè poſſibiles diuinæ virtuti, quæ in ſuis operationibus à tempore, & loco, & ab alijs circunſtantijs abſtrahit. Et non aduertunt, quod dum abſtrahere volunt conſiderationem ab omni materia, etiam ab omni intelligentia abſtrahunt. Neque aduertunt, quod licet Dei operatio ex parte ſui prædictam habeat independentiam, ex parte tamen vel actionis tranſeuntis, vel effectus producendi, vel inſtrumenti, quod aſſumi-

tur,

tur,neceſſum eſt, vt aliquem habeat ad extrinſecam menſuram accommodationem,quam res iſtæ intrinſecè poſtulant.

Manifeſtum enim eſt, quod ſi ad infinitam tantum Dei omnipotentiam attendamus, nullum effectum poterimus impoſſibilem iudicare, ſed tota impoſſibilitas penſanda eſt ex ipſis effectibus. Sed iam iſta miſſa faciamus,& ad expugnandum ſenſum,quẽ intendunt graues Theologi pro 4. ſententia citati,totam noſtræ diſputationis vim conuertamus.

Sed prius aduerto. Mag. Sot. minime pro hac ſententia fuiſſe referendum, cum ille alium longe abſimilem ſenſum intendat, quando aſſerit Chriſtum gratiam veterum Patrum effeciſſe. Loquebatur enim de efficientia, quam habuit Chriſtus iam natus, & poſtquam verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis:& poſtquam ſuam in re paſſionem exhibuit. Nam quia peccatorum remiſſionem antiquorũ Patrum cõſummauit,eos eruens à lymbo, infernisq; carceribus, & ipſam eorum gratiam vltimæ gloriæ complemento perfecit: idcirco dixit Soto Chriſtũ & meruiſſe, & effeciſſe gratiam veterum Patrum. Expreſſis autem verbis in 4.d.1.q.2.ar.3.dixit,quod per fidem eos iuſtificauerat ante ſuum aduentum, per modum finalis cauſæ.

Sed cuiuſcumque fuerit prædicta ſententia, ſic argumentor aduerſus illum ſenſum. Fides Chriſti venturi, quę inerat intellectui antiquorum fideliũ, non erat virtus ipſius Chriſti, ab ipſo videlicet producta,vt à cauſa principali,ſed à Deo ſolo immediatè,etſi intuitu meritorum Chriſti venturi: ergo quãuis gratis concedamus, quod ipſa fides Chriſti effectiuè concurreret ad gratiæ productionem; non inde tamen verosimili conſecutione inferri poteſt, quòd illa gratiæ efficientia eſſet Chriſto tribuenda: ita quod Chriſtus verè efficeret gratiam ſecundum phyſicam efficientiam.

Patet manifeſtè iſta conſequentia,quia ſi Chriſtus neque per ſe, neque per ſuam virtutem illam produxit gratiam, non poteſt veroſimiliter dici, quod fuit effectiua eius cauſa. Antecedens vero conceditur ab Authoribus illius 4. ſentent. & poterit probari eiſdem argumentis, quibus nunc nunc probauimus Chriſtum ante incarnationem non potuiſſe phyſicè gratiam efficere, vt inſtrumentum diuinæ virtutis. Nam qua ratione gratiam non effecit, eadem prorſus neque fidem potuit efficere.

Dices,quod vt Chriſtus diceretur gratiam phyſicè cauſare,ſatis eſſet, quod ipſe Chriſtus vt apprehenſus per fidem eam efficeret. Contra Chriſtus vt per fidem apprehenſus nullam realem acquirit entitatem,& exiſtentiam,quamuis ipſa fidei apprehenſio ſit vera realis entitas: ergo non eſt ſatis hæc fidei apprehenſio,vt Chriſtus ſit realis,& phyſica cauſa efficiens gratiam. Igitur ſi Chriſtus ſecundum ſe non phyſicè cauſauit gratiam antiquorum Patrum, neque vero ratione apprehenſionis fidei eam efficit, cum fides non eſſet virtus, quæ realiter dimanaſſet à Chriſto, ſed à ſolo Deo fuit immediatè collata: nulla probabili ratione affirmari poteſt,quod Chriſtus per modum phyſici inſtrumenti priſcorum fidelium gratiam, & ſanctitatem cauſauerit.

Quod vero apprehenſio Chriſti per fidem effectiuè produxerit illam gratiam per modum phyſici inſtrumenti, neque affirmare poſſum, neque negare, quia ad neutram partem poſſumus afferre ſufficientes rationes. Libentius in negatiuam propendam ſententiam, eo quod non ſunt admittenda hæc miracula,quæ regularem & naturæ & gratiæ tranſcendunt ordinem abſque magno, aut ſaltem valde probabili fundamento, quod in hac parte afferre nullus poterit: quoniam ille modus efficientiæ nec in ſcripturis,nec in Patribus, fundamentum habet; quidquid in contrarium Medina conetur: neque vero quicquam refert ad dignitatem Chriſti amplificandam,& extollendam, quoniam Chriſtus obiectum quidem erat antiquæ illius fidei, non vero eius efficiens cauſa: atque adeo efficientia, quæ eſſet in illa fide ad Chriſtum non attineret: ſed ad ſolum Deum, qui fuit immediata cauſa illius fidei. Et ex conſequẽti nihil ad Chriſti humanitatis dignificationem referret illa gratiæ efficientia.

Contra iſtam tamen concluſionem vnum argumentum inſurgit. Exiſtentia non eſt de intrinſeca,& formali ratione cauſæ efficientis,prout efficiens eſt, ſed tantum eſt neceſſaria quædam, & requiſita conditio: at conditio neceſſaria ſupplebilis eſt à Deo, ſi rationem formalem non intrat, vel vt proprius loquar, poteſt conſtare operatio, & produci effectus, abſque tali præſuppoſita conditione ſecundum abſolutam,& infinitam Dei potentiã; quod circa præcedentem concluſionem aduertimus, cum de contactu ad actionem prærequiſito loquebamur: ergo potuit Deus Chriſti humanitatem antequam exiſteret aſſumere,vt inſtrumentum phyſicum ad producendam Patrum antiquorum gratiam.

Hoc argumentum exactè diſſolueretur, ſi liceret hoc loco adamuſſim explicare,& probare,quã ſit falſa eorum ſententia, qui docent: Eſſe exiſtentiæ in cauſa efficienti rationem tantum conditionis requiſitæ habere reſpectu phyſicæ efficientiæ. Exiſtimo enim ego,nulla ratione negari poſſe, quod ſicut calefacere præſupponit per ſe,& eſſentialiter calorem, vel formalem,vel eminentem in cauſa efficienti, & frigefacere præſupponit frigiditatem: ita agere, ſeu facere ſecundum rationem communem, & quaſi genericam præſupponit in agente eſſe exiſtentiæ. Nam ſicut proprius terminus, & formalis calefactionis eſt calor,ita proprius terminus actionis, vt actio, eſt eſſe vel ſubſtantiale, vel accidentale: & qualecumq;,& quodcumq; illud ſit,præſupponit per ſe, & formaliter eſſe ſubſtantiale in agente. Quod ſi hæc ſententia vera eſt,quam credo veriſſimam (vt alias probabitur.) argumentum factum ſuis manet viribus deſtitutum. Neganda eſt enim eius maior propoſitio. Sed quoniam huius rei non poſſumus in præſentia longam texere diſputationem: idcirco hac ſolutione prætermiſſa, quæ non omnibus fortaſſis placebit,etſi mihi ſit valde grata.

Aliter reſpondeo ad argumentum. Et dico,quod actio poteſt conſiderari dupliciter, & formaliter in ratione actionis, & ſecundum quod eſt actus quidam, & actualitas operantis,ſi quidem priori modo conſideretur, tranſeat id, quod aſſumitur in argumento:nimirum, quod exiſtentia ſit tantum prærequiſita conditio ad agendum. Si vero poſteriori modo conſideretur,cum non ſit prima actualitas cauſæ operantis, neceſſum eſt,quod præſupponat exiſtentiam

tiam

Digitized by Google

tiam in cauſa agēte, quæ eſt prima ſimpliciter actualitas, qua ſemota omnia ſunt purè potentialia, imo ſunt nihil: dependentia autem ſecundæ actualitatis à prima adeo eſt intrinſeca & eſſentialis, vt nulla ratione poſſit ſuppleri.

Hęc ſolutio, quantum opinor, eſt ſufficientiſſima. Sed quoniam poſſet quis eam labefactare, dicens, quod actio eſt actualitas non agentis, ſed paſſi. (Nā loquimur de actione tranſeunte.) Vnde in paſſo pręſup ponit quidem actualitatem primam, puta exiſtentiam, in agente vero præſertim inſtrumentario, id non eſt omnino neceſſe.

Idcirco tertio ad illud idem argumentum reſpondeo, quod terminus actionis quicquid ſit de ipſa actione debet præhaberi, vel formaliter, vel virtualiter in cauſa effectiua, quod habet verum etiam in cauſa inſtrumentali, quicquid nonnulli obmurmurent, & abſque vllo fundamento contradicant. Nam vulgatiſſimum eſt illud proloquium lumine naturæ conſtans; nemo dat, quod non habet. Impoſſibile eſt autem, quod Chriſti humanitas, ſi non exiſtat, præhabeat in ſe vel formaliter, vel virtualiter gratiam, quę eſt proprius terminus actionis, de qua loquimur. Vnde ad argumentum dicitur, quod licet exiſtentia ratione ſui tantum conſiderata non exeat limites requiſitæ conditionis ad agendum, tamen prout eſt neceſſaria ad hoc, quod cauſa agens præhabeat in actu, vel formali, vel virtuali, terminum actionis, imo & ipſam actionem neceſſariò, & eſſentialiter pertinet ad agendum: nec eſt intelligibilis actio cauſæ non exiſtentis, vel in ſeipſa, vel in ſua virtute, vt generans exiſtit virtualiter in ſemine ab ipſo generante deciſo, ex hac ſolutione poteſt deſumi efficax argumentum pro noſtra ſecunda concluſione, & contra ſententiam illam, aduerſus quam iſta concluſio procedit, in hunc modum. Non poteſt conſtare actio, quin agens reſpectu ipſius actionis, & eius termini ſit prius in actu primo conſtitutum: ſed hoc fieri nequit abſque ipſius cauſæ exiſtentia: ergo, &c. Et in hac ratione ſermo fit in abſtractione à cauſa principali, & inſtrumentali.

§.6. *Tertia concluſio.*

PRobabilis eſt prima ſententia, quæ docet Chriſtum non phyſica, ſed morali tantum efficientia noſtram gratiam, & ſanctitatem cauſaſſe. Hanc concluſionem ſuadent argumenta à principio huius dubij propoſita, quæ certè probabilem eam efficiunt. Non me latet quoſdam doctiſſimos exiſtimaſſe, ſacramenta nouæ legis cauſas eſſe effectrices gratiæ in genere phyſico: quodque tam verum eſſe putant, vt exiſtiment oppoſitum non bene conſentire Catholicæ fidei: eſt autem eadem ratio de Chriſto, imo & multo maior, & efficacior; quia ſi inſtrumentis ſeparatis, & quæ in virtute Chriſti operantur, phyſicam concedimus efficientiam, & cauſalitatem, qua fronte illam denegabimus Chriſti humanitati, quæ inſtrumentum eſt Dei coniunctum, eiuſque propriū organum ad operandum diuina? ob quam cauſam brachium Domini vocatur. Iſai. 53. Verumtamen hæc ſententia nimium eſt rigoroſa, & pauciſſimis Theologis tantus hic rigor placet.

§.7. *Quarta Concluſio.*

SEcunda ſententia, quæ docet Chriſti humanitatem ad omnia miracula, & ad iuſtificationem animarum, non ſolum per modum cauſæ moralis, ſed etiam per modum phyſici inſtrumenti concurrere, longe probabilior eſt ſententia cōtraria. Authores huius ſententiæ, quorum princeps eſt S. Th. cuius loca inferius referemus, & partim ſuperius habētur citat. Sequuntur hanc ſententiam Dried. lib. de captiuit. & redempt. tract. 2. cap. 2. par. 3. ar. 6. Et licet alias hic author viſus ſit hanc negare ſententiam, vt plane viſus eſt par. 2. c. 1. memb. 2. loquitur tamen ſine dubio de cauſa principali. Docent idipſum Capreo. Palud. Ferrar. locis inferius citādis. Et iſta ſent. nunc communiter verſatur in præcipuis Theologorum gymnaſijs. Duo inuoluit iſta concluſio.

Primum pertinet ad cauſalitatem moralem, de qua cauſalitate nullus eſt, qui dubitet, neq; vero dubitari poteſt. Probauimus enim prope finem præcedētis quæſt. ſecundum fidem credendum eſſe, Chriſtū meruiſſe nobis omnem gratiam, & gloriam. Et credendum etiam eſt, quod ſacramenta virtutem nobis applicēt meritorum Chriſti, & quod virtute paſſionis eius nobis conferunt gratiam. Vnde circa hoc primum, quod in noſtra inuoluitur concluſione, nō eſt cur amplius immoremur. Satis fuerit aduertere, qđ Chriſtus, qua ratione cauſa moralis eſt noſtræ ſanctitatis, & gratiæ, & miraculorum, quæ dum viuens apud nos geſſit, eius humanitas non inſtrumentaria cauſa, ſed principalis potius forma debet vocari, qm̄ Chriſtus quatenus homo cauſa fuit principalis ad merendum, & ſatisfaciendum, de qua re ſatis diximus quæſt. præced. Quocirca ad aliud ſecundū, quod in concluſione habetur tranſeamus, in quo de phyſica cauſalitate fit ſermo.

Probaturque primo hæc veritas ex multis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. Primum ex illo Io. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ponderandū eſt illud verbum, *facta eſt:* denotat enim phyſicam efficientiam, & legendus eſt Chryſ. in huius loci expoſitione, magnificè enim de virtute Chriſti gratiæ productiua loquitur. Ponderanda etiam ſunt illa verba in eod. cap. 1 *de plenitudine eius omnes accepimus*, & in vtroque teſtimonio manifeſtum eſt ſermonem fieri de Chriſto, vt homine. Ad Ephe. 1. *In qua*, ſcilicet gratia, *gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Iohn. 20. *data eſt mihi*, inquit Chriſtus, *omnis poteſtas in cælo, & in terra, accipite Spiritum ſanctum, &c.* Vbi etiam manifeſtum eſt ſermonem fieri de Chriſto homine. Et ibidem habetur, quod Chriſtus inſufflauit in diſcipulos ſuos, & flatu ſuo eis Spiritum ſanctū cōtulit infundens, ſcilicet, gratiam, & charitatem. Itaque ex plenitudine poteſtatis, quam tunc Chriſtus accepit, ideſt, quæ fuit tunc in Chriſto declarata, eius humanitas vim habuit effectiuam gratiæ, & ſanctitatis in nobis. Habuerat iam prius illam à primo ſuo incarnationis inſtanti, ſed non fuerat ita plenè declarata, & expreſſa: atque ita nec tam apertè Chriſtus ſuis diſcipulis Spiritum ſanctum, tanta cum auctoritate, & plenitudine contulerat, Matth. 9. *Vt ſciatis, quod filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata, &c.* Duran. dixit hunc locum ad

Chriſti dininitatem debere referri, quod vel ex eo eſt improbabile, quod cum Chriſtus ſe filium hominis vocat, ſemper de ſeipſo vt homine loquitur. Alię etiam ſunt innnmeræ in ſcript. ſacr. authoritates, ex quibus magna cum probabilitate colligitur, Chriſti humaniratem phyſicum fuiſſe diuinę virtutis inſtrumentum ad miracula, & prodigia efficienda: Luc. c. 6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. & cap. 8. Chriſtus dicebat: *Ego ſenſi virtutem de me exiiſſe*. Luc. 5. dixit Chriſto leproſus quidam: *Si vis, potes me mundare*, & extendens Chriſtus manum, tetigit eum, dicens: *Volo, mundare*. & cap. 8. dixit Chriſtus puellæ mortuæ: *Puella tibi dico, ſurge*. Matth. cap. 8. referuntur multa miracula à Chriſto patrata, non oratione, & deprecatione, ſed authoritate, & imperio, ac proinde non morali ſolum, ſed phyſica efficientia apparet fuiſſe edita.

Secundo probatur hæc veritas ex modo loquendi Conciliorum. In Concil. Epheſin. primo canon. 11. definitur, carnem Chriſti Domini viuificatricẽ eſſe, propter vnionem ad Verbum, quod vitam habet diuinam. Et idipſum definitur in Epiſt. Synodali eiuſdem Concil. ad Neſtor. At caro Chriſti non eſt viuificatrix ſecundum eſſe morale, nam tota moralitas actionum Chriſti ad eius animam pertinet: ergo in eſſe phyſico, viuificatricem habet virtutem ipſa Chriſti Domini caro.

Item in epiſt. Sophron. recepta in 6. Synodo generali actione 11. dicitur Chriſti operationes in triplici fuiſſe differentia, quaſdam purè diuinas, in quibus non communicat humanitas (niſi per cõmunicationem idiomatum) vt conſeruatio vniuerſi. Quaſdam purè humanas, ad quas non concurrit diuinitas ſecũdum propriam, & infinitam diuinitatis virtutẽ, quæ ſunt illę quas poſſet Chriſti humanitas exercere, etiã ſi exiſteret in ſuppoſito creato, vt exurire, flere, orare, vigilare, &c. Quaſdam vero medias, ad humanitatem, & diuinitatem ſimul pertinẽtes, quæ propriè appellãtur Theandricæ actiones: & iſtæ fuerunt operationes miraculoſæ ad quas ſimul concurrebant diuinitas, & humanitas. Eadem autem eſt, vt diximus, ratio de operationibus miraculoſis, & de iuſtificatione, & ſanctificatione animarum: nam ſi diuinitas humanitatem aſſumpſit, vt phyſicum inſtrumẽtum, ad ſanitatem corpoream efficiendam, multo potiori ratione dicendum eſt, eam aſſumere ad efficiendam ſpritualem ſalutem in animabus noſtris.

Item in Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. dicitur, Baptiſmi Sacramentum cauſam eſſe inſtrumentalem in iuſtificatione impij. & certè Concil. videtur loqui de inſtrumento phyſico, in quo multo euidentius apparet vera inſtrumenti ratio: ergo à fortiori dicendũ erit, Chriſti humanitatem, cuius virtute omnia Sacramẽta noſtram operantur ſalutem, inſtrumenti phyſici in ipſa iuſtificatione impij rationem ſortiri.

Tertio probatur hæc veritas ex Patrum teſtimonijs. Quorum nonnulli expreſſè de ſanctificatione, & iuſtificatione loquuntur. Alij vero de miraculis à Chriſto perpetratis. Et cum argumentum, vt dixi à miraculis ad iuſtificationẽ manifeſta deductione ſumatur, non ineptè huiuſmodi teſtimonia afferemus, indiſcriminatimque noſtra diſputatio de ſanctificatione animarum, & de operatione miraculorum procedet.

Dionyſius Areopagita in epiſt. ad Caium, apertè conſtituit illam diſtinctionem operationum Chriſti, quas ex epiſt. Sophron. paulò ante referebamus. Athanaſius in ſermone 4. contra Arian. ſæpè repetit Chriſti humanitatem miracula effeciſſe. Hæc enim inter alia dicit: *Quin & ea opera, quæ ſunt propria Verbi, qualia ſunt mortuos excitare, cæcis viſum reponere, Hæmorrhoiſſam ſanare, ea quoque omnino corporis miniſterio peragebantur: & quemadmodum Verbum carnis infirmitates baiulabat vt ſuas, neque id mirum, erat enim caro ipſius: ita rurſus, quum caro ſuo miniſterio diuinitatis operibus inſeruiebat illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus Dei.*

Cyrillus Alexandrinus multa dicit & de miraculis Chriſti, & de animarum noſtrarum viuificatione, & ſanctificatione. De miraculis quidem lib. 2. in Ioan. cap. 15. inquit: *Nam quemadmodum ad faciendа ſigna diuina, verbis ſuis inerat virtus, ſic etiam ad perſuadendum, magnas vires habebat.* & in lib. 4. cap. 14. inquit: *Non verbo ſolum ſemper, verum etiam tactu, mortuos excitabat, vt oſtenderet, corpus quoque ſuum viuificare poſſe.* Extendens autem Cyrillus hanc Chriſti virtutem ad animarum ſanctificationem, & viuificationem, dialectica conſequutione vtens, ita ſubiungit: *Quod ſi ſolo tactu ſuo, corrupta reintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam guſtamus, & manducamus?* In Exegeſſi de Verbi incarnatione ad Valerianum, & habetur 6. tom. act. Concil. Epheſin. cap. 17. inquit: *Nobis autem ad pietatem, id ſatſit, vt cogitemus, ſeduloque animo verſemur, carnem, quæ Dei omnia viuificantis peculiaris effecta eſt, viuificam ipſius Verbi virtutem, & operationem obtinere, gloriamque ineffabilem, nulloque tempore defecturam ſortitam eſſe.* Similia dicit in Anathematiſmo 11. & in dialogo 6. de Trinitate, & libro 1. de fide ad Reginas, & alias quam ſæpius. Chryſoſtomus homilia 26. in Matth. verſans illa verba: *Si vis, potes me mundare*, aduertit non dixiſſe leproſum, Domine, ſi oraueris, ſed *ſi vis: omnia eius arbitrio, & poteſtati committens. Quod Chriſtus ipſe & aſſenſione, & operatione confirmans, ait, Volo, mundare, & voluntatis ſtatim ſanitatis donum conſequutum eſt.*

De gratia, & ſanctificatione animarum legatur ipſe Chryſoſtom. loco ſupra citato. Auguſtinus tractat. 24. in Ioannem, dicit, poteſtatem multiplicandi panes, in manibus Chriſti poſitam eſſe. Euſebius libro 4. de demonſtration. Euangel. cap. 23. huic alludens ſententiæ, vocat Chriſti humanitatem, organum diuinitatis: quem loquendi modum vſurpauit etiam Theodoretus in Dialog. de immutabili Dei natura. Gregorius Nazianzenus in carminibus de Chriſti miraculis quam ſæpius huic alludit ſententiæ, & in miraculis Chriſti ſecundum Marcum dicit inter alia: *Viribus elicitur Chriſti cum dæmone febris.*

Poſſem hoc loco innumera Patrum teſtimonia afferre, in quibus Sacramentis nouæ legis, virtutem tribuunt ſanctificatricem animarum, gratieque effectricem: quæ teſtimonia ſunt innumera. Legantur ſpeciatim Iuſtinus Martyr de Baptiſmo in Dialogo contra Triphonem, & Apologia 2. vbi loquitur de virtute Baptiſmi, & Euchariſtia. Cyprian. in ſerm. de Cœna Domini, Gregor. Niſſen. lib. de Baptiſmo,

vbi multa de virtute baptiſmatis,& Euchariſtiæ docent, Cyrill. Alexandr.lib.3. in Ioann.cap.42. lib.7. contra Iulian.circa fin. Theodoret.in Epitom.diuinor.officior. Ambroſ.lib.de his qui initiantur, & lib.3. de ſacram.cap.1. Chryſoſtom. homil. 25.in Ioann.& Auguſt.tract.80.in Ioan.Damaſc.lib.5. de fid.cap.10.& 14. Denique communis eſt loquendi modus apud ſanctos Patres, Chriſti humanitatem inſtrumentum eſſe, & organum diuinitatis, & quod ſacramenta, Chriſti virtute in nobis efficiunt gratiam, & iuſtitiam. Quæ loquutiones deſignant efficientiam, non ſolum moralem verum etiam phyſicam. Quibus tandem accedit S.Th.3.p.q.13. artic.2. Et quæſt.48.art.6.& quæſt.52.artic.1.& 2. & quæſt.56. art.1. & quæſt.62.art.1. & 4. & in locis alijs ſupra citat. Expendantur ea, quæ in oppoſitum propoſuimus.

Sed iam rationibus hanc confirmemus,ſententiã. Sitque prima ratio. Hic modus cauſandi gratiam,& ſanctitatem in animabus noſtris, potuit ſecundum Dei omnipotentiam humanitati Chriſti communicari,& cedit in magnam humanitatis Chriſti dignitatem,& gloriam: ergo rationabilis eſt ſentẽtia,quæ hanc phyſicam efficientiam docet.

Secunda ratio. Hæc ſententia eſt valde conformis modo loquendi ſcripturæ ſacræ,Conciliorum,& Patrum, & ex dictis conſtat, & ex alia parte nullum ex ea ſequitur inconueniens, vel impoſſibilitatis, vel abſurditatis, & indecentiæ,ergo admittenda eſt hæc ſententia, vt longe probabilior oppoſita.

Tertia ratio. Chriſti meritum fuit infinitum in ratione meriti:ergo Chriſtus meruit ſuę humanitati hanc dignitatem,& excellentiam, vt aſſumeretur tã quam inſtrumentum phyſicum diuinitatis, ad efficiendum,& cauſandum eam gratiam,& ſanctitatẽ, quam ipſemet Chriſtus nobis de rigore iuſtitiæ meruerat. Probatur conſequentia. Nam ſi Chriſtus ſuo infinito merito ſuæ humanitati promeruit excellentias alias,immortalitatis,exaltationis,&c. Quare negandum eſt,hanc quoque ei excellentiam meruiſſe: cum meritum ob ſui infinitatem potuerit iſtud prę mium Chriſto debitum facere?

Quarta tandem ratio, Chriſtus ſecundum humanitatem eſt caput totius Eccleſiæ,& hoc tenemur ſecundum fidem credere.ergo valde rationabiliter,& conſentaneè ad hanc fidei veritatem aſſerit iſta ſententia, Chriſtum phyſico influxu gratiam, & ſanctitatem,omnemque ſpiritualis vitæ motum influere in ipſa ſui corporis membra. Probatur conſequẽtia. Quoniam hoc modo maiori cum proprietate ſaluatur in Chriſto proprius capitis influxus; atque adeo, & ipſa vera ratio capitis.

§. 8. *Eiuſdem concluſionis amplior explicatio.*

PRobauimus hactenus noſtram concluſionẽ quartam, & ipſam S.Th.ſententiam eiuſque probabilitatem, imo vt exiſtimo veritatem oſtendimus. Deinceps vero explicemus oportet modum quo hęc ſententia verificanda eſt, & explicanda,in hoc enim conſiſtit præcipua huius rei difficultas. Qua in re Caiet.3.p. q.13. ar.2. dicit Chriſti humanitatem eatenus phyſice concurrere ad opera miraculoſa, & ad ſanctificationem animarum,ad ſimileſque ſupernaturales effectus: quatenus præſentat, & defert imperium diuinum practicum ad creaturas, circa quas Deus vt cauſa principalis hos ſupernaturales operatur effectus. Cæterum,quia non videtur Caiet.explicare ſufficienter modum quo Chriſti humanitas diuinum imperium defert, & præſentat creaturis,in quibus effectus iſti ſupernaturales efficiũtur. Idcirco vt inſufficiens ſolet eius ſententię à nonnullis Theologis poſterioribus reijci, & contemni, vtpote quæ verbis tantum, & non re cònſiſtat. Sed certe,non tã eſt contemnenda,& reijcienda hæc Caiet.ſententia. Quoniam licet hæc quæ ex ipſo retulimus verba, nõ ſufficienter rem iſtam explicent. Multa tamen alia ibidem Caiet.dixit,quæ valde conferre poterunt legenti ad huius rei intelligentiam,& ex quibus intelligi poterit,quæ fuerit mens Caiet.& in quo ipſe cõſtituat delationem, & intentionem diuini Imperij,de qua re paulo inferius dicemus, cum noſtram ſtatuemus ſententiam.

Alij ergo Theologi ſententiam iſtam S.Thom.in eo interpretantur ſenſu,quod arbitrantur in Chriſti humanitate, etiam in parte corporea, & materiali, impreſſam fuiſſe diuinitus quandam ſupernaturalẽ qualitatem, cuius virtute ipſa etiam Chriſti caro efficere poteſt gratiam,& ſanctitatem in animabus noſtris. Et ſimiliter dicunt de ſacramentis,quoniam in ipſis rebus ſenſibilibus ex quibus ſacramenta cõſtat, reperitur ſupernaturalis qualitas,cuius virtute ſacramenta gratiam efficiunt in anima ſuſcipientis,vt inſtrumenta Dei phyſica. Ita docuerunt Capreol.in 1.q.1.d.1. & Palud.ibidem,& d.36.& 50. & Franc. Ferrarien in 4.cõtra gentes cap.56. Verum hi Theologi non idem omninò ſentiunt de hac ſupernaturali qualitate,Capreo.enim quem ſequitur Ferrarien. opinatur,hanc qualitatem eſſe ſpiritualem. Palu.vero, & ſi ſupernaturalis ordinis eam eſſe dicat, exiſtimat tamen materialem eſſe, & corpoream.

Cæterum neutra ſententia harum placuit quamplurimis ex recentioribus Theologis, & mihi quidẽ vtraque etiam diſplicet, quamuis diſpliceat magis Capreol.ſententia. Quam niſi fallor ſufficienter impugnant ea, quæ circa primum argumentum diximus. Et id quod Ferrarien.dicebat,hanc virtutem indiuiſibili modo in corpore ſubiectari: ſatis ſufficienter ibi confutauimus, ex eo quod accidens non poteſt non eſſe inhærenter in ſubiecto, atque adeo debet eſſe extenſiuo modo iuxta ſubiecti conditionem. Neque iuuat Ferrarien.ſolutio videlicet, hanc ſpiritualem qualitatem eum habere modum intentionalem, quem habent ſpecies viſibiles in corpore diaphano ſubiectatæ. Vnde ſicut huiuſmodi ſpecies, & quæcunque alia accidentia, quæ habent eſſe intentionale,indiuiſibiliter exiſtunt in ſubiecto corporeo. Ita hæc ſpiritualis qualitas, ſimiliter ſe habet in Chriſti corpore,ſecundum modum intentionalem, & indiuiſibilem.

Hęc inquã ſolutio,nõ placet propter duo,quæ mihi in ea apparẽt falſa. Primò,quod hæc qualitas habeat eſſe intẽtionale,non ſatis apparet intelligibile. Nam cum ſe habeat permanenter, & per modum habitus,& non in fluxu & in tendentia,nulla eſt ratio propter quam, non habeat eſſe perfectum ſimpliciter in ſuo genere. Et inquiro: ſi hæc qualitas in

Chriſti

Chriſti corpore habet eſſe intentionale, vbi nam. & in quo ſubiecto habet ſuum verum eſſe, & perfectũ? Et quodnam eſt verum, & perfectum eſſe huius qualitatis? Nunquid eſt ipſamet gratia producta in noſtris animabus? Vnde tale formo argumentum contra hanc ſententiam. Omnis forma habitualis, & permanens habens in aliquo ſubiecto eſſe imperfectum, & intentionale, ordinatur ad ſemetipſam, vt habet eſſe perfectum in ſuo genere in alio ſubiecto: vt in ſpeciebus viſibilibus in aere vel in aqua exiſtentibus, huius rei habetur exemplum. Nam totum eſſe intentionale, & imperfectum, quod habẽt ſpecies viſibiles in his ſubiectis, per ſe refertur, & tendit ad eaſdem ſpecies, vt ſunt in potentia viſiua, in quo ſubiecto conſequuntur totam ſui eſſe perfectionem. Et huius rei ratio à priori eſt, quod res quęlibet in ſtatu imperfecto conſtituta, ad ſemetipſam ordinatur in ſuo ſtatu perfecto poſitam, & conſummatam. Si dixerint Capre. & Ferrarien. quod virtus hæc, & ſpiritualis qualitas, ſua natura poſtulat hunc imperfectum, & intentionalem ſtatum: illis obijciemus communem illam calumniam, cui ipſi tamen ſatisfacere tenẽtur nimirum, quod pro arbitrio ſuo, & abſque fundamento hanc intentionalem confinxerunt qualitatem.

Secũdum, quod mihi in illa ſolutione non placet, illud eſt, quod qualitas habens eſſe intentionale indiuiſibiliter ſuſcipitur in ſubiecto corporeo. Hoc enim apparet omninò falſum. Quoniam qualitas habens eſſe intentionale, eſt verum, & reale accidens: ergo verè, & realiter inexiſtit. Sed nequit in exiſtere ſubiecto corporeo, & extenſo, niſi diuiſibiliter, & extenſiue ad modum eius: ergo, &c.

Sed adhuc contra eandem ſententiam ſic argumentor. Eſto qualitas hæc ab iſtis auctoribus cõficta, in ſanctiſſima Chriſti carne reperiatur, ſiue diuiſibili, ſiue indiuiſibili modo ſuſcepta, impertinens omninò eſſet, vt Chriſti caro gratiam & ſanctitatem in noſtris animabus efficiat; ergo ſine cauſa confingitur ſpiritualis illa qualitas. Probo antecedens. Illa qualitas eſt longe imperfectior gratia qua iuſtificamur, & ſanctificamur: ergo non poterit conferre Chriſti carni virtutem, vt gratiam phyſica cauſalitate efficiat. Antecedens ab illis auctoribus nobiſcum conceditur. Conſequentia verò patet ex illa vulgata phyloſophica doctrina, quę docet effectum perfectiori modo præhaberi in ſua cauſa quam ſit in ſemetipſo: video facilem ſolutionem quam quiſque poterit huïc argumento accommodare. Dicet enim, quod hæc philoſophica nunc inſinuata doctrina verum habet in cauſis principalibus duntaxat, non vero in cauſis inſtrumentarijs. Qualitas autem hæc ſpiritualis non eſt forma principalem conſtituens cauſam producendæ gratiæ: ſed virtus tantum eſt inſtrumentalis.

Contra hanc ſolutionem ſic inſto. Virtus inſtrumentaria, quæ qualitas permanens eſt, & per modum talis qualitatis operatur, non attingit immediatè effectum principalis agentis, ſed alium effectum immediatiorem ſibi proportionatum, quo mediante attingit tandem ipſum principalem agẽtis effectum: ſed non eſt aſſignabilis effectus aliquis, quem attingat immediatè hæc ſupernaturalis qualitas. Nam quod dicunt aliqui cauſare diſpoſitionem præuiam ad gratiam, manifeſtum cõmentum eſt, & a ſuis auctoribus inexplicabile. Quia præter motus liberi arbitrij, qui à ſancta ſynod. Trid. ſeſ 6. c. 7. diſpoſitiones ad gratiam vocantur, non poteſt fingi alia diſpoſitio ad gratiam pręuia, vt aduertit Caie. 3. p. q. 62. ar. 1. ergo &c. Maior exemplo, & ratione probatur. Exemplum habetur in calore, qui eſt inſtrumentum, quo ignis vtitur ad producendam ſubſtantiam ignis: at terminus, quem immediatè attingit actio caloris, non eſt ipſa ignis ſubſtantia, ſed calor in ſubiecto productus: quo mediante peruenitur ad ignis ſubſtantiam, vt ad præcipuum terminum. Ratione vero ſic probo. Qualitas huiuſmodi permanenter ſe habens, eſt forma actiua: ergo reſpondet illi aliquis proprius effectus, qui eſt primarius terminus, quem hæc qualitas per ſuam actionem attingit.

Fateor hanc argumentationem, non tam eſſe efficacem, vt in S. Thom. doctrina perſiſtentes non poſſimus ei inſtantiam afferre, ex qua infirma erit, & prorſus inualida. Caracter enim ſacerdotalis qualitas eſt actiua permanẽs, ad conſecrationem Euchariſtici ſacramenti concurrens, ſecundum S. Th. ſententiam 3. p. q. 63. ar. 2. & tamen nullam præuiam efficit diſpoſitionem, ſed ipſam immediatè conuerſionem mirabilem panis in corpus Chriſti, &c. contingit. Et hoc quidem ex eo, quod eſt ſua natura forma inſtrumentalis. Actio vero quam S. Thom. 1. par. q. 45. ar. 5. & 3. par. q. 62. art. 1. exigit ex parte inſtrumenti præſuppoſitam ad actionem principalem, non ex iſta virtute inſtrumẽtaria penſanda eſt, ſed ex toto inſtrumento, ſcilicet, ex ſacerdote conſecrante. Et totum hoc poteſt noſtro intento accommodari. Vnde argumentum iſtud langueſcit, ſed adhuc amplius vrgeo rem iſtam. Nam ſequitur, quod illa qualitas vim habeat ſuperiorem, & ſi inſtrumentalem, ſupra totum gratiæ ordinem, quia eſt productiua gratiæ, & omnium ſupernaturalium habituum, quod ipſamet gratia ex ſe nequit efficere. Imo poſſet eſſe ſuperior ad omnia miraculoſa opera: at incredibile eſt, quod vnica qualitas tantam vim poſſit habere, ergo, &c. Sed iã prætermittamus Capr. & Ferr. ſent. & Palu. opinionem reuertamur, quæ affirmant hanc ſupernaturalem qualitatem materialem eſſe, & corpoream.

Cui opinioni ego non oppono id, quod ei obijciunt aliqui: nimirum non poſſe commodè intelligi, quod illa qualitas ſit corporalis, & ſit ſimul ſupernaturalis ordinis. Etenim conſtans eſt, & doctoribus Theologis manifeſtum, reperiri poſſe in appetitu ſenſitiuo virtutes, & motus ſupernaturales, temperãtiæ fortitudinis, timoris, &c. qui tamẽ cum ſubiecto corporeo inexiſtant, corporea ſunt accidentia. Sed illud tamen Palud. ſententiæ oppono, quod in ſecundo argumento inſinuaui, videlicet, quod ſi hæc qualitas corporea eſt, nõ conſtituere poteſt ſufficientem proportionem inter ſanctiſſimam Chriſti carnem, & gratiam ſpiritualem, qui eſt effectus producẽdus, & animam ſimiliter ſpiritualem, quæ eſt ſubiectum, in quo producitur gratia: atque adeo ſine cauſa confingitur hæc ſupernaturalis qualitas.

Vtriq. verò ſententiæ. Et Capreol. & Pal. opponere poſſumus S. Th. doctrinã in 2. 2. q. 178. ar. 1. ad 1. Vbi negat poſſibilem eſſe qualitatem in anima permanentem habitualiter, quæ ſit principium faciendi

miracula. ergo in Chriſti humanitate, ſiue in parte ſpirituali, ſiue in parte corporea, non eſt ponenda qualitas miraculorum factiua, & productiua gratię, & ſanctitatis in animabus noſtris. Dicent auctores iſti, quod S. Th. doctrina procedit tantum in qualitate permanente habitualiter, vt ipſe dicit apertè in ſolut. præfata, & in qualitate habente eſſe perfectum, & non eſſe intentionale, vt habet qualitas hæc ſupernaturalis, quam ipſi ponunt. Sed prima euaſio, in Chriſti humanitate non habet locum, in qua poteſtas faciendi miracula, & ſanctificãdi animas permanens eſt, & ſtabilis. Secundo vero ex eo videtur falſa, qd S. Tho. ſine vlla diſtinctione loquutus fuit. Vnde illo non diſtinguente, neque nos diſtinguere debemus. Et præterea mens eius fuit, quod qualitas permanens eſſe habens, non habet eſſe intentionale, ſed perfectum in ſuo genere.

Eſt alius tertius dicendi modus, nouiter inuentus à quibuſdam viris doctiſſimis. Qui ita explicant S. Tho. ſent. quod ſicut in rebus creatis reperitur obedientialis potentia paſſiua, vt in eis, & ex eis faciat Deus quicquid contradictionem non implicauerit. Ita eſt etiam in eiſdem creatis rebus obedientialis potentia actiua, vt efficiant, vel potius Deus ipſis mediantibus, & inſtrumentaliter concurrentibus cauſet, quicquid fieri non repugnat. Quæ quidem actiua potentia ſola ratione ab ipſa creaturarum entitate ſecernitur; eſtque ipſi innata, & ingenita. Et hæc actiua obedientialis potentia reperitur in Chriſti humanitate, tum in anima, tum in corpore. Vnde Chriſti humanitas per hanc potentiam à diuina voluntate applicatam, ſpecialique Dei concurſu adiutam, poteſt efficere gratiam, & ſanctitatem in animabus noſtris. Et quidem hæc obedientialis actiua potentia non eſt ſufficiens ſe ſola conſtituere Chriſti humanitatem, aut quamuis aliam creaturam potentem ſimpliciter ad operandum ſupernaturales effectus, ſed tantum conſtituit creaturam in proxima potentia eleuabilem ad operandum effectus huiuſmodi. Quæ eleuatio nõ fit per aliquam ſuperadditam formam, aut qualitatem, ſed per ſolam applicationem diuinæ voluntatis, & per ſpecialiſſimum Dei concurſum. Et quatenus prædicta obedientialis potentia coniungitur cum hac Dei applicatione, & ſpeciali concurſu, virtus eſt ſupernaturalis; & ſufficit conſtituere in actu primo ipſam Chriſti humanitatem, etiam ſecundum partem corpoream, ad efficiendum gratiam, aut effectus alios ſupernaturales, & miraculoſos. Hæc obedientialis potentia ſpeciali Dei auxilio adiuta appellatur à S. Thom. (inquiunt hi Theologi) virtus ſpiritualis, & ſupernaturalis, & quandoque etiam intentionalis, quia eſt imperfecta in genere ſupernaturali.

Huic ſententiæ tantiſper fauere videtur Caie. 3. p. q. 13. at. 3. & q. 78. ar. 4. nam obiter meminit in iſtis locis huius obedientialis potentiæ, & ſi non expreſſe eam vocauerit actiuam. Exemplum accomodant prædicti Theologi huic explicandæ doctrinæ, quod ſatis apparet idoneum; intellectus ſua natura determinatus eſt ad cognitionem naturalem, & obiecti naturalis, neque viribus ſuis altiorem poteſt cognitionem efficere. Eſt tamen in potentia obedientiali actiua conſtitutus, cuius ratione eleuabilis eſt per ſpeciale Dei auxilium, abſque aliqua ſuperaddita qualitate ad cognoſcendum ſupernaturale obiectum, & eliciendam cognitionem ſupernaturalem. Et ſimile exemplum poteſt proportionabiliter afferri ex parte voluntatis. Quod ergo cõmuniter ſapientes Theologi de intellectu, & voluntate dicunt; quare non poterit rationabiliter extendi ad omnes creaturas cõparatione ad ſupernaturales operationes, quæ non repugnant fieri ipſius creaturis mediantibus, & inſtrumentaliter concurrentibus?

Hæc vero ſententia nulla à me poteſt ratione probari. Neque reperio firmum fundamẽtum, cui eius probabilitas poſſit inniti. Et primo quidem præſuppono, vt rationem dubitandi contra iſtam ſententiã oſtendam, quod eius auctores quid amplius docere intendunt, quam doceant alij Theologi, præſertim Thomiſtæ, qui libere fatentur in omni creatura reperiri obedientialem potentiam, vt diuina poſſit virtute eleuari ad operandum effectus ſupernaturales, & miraculoſos ad modum inſtrumenti phyſici. Id autem dicunt amplius huius ſententiæ auctores: quod communis Thomiſtarum doctrina hanc potentiam obedientialem non vocant actiuam, neque illam diſtingunt à potentia obedientiali paſſiua, de qua communiter ſolet fieri inter Theologos ſermo: Non enim eam conſtituunt, vt ſit virtus effectiua, ſed vt eius ratione creatura poſſit eleuari per diuinam potentiam, & virtutem ad operandum ſupernaturales actiones, & effectus. Cæterum præfatæ ſententiæ auctores hanc obediennalem potentiam, actiuam vocant, virtutemque in ea actiuam agnoſcunt, per quam creatura operari poteſt ſupernaturales actiones, & efficere ſupernaturales effectus. Imo ad hoc illam commentantur, vt creatura per hanc obedientialem potentiam, adiuncto ſpecialiſſimo Dei auxilio, conſtituatur in actu primo, vt poſſit exire in actum ſecundum ſupernaturalem, & ſimul cum Deo inſtrumentaliter concurrere ad actualem productionem ſupernaturalis effectus. Exiſtimant enim, & mea ſententia veriſſime, quod nulla cauſa ſiue principalis ſit, ſiue inſtrumentalis in actum ſecundum prodire poteſt, quin prius naturæ ordine fuerit conſtituta in actu primo: eſt enim manifeſta implicatio, quod cauſa effectiua operetur, niſi ſecundum quod eſt in actu, vel formali, vel virtuali conſtituta. Nequit enim quis dare, aut efficere, quod in ſe vel formaliter, vel virtualiter non præhabet. Et qui oppoſitum dicunt, propriam vocem ignorant. Non enim intelligunt, quid ſit efficere ſeu efficienter producere. Quod certe non eſt aliud, quam extra ſeipſum propria efficientia reponere, quod intra ſe reconditum habebat. Hoc ergo ſuppoſito.

Primo argumentor contra ſtatutam ſententiam. Potentia obediẽtialis paſſiua, iuxta ſapientũ Theologorum mentẽ, non eſt aliud in creatura quã nõ repugnantia ad Deum, vt in ipſa creatura, vel ex ipſa faciat quicquid contradictionem non implicauerit: quod etiam nobiſcum fatentur auctores huius ſententiæ, quam expugnare admitimur. Neq; vero probabili ratione poſſet aliud dici; quia eſſet manifeſta fictio, & chimericum commentum, comminiſci entitatem aliquam poſitiuam ſupernaturalem creaturæ congenitam, & innatam: quæ eſſet potentia obedientialis paſſiua, vt alio in loco à nobis eſt manifeſte-

de.

Digitized by Google

demonſtratum, ergo ſi ex proportione ad potentiã paſſiuam obedientialem, colligimus actiuam obedientialem potentiam in creaturis, minime licebit fingere obedientialem potentiam, quæ ſit vera virtus actiua ſupernaturalis, per quam creatura conſtituatur in actu primo ad ſupernaturales actiones: ſed erit tantum non repugnantia ad operandum ſupernaturales actiones ex diuina eleuatione, & virtute. Sicut potentia paſſiua obedientialis, eſt non repugnantia ad ſuſcipiendum ſupernaturales actus. Omnia argumenta, quibus probare ſolent Theologi, nõ reperiri potentiam obedientialem, quæ ſit aliqua vera entitas ſupernaturalis, quæ verè prçhabeat in ſua poteſtate paſſiua ſupernaturales effectus, & actus: probant per locum à fortiori, nullam huiuſmodi reperiri obedientialem actiuam potentiam, quæ verá habeat actiuitatem erga ſupernaturales actiones, & effectus. Et breuiter ſic iſtam veritatem oſtendo. Et inquiro, an hçc actiuitas ſit ſupernaturalis, an potius naturalis, ſi naturalis; ergo improportionata eſt omninò ad ſupernaturales actiones, & effectus: atque adeo impertinenter aſſeritur. Si verò ſupernaturalis eſt: ergo fateri tenemur, quod ab authore naturæ, & à principijs creaturæ naturalibus oritur virtus actiua ſupernaturalis, ac ſupernaturalium effectuum, & actionum productiua. Imo, & effectiua miraculorũ, & prodigiorum, quæ totum naturæ ordinem exuperant. Et quod natura virtutem conferret ſupra ſeipſam, & virtus à natura data ſuperior eſſet tota ipſamet natura à qua oritur. Quod ſane nulla poteſt probabilitate ſuſtineri. Scio dices, quod niſi accedat ſpeciale Dei ſupernaturale adiutorium, obedientialis illa potentia nihil poterit operari.

Sed tunc argumentor in hunc modum, vel illud ſpeciale Dei auxilium confert totam vim actiuam creaturæ ad ſupernaturalem effectum producendũ, vel partem confert, & partem præſupponit in ipſa obedientiali potentia præhabitam: aut denique nullam confert virtutem, ſed virtutem præſuppoſitam in potentia obedientiali complet, actuat, & ad ſecundum actum reducit: vt cõcurſus generalis Dei auctoris naturæ ſe habet ad omnes cauſas naturalis ordinis, & concurſus generalis Dei authoris gratiæ ſe habet ad omnes formas, & habitus operatiuos ordinis ſupernaturalis. Et præter hæc tria membra, non poteſt aliud fingi quartum. At ſi adiutorium Dei ſpeciale, totam vim confert actiuam impertinenter dicitur, quod illa potentia obedientialis ex parte creaturæ præſuppoſita eſt actiua, cum nullam ex ſe ipſa vim habeat actiuam, nullamque conferat actionem ad ſupernaturales effectus efficiendos, ſed neceſſum erit aſſerere, potentiam hanc obedientialem, in eo duntaxat ſenſu actiuam eſſe, quod conſtituit creaturam capacem ſuſcipendæ virtutis ſupernaturalis ad operandum ſupernaturales actiones, & ad producendum effectus ordinis ſupernaturalis. Et ex conſequẽti ruit tota machina illius tertiæ ſententiæ quam impugnamus. Non enim habet locum, id quod illa ſententia affirmat. Nimirum obediẽtialem potentiam eſſe illam ſupernaturalem virtutem, quam S. Tho. conſtituit in inſtrumento aſſumpto à Deo ad ſupernaturalem effectum, & per quam inſtrumentum cõſtituitur in actu primo ad operandum; ſi vero Dei adiutorium nõ totam virtutem confert, ſed partem eius duntaxat, & partem præſupponi præhabitam per obedientialem potentiam. Ita quod Deus, & creatura concurrunt quaſi duo partialia agentia ad ſupernaturalem effectum: Sequitur illud inconueniens paulo ante inſinuatum, nempe, ex principijs naturalibus oriri ſupernaturalem actiuam virtutẽ, ſupernaturalis actionis, & effectus productiuam. Patet hoc manifeſte. Quia illa partialis virtus præſuppoſita ex parte creaturæ, ex ſolis principijs naturalibus ipſius creaturç oriri poteſt, & procedit à Deo, nõ vt authore gratiæ, ſed vt authore naturç. Et mirabile quidem eſſet, quod ex naturæ principijs dimanaret virtus, quæ ſupra totum gratiæ ordinẽ, & ſupra omnia miraculoſa, & prodigioſa opera, ſe ipſam extenderet. Multo plane ſuauius diceremus cum ſententia Capr. aut Palud. quod talis virtus eſſet qualitas quçdam, à Deo authore gratiæ infuſa, & naturç ſuperaddita. Hoc argumentum adhuc maiores habet vires, ſi tertium mẽbrum factæ diſtinctionis admittatur. Nã qui admiſerit, tenetur fateri, quod ita ſe habeat obedientialis potentia actiua ad producendum gratiam, & ſupernaturales omnes effectus, atque ſe habet charitatis habitus ad dilectionem Dei ſuper omnia eliciẽdam. Ita quod ex ſe ſufficientem habet virtutem, eget tamen auxilio, & concurſu generali primæ cauſæ, à qua omnis cauſa inferior pendet, vnaquæque in ſuo genere, & ordine. Qui autem ita diceret, confunderet naturæ ordinem cum ordine gratiæ, & ordinem ſupernaturalem cum ordine naturali, nihilque eius ſententia ab errore Pelagiano differret. Imo neque tutum exiſtimo partialem virtutem ſupernaturalem in potentia obedientiali naturæ cõgenitam, & naturaliter inditam ponere, quoniam non longe hæc ſententia ab errore Pelagia. diſſentit, cum ſupernaturalem ordinem gratiæ ad naturæ facultatem, & vim, bona ex parte reducat.

Sed vlterius progredior in huius ſententiæ expugnationem. Si potentia obedientialis, quæ in creatura reperitur, vim habet actiuam ad ſupernaturales effectus cauſandos. Sequitur, quod ſit virtus actiua principalis, & non pure inſtrumentalis; conſequens nullus Theologorum admittet, quoniam maior, & præcipua eorum pars docet, non eſſe factibile, vt aliqua creatura per modum cauſæ principalis ſupernaturales attingat effectus: ergo, &c. Sequelam ita probo. Virtus illa actiua in obedientiali creaturæ potentia prçexiſtens, non procedit à Deo vt authore ſupernaturali, vt probatum eſt, & adhuc breuiter oſtenditur, ex eo quod anteuertit omnem actionem Dei authoris ſupernaturalis, & ex ſoli naturæ principijs oritur, ergo non eſt virtus inſtrumentalis, reſpectu Dei ſupernaturalis authoris. Neque vero eſſe poteſt inſtrumentaria virtus reſpectu Dei authoris naturç. Deus enim prout naturæ author, non eſt principale agens ſupernaturalium effectuum, neque ei ſubordinatur illa virtus, quæ productiua eſt effectuum ſupernaturalium.

Vltimo tandem ſic arguo contra eandem ſententiam. Potentia obedientialis quæ reperitur in ſacra Chriſti carne, materialis eſt, & corporea, ſicut & ipſa caro; ergo nulla in ea actiua virtus reperitur, quæ poſſit attingere productionem ſpiritualis effectus, qualis eſt gratia, & ſpirituale ſubiectum, cuiuſmodi eſt rationalis anima.

Digitized by Google

Propter hęc argumeota, & alia ſimilia, quæ conſulto prætermitto, quia facile omnia poſſunt reduci, ad ea quæ facta ſunt, & propoſita; reputo hanc ſententiam parum probabilem, & alijs omnibus, quæ retulimus, & quę referemus improbabiliorem. Quia vel nihil dicit ſpeciale, in quo differat ab alijs opioionibus: vel ſi quid ſpeciale aſſerit, neceſſum eſt, conſtituat actiuam virtutem ex principijs naturalibus ortam; quæ productionem gratiæ, & aliorum ſupernaturalium effectuum attingat. Quam virtutem ego plane non auderem admittere, putarem enim me Pelagiano errori, pluſquam par eſt, fauere. Illud vero exemplum da operationibus ſupernaturalibus elicitis ab intellectu, & voluntate, parum iuuat ad huius ſententiæ probabilitatem tuendam. Quoniam alijs omiſſis, in quibus latiſſimum poterat aſſignari diſcrimen: ego nullatenus admittam, nequeadmittentibus aliquando conſentiam, quod intellectus ſiue humanus, ſiue Angelicus vim aliquam, & actiuitatem conferat ex ſe ipſo ad ſupernaturalem actionem eliciendam, ea ratione qua ſupernaturalis eſt; Sed tota actiuitas ad actum credendi ſupernaturalia myſteria penſanda eſt, vel ex fidei habitu, vel ex ſupernaturali Dei adiutorio. Et actiuitas tota quæ ad beatificam viſionem concurrit, ex ſola luminis gloriæ quantitate prouenit. Non ſum neſcius opinionis Caieta. exiſtimantis perfectiorem intellectũ cum æquali gloriæ lumine præſtantiorem Dei viſionem elicere, ea quam efficere valeat intellectus minus perfectus. Sed & ſcio quoque Caiet. ſententiam diſplicuiſſe vehementer, & quidem merito, vniuerſis fere Theologis ipſo Caieta. poſterioribus. Sed de modo quo intellectus creatus ad ſupernaturales actiones eliciendas eleuari poteſt non vacat in præſentia diſputare.

Hac ergo ſententia ſemota, alius ſequitur 4. loco dicendi modus, qui inter grauiſſimos S. Th. diſcipulos circumferri ſolet, & vt valde probabilis acceptari. Et aſſerit, quood Chriſti humanitas, & quælibet creatura alia poteſt aſſumi, vt inſtrumentum diuinæ virtutis ad ſupernaturalia opera efficienda: quatenus prius, vel tempore, vel natura præmouetur motu aliquo, qui vt à Deo procedit, eſt quædam ſupernaturalis virtus inſtrumentalis, conſtituens creaturam in actu primo ad productionem actualem gratiæ, vel alterius ſupernaturalis effectus v. g. cum Chriſtus verbo remiſit peccata Magdalenę, dicens ei, *remittuntur tibi peccata, &c.* priuſquam intelligamus interoam peccatorum remiſſionem inſtrumentaliter à Chriſto in ipſius Magdalenæ anima factam per actualẽ gratiæ, & charitatis infuſionem, præintelligimus illum motum linguæ Chriſti exprimentis verba prædicta: qui motus ſpecialiter fuit à Deo ordinatus ad illam gratiæ infuſionem, & ad Magdalen. iuſtificandam. Et prout ſic ſpecialiter ordinatus, virtus erat inſtrumentalis gratiæ, & charitatis productiua. Simile quid in ſacramentis eſt diceodum, v.g. abſolutio exterior à miniſtro facta ex motione, & intentione ſpeciali Dei procedens, habet quod ſit inſtrumentalis virtus regenerantis gratiæ productiua. Et proportionabiliter dicendum erit in omnibus inſtrumentis aſſumptis à Deo ad aliquem ſupernaturalem effectum. In artificioſis effectibus habetur exemplũ: ad quos artifices quædam aſſumunt inſtrumenta, quorum virtus in quadam artificioſa motione cooſiſtit.

Sed contra hanc ſententiam, vt maiorem explicationem accipiat, difficilia oppono argumenta. Primum. Motus iſte, de quo iſta ſententia loquitur, nequit eſſe ſpiritualis, quia materialis eſt, & corporeus: ergo impertinenter ſe habet ad productionem gratiæ, quæ eſt actio ſpiritualis ſimpliciter, ſicut, & ipſa gratia, quæ io anima producitur. Secundum argumentum. Motus eſt quid imperfectiſſimum, eſtque multo imperfectior, qoam res ipſa quæ mouetur. ergo non eſt illi tribuenda ſupernaturalis inſtrumẽtaria virtus reſpectu gratiæ, & effectuum excedentium totum naturæ ordinem, qui ſunt valde perfecti, & excellentes.

Tertium argumentum. Explicandum ſupereſt huius ſententiæ authoribus, qui motus debeat eſſe iſte, in quo ioſtrumentariam virtutem conſtituunt. Nam ſi dicant eſſe motum localem, ſequitur quod Chriſti humanitas modo exiſtens in cęlo non cauſet efficienter in nobis gratiam, & ſanctitatem: quia nullo motu locali mouetur ad hunc inducendum effectum. Si vero dixerint non eſſe neceſſarium motum localem, ſed ſufficere motum quemcumque, ſi tamen ſpecialiter præordinetur, & referatur à Deo in ſupernaturalem effectum efficiendum, & ita Chriſti humanitas per actum voluntatis humanæ, aut intellectus practici, quem in ſcęlo habet erga hominẽ iuſtificandum, concurrit inſtrumentaliter phyſicè ad eius iuſtificationem, & ad ipſam productionem gratiæ. Contra. Motus huiuſmodi eſt ſpiritualis à Chriſti anima immediatè effectus: ergo eius ratione ſacra Chriſti caro oon operatur gratiam, & iuſtitiam inſtrumentaliter in animabus noſtris: cum talis motus non attineat ad ipſam Chriſti carnem, ſed ad eius animam duntexat. At Patres. & Concilia, vt ex teſtimoniis ſuperius adductis conſtat, viuificandi, & iuſtificandi virtutem non ſoli Chriſti animæ, ſed eius carni ſacratiſſimæ tribuunt, quam viuificatricem, & ſanctificatricem non ſemel appellant, ergo, &c. Confirmatur, Chriſti corpus in ſacramento Euchariſtiæ nullo protſus mouetur motu, quia eſt ibi modo indiuiſibili, & quaſi purè ſpirituali: & tamen, vt ibi eſt, gratiam, & ſanctitatem in anima ſuſcipieotis Euchariſtię ſacramentum inſtrumentaliter confert. Igitur inſtrumẽtalis virtus non eſt ad motum ipſius inſtrumenti reducenda.

Quarto arguitur. Sequitur quod Chriſti humanitas non concurrit inſtrumentaliter per modum inſtrumenti phyſici ad ipſam animatũ ſanctificationẽ, & ad productionem iuſtificantis gratię: ſed ille duntaxat ipſius humanitatis Chriſti motus, in quo poſita eſt ipſa virtus Dei mouentis, & principaliter iuſtificantis. Conſequens eſt falſum, quoniam Patres non motui, aut operationi humanitatis, ſed Chriſti carni, hanc iuſtificandi, & ſanctificandi dignitatem tribuunt, ipſamque viuificatricem appellant, ideſt, vim habentem viuificandi, ergo virtus inſtrumentalis viuificatiua, & productiua gratiæ, non in aliquo humanitatis Chriſti motu: ſed in ipſamet humanitate conſiſtit. Sequela patet. Illud duntaxat eſt inſtrumentum ad principalem effectum cõcurrens, quod per virtutem principalis agentis in ſe ſuſceptam, ipſum attingit effectum. Sed iuxta iſtam ſententiam

Chriſti

Chriſti humanitas non habet in ſe ſuſceptam virtutẽ gratiæ, & ſanctitatis productiuam, ſed in eius motu ſuſcipitur tantum hæc virtus.

Hoc argumentum maiores adhuc habebit vires, ſi ſupponamus, id quod in Ariſt. doctrina eſt valde probabile, videlicet, motum non in agente, ſed in paſſo recepi. Hoc enim ſuppoſito, manifeſta deductione ſequitur, quod cum Chriſtus liniuit oculos ceci, tota virtus illius miraculi patratiua non in Chriſti humanitate, ſed ipſis oculis ceci linitis reſedit, in quibus ſuſceptus fuit ille linitionis motus. Et ſi id, quod ſatis eſt credibile, dicamus, ſimul cum viſu animæ iuſtitiam & ſanctitatem ſuſcepiſſe: (Dei enim perfecta ſunt opera) conſequenter fateri tenebimur, virtutem ſanctificatiuam, & productiuam gratiæ nõ in Chriſti humanitate, ſed in ipſis ceci oculis ſuſceptam fuiſſe. Confirmatur. Hac ratione virtus productiua gratiæ ſacramentalis magis tribuitur ſacramento, quam eius miniſtro, quia virtus productiua gratiæ per ſe primo reſidet in ipſo ſacramento inſtituto à Chriſto ad cauſandam, & efficiendam gratiã. ergo ſi virtus ſpiritualis inſtrumentaria in motu humanitatis Chriſti per ſe primo, imo totaliter reſidet, ipſi motui, & non humanitati tribuenda eſt animarum iuſtificatio.

Quinto arguitur. Sequitur ex iſta ſententia, quod ſacrum Chriſti corpus dum mortuum, & exangue in ſepulcro iacebat, aut pendebat in Cruce poſt mortem, non fuit inſtrumentum diuinum ad productionem cuiuſpiam ſupernaturalis effectus: imo quod neque fuit ſatis aptum, & idoneum vt aſſumeretur tamquam inſtrumentum phyſicum ad aliquem ſupernaturalem diuinæ virtutis effectum. Conſequens eſt falſum: ergo, &c. Sequela patet. Nam Chriſti corpus tunc nullum motum habuit, neque à ſemetipſo habere poterat. Si ergo motus neceſſarius eſt ad rationem inſtrumenti, mortuum Chriſti corpus non fuit idoneum, vt eſſet diuinæ virtutis inſtrumẽtum. Falſitas vero conſequentis probatur. Illa inaudita lapidum commotio, & cõcuſſio quæ accidit in Chriſti morte, quare non debet adſcribi carni Chriſti vulneratæ, & in Cruce pendenti? Similiter Centurionis pęnitentia, & vera pectoris contuſſio, quæ poſt Chriſti mortem contigit, quare deneganda eſt Chriſto in Cruce ſuſpenſo, cum eſſet (vt Moyſis vtamur verbis) ipſamet vita ante oculos hominum pendens, & in patibulo manens ſuſpenſa? ergo, &c.

Sexto, & vltimo arguitur. Et ſpeciatim contra exemplum, quod afferunt huius ſententiæ authores in eius confirmationem. Illud exemplum de inſtrumentis artificialibus nihil ad propoſitum refert. Quoniam hæc inſtrumenta ab Artificibus admota, nihil efficiunt, quod ſuperet vim inſtrumentorum, & materialem ipſorum rationem. Nam illorum motus tantum eſt applicatio inſtrumenti ad diuerſa loca, à quibus vel expelluntur aliqua corpora, vel in eis alia introducuntur, ex quibus reſultant diuerſæ figuræ, per quas res artificiatæ conſtituuntur. Igitur ex huiuſmodi artificioſis inſtrumentis inſufficiens omninò argumentum deſumitur, ad explicandum rationem, & virtutem inſtrumentariam, quam ſancti Patres in Chriſti humanitate agnoſcunt, & venerantur: quæ reuera ipſam noſtram gratiam, & ſanctitatem attingit ergo.

Hæc argumenta difficilem ſine dubio poſtulant ſolutionem, adeoque hanc vrgent ſententiam, vt grãdem præbeant viris quibuſdam doctiſſimis occaſionem dicendi, non eſſe vlla ratione neceſſarium aliquem præuium inſtrumenti motum ad actionem inſtrumentariã: atq. adeo dicunt ſanctiſſimam Chriſti humanitatem omninò quieſcentem, & immotam aſſumi poſſe à Deo, vt phyſicum inſtrumentum ad efficiendam gratiam in animabus noſtris: & ad quẽcumque alium ſupernaturalis ordinis effectum cauſandum. Iuxta quem modum fuit fortaſſis aſſumpta ipſa Chriſti mortui caro in ſepulcro iacẽs, vt S. Th. viſus eſt inſinuare 3. p. q. 55. ar. 1. ad 2. Et idem iudicium ferendum eſt de quacumque alia re creata, ſiue ſpiritualis ſit, ſiue corporea.

Quod ſi quis vrgeat huius ſententiæ auctores, vulgato illo, ſed minimè facili argumẽto: nempe, quod in Chriſti carne ita quieſcente nulla præintelligitur ſpiritualis virtus, nec habitualis, nec actualis, nec per per modum permanentis, per modum tranſeuntis, qua poſſit in actu primo conſtitui ad efficiendam in actu ſecundo gratiam inſtrumentali actione, ergo impoſſibile eſt, quod Chriſti caro ita quieſcens gratiam efficiat. Patet conſequentia. Quia actus ſecundus neceſſario, & eſſentialiter præſupponit actũ primum in cauſa efficiente ſiue principali ſiue inſtrumentaria. Reſpondent prædictę ſententiæ auctores, quod vt Chriſti humanitas, aut quæuis alia creatura aſſumatur, vt phyſicum Dei inſtrumentum ad productionem gratiæ, aut cuiuſuis alterius ſupernaturalis effectus, non eſt neceſſe, quod ante ipſam actualem gratiæ, aut alterius ſpiritualis effectus productionem præhabeat in ſe formaliter virtutem aliquam ſupernaturalem creatam, cui ipſa inſtrumentalis actio v.g. gratiæ productio adſcribatur. Sed ſatis fuerit, quod operetur, vt ſubeſt increatæ Dei virtuti, & illi diuino imperio, per quod Deus, & principaliter efficit gratiam: & quo concurrit cum ipſa creatura ad illam inſtrumentalem actionem. Itaque ſupernaturalis diuina virtus creata non formaliter inſtrumento communicatur, niſi in ipſa actuali gratiæ, aut alterius effectus ſupernaturalis productione.

Ex iſtis inferunt primo huius ſententiæ authores, non eſſe neceſſarium ad inſtrumẽtalem actionem, quod inſtrumentum præmoueatur à Deo principali agente, motione aliqua, ſiue ſpirituali ſiue corporea: ſed ſatisfuerit quod habeat Deus illi quaſi virtualiter præapplicatam increatam ſui ipſius virtutẽ: ita vt in ratione agẽdi creatura, quæ aſſumitur vt inſtrumentum, induat modum quendam vnius cauſæ cum Deo principali agẽte; ei inſtrumentaliter ſubſeruiẽs ad effectum ab ipſo intentum. Ad hoc autem ſuffecerit ſubordinatio illa inſinuata ſuperius ad increatam Dei virtutem, & ad efficaciſſimum illud Dei imperium, quod ſeipſum media actione inſtrumentaria creaturæ ad executionem deducit.

Secundo inferunt, quod inſtrumentum Dei non conſtituitur in actu primo per aliquam virtutem creatam: ſed per ipſam incarnatam Dei virtutem, vel vt proprius loquar; per ſubordinationem ad ipſam increatam virtutem, & ad imperium Dei practicum, quod vtitur eadem creatura ad ſui ipſius executionem.

Iſta

Iſta ſententia eſt ſine dubio valdè probabilis, & eius probabilitatis fundamentum ad illud principiũ, niſi fallor, eſt reuocandum; quod ita natura comparatum eſt, vt cauſa inferior ex coniunctione, & ſubordinatione ad ſuperiorem in ſemetipſa perficiatur in ratione cauſæ abſque aliqua ſuperaddita qualitate, aut virtute, v.g. Color per coniunctionem ad lucem verè, & realiter perficitur in ratione cauſæ immutatiuæ viſus, abſque aliqua entitate, quæ ipſi colori realiter inhæreat. Nam ex coniunctione ad lucẽ, quæ non ineſt colori, ſed illi coaſſiſtit, color poteſt emittere ſpecies viſibiles, realiterque viſiuã immutare potentiam: quod antea non poterat in proxima potentia efficere, ſimiliter phantaſma in potentia ſenſitiua, puta, in phantaſia productum, propter ſolam coniunctionem realem ad intellectum agẽtem abſque qualitate ab ipſo intellectu recepta, & participata, conſtituitur in actu primo ad immutandum intellectum poſſibilem, & ad producendum in ipſo intelligibiles ſpecies. Et hoc quidem non ob aliud niſi propter immediatam ſubordinationem, & coniunctionem phantaſiæ ad intellectum agẽtem; ergo cum creatura omnis immediatam habeat, & proximam ſubordinationem ad Deum; quatenus habet eſſe participatum ab ipſo Deo, & res ita ſe habeat ad operari, ſicut ſe habet ad eſſe: commodè intelligi poteſt, quod in ordine ad operationem conſtituatur in actu primo ex immediata coniunctione, & ſubordinatione ad Dei virtutem, abſque qualitate ſuperaddita. Poteſt etiam colligi huius ſententiæ probabilitas ex illa ſatis communi, & multis probata Theologis ſententia, quę affirmat intellectum creatũ abſque alio ſuperaddito habitu, aut qualitate poſſe per ſolũ ſpeciale Dei auxilium, quod non præcedit ipſam intellectus operationem, in actum ſupernaturalẽ prodire. Et idem de voluntate dicunt, quod abſque vllo præuio habitu, aut forma per quam conſtituatur in actu primo ad actualem actionem poteſt ſupernaturaliter operari. Quæ ſanè ſentẽtia nulla alia poteſt ratione defendi, niſi dicamus, quod intellectus per ſubordinationem ad increatam Dei virtutem conſtituitur in actu primo, vt poſſit exire in actualem firmiſſimum fidei aſſenſum. Et voluntas per conſimilem ſubordinationem conſtituitur in actu primo, vt exire poſſit in ſupernaturalis ordinis operationem, v.g. in dilectionem Dei ſuper omnia.

Præterea alia poſſet etiam ratione huius ſententiæ probabilitas defendi, ſi dicamus; quod practicum diuini intellectus imperium, quamuis formaliter ſit actio immanens, eſt tamen virtualitèr, & eminenter tranſiens. Et quia diuina virtus, ita infinitæ eſt actiuitatis, quod eſt etiam ſummæ ſuauitatis, ac proinde valdè accommodabilis creaturis. Hinc eſt, quod ipſa Dei virtus per diuinum imperium applicata creaturæ, conſtituit illam in actu primo ad operandum per modum inſtrumenti operationem ſupernaturalem diuino imperio, diuinæque virtuti proportionatam, abſque vlla creata interueniente virtute. Quod quidem non eſt omnino ad intelligendum impoſſibile. Quoniam cum inſtrumentum non operetur virtute propria, ſed virtute principalis agentis, ſatis fuerit ad hoc, vt inſtrumentum ſit in actu primo conſtitutum, quod habeat hanc immediatam coniunctionẽ ad virtutem cauſæ principalis, etſi nulla alia interueniente virtute inferiori eleuetur, & perficiatur. Vbi illud eſt omnino aduertendum, quod in productione gratiæ, quam Deus efficit in anima mediãte creatura, vt inſtrumento, non duplex interuenit actio, ſed vna ſimpliciter, quæ gratiæ productio eſt, & vocatur. Quæ quidem duplicem rationẽ induit. Nam prout refertur ad Deum, eſt actio principalis, relata autem ad creaturã eſt actio inſtrumẽtalis. Quæ proinde cum vnica ſit, etſi ſimplex actio, non duas virtutes expoſcit, ſed vnam, & eandem virtutem Dei principalis agentis: quæ vt exit à Deo principalem conſtituit actionem, vt autem attingit effectum mediante creatura, & vt creaturæ communicata actionem conſtituit inſtrũmentalem.

Iſta, quæ diximus probabilia ſunt comparatione ad quodcunque inſtrumentum creatum, ſed multo probabiliora ſi ad Chriſti humanitatem accommodentur. Quæ ex ipſa reali coniunctione ad Verbum, eſt quaſi conſtituta in actu primo, ſaltem radicaliter: ita vt abſque aliqua ſuperaddita virtute creata poſſit exire in actum ſecũdum. Vnde corpus Chriſti exangue, & exanime in Cruce pendens, & in ſepultura iacẽs abſque aliquo actuali motu, & abſque vlla ſuperaddita qualitate, potuit efficere ſupernaturalem aliquem effectum, vt inſtrumentum diuinæ virtutis.

In ſumma ego hanc ſententiam amplectendam eſſe duxerim; ea tamen lege, vt præcedentem ſentẽtiam quã ſine dubio docuit S. Th. nullatenus reijciamus: docuit quidem S. Th. hanc ſententiam cum de efficientia Sacramentorum loqueretur verbis expreſſis 3. par. q. 62. art. 1. in toto, ſed præſertim ſolutione ad ſecundum. Et multo expreſſius art. 4. ad 3. & in his locis Caiet. & q. 13. art. 2. eiuſdem omnino eſt opinionis. Et quidem, ni fallor, S. Thomas in ea fuit ſententia, quod regulariter loquendo, Deus nõ aſſumit creaturam quieſcentem, & non operantem, vt inſtrumẽtum ſuæ diuinæ virtutis, ſed in actuali operatione conſtitutam. Et ipſum actualem creaturæ motum, quatenus ex Dei actione, & intẽtione procedit, vocat Sanctus Doctor ſupernaturalem Dei virtutẽ, quam appellat quandoque intentionalem, quandoque ſpiritualẽ. Inſtrumẽtalẽ vocat, quatenus illa mediante, ipſa Dei virtus, ipſumq; efficax diuini intellectus imperium ad effectum peruenit. Ita quod Deus pręmouendo creaturam, practicum, & efficax intellectus imperium ad executionem deducit. Et hac ratione ſine dubio Caiet. dicebat inſtrumentum pręſentare, & deferre ad creaturã diuinũ imperium: neque aliud quicquam dicere voluit, vt ex eius contextu liquet in 3. par. q. 13. art. 2. Intentionalis verò idcirco vocatur illa virtus, quia recipitur in creatura modo quodam imperfecto, non per modum permanentis, ſed per modum fluxus, & tendentiæ ad terminum principalem, ad effectum ſcilicet principalis agentis: ſpiritualis denique idcirco vocatur, quia virtus eſt ſpiritualis agentis, & ad ſpiritualem deſtinatur effectum.

Sed eſt aduertẽdum, quod motus, ſeu mutationis voce indifferenter complectimur actionẽ, & paſſionem. Etenim motus, qui ex parte inſtrumenti pręrequiſitus eſt ad actionem principalis agentis, non eſt neceſſarius formaliter in ratione actionis, & vt eſt inſtrumenti actio: ſed vt ipſo quaſi determinetur, & coarctetur virtus principalis agentis, & non aliter ad effectũ attingat, niſi vt in tali inſtrumento determinata,

Digitized by Google

nata,ſeu,vt dicam proprius,tali inſtrumento accommodata. Et quod iſta fuerit mens S.Th. colligitur ex his,quæ dicit in 2.2.q.178.art.1.ad 1. vbi inquit, quòd Deus vtitur inſtrumētaliter interiori actu hominis, vel eius locutione, vel actu interiori, vel contactu alicuius corporis, etiam mortui.

Ex quibus verbis inferuntur duo, quæ diximus: Alterum, quod ſaltem regulariter Deus non vtatur creatura quieſcente vt inſtrumento virtutis ſuæ, ſed prout poſita eſt in aliquo actuali motu,ſiue ſpirituali,ſiue corporali. Alterum verò eſt,non eſſe neceſſarium,vt talis motus ſit vera inſtrumenti actio,ſed ſatis fuerit mutatio quæcunque in inſtrumento, ſiue actio ſit, ſiue paſſio, vt conſtat ex illis verbis vltimis, vel cōtactu alicuius corporis etiam mortui: qui ſanè contactus ex parte corporis mortui, quod aſſumitur in inſtrumentum diuinæ virtutis, paſſionis tantum rationem habet. Quoniam ergo præcedentem ſententiam veram eſſe crediderim in ſenſu expoſito, videlicet,eam ſeruari regulariter: quamuis non ſit neceſſe,vt in vniuerſum ſeruetur,ſed poſſit Deus,vt inſtrumentum phyſicum aſſumere,& quandoque de facto aſſumat, rem emortuam, & in eſſe quieto conſtitutam. Oportet diſſoluamus argumenta,quæ aduerſus illum dicendi modum obiecimus.

Ad primum igitur argumentum reſpondeo,virtutem illam, quæ in motu inſtrumenti corporei reperitur,nō eſſe rem ab ipſo motu diſtinctā: atque adeo nō poteſt nō eſſe formaliter corporea,ſed eſt nihilominus ſpiritualis virtualiter, eo quod eſt à Deo, vt à principali agente, & mouente, qui eſt ſummè ſpiritualis. Et hoc eſt ſatis, vt poſſit efficere ſpiritualem effectū,nempe gratiam;& attingere ſpirituale ſubiectum,nempe animam. Ad huius rei explicationem multa poſſem afferre exempla, ſed duo mihi apparent præcipua: Alterum habetur in motu cœli, qui, vt docet S.Thom.1.par.q.70.art.3.ad 3. formaliter quidem non eſt vitalis motus, quoniam nō procedit ab intrinſeco principio,coniuncto viuēti. Sunt enim cœli inanimata corpora: at virtualiter vitalis eſt, vitamq; habet in ſua virtute imbibitā: quatenus procedit ab Intelligentia extrinſecus mouente ipſum cœleſtem orbem. Et hac ratione poteſt vitam cauſare in his inferioribus rebus: ita nos proportionabiliter dicimus,creaturæ corporeæ motum formaliter quidē materialem eſſe,& corporeum,virtualiter verò ſpiritualē,& immaterialem: quatenus eſt à Deo mouente, & deſtinante motum illum in ſpiritualem, & immaterialem effectum. Alterum exemplum ex phantaſmatibus poteſt deſumi: phantaſma etenim materiale eſt, & corporeum, ex coniunctione tamen, & ſubordinatione ad intellectum agentem, virtutē habet ſpiritualem, & intelligibilem: ob quam efficere poteſt intelligibiles ſpecies, iuxta ſententiam valde probabilem, poſſibilemque poteſt intellectum immutare.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quod licet motus in ratione entis longè ſit imperfectior re ipſa,quæ mouetur,in ratione tamen ſupernaturalis virtutis,& quatenus procedit à ſuperiori mouente Deo,multo eſt ipſa perfectior. Quemadmodum ſemen ab homine deciſum formaliter in ratione entis imperfectius eſt leone,aut equo: at in eſſe virtuali longe eſt perfectius,quatenus videlicet eſt & ab homine deciſum, & hominis productiuum.

Ad tertium argumentum reſpondetur, ſufficere quemcunque motum,ſiue localis ſit,ſiue alterius rationis, vt bene dictum eſt inter arguendum. Ad replicam ibi factam reſpondetur,quod quamuis intellectus Christi humanus, eo quod beatificatus eſt: ad cognoſcendū hæc inferiora,ſiue practica, ſiue ſpeculatiua cognitione,non egeat conuerti ad phantaſmata; poteſt tamen ſeipſum conuertere pro ipſa operantis libertate, vt docet S.Tho.3.par.q.11.art.2. ad 3. Vnde credibile eſt, quod cum Christi humanitas in cœlo exiſtens inſtrumentaliter concurrit ad noſtram iuſtificationem, & gratiam efficiendam, intellectus Christi ſeipſum ad phantaſma cōuertit. Vnde Deus ſimul, & actu intellectus Christi, & eius ſingulari phantaſmate,ſeu actione phantaſiæ vtitur quaſi vnico inſtrumento ad noſtram iuſtificationem efficiendam, vt Christi humanitas ſecundum animam, & corpus verum ſit, & totale noſtræ iuſtificationis inſtrumentum.

Hæc diximus probabiliter,& cōiecturaliter, nam modus quo tota Christi humanitas noſtram ſanctitatem, & gratiam phyſicè operatur nunc in cœlo exiſtens, ſoli Deo, ipſiq; Christo poteſt eſſe perſpectus. Nobis quidem conſtat, etſi non fidei, aut euidentiæ certitudine, valde tamen probabili, & in ſcripturis ſacris bene fundata ratione, Christi humanitatem, & ſecundum animam,& ſecundum carnem,verum, realem,& phyſicum influxum habere ſpiritualis vitę in ipſa corporis Christi membra. Quo autem modo id fiat,nequit nobis exacta ratione conſtare: quocirca ſuffecerit probabili coniectura procedere.

Ad confirmationem primò dicitur,poſſe nos proportionabiliter dicere de Christo in Sacramēto Euchariſtiæ exiſtente,ad eum modum,quo diximus ipſum exiſtētem in cœlo,noſtram ſanctitatem,& iuſtitiam operari,per operationem videlicet,vtrique parti,& ſuperiori,& inferiori cōmunem; Christus enim prout in Euchariſtia exiſtit, non ſolam intellectualem exercere poteſt actionem: verum etiam ſenſibilem, & materialem, à ſenſitiuis inferioribus potentijs elicitam.

Secundo reſpondetur, quod vnio ſacramentalis Christi corporis ad viſibiles ſpecies tanta eſt, tamq; intimo, etſi ineffabili modo facta, vt motio, quæ in ipſis ſpeciebus contingit,non extranea,& aliena cenſeri debeat ab ipſo Christi corpore. Quod eruditè Caiet. adnotauit 3.q.76.art.6. Vnde ipſa ſpecierum motio,quæ in ſumptione Euchariſtiæ reperitur, ſufficiens erit ad verificandum carnem Christi actualē virtutem à Deo ſuſcipere, qua phyſica efficiētia gratiam, & ſpiritualem vitam, in animam ſuſcipientis efficiet.

Tertio denique reſpondetur. Satis probabiliter dici poſſe conſentaneè ad ſententiam paulo ſuperius explicatam, atque ibidem à nobis approbatam, carnem Christi abſque vllo interueniente eius motu, poſſe aſſumi, & aſſumi de facto per modum inſtrumenti phyſici,vt vitam ſpiritualem in anima hoc Sacramentum ſuſcipientis efficiat.

Ad quartum argumentum negatur ſequela. Probationi dicitur,quod illa diuina virtus, quæ in motu humanitatis Christi à nobis cum S.Th. conſtituitur, nō competit ipſi motui abſolutè, prout quidam mo-

tus eſt, ſed prout eſt motus talis ſubiecti, nimirum Chriſti humanitatis: atque adeo illa inſtrumentalis virtus non tam ad ipſum motum, quam ad eius ſubiectũ eſt referẽda, etſi formaliter in motu reperiatur.

Ad illud vero, quod dicitur, de motu, & actione tranſeunte in paſſo ſuſcepta, reſpondetur, quod motus ille in quo virtutem inſtrumentalem gratiæ productiuam conſtituimus, non tam debet conſiderari, vt actio humanitatis Chriſti, quam vt motio à Deo in ipſa humanitate ſuſcepta. Vbi obſeruandum eſt, quod hæc motio de qua loquimur, nõ eſt ipſa actualis gratiæ productio: etenim productio gratiæ, actio ſpiritualis eſt, quæ cum gratia ipſa identificatur, & in anima quæ ſubiectum eſt gratiæ ſuſcipitur. Et eſt illa operatio, quam nos vocamus inſtrumentalem actionem ex principali agente inſtrumento communicatam: eſtque ipſe actus ſecundus, & vltimus inſtrumẽtariæ cauſæ. Nos vero in præſentia de illa inſtrumenti motione tantum loquimur, quæ naturæ ordine præuia eſt, ad ipſam actualem gratiæ productionem, & per quam inſtrumentum in actu primo conſtituitur, in ratione formali inſtrumenti. Quoniam verò inſtrumentum non à ſemetipſo conſtituitur in actu primo, ſed à principali agente, idcirco motio hæc, de qua fit ſermo, non eſt conſideranda, vt actio humanitatis Chriſti, ſed potius vt motio quædã à Deo in ipſa humanitate ſuſcepta. Et quamuis contingat, quod ſit realiter actio humanitatis extrinſeci ſubiecti immutatiua, non tamen ea ratione qua actio eſt, ei competit ſpiritualis inſtrumentaria virtus, ſed tãtum prout eſt motio, qua Deus ipſam humanitatem mouet, & immutat. Et quidem licet tranſiens actio in extrinſecum recipiatur ſubiectum, ſemper tamen interuenit cõtactus aliquis corporeus, qui in agente ſuſcipitur, nam omne agens in agendo repatitur: cuius ratione Chriſti humanitati ineſſe poteſt inſtrumentalis virtus. Miſſum facio longè probabiliorem eſſe ſententiam Alber. Mag. Caiet. & aliorum non paucorum Philoſophorũ, qui cenſent in omni actione ſiue immanente, ſiue tranſeunte, aliquid recipi in ipſo agente, quo formaliter denominatur agens: & quo perficitur intrinſecè, & ex his ſupereſt ſolutum argumentum quartum.

Sed reſpondetur ſecundo, quod licet actio tranſiens nullo modo ſit in agente, neque realis aliqua immutatio ex contactu corporeo in ipſum agens reſultet, ipſa tamen motio in paſſo ſuſcepta vim habet inſtrumentariam ad efficiendum ſupernaturalẽ effectum; non vt ſuſcipitur in paſſo, ſed vt ab agente procedit: & non vtcunque conſiderato: ſed quatenus præapplicatur, & præmouetur à Deo ad talem actionem. Vnde tandem tota virtus inſtrumentaria radicatur in ipſa paſſiua inſtrumenti applicatione à Deo principali agente facta, & ratione illius conſtituitur in actu primo reſpectu inſtrumentariæ actionis: quę eſt ipſa actualis productio effectus, quẽ actio, & virtus principalis agentis intẽdit. Itaque cum Chriſtus cœci oculos luto à ſe facto liniuit, ipſa actualis linitio in oculis cœci ſuſcepta, virtus fuit inſtrumentaria, ad miraculoſum viſum conferendum. Hæc tamen inſtrumentaria virtus dimanauit ab applicatione, qua Chriſti humanitas fuit à Deo mota, & præapplicata ad linitionem iſtam actualem faciendam.

Confirmationi reſpondetur, quod ſacramentalis virtus non tam miniſtris, quam ipſis Sacramẽtis fuit à Chriſto conceſſa, & virtus quæ ad miniſtros pertinet, tota eſt ad ſacramentales actiones reducenda, vt ſuo loco explicandum erit. At in præſentia contra res ſe habet: non enim hæc ſpiritualis virtus humanis Chriſti actionibus principaliter eſt conceſſa, ſed ipſimet humanitati, & ab ipſa ad eius operationes refundebatur.

Ad quintum argumentum reſpondeo, quod ſi cadauerico Chriſti corpori aliquod miraculoſum opus vt diuino inſtrumẽto tribuimus, neceſſum eſt ſequamur ſententiam probabilem, quæ affirmat, non eſſe neceſſarium aliquem motum ipſius inſtrumẽti præuium ad actionẽ ex principali agente ipſi inſtrumento communicatam. Neque enim oportet fingere aliquem motum, aut mutationem miraculosè in Chriſti corpore factam, per quam conſtituatur in actu primo ad inſtrumentaliter operandum diuinos, & miraculoſos effectus. Probabilitatem huius ſententiæ, quæ docet, Chriſti humanitatem non egere aliquo motu, vt in actu primo conſtituatur ad miraculoſa, & ſupernaturalia operandum, colligat lector ex dicendis circa ſolutionem ſexti principalis argumenti huius dubij.

Ad ſextum argumentum reſpondetur primò, falſum eſſe, quod authores cõtrariæ ſententiæ affirmãt de inſtrumentis artificioſis: quod ſcilicet nõ attingũt effectum principalis agentis. Et certè ſi ratio, qua id probant cuiuſpiam eſſet momenti, probarẽt etiam, quod neque ipſe artifex per artem ſuam ipſum artificioſum effectum contingeret. Sed de hac re non eſt locus in præſentia diſputandi. Vnde ſecundo dico, quod licet ex artificioſis inſtrumentis nõ ſumeretur ſufficiens exemplum ad noſtram explicandam ſententiam: alia tamen nobis exempla ſuppetunt, quæ rem iſtam ſufficientiſſimè elucidant. Quale eſt illud exemplum de motu cœli ſuperius commemoratum. Et iſta ſufficiant ad huius rei explicationem: nam inter ſoluenda argumenta à principio huius dubij poſita, dicemus alia, quæ viſa fuerint ad huius doctrinę amplificationem neceſſaria.

§.9. Soluuntur argumenta propoſita in initio dubitationis.

AD primum igitur argumentum, quod grauiſſimis Patrum teſtimonijs innitebatur, reſpondetur, Patres illis locis minimè negaſſe, Chriſti humanitatem concurrere ad eas actiones, quę ſunt propriæ diuinitatis, nimirum ad miracula, & ad gratiæ, ſanctitatiſq; productionem: ſed diſtinguebãt in ipſis operationibus rationes diuerſas, quę ex diuerſis principijs effectiuis principalibus deſumebantur. Itaque in miraculoſo opere, quo Chriſtus homini à natiuitate cœco viſum dedit, eius tangẽs, & liniens oculos, reperiebatur contactus ille viſibilis, ipſaq; oculorum linitio à Chriſto facta: fuit etiam ibi ipſa miraculoſa viſus reparatio. Et ad vtrũque concurrebant Chriſti humanitas, & Verbi diuinitas: nihil enim operabatur humanitas, quod ſimul nõ operaretur Verbum, vt eius ſuppoſitum: nihilque Verbum in illo opere effecit, ad quod eius humanitas non concurreret.

Sed aliter tamen, & aliter iſta ſe habuerũt. Etenim contactus ille ſenſibilis ex humanitate refundebatur

ad

ad Verbum. Volo dicere, quod formale principium, & proprium illius contactus, externæque oculorum linitionis, ipſa fuit Chriſti humanitas: cū ipſa tamen Verbum concurrebat per modum ſuppoſiti eius; nō aliter, atque ſi eſſet proprium, & connaturale ipſius humanitatis ſuppoſitum: ſupplet enim exactiſſimè diuinum Verbum rationē humani ſuppoſiti. E contra verò de ipſa miraculoſa viſus reparatione cenſendum eſt: non enim humanitas fuit formale eius principium, & proprium, ſed ipſa potius Verbi diuinitas tribus diuinis perſonis communis. Quæ tamen non immediatè illum attigit effectum, ſed mediante ipſa Chriſti humanitate, quam aſſumpſit vt inſtrumentum applicatiuum, & delatiuum virtutis diuinæ, diuinique, & efficacis imperij ad ipſum miraculoſum opus patrandum. Ita ſanè, quod ſi diuina virtus ſe haberet, vt virtus naturalium cauſarum, quæ poſſet nō immediatè, ſumma, & omnimoda immediatione proprium effectum contingere, abſolutè fateri teneremur, quod inſtrumentalis actio humanitatis Chriſti, immediatius illum contingebat effectū, quā ipſamet Dei operatio. Et de facto concedere tenemur ipſam Dei virtutem nō aliter attigiſſe effectum illum, quàm prius ordine naturæ, ſeu rationis modificatā, vel quaſi modificatā in ipſa Chriſti humanitate, vt in proximo miraculoſæ actionis inſtrumento. Et iſtum concurſum humanitatis Chriſti inſtrumentarium appellauit Caiet. delationem, & intimationem imperij diuini.

In quo non ſatis bene à quibuſdam intelligitur, inter quos debet annumerari And. Veg. lib. 7. in Cōc. Trid. c. 12. Arbitrantur enim Caiet. loqui de illa inſtrumenti motione, quæ præuia eſt ad actionē principalis agentis, cum dixit inſtrumentū deferre, & intimare creaturæ efficax Dei imperium. Quod quidem neque ſomniauit Caiet. quoniam motio hæc præuia inſtrumenti ad actum primum pertinet, & non actū inſtrumenti ſecundum. Conſtat enim ex dictis, quod per illam actionem, vt eſt à Deo, conſtituitur inſtrumentū in actu primo ad operandū inſtrumentaliter. Vnde motio illa, cum præſupponatur naturę ordine ad propriam inſtrumenti actionem, minimè vocari potuit à Caiet. diuini imperij delatio, & applicatio.

Sed iam reuertamur ad explicandum ſanctorum Patrum teſtimonia: in quibus nihil aliud aſſeritur, quàm quod operatio miraculoſa, quæ naturales humanitatis Chriſti vires ſuperabat, nō ad ipſam humanitatem, vt ad formale principium effectiuum erat reducenda, ſed ad Verbi potius diuinitatem. Non tamen negauerunt Patres, quin affirmarunt quā ſępius Chriſti humanitatem ad eaſdem miraculoſas operationes cōcurrere. Vnde licet Damaſc. loco in primo argumento citato, duas videatur actiones inter ſeſe diſtinctas in miraculoſis operibus à Chriſto patratis conſtituere: ita quod exterior contactus ad humanitatem eſſet referēdus, miraculoſa verò actio ad diuinitatem pertineret. In libro tamen 3. de fid. cap. 15. poſtquam dixit humanitatem Chriſti organū fuiſſe, & diuinitatis inſtrumentum ad miraculoſa opera, mox ſubiunxit, aliter paſſiones humanitatis tribui Chriſto Deo, & aliter opera diuinitatis Chriſto homini. Nam primum quidem fit propter ſolam communicationem idiomatum, & nō quia paſſiones illæ tranſirent vſque ad diuinitatem. Secundū verò non ſolum eſt propter communicationem idiomatū, ſed quia illa opera per ipſam humanitatē perfecta ſunt: neque vero in ſequentibus eiuſdem lib. capitibus ab hoc ſenſu receſſit Damaſc. cum cap. 18. & 19. multa de his miraculoſis dixit actionibus: quas Theandricas, ideſt Dei viriles appellat. Etſi quandoque verbis tantiſper diſſimilibus vſus ſint. Et hæc eadem intelligentia aliorum Patrum dictis eſt accommodanda, & quidem verè, & abſque violentia vlla eorum, vel menti, vel verbis illata, quod manifeſtè cōſtat ex his, quę Sophron. in citata epiſt. dixit, dum omnes Chriſti operationes ad triplex caput, ſeu genus reduxit, quæ doctrina habetur in verbis pro concluſione quarta citatis.

Sed & illud præterea obſeruandum eſſe cenſeo. Idcirco Patres quādoque diſtinxiſſe has Chriſti operationes, & conſideraſſe duntaxat principia formalia earum effectiua ex quibus harum actionum ſpecifica ratio deſumitur: vt non ſolum re, ſed & verbis diſcederent ab hæretica ſententia Euthichetis, & aliorum hæreticorum confundentium in Chriſto naturas diuinam, & humanam, atque earum ſimiliter operationes, & in hoc ſenſu debet intelligi definitio Concil. Lateranen. in primo argumento citata. Nimirū, non negaſſe operationes Chriſti miraculoſas inſtrumentaliter ab humanitate effici, ſed quod ſola diuinitas erat formale principium illarum operationum effectiuum, quæ humanitate vt inſtrumento vtebatur. Et ſimiliter non negauit Concil. operationes purè humanas, vt ieiunare, orare, &c. non eſſe à Verbo concurrente cum humanitate, vt verum eius ſuppoſitum. Sed negauit, quod diuinitas concurreret ad eas, vt formale principium earum effectiuum. Et ſic ſenſus erat ſufficientiſſimus ad ſaluandam realem duarum naturarum diſtinctionem in Chriſto: & ad confuſionem earum euitandum. Quod intendebant illius ſacri Concilij Patres.

Ad ſecundum argumentum. Multa à nobis eſſent dicenda, niſi circa cōcluſionem quartam dixiſſemus non pauca, quæ neceſſaria fuerunt ad explicandum, quænam ſit illa ſupernaturalis virtus, quā in inſtrumento Dei effectiuo graues conſtituunt Theologi. Nunc vero illud tantum à nobis exponendū ſupereſt quod ad S. Th. doctrinam attinet, qui non ſolum locis in ſecundo argumento citatis, ſed etiam 3. par. q. 62. art. 1. ad 2. Expoſcit in inſtrumento actionem quandam quæ præuia eſt, & antecedens ad ipſam inſtrumentalem actionem, quæ ei competit ex virtute principalis agentis. Et quidem ſi modus ille noſter dicendi, quem vltimo loco ſequuti ſumus circa concluſionem quartam, certus eſſet, & firmus, nullam in hac re difficultatem pateremur; neque quid aliud ad doctrinam S. Thomę exponendā, & illuſtrandam, addendum ſupereſſet, quàm quod nomine actionis S. Th. intelligit quamcunque inſtrumenti motionē, ſiue actio ſit, ſiue paſſio, ſiue quicquid aliud, in quo ipſa principalis agentis virtus modificari, ſiue quaſi modificari poſsit, & determinari. Veruntamen ſi verus eſt alius dicendi modus, quem ibidē expoſuimus, & quem verè probabilem, etſi non omnino facilem ad intelligendum eſſe diximus; difficilior redditur ad explicandum, & intelligendum prædicta S. Th. doctrina. Vnde nonnulli ex nouioribus Theologis illam S. Th. ſententiam reijciunt, exiſtimantes creaturam

turam poſſe aſſumi vt diuinę virtutis inſtrumentum ad creandum: quia impertinẽtem eſſe iudicant, pręſupponi aliquid ex parte inſtrumenti ad ipſam inſtrumentariam actionem.

Cæterum quicquid ſit de creatione, extra chorum enim ſaltaremus, ſi in iſto loco hanc de creatione intermiſceremus diſputationem: quod attinet ad illã S.Th. doctrinam, ego ita opinor dicendum. Quod S.Th. nomine actionis præuiæ ex parte inſtrumenti prærequiſitæ non ita ſtrictè loquitur, vt neceſſariò debeat præcedere ipſius inſtrumẽti motio: quamuis regulariter ita contingat, & ob id S.Tho. eam vocat actionem, & motionem. Sed ſatis fuerit, quod ex parte inſtrumenti præſupponatur habitudo aliqua ad ſubiectũ in quo, vel ex quo producendus eſt effectus, quem intendit principale agens: cui ſubiecto inſtrumentum præſentet, & deferat virtutem principalis agentis, ipſumq; efficax Dei imperiũ, vt Caiet. dixit, & nos iam explicuimus. Etenim niſi huiuſmodi habitudo præſupponatur ex parte inſtrumenti ad ſubiectum operationis, & effectus producendi, productio effectus tantum erit actio principalis agentis, & nullatenus erit operatio ipſius inſtrumenti creati; eo quod creatura ex propria ſui ratione habet modum determinatum, & contractum operandi circa ſubiectum, ad quod proportionem aliquã habeat, ſaltem in ratione entis. Neque vllus Theologorum, & Philoſophorum negare poteſt hanc determinationem propriam eſſe, & connaturalem creaturæ. Sed dicũt nonnulli hanc determinationem, & contractionem locum habere in his operationibus, quæ fiũt virtute creata, & ipſius creaturæ propria: ſecus autem in illis quę diuina, & increata virtute efficiuntur: nam per hanc virtutem eleuatur creatura ſuper totum operandi modum creaturarum: & induit modum operationis diuinæ, quæ ab omni abſtrahit materia, & ſupra omne ſubiectum eleuatur.

Sed contra iſtã doctrinam, & pro ſententia S.Th. primum oppono illud vulgatum Philoſophorum proloquium: omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: ex quo infero, quod diuina virtus communicata creaturæ vt inſtrumento phyſico, & quaſi in ipſa creatura recepta, debet recipi ad modũ ipſius creaturæ .i. oportet quod aliquo modo ei proportionetur, & accommodetur: atque adeo impoſſibile eſt, quòd diuina virtus tam eleuet creaturam ad modum operandi diuinum, vt totaliter eius actionẽ extrahat ab omni materia, & ſubiecto, cum quo ipſa creatura ex propria forma aliquam habeat proportionem, ſaltem ſecundum communem rationem entis creati, & participati à Deo.

Secundo pro eadem S.Th. doctrina ſic argumentor. Si diuina virtus nullatenus accommodatur creaturæ, & ad naturalem modum eius operandi, ſequitur quod ipſa ſola diuina virtus immediatè, & ſeipſa producit effectum, & non prout recepta in creatura, & ei communicata. Conſequens autem falſiſſimum erit, ſi velimus tueri creaturam concurrere, vt phyſicum Dei inſtrumentum ad eundem effectum: ergo, &c. Minor eſt manifeſta, quoniam creatura non aliter poteſt concurrere, vt inſtrumentum Dei phyſicum, quam operando per virtutem Dei, vt ſibi accõmodatam, & quaſi participatam in ipſamet creatura. Sequela vero probatur. Impoſſibile eſt, quod diuina virtus recipiatur in creatura, aut ei accommodetur, quin in ordine ad effectum producendum aliquam ſubeat determinationem, & cõtractionem ex ipſa creatura, cui accommodatur, deſumptam. Nam alias in quo accommodatur creaturæ? Inexplicabilis certè erit illa accommodatio. Et hoc eſt, quod dicebat S.Th. 1. par. q. 45. ar. 5. quod ſi creatura nihil ibi ageret ſecundum illud quod eſt ſibi proprium, fruſtra adhiberetur ad agendum, ideſt, nihil ibi ageret, ſed ſolus Deus immediatè operaretur effectum abſque vllo inſtrumento. Niſi ego fallor, iſta ratio in doctrina S.Th. fundata, eſt manifeſta pro eius ſententia demonſtratio, vnde qui contrarium dicunt, non plenè callent inſtrumenti rationem: & quæcunque, & quantacunque verba multiplicent, non valebunt explicare quo pacto, ſublata prædicta determinatione, creatura verè exequatur officium inſtrumenti phyſici.

Ex his, quæ diximus ſequitur, certiſſimam eſſe, & penè demonſtratam illam S.Th. ſententiam, quæ docet creaturam non poſſe inſtrumentum eſſe Dei phyſicum ad creandum.

Sed creatione prætermiſſa, ad miraculoſam operationem redeamus, in qua ex parte creaturæ regulariter præcedit aliqua actio, ſeu motio, cui accommodetur diuina virtus, vt mediante creatura, vt inſtrumento phyſico, effectum attingat miraculoſum. Quod ſi quando huiuſmodi operatio præuia nõ fuerit, neceſſum ſaltem eſt, quod ex parte inſtrumenti præcedat habitudo aliqua determinata, & propria creaturæ ad ſubiectum operationis, & effectus producendi. Et hanc proportionem ad ſubiectum operationis inſtrumentarię S.Th. comprehendit nomine actionis præuiæ, & prærequiſitæ ex parte inſtrumenti, & diſpoſitiuè concurrentis ad effectum principalis agentis. Dicitur enim hæc proportio diſpoſitiuè ſe habere, quatenus ex ipſa ſumitur determinatio virtutis diuinæ, & eius accommodatio ad effectum per tale inſtrumentum efficiendum: lata enim aſſertione S.Th. ibi de diſpoſitione loquebatur: ita vt totum id, quod per modum cauſæ materialis determinat, & modificat, diſpoſitio cenſeatur. Et quod iſta fuerit S.Th. mens inde conſtat, quod vt oſtendũt verba paulo ante ex 1. par. citata S.Th. nihil intendebat aliud, quam quod ex parte inſtrumẽti aliquid præſupponatur, cuius ratione poſſimus ſaluare in ipſa creatura veram inſtrumenti phyſici rationem, & eſſentiam. Poterat hoc loco nobis quiſpiam obijcere, Chriſti humanitatem non poſſe inſtrumentaliter gratiæ productionem attingere per phyſicam efficientiam, eo quod gratia verè creatur in anima: ſed exacta huius difficultatis explicatio ad alium locum ſpectat. Nunc ſatis fuerit dicere, quod ſiue gratia creetur, ſiue non, eo tamen quod accidens eſt per ſe pendet in ſui productione à ſubiecto, nempè ab anima, & hac ratione creatura poteſt inſtrumentaliter eius productionem attingere.

Ad tertium argumentum reſpondetur, quod, vt ſuperius in hac quęſtione diximus, contactus pręuius ſiue phyſicus, ſiue virtualis non eſt eſſentialiter neceſſarius ad operationem: ſed tãtum habet modum conditionis requiſitæ, qui proinde non eſt neceſſum interueniat in operatione inſtrumenti phyſici, quod diuina virtute ad operandum ſuper omnes naturæ

vires

Digitized by Google

vires eleuatur. Præterea, cũ ipſa diuina virtus ſecundum ſeipſam intimè adſit cunctis creatis rebus, non omnino impropriè dici poſſit, quod ad operationem huiuſmodi inſtrumenti phyſici, præſupponitur contactus virtualis eiuſdem inſtrumenti citra ſubiectum operationis. Quoniam inſtrumentũ huiuſmodi non alia operatur virtute, quam ipſamet virtute diuina. Fateor, quod iſte contactus virtualis præcedens, non ſe tenet formaliter ex parte inſtrumenti, eo quod diuina virtus prout accommodata, & quaſi modificata in ipſo inſtrumento, nõ attingit ſubiectũ niſi in actuali effectus productione: atque adeo vt ſic accommodata non præattingit ſubiectũ: & ex conſequenti neque in rigore poteſt dici, quod virtualiter inſtrumenti contactus præſupponitur, ad inſtrumentariam actionem.

Pro ſolutione quarti argumenti ſit ſecunda difficultas appendix.

Vtrum Chriſti paſſio, ac eius reſurrectio operentur noſtram ſalutem per modum inſtrumenti phyſici.

IN quarto argumẽto ea nobis ſe offert breuiter explicanda difficultas, quam verſant Medina 3. par. q. 58. art. 6. & Andreas à Vega lib. 7. cit. à cap. 15. Num Chriſti paſſio, eiuſque reſurrectio noſtrã per modum inſtrumenti phyſici operẽtur ſalutem. Qua in re diuerſa ſunt Theologorum placita, etiam eorũ qui Chriſti humanitatẽ phyſicum inſtrumẽtum gratiæ, & ſanctitatis productiuum cum Doctore Sancto cenſuerunt, quidã enim abſolutè negant, Chriſti paſſionem in animarũ iuſtificatione phyſicam aliquam efficientiam habere: ſed hanc efficientiã ſolis tribuũt Sacramẽtis, quibus ipſa paſſionis virtus nobis applicatur. Huic ſententiæ quidam graues ſubſcripſere Theologi, qui ea potiſſimum ratione ducuntur, quã in argumento quarto inſinuauimus, videlicet, quod Chriſti paſſio, & reſurrectio, cum non exiſtant, nequeunt quidpiã efficere propria, & phyſica efficiẽtia: ita docent Bonauent. in 3. diſt. 19. q. 1. & Andr. à Vega loco citato. Sed ex Thomiſtis multi conantur cõtrariam ſententiã defendere, quam inter omnes expreſſius docet Mag. Medina 3. par. q. 58. art. 6. cui fauet quamplurimum S. Th. docens in illo articulo, quod Chriſti paſſio operata eſt noſtram ſalutem per modum efficientiæ.

Ad argumentum autem, quod pro contraria ſententia inſinuauimus, reſpondet grauiſſimus iſte author, quod quando agens principale per ſeipſum coniunctum eſt paſſo contactu phyſico, nõ eſt opus, quod inſtrumentum illius per ſemetipſum idem cõtingat paſſum ſimili contactu phyſico, affert exemplum in anima ſenſitiua bruti, quæ per actum æſtimatiuæ potentiæ in ſolo capite ſubiectiuè exiſtentis, mouet reliqua corporis membra. Quod idcirco contingit, quia anima quæ eſt principale mouens, intimè aſſiſtit ipſius omnibus corporis membris. Cæterũ hæc ſolutio, & expoſitio diſplicet multis, hiſq; grauiſſimis Theologis, & vt puto, non irrationabiliter.

Et primo, exemplum adductum apparet impertinens, quoniam etſi actus æſtimatiuæ non immediatè contingat vniuerſa animantis membra, quæ eius virtute mouentur, exiſtit tamen in rerum natura, imo & in ipſo animali, & in præcipua eius corporis parte: verum paſſio Chriſti nuſquam exiſtit, ſed tranſijt totaliter, & idipſum de Chriſti reſurrectione dicendum: at tota huius rei difficultas non in contactu conſiſtit, ſed in defectu exiſtentiæ: non ergo exemplum iſtud huic propoſito quadrat. Item actus æſtimatiuæ, etſi non formaliter attingat omnia animantis membra, attingit tamen virtuali contactu, ſicut & ipſamet potẽtia æſtimatiua, & ipſum caput, in quo reſidet; & ſicut cor in determinata corporis parte exiſtens, phyſico contactu actuali contingit reliquas totius ſuppoſiti partes.

Præterea inintelligibile prorſus eſt, quod inſtrumentum aliquod phyſica efficientia producat effectum, quem neque propria virtute, neque virtute ab agente principali participata contingit: quoniam quod aliqua cauſa, ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis, aliquem efficiat effectum, & non ipſum attingat, neſcio qua ratione valeat intelligi: ipſa nãque productio, & actualis efficiẽtia eſt verus, & realis cõtactus. Neque hic agitur de contactu præuio, ſed de ipſo etiã qui actionem comitatur: qui rei non exiſtenti, minimè valet competere. Siquidem pro libito confingimus inſtrumentalem efficientiam phyſicam, faciliimum erit omnia inſtrumenta, quæcunque ſint, phyſica appellare. Attamen ſi ratione agendum eſt, non licet cuique dicere, quod aliquod inſtrumẽtum producit efficientia phyſica effectum aliquem, quem neque formaliter, neque virtualiter contingit. Hac ergo explicatione prætermiſſa, alij dicunt, quod paſſio Chriſti, & ſimiliter reſurrectio contingunt animam mediante actu fidei, vel Sacramentorum ſuſceptione, eo quod manent virtualiter in Sacramentis, & in fidei confeſſione: atque adeo paſsio Chriſti per fidem, & Sacramenta virtualiter poteſt animam attingere. Habet hæc ſolutio aliquale fundamentum in doctrina S. Th. 3. par. q. 59. art. 1. ad 4. & 5.

Sed hæc ſolutio apparet difficilis, & arguitur contra illam primò: Quamuis admittamus, quod paſsio Chriſti apprehenſa per fidem, effectiuè cauſat gratiam, non inde poteſt colligi, quod ipſa paſsio Chriſti ſimpliciter ſit inſtrumentum phyſicum gratiæ: etenim paſsio Chriſti, vt apprehenſa, non habet verum eſſe reale, ſed eſſe rationis: ergo quamuis apprehenſio fidei effectiuè ad gratiam concurrat, quod gratis conceditur huic ſententiæ, non ſubinde ſimpliciter eſt concedendum, ipſam Chriſti paſsionem eſſe ctiuè aliquid cauſare.

Secundò arguitur: Etſi Chriſti paſsio permanſerit quidem virtualiter in eſſe moris in fide, & Sacramẽtis, quatenus videlicet meritoria fuit, & ſatisfactoria, exuberantiſsimumque noſtræ redemptionis pretium: applicantur enim nobis per Sacramenta merita, & ſatisfactiones Chriſti: at nullatenus fingi poteſt modus, quo paſsio Chriſti ſecundum eſſe phyſicum virtualiter in fide, & in Sacramẽtis perſeueret. Ergo ex virtuali permanentia paſsionis Chriſti in Sacramentis, non licet inferre phyſicam eius efficientiam in noſtra iuſtificatione, & ſanctificatione per gratiam: ſed moralis duntaxat cauſalitas inferri poteſt, quam admittimus omnes, & quidem ſecundum fidem tenemur admittere.

Digitized by Google

Eſt tertia aliorum Theologorum ſolntio, quæ ea ratione contendit Chriſti paſſionem, atque itidem reſurrectionem eius phyſica efficientia ad noſtram iuſtificationem concurrere: quatenus aliquando extiterunt in rerum natura. Itaque dicit iſta ſolutio, quod res illa quæ nec exiſtit modo, neque vnquam extitit, non poteſt phyſica efficientia quidpiam efficere: poteſt tamen ſi extiuit aliquando, ſaltem per abſolutam Dei potentiam. Nulla enim eſt repugnãtia, quod rem, quæ extitit aliquando, Deus aſſumat vt inſtrumentum phyſicum effectiuum ad aliquem effectum cauſandum.

Hæc etiam ſolutio nulla veriſimili fulcitur ratione. Nam quid refert rem olim extitiſſe, ſi modo neque in ſe, neque in virtute à ſe relicta realem, & phyſicam exiſtentiam haber: certè res huiuſmodi ita ſe habet, ac ſi nunquã extitiſſet. Niſi velis dicere, quod Deus reproducit rem illam ſub eadem exiſtentia, quam prius habuit. Quod in præſentia nullus Theologorum, qui non deſipiat, dicere audebit.

Denique illi Theologi, qui dixerunt Chriſtũ phyſica efficientia priuſquam veniret in mundum gratiam antiquorum Patrum cauſaſſe, dicere tenentur per locum à fortiori, quod paſſio Chriſti præcedens ſimili efficientia noſtram cauſat iuſtitiam, & gratiã. Sed hæc eorum ſententia eiſdem omnino cõfutatur argumentis. Nam quod actus ſecundus, cuiuſmodi eſt phyſicè cauſare, & efficere, actum omnium primum, & potiſſimum, puta, exiſtentiam non præſupponat, eſt prorſus inintelligibile, & dictu abſurdiſſimum. Item quod cauſa efficiens, etiam inſtrumentalis non prius, vel temporis, vel naturæ ordine conſtituta ſit in actu primo, quam ad ſecundum actum reducatur, intellectus vix apprehendere, nedum credere valet; at quod res aliqua ſit in actu primo ad operandum conſtituta abſque formali, ſeu virtuali exiſtentia, ſtultum eſſet affirmare. Quoniam exiſtẽtia ſecluſa, omnia ſunt purè potentialia, neque actus ſecundns, neque actus primus intelligi poteſt, ſed pura potentia, imo purum nihil.

Proponitur ſententia S. Th. videlicet paſſionem, & reſurrectionem Chriſti eſſe effectrices cauſas noſtræ ſalutis.

VEra ergo ſolutio, & intelligentia huius doctrinæ S. Th. quæ paſſionem, & reſurrectionem Chriſti dicit eſſet cauſas effectiuas noſtræ iuſtificationis, & ſalutis ſecũdum phyſicam efficientiam, eſt illa quã aſſignauit Caiet. 3. p. q. 56. ar. 1. ſolut. ad 3. quæ ſine dubio magnũ habet fundamẽtum in illa S. Th. ſolutione. Inquit ergo Caietanus [Quod humanitas Chriſti, quæ eſt organũ coniunctũ perſonaliter Verbo Dei, eſt velut vniuerſale inſtrumentũ Dei ad miracula facienda: determinatur autẽ ad eſſe inſtrumẽtum ad hoc, vel illud opus miraculnſum per aliquã ipſius conditionem: ita quod ex hoc, quod paſſa eſt, intelligimus communicatam ſibi, per quandã appropriationem, virtutem remiſsiuam peccatorum, & ex hoc, quod reſurrexit, communicata ſimiliter eſt ſibi virtus reſuſcitatiua mortuorum, & ſic de alijs ſimilibus inſtrumentalibus actionibus, quæ humanitati Chriſti tribuuntur inſtrumentaliter, Deo autẽ principaliter: ſic enim reſurrectio Chriſti dicitur cauſa noſtrę reſurrectionis, quoniam per ipſam Chriſtus vt homo inſtrumentum efficax conſtitutns eſt ad reſuſcitandum homines in vitam æternam. Hæc Caiet.] In quibns poſſet aliquem offendere id, quod Caiet. dicit, Chriſti humanitati per paſſionem fuiſſe cõmnnicatam virtutem peccatnrum remiſsiuam, & per reſurrectionem fuiſſe conſtitutam in ratione efficacis inſtrumenti ad homines reſuſcitandos. Arguiturq; cõtra iſtam doctrinam, vt veritas argumento exagitata, eluceſcat magis. Chriſti paſsio ſuam omnẽ virtutẽ à Chriſti humanitate accepit: inde enim habuit virtutem iuſtificatiuam, & remiſsiuam peccatorum, quia fuit paſsio humanitatis perſonaliter Verbo cõiunctę: ergo falsò aſſeritur à Caiet. quod humanitati Chriſti, eo quod paſſa eſt, fuit cõmunicata virtus remittendi peccata: & idem omnino argumentũ fieri poteſt de reſurrectione. Sed breuiter reſpondetur pro doctrina Caietani, quæ veriſsima eſt, & dico, Caietanũ ſatis mentẽ ſuam explicuiſſe, cum à principio ſolutionis prçſuppoſuit, humanitatẽ Chriſti vniuerſale eſſe inſtrumẽtum Dei ad omnia miraculoſa, & ſupernaturalia opera efficienda: nam ex hoc bene colligitur, id docuiſſe Caiet. quod nos ſuperius dicebamus, nempe Chriſti humanitatẽ vniuerſaliſsimã in ſe prçhabere virtutem, eſſeq; vniuerſalem cauſam totius gratiæ reparantis, & ſanantis. Quocirca, cum dicit Caietanus, quod accepit virtutem remiſsiuam peccatorum, eo quod paſſa eſt, & mortua, in eo ſenſu eſt intelligendus, in quo dicimus, cõmuniter cauſam vniuerſalem determinari per cauſas particulares, ad particulares effectus. Quo loquendi modo nolumus dicere, cauſam vniuerſalem virtutem accipere à cauſa particulari, ſed quod eius vniuerſalitas, & amplitudo coarctatur, & determinatur ad effectum particularem. Ne autem Chriſti paſsionem cauſam particularem vocemus, cum ſit vniuerſaliſsimũ animarũ noſtrarum medicamẽtum, exemplum accommodemus huic rei proportionatum: Philoſophi cũ Aſtrologis dicere ſolent, & id quidem veriſsimè, quod Sol, qui eſt valde vniuerſalis cauſa in hoc viſibili vniuerſo, ſecundum quod varijs accommodatur cœleſtibus Zodiaci ſignis, varios, & diuerſos operatur effectus in hæc inferiora pro diuerſa ſignorum qualitate, & virtute: ita ſimiliter Chriſtus, vt homo, Sol iuſtitiæ ad diuerſa ſuę vitę, mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis ſigna accommodatus in varios, diuerſoſque ſuæ virtutis ſe explicat effectus: quod quidem nullam arguit virtutis Chriſti, & eius humanitatis limitationem, ſed vniuerſalitatem potius, & amplitudinem.

Nonnulli Theologi, quorum ſententia mihi non diſplicet, addunt huic Caiet. doctrinæ, quod Chriſti humanitas quatenus fuit realiter per paſſionem immutata, & ipſa paſſio identicè, & ſecundum rem, fuit ipſamet Chriſti humanitas. Idcirco paſſio Chriſti cenſetur virtualiter in ipſa humanitate permanere; & quatenus Deus aſſumit humanitatem, vt inſtrumentum effectiuum ad noſtram iuſtificationem, virtualiter quoque ipſam paſſionem aſſumit. Et proportionabiliter eſt de reſurrectione dicendũ, fateor quidem, quod hęc efficientia phyſica fundatur in aliquo morali principio, in eo videlicet, quod voluit, & decreuit Deus Chriſti humanitatem ad diuerſos effectus aſſumere, prout realiter fuit immutata iſtis diuerſis immutationibus: habita proportione eorũ,

quæ

Digitized by Google

quæ in Chriſti corpore acciderunt, ad ea quæ in animabus, & corporibus noſtris contingunt. Quã proportionem illis cuiuſdam Præfationis verbis explicuit Eccleſia, *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.* Sed & Paul. Rom. 8. huius proportionis, & accõmodationis meminit: *Traditus eſt*, inquit, *propter peccata noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Hac ergo ſuppoſita Dei inſtitutione, verè dicitur aſſumere Deus paſſionem Chriſti, vt inſtrumentum effectiuum remiſſionis peccatorum, quando ipſam humanitatem prout paſſa fuit, & realiter per paſſionem immutata, ad hunc effectum efficiẽdum aſſumit. Afferri ſolet exẽplum non ineptum, ſed difficile, & ob id fortaſſis nõ admodum idoneum ad huius rei explicationem. Sacramentum Baptiſmi informe, fictione recedente, effectiuè cõfert gratiam, quatenus Deus ipſum actũ, per quem recedit fictio, aſſumit vt inſtrumentum effectiuum iuſtificationis: eo quod eſt actus animæ, quæ realiter fuit immutata per Sacramentum, ſuſcipiendo characterem à Sacramẽto cauſatum. Et ſi de Sacramento Pœnitẽtiæ proportionabiliter velimus loqui: aſſumit Deus, vt inſtrumentum iuſtificationis effectiuum actum illum per quem auſertur fictio, & impedimentum ſacramentalis gratiæ, eo quod eſt operatio voluntatis, quæ immutata fuit realiter per aliquem imperfectum peccatorum dolorem, quæ pars fuit Sacramenti Pœnitentiæ informis: ſed de his exemplis aliàs eſt copioſius dicendum.

Sed dicet quiſpiam: Remiſſio peccatorũ conſiſtit in condonatione, qua diuina volũtas miſericorditer condonat, & remittit offenſam, & iniuriam ſibi per peccatum irrogatam: huius autẽ cõdonationis nulla poteſt eſſe effectiua cauſa pręter ſolã Dei volũtatem: ergo paſſio Chriſti non eſt effectiuum inſtrumẽtum remiſſionis peccatorũ. Reſpondetur, hoc argumentum eaſdẽ vires habere de humanitate Chriſti, & de ipſius paſſione: cui breuiter reſpõdetur, quòd peccatorum remiſſio nõ eſt ſola prędicta iniurię condonatio, ſed eſt etiã expulſio maculę, quam peccatum relinquit in anima, per quam ſimpliciter eſt in peccato, vt ex ſancta Synod. Trid. ſeſſ. 6. eſt manifeſtum: & hanc expulſionem efficit Chriſti paſſio, quatenus cauſat gratiam ſanantem, & iuſtificantem in anima. Multa obiter diximus, quæ maiori egebant explicatione, ſed non vacat amplius in eis immorari. Vnde hæc ſufficiant dixiſſe ad quarti argumenti ſolutionem.

Ad quintum argumentum negandum eſt antecedens, imo eſt valde probabilis, & longè probabilior ſententia cõtraria, Chriſtum phyſica efficientia operatum fuiſſe omnia miracula, quæ inter nos viuens patrauit: quoniã ſi valde probabile eſt, vt reuera eſt, Sanctos viros ſecundũ efficientiam phyſicam multa edidiſſe miracula, cur id Chriſto denegandum erit? Quod verò Sancti ad hunc modum miracula ediderint, probabile reputauit Aug. lib. 21. de Ciuit. c. 9. cui ſententiæ adhuc magis adhæſit, verſans illud Pſal. 138. *Mirabilia opera tua*, &c. & Pſ. 130. & Greg. in 2. Dialog. c. 30. & ſequenti. Ambr. ſerm. 90. & 91. Chryſoſt. hom. 1. in Acta Apoſtolorum, & S. Thom. q. 6. de potentia, art. 4. Igitur ad argumentũ negandum eſt antecedens. Probationi dicitur, Chriſtum varijs modis diuerſa patraſſe miracula, quandoque ſolo verbo, quandoque contactu, & aliquando verbo, & contactu, imo & ſputo, & veſte, vt ex Euãgelica hiſtoria conſtat: vt oſtẽderet ſe totum aptum eſſe ad viuificandum, & ſanandum, & quod eius verba, ipſiuſq; carnis contactus, ac denique omnia, quæ ad ipſum pertinent, virtutem ſanatricem obtinent. Quandoque etiam circa perſonas abſentes miracula fecit, vt magis extenderetur ipſius potentia, & virtutis oſtenſio, illimitatio, & independentia à tempore, & loco.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod cum Chriſtus oratione fuit vſus ad aliquod miraculum faciendum, id egit vel ad præbendũ nobis exemplum, vt in omnibus neceſsitatibus, ad Deum per orationem confugiamus: vel ad manifeſtandã diuini Patris gloriam, quia propter cauſam à nobis in quæſtione pręcedenti art. 3. dub. vltimo aſsignatam, valde fuit conueniens, vt Chriſtus opera ſua in gloriam Patris referret: vel etiam quandoque ad oſtendendum difficultatem, quę reperitur in curatione illius ſpiritualis infirmitatis, cuius typum illa gerebat infirmitas, cuius ſanationi intẽdebat Chriſtus; iuxta id, quod ipſe dixit Matth. 17. *Hoc dæmoniorum genus*, &c. vel propter alios huiuſmodi fines id Chriſtus effecit, & non quia ipſe oratione indigeret ad patrandum miracula. Poſſet ſecundò ad eandem confirmationem dici, Chriſtum per illam orationem, quam ad Deum fundebat, impetraſſe ab illo, vt eius humanitatem per modũ phyſici effectiui inſtrumenti aſſumeret ad miraculum, & prodigium patrandũ. Vnde ex illa Chriſti oratione nullum ſumitur contra noſtram ſententiam efficax argumentum, pręſertim quod ſæpè authoritatiuè miracula edidit, vt patet cum dixit Lazaro, *Exi foras*, &c.

Ad ſecundã confirmationẽ primò negatur maior. Ad probationem dicitur, quòd in expulſione dæmonum interuenire potuit efficientia Chriſti phyſica, qua ipſos neceſsitaret dęmones, vt exirent à corporibus humanis, pellendo illos non ſolum morali imperio, ſed & phyſico impulſu. Ad illam permiſſionem, quam ipſi impetrauerunt à Chriſto, vt irent in porcos, dicitur, quod licet permiſsio fuerit moralis, expulſio tamen à corpore, in quo erant, phyſica fuit: vnde in illo miraculo vtrunque interuenit, & phyſicum, & morale: imo forſan neque illa fuit pura permiſsio, ſed & coactio phyſica, qua coegit ipſos abire in porcos: verum eſt, quod hoc non poteſt ſufficienter fundari in Euangelica hiſtoria, ex qua tantum colligitur conceſſa permiſsio. Aliud miraculum de Solis obſcuratione fieri potuit non ſola ſubtractione generalis Dei concurſus: ſed & aliqua extrinſeci impedimẽti appoſitione, qua Sol impediretur lumen ſuum ad nos diffundere.

Sed reſpondetur ſecundo eidem confirmationi, quod vt ſimpliciter, & abſolutè dicamus Chriſti humanitatem per modum inſtrumenti phyſici prodigioſa ediddiſſe miracula, non eſt neceſſe, quod in omnibus, & ſingulis miraculis phyſicam adhiberet efficientiam, ſed in illis tantum, quæ ipſam expoſcebant: ita quod Chriſtus eam adhiberet efficientiam, quæ ad patrandum miraculum erat requiſita, & ſufficiens. Si moralis requirebatur, illaque ſufficiebat, non erat neceſſe, ſed eſſet potius impertinens phyſicam adhibuiſſe cauſalitatem, etſi miraculum illam non admittebat certum eſt, non debuiſſe à Chriſto

apponi. Satis ergo ſuperque fuit, vt Chriſtus omnia edidiſset miracula, iuxta eorum exigentiam, & aliud poſtulare, ad contentionem potius, quam ad Chriſti dignitatem ſpectat.

DVBITATIO III. APPENDIX.

Vtrum in Chriſto ſit vis operatiua miraculorum per modum formæ permanentis, an potius per modum formæ tranſeuntis.

SExtum argumentum eam poſtulat difficultatem breuiter à nobis pertractandam, Vtrum virtus operatiua miraculorum reperiatur in Chriſto per modum formæ permanentis, an potius per modum tranſeuntis: ſicut S. Th. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. dicit reperiri in cæteris Sanctis, quam doctrinam deſumpſit ex Gregor. 2. Dialog. c. 33.

Proponuntur DD. ſententiæ.

IN qua re ſunt tres ſententiæ, Prima quam (vt fertur) docuit Victoria, dicit hanc virtutem nõ ineſse humanitati Chriſti permanenter, ſed per modum tranſeuntis, vt inerat cæteris Sanctis. Vnde Chriſtus non operabatur miracula, quando ſibi placebat, ſed quando Verbum vtebatur humanitate, vt inſtrumẽto ſibi coniuncto; verum eſt (inquit hæc ſententia) quod Deus ſæpius vtebatur humanitate Chriſti ad patrãdum miracula, quàm vteretur cæteris Sanctis.

Potiſſimum fundamentũ huius ſententię eſt ſextũ argumentum à nobis propoſitum. Theologi, qui dicerent inſtrumentariam Chriſti virtutem ſupernaturalem in motu aliquo ſitam eſse, facilè poſsent in hanc primam induci ſententiam: quia iuxta iſtum dicendi modum, Chriſti humanitas non eſt in actu primo conſtituta, priuſquã hoc ſpeciali motu à Deo moueatur. Sed nihilominus propter rationem primam in priori conſectario huius dubitatiunculæ aſſignandam, etiam ſuppoſita hac ſententia de virtute ſupernaturali per motum communicanda, & non alias, neganda eſt iſta prima opinio. Et quidem licet hypoſtatica vnio non conſtituat Chriſti humanitatẽ formaliter, & cõpletè in actu primo ad miraculosè operandum: conſtituit tamen radicaliter, itaque debetur ei, vt quoties illa operari voluerit miraculosè, præſertim erga redemptionis finem, accipiat virtutem, qua formaliter, & completè ad actum primum reducatur. Vnde hæc prima opinio neque ſufficienter amplificat Chriſti dignitatem, neque redemptoris officio eſt ſatis conueniens, cui debetur, vt in ordine ad ſuum finem omnia, quamlibet miraculoſa, poſſit cum voluerit exequi. Et puto hoc attinuiſse ad poteſtatem excellentiæ Chriſti. Ad quam pertinuit quod Chriſtus, inſtituere poſset Sacramenta gratiæ cauſatiua, & inter ea Euchariſtiæ Sacramentum, in quo fit prodigioſiſſima tranſmutatio. Et cui debetur virtus ad efficiendam hanc tranſmutationem, & ad inſtituendum inſtrumentum cum virtute eam faciendi, quænam poteſtas ei rationabiliter eſt deneganda?

Secunda ſententia in alio extremo docet, Virtutẽ miraculorum operatricem, eſse qualitatem ſupernaturalem permanentem in Chriſti humanitate. Solet adſcribi hæc ſententia Paluda. in 4. diſt. 1. ſed non reperio apud ipſum. Hæc ſententia non eſt cõſentanea S. Th. doctrinæ, qui 2. 2. q. 178. art. 1. negat hanc qualitatem eſse poſſibilem. Et huius doctrinæ ratio ea videtur ex ipſo colligi, quod talis qualitas ſi daretur, extenderet ſuam vim inſtrumentariam ſupra totum naturę ordinem, & ad omnia opera prodigioſiſſima ad opus etiam conſecrationis, imo & incarnationis Patris, & Spiritus ſancti ſe extenderet. Nam qua ratione poteſt in vnum miraculum, poſſet in omnia: at hæc tanta virtus non apparet poſſibilis. Ego tamẽ crediderim S. Th. non de potentia abſoluta loquutum in hac parte fuiſſe, ſed de ordinaria duntaxat. Etenim, vt ſupra ex ipſo retuli, character eſt potentia effectiua magni miraculi conuerſionis. Quare ergo non potuit dari qualitas alia ad omnia miracula: excipio incarnationem, nam hoc attingit immediate Deum, & ex hac parte repugnat: ſed tamen talis qualitas, etſi poſsibilis, non decet creaturam.

Eſt tertia ſententia media, quæ nobis placet, & docet eam Magiſter Vega loco cit. c. 14. dicit, virtutẽ miraculorũ pertinere ad Chriſti humanitatem per modum formę permanentis, ſed nõ eſſe aliquã qualitatem ſuperadditam: ſed ex eo quod humanitas eſt coniuncta Verbo, habet diuinitatem ſibi infallibiliter aſſiſtentem ad operandum miracula, quoties ipſe Chriſtus voluerit miracula patrare: itaque non ſola hypoſtatica vnio ſufficit conſtituere in actu primo Chriſti humanitatem ad operandum miraculose: quod patet, nam tunc ad omnia miracula ſe extenderet eius virtus. At S. Th. non ad omnia, ſed ad ea quæ ad redemptionis opus attinent, miraculorum poteſtatem Chriſto conceſſit, 3. p. q. 13. art. 2.

Pręterea, quia valde eſt probabile, Chriſtum hanc poteſtatem miraculorum effectiuam ſibi meruiſſe, igitur hypoſtatica vnio radicaliter tantum, vt nunc nunc dicebam, conſtituit eam in actu primo, & non formaliter, aliàs enim ſine vllo merito haberetur: vnde formaliter conſtituitur in actu primo, ſeu in potentia proxima per immediatam aſſiſtẽtiam, qua diuinitas ipſi humanitati aſſiſtit, & eã habet vt ſubordinatam ſuæ infinitę virtuti ad huiuſmodi miraculoſa opera, iuxta modum ſuperius à me expoſitum. Et quod ſola hypoſtatica vnio non ſufficiat, citra hãc ſpecialem ſubordinationem ex parte humanitatis, & aſſiſtentiam prædictam diuinitatis: Probo, quia ex vi hypoſtaticæ vnionis formaliter tantum prouenit, quod humanitas ſit Verbo ſubordinata vt ſuppoſito, ideſt, vt natura, per quam Verbum operetur iuxta vim, & poteſtatem naturalem ipſius naturæ, & potentiarum eius, & Verbum aſſiſtit humanitati in ratione ſuppoſiti, ideſt, vt ſuppoſiti gerat officiũ in his omnibus, quæ ad naturalem, & moralem ipſius humanitatis perfectionem attinẽt: in hoc autem nulla eſt virtus faciendi miracula, ſed operandi & phyſicè, & moraliter, iuxta naturalẽ ipſius humanitatis perfectionem, & virtutem: & vt plurimum conſurgit ex parte ſuppoſiti dignitas, & valor moralis in operationibus, quo meritoriæ, & ſatisfactoriæ de rigore iuſtitiæ conſtituuntur. Ergo præter vnionem perſonalem, quid amplius commentari debemus, vt Chriſti humanitas ſit formaliter in actu primo, & in potentia proxima cõſtituta ad miraculosè operãdum?

Di-

Digitized by Google

Dicunt quidam moderni Theologi, ꝙ hoc additũ, non eſt aliud, quam potentiá obedientialis actiua, quæ in humanitate Chriſti, & in eius potentijs reperitur ad operandum ſupernaturalia, ſi ſpeciali Dei auxilio iuuentur. Sed de hac potentia actiua ſatis diximus. Eſt enim conficta à ſuis authoribus, niſi in hoc ſenſu capiatur, videlicet, creaturam eleuabilem eſſe per Dei virtutem ad operandum, & ſupernaturalia, quæ non repugnant a creatura fieri. Præterea, ſi nihil aliud ponimus in Chriſti humanitate, vt ſit in actu primo ad operandum miraculosè, ſequitur quod Petri humanitas ſimiliter ſit in actu primo ad operandum omnia miracula, quia conſimilem habet potentiam, ſed hoc dicere ſtultum eſſet. Item nõ poſſet limitari poteſtas Chriſti miraculoſa ad ea miracula, quæ fini redemptionis conueniunt, vt illam S. Th. limitauir. Patet, quia hęc obedientialis potẽtia æquè ſe extendit ad omnia: etiam ad creandũ, ſecundum ſententiam eorum, qui hanc obedientialem potentiam commentantur. Hæc ergo opinio veritate non ſubſiſtit.

Sed iam probatur tertia ſententia primo ex definitione citata à nobis ſupra Concil. Epheſini dicẽtis carnem Chriſti eſſe viuificatricem ex viuẽte Verbo. Quibus verbis duo inſinuantur: Alterum eſt, quod virtus viuificatiua ineſt carni Chriſti permanenter; hoc enim deſignat illa dictio viuificatricem. Altẽrum eſt, quod illa virtus non eſt ſuperaddita qualitas, ſed conuenit humanitati ex vnione hypoſtatica ad Verbum. Nam ſi ratione ſuperadditæ qualitatis viuificatricem vim haberet, & non alias, potius eſſet illa qualitas viuificatrix vocanda, quam ipſa Chriſti caro. Et præterea qualitas illa eſset corporalis cum exiſteret in Chriſti carne: ergo non ſe extenderet ad ſpirituales effectus. Antecedens patet, quia tam repugnat ſpirituali qualitati inhærere corpori, quam ſpirituali ſubſtantiæ, v. g. angelicæ recipere in ſe corpoream qualitatem. Præterea Concil. Epheſ. & Cyril. reddunt pro cauſa viuificatricis virtutis vnionem ad Verbum, quod eſt eſsentialis vita. Non ergo ad qualitatem eſt recurrendum.

Secundo patet. Proprium eſt inſtrumenti coniuncti, quod abſque aliqua ſuperaddita qualitate vim habeat inſtrumentalem per modum permanentis, vt brachium reſpectu totius ſuppoſiti, calor naturalis reſpectu formæ viuentis, carnis, & ſanguinis, ſed Chriſti humanitas eſt inſtrumentum Verbi coniunctum: ergo, &c.

Ex hoc ſequitur primo, quod Chriſtus potuit miracula facere quoties volebat, quod non eſt concedendum cæteris Sanctis. Et ratio diſcriminis inter Chriſtum, & Sanctos hęc eſt, quod volitio, qua Chriſtus vult efficere miraculum, eſt operatio elicita non à ſola humanitate, ſed etiam à Verbo, & ita decens erat, quod illi aſſiſteret infallibiliter vis operatiua miraculorũ, quæ ratio non militat in cęteris Sanctis. Eſt etiam alia ratio, quæ ex dictis colligitur, nempe, quod vnio hypoſtatica radicaliter cõſtituebat in actu primo ad operandũ miraculoſa opera ipſam Chriſti humanitatem: quod intelligo partim phyſicè, & partim moraliter. Phyſicè quidem, quòd ipſa vnio naturę humanę ad Verbum, reddit illam proportionatam, vt aſſumatur ad propria diuinitatis opera efficienda, vt coniunctum eius inſtrumentum, eique plenè in omnibus ſubordinatũ. Ex qua plena ſubiectione, & ſubordinatione ſcriptura ſacra vocat Chriſtum ſeruum Dei: & hæc quidam appellatio datur Chriſto à Spiritu ſancto, nõ ad eum humiliandum, & deijciendum, ſed ad magnificandum potius, & ad extollendam, & amplificandam eius dignitatem, & excellentiam. Conſtat ex illo Iſa. c. 49. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas feces Iacob, & tribus Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem gentium*, &c. Moraliter verò titulus triplex intelligi poteſt. Primus ipſa dignitas infinita, quæ ex vnione hypoſtatica in natura humana conſurgit, cui debetur ſpecialiſſima virtutis diuinæ aſſiſtentia, per quam dignificetur, in eo quod aſſumatur vt Dei cooperatrix in ijs operationibus, quæ ſunt Deo magis proprię: cuiuſmodi ſunt actiones miraculoſæ, & effectiuæ ſupernaturalium effectuum. Eſſe enim Dei coadiutricem ad præclaram attinet excellentiam, vt Dionyſius Areopagita dixit. Secundus titulus eſt ipſum vniuerſalis Redemptoris officium, cui tanta hæc debebatur excellentiæ poteſtas, vt dudum aſſerebam. Tertius denique eſt titulus meritorius: meruit enim ſibi Chriſtus hanc potentiæ, & virtutis miraculoſæ dignitatem, ſicut meruit excellentias alias, Capitis, Regis, Sacerdotis, &c. Eadem enim eſt de omnibus ratio. De quibus lege dicta ſuperius q. 5. ar. 3. dub. 2.

Secundo ſequitur, quod ſi humanitas Chriſti relinqueretur à Verbo cum omnibus donis ſupernaturalibus, quibus modo exornata pollet vnita Verbo, non eſſet in ea virtus miraculorum per modum permanentis, ſed per modũ tranſeuntis duntaxat. Patet, quia tota ratio, quare hæc virtus ineſt permanenter humanitati, eſt vnio ad Verbum, & non aliud ſupernaturale donum: ergo vnione diſſoluta, hæc virtus nullatenus in humanitate perſiſteret. His conſentit id, quod docuit Richard. in 3. diſt. 14. art. 2. q. 2. quod humanitas Chriſti relicta à Verbo, non operaretur miracula, quando ipſa vellet, ſed cum placuiſſet Deo vti illa, vt diuinę virtutis inſtrumento. Ex quo etiam per locum à contrario ſenſu colligitur, id, quod in præcedenti corrolario dicebatur, videlicet, humanitatem Verbo coniunctam, poſſe, cum vellet, miracula operari. Et hoc debebatur ei ex omnibus titulis, quos recenſebam circa præcedens corrolarium. Quorum primus, in quo fundantur reliqui, phyſicus eſt, cæteri verò morales. Ex quibus ſupereſt argumẽtum ſextum plenè ſolutum.

Sed aduertendum eſſe cenſeo, quod quanquam Chriſtus potuit pro ſuo arbitrato miracula edere, propter aſſignatas cauſas, non ob id concedendum videtur id, quod aſſeruit Med. 3. p. q. 13. ar. 2. nimirũ, quod ſicut in diuino intellectu reperiuntur ideæ, & exemplaria rerum omnium factibilium, ita in intellectu Chriſti humano ſunt ideæ, & exemplares rationes omnium rerum, quæ pertinent ad mundi renouationem, & reparationem, per quas Chriſtus nõ ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo operabatur, tanquam per inſtrumenta. Hæc ſententia non apparet vera, quoniam iſthæc ideæ, & exemplares rationes ad cauſam principalem ſpectant, & non ad inſtrumentariam, etiam ſi libera ſit, & poſſit quoties voluerit miraculosè operari: ſicut poteſt Sacerdos, cum ei libitum fuerit, characteris vti poteſtate. Exemplares enim iſtæ, idealeſque rationes tantum pertinent

Digitized by Google

ad cauſam, cuius intereſt rem faciendam diſponere, & per modum principalis artificis, & cauſæ rem efficere.

Ad confirmationem reſpondetur, concedendum eſſe, totam Trinitatem, vti Chriſti humanitate vt inſtrumento diuinæ virtutis. Etenim virtus, quę principaliter operatur miracula, toti Trinitati eſt communis, & vt communis concurrit ad miraculum patrandum, & non vt ad Verbi perſonã ſpecialiter attinet. In his namque operationibus duntaxat virtus diuini Verbi cõcurrit vt Verbo appropriata, in quibus humanitas eius concurrit per modum naturæ, & formę principalis, & ab ipſa, vt à principio formali operatio communicatur Verbo, vt ſuppoſito per ſuã naturam operanti: & in quibus actionibus, ita concurrit Verbum, quod non ſolum effectiuè, ſed & elicitiuè operatur. In operationibus autem miraculoſis humanitas non eſt principium formale operãdi, ſed diuinitas. Quæ cum communis forma ſit toti Trinitati, neceſſe eſt reddat ipſam operationem communem. Itaque cum Chriſtus aliquod edidit miraculum, etſi totum id, quod miraculum pręcedebat, faceret Verbum vt humanitatis ſuppoſitũ, ipſum tamen miraculum formaliter conſideratum ex æquo à tota Trinitate fiebat, ſi phyſicè loquamur, nam de morali efficientia alia eſt ratio. Sed cum his, quæ diximus, oportet cõcedamus humanitatem Chriſti organum Verbi fuiſſe, & coniunctũ eius inſtrumentum: quod docuerunt ſancti Patres, & præſertim Damaſc. lib. 3. c. 15. Cuius rei duplex eſt ratio: Altera propter immediatam Verbi vnionem cum humanitate, ex qua, vt dixi, radicaliter prouenit, quod ſit in actu primo conſtituta, vt per modũ inſtrumenti ad miraculoſos aſſumatur effectus. Et altera, quia id, quod ex parte inſtrumenti prærequiſitum eſt, & præſuppoſitum ad actionem Dei principalis agentis, ſiue ſit operatio, ſiue quidpiam aliud: pertinet ad humanitatem, vt eſt Verbo hypoſtaticè coniuncta. Et hę rationes ſufficiunt, vt ſpecialiter humanitas Verbi inſtrumentum dicatur. Item totum miraculum ſpecialiter tribuebatur Chriſto, quia per liberam voluntatem humanam ſeipſum determinabat ad tale patrandum miraculum: ſicut conſecratio iſta ratione tribuitur ſacerdoti veluti cauſæ principaliter operanti, cum ſit tamen miniſter, & inſtrumentum.

DVBITATIO IV. APPENDIX.

An Chriſtus vt homo cauſet in nobis gratiam per modum cauſæ principalis.

SEd vt hęc doctrina debitum accipiat complementum, adhuc explicemus oportet, num Chriſtus vt homo, ſeu, quod eſt idem, eius humanitas cauſet in nobis gratiam per modum cauſæ principalis: an verò vt inſtrumentale duntaxat effectiuum principiũ: & ſit ſermo non de morali, ſed de phyſica cauſa.

§. 1. *Proponuntur argumenta pro parte affirmatiua.*

ET principio ad partem affirmantem ſic argumentor.

Probaturque primo ex doctrina D. Th. 3. p. q. 13. ar. 2. Nam à principio art. docet expreſsè, quod Chriſtus per propriam virtutem, & plenitudinem gratiæ, & ſcientiæ illuminauit homines. Deinde verò tantum tribuit Chriſti humanitati rationem inſtrumenti reſpectu immutationum, quæ fiunt miraculosè. Iuſtificatio autem non eſt opus miraculoſum: ergo reſpectu illius non habet Chriſti humanitas rationem inſtrumenti. Et idem dicit S. Doct. in 4. d. 5. q. 2. a. 2. q. 2. docet enim expreſsè, quod agens principale in Baptiſmo eſt ipſe Deus per auctoritatem, & Chriſtus ſecundum quod homo, cuius meritum operatur in Baptiſmo.

Secundo arguitur. Illa eſt cauſa principalis cui aſſimilatur effectus: ſed in iuſtificatione per gratiam aſſimilamur Chriſto: ergo eſt cauſa principalis iuſtificationis. Minor probatur ex illo Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filii ſui:* ergo terminus prędeſtinationis, & iuſtificationis hominum eſt ipſorum conformitas, & ſimilitudo ad Chriſtum inquantum eſt homo. Confirmatur. Id quod eſt tale per eſſentiam, non eſt cauſa inſtrumentalis, ſed principalis eius, quod eſt tale per participationem: ſed Chriſtus Dominus eſt gratus per eſſentiam: ergo non eſt cauſa inſtrumentalis, ſed principalis in ratione gratiæ.

Tertio. Gratia eſt forma connaturalis Chriſto, & debita illi ex vi natiuitatis, vt ſupra oſtendimus, ex illo Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre,* &c. ergo non eſt cauſa inſtrumentalis tantum reſpectu noſtræ gratiæ.

Confirmatur. Chriſtus ſatisfecit ex omni rigore iuſtitiæ, quia gratia erat propria ipſius, vt ſupra oſtendimus: ergo quicquid operatur Chriſtus per talem gratiam, operatur ex proprijs, & conſequenter tanquam cauſa principalis, & nõ inſtrumentalis tantũ.

Quarto arguitur. Chriſtus eſt cauſa exemplaris noſtræ iuſtificationis, quod eſt certiſſimum: eſt etiã finalis cauſa, vt ſancta Syn. Trid. ſeſs. 6. c. 7. decernit: ergo non eſt cauſa inſtrumentalis, ſed principalis.

Quinto. Quia alias ſequeretur non eſſe neceſſarium, quod Chriſtus eſſet gratus, vt gratificaret nos: non enim eſt neceſſarium, quod in cauſa præciſè inſtrumentali formaliter præexiſtat ipſa forma producenda. Item ſequitur, quod gratia noſtra, & iuſtificatio ſint maioris perfectionis, quam operationes, & gratia Chriſti. Nam effectus perfectior eſt in ſeipſo, quam ſit cauſa inſtrumentalis.

Sexto argumẽtor ſic. Potuit Deus conferre Chriſti humanitati virtutem, qua vt cauſa principalis ſecunda gratiam efficeret (& hoc ad eximiam Chriſti excellentiam attineret) ergo collata eſt ei talis virtus. Conſequentia, vt manifeſta debet admitti. Quia Deus haudquaquam per inuidiam Chriſti honorẽ, & dignitatẽ minuere, & obſcurare affectat, ſed amplificare potius, & illuſtrare intendit: eſt enim dilectiſſimus Dei Filius, in quo ipſe ſibi bene cõplacuit. Neque verò tanta hęc humanitatis Chriſti excellentia ipſam Dei in cõſpectu hominum, & Angelorum gloriam minueret. Nam cauſa principalis ſecunda cum ſubordinata ſit primæ, & actualem eius in omni ſua efficientia accipiat influxum: nihil à maieſtate, & amplitudine ipſius primæ cauſæ detrahit; ſed eam potius illuſtriorem efficit, & auguſtiorem, vt ex Ambr. colligitur ſerm. 91. Minor patet, nam ſi inſtru-

Digitized by Google

ſtrumentalem cauſam eſſe gratiæ plurimum dignificat Chriſti humanitatem, quid cenſendum erit de principali efficientia, & cauſalitate? Maior vero inde conſtat, quod nulla ſe offert implicatio, in hoc quod Deus infundat Chriſti humanitati qualitatem ſupernaturalis ordinis, cui ſit iam proprium gratiã efficere, atq; propriũ eſt calori calefacere, ergo nulla eſt repugnantia. Confirmatur. Potuit Deus tribuere Chriſto virtutem efficiendi miracula per modum cauſæ principalis: ergo & poteſt virtutem conferre, qua gratiam etiam poſſit efficere. Conſequentiam probat ipſa rationis paritas. Et antecedẽs probatur. Deus virtutem habet ſupra totũ naturæ ordinem: ergo poteſt illam creaturæ communicare. Sed talis virtus eſt miraculorum factiua: ergo, &c. Probo ſecundo idem antecedens. Poteſt Deus producere creaturam, quæ ſit perfectior, & eminentior his omnibus quas produxit; tali ergo creaturæ poterat vim præſtare ſupra totum huius vniuerſi ordinem. Sed talis vis & poteſtas eſſet miraculorum factiua, ergo eandẽ vim potuit Chriſti humanitati communicare. Nam virtus, quæ in alia eſſe poſſet creatura, quare communicabilis Chriſti humanitati non erit?

In hac dubitatione communis Theologorum reſponſio ſolet eſſe negatiua. Et quidam ex nouioribus tam huic adhærent ſententiæ, vt contrariam temerariam, & parum in fide tutam eſſe dixerint. Sed Magiſt. Medina 3.p.q.13.a.2. in ſententiam affirmatiuam propendit, eam probabiliorem eſſe cenſens, & rationi magis conſentaneam. Ad quæſtionis huius deciſionem.

§. 2. *Prima concluſio.*

IMplicat, quod Chriſtus Dominus, inquantum homo, ſit cauſa principalis phyſica gratiæ, hæc concluſio primo eſt S. Th. 3.p.q.64.art.1.& 1.2.q.112. ar.1.& aliis in locis allegatis à Mag. Med. 3.p.q.13. ar.5. in argumento vltimo contra ſuam doctrinam, vbi ſemper aſſerit S. Thom. ſolum Deum eſſe cauſã principalem gratiæ: Chriſtum autem, vt hominem, ſiue eius humanitatem, quod eſt idem, tantum eſſe cauſam eius inſtrumentalem. Nec valet ſolutio, quã huic argumento adhibet Mag. Med. quod D. Tho. aliquando omnem creaturam appellat inſtrumentũ Dei, ipſas etiam cauſas ſecundas principales in ſuo genere, quia omnes operantur motæ à Deo tãquam à prima cauſa. Licet enim hæc doctrina vera ſit abſolute, tamen ad propoſitum non poteſt accomodari: quia ex profeſſo S. Th. contendit demonſtrare, ſolũ Deum poſſe eſſe cauſam principalem gratiæ, humanitatem autem Chriſti tantum eſſe inſtrumentale principium.

Secundo probatur concluſio. Implicat quod aliqua natura inferior Deo poſſit tanquam cauſa principalis cauſare participationem perfectiſſimam ipſius eſſe diuini, per quam homo deificatur, & vere efficitur Dei filius: ſed gratia eſt participatio perfectiſſima diuini eſſe, per quam homo deificatur, & vere eſt filius Dei. Hanc enim charitatem conceſſit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus: non quidem per extrinſecam relationem, vt cõtingit in filiatione adoptiua hominum, ſed per quandam formam ſupernaturalem intrinſece receptam in nobis, quæ eſt ipſa gratia; ergo implicat quod Chriſtus, in quantum homo, ſit cauſa principalis gratię.

Neque valet ſolutio, quam huic argumento adhibet Mag. Med. negat enim antecedens, & adducit in ſtantiam. Nam homo factus eſt, inquit, ad imaginẽ, & ſimilitudinem Dei, & tamen vnus homo generat alium hominem, qui eſt imago Dei: ergo à ſimili nõ erit inconueniens, quod aliqua creatura poſſit eſſe cauſa principalis gratiæ, & aſſimilationis ad Deum, quæ ſit per ipſam gratiam. Sed noſtri argumenti maior eſt expreſſa S. Thom. loc. cit. maxime 1.2.q. 112.art.1.& probatur clara ratione. Nam ignire nõ poteſt cõuenire tanquam cauſæ principali niſi igni, vel alicui naturæ ſuperiori ipſo igne, vt conſtat ex ratione naturali, nam à proportione enim minoris inę qualitatis nequit operari ignis, vt cauſa principalis: vnde natura inferior igne non poteſt eſſe cauſa principalis generandi ignem, neque producendi ſemen ipſius ignis. Sed per gratiam deificantur homines, & vere generantur in filios Dei, ſecundum adoptionẽ, qua ratione Ioan. 1. canon. cap. 3. appellat gratiam ſemen Dei: & Iacob. cap. 1. dixit, *quod voluntarie genuit nos Deus, &c.* Ergo nulla creatura poteſt eſſe cauſa principalis eius. Ex qua ratione, inter alias, colligitur manifeſta implicatio ad oſtendẽdum gratiam non poſſe eſſe connaturalem alicui ſubſtantiæ creatæ. Exemplum autem quod adducit Mag. Med. nihil ei fauet. Tum quoniam hæc ratio imaginis eſt nimis imperfecta, & remota, neque per illam dicitur homo deiformis, aut filius Dei: Tum etiam quia anima eſt in qua reſidet principaliter ratio imaginis, quia ſecundum animam dicitur homo factus ad imaginem Dei, vt eſt certiſſimum, animam autem non producit generans, ſed ſolus Deus illam creat.

Secundo arguitur per gratiam realiter immutatur, & mouetur voluntas hominis; ergo repugnat, quod aliqua creatura ſit cauſa principalis gratiæ; vt enim oſtendit S. Thom. 1. 2. quæſt. 9. ſolius Dei eſt mouere, & immutare voluntatem hominis; ergo ſi per gratiam realiter mouetur, & immutatur voluntas, hoc debet fieri à ſolo Deo, & non à creatura. Chriſti autem humanitas non Deus eſt, ſed creatura; ergo, &c.

Neque valet ſolutio prima quam adhibet huic argumento Mag. Med. ſcilicet Chriſtum eſſe Deum, & ita non eſſe inconueniens, quod immutet voluntatẽ hominis. Hæc enim ſolutio non eſt ad propoſitum, neque enim diſputamus de Chriſto inquãtum Deus eſt, ſed de Chriſto, inquantum eſt homo: cui ſecundũ quod homo eſt, non poteſt conuenire quod propria voluntate, vt agens principale hominis voluntatem immutet. Neque etiam valet ſolutio ſecunda, quam adhibet eidem argumento, puta, quod voluntas non immutatur à Chriſto inquantum eſt homo immediatè, ſed mediantibus habitibus gratiæ, & charitatis, & aliarum virtutum, quod non eſt inconueniẽs. Sed certe ſi gratia, & iſtæ virtutes realiter immutãt voluntatem, quod eſt certiſſimum, qui fuerit cauſa principalis effectiua phyſica gratiæ, & charitatis, erit etiam cauſa phyſice, & inſtrumentaliter immutans hominis voluntatem. Vnde ſi Angelus haberet virtutem phyſicam producendi in voluntate mea aliquem habitum, conſequenter ei competeret virtus immutandi voluntatem meam: imo inſtrumenta-

phy-

Digitized by Google

phyſica cauſatina gratiæ, & charitatis, inſtrumentaliter, & phyſice attingunt ipſam animam, & voluntatem, atque immutationem illius. Et ob id S. Th. 3. p. q. 44. ar. 3. ad 1. & ad 3. iſtam immutationem animarum tribuit præciſè Chriſto, inquãtum eſt Deus, & non vt eſt homo. Ait enim, quod Chriſtus virtute diuina quãdo voluit animas hominum immutauit: non ſolum iuſtificando, & ſapientiam infundendo, ſed etiam exterius alliciendo.

Vltimo arguitur. Gratia, & charitas, atq; aliæ virtutes non ſunt formæ actiuæ in externam materiã, licet poſſint eſſe principia effectiua actuum immanentium; ergo per ſe non poſſunt habere actionem circa externam materiam, niſi tantum vt inſtrumẽta Dei. Reſpondet primo Med. huic argumento, quod Chriſtus non operatur gratiam noſtram, vt cauſa principalis per propriam gratiam ſibi inhærentem tanquam per formam, ſed ſolum per imperium. Ex hac tamẽ ſolutione deſtruitur tota vis principalis fundamenti, cui innititur eius ſententia, videlicet, illa eſt principalis cauſa, quæ aſſimilat ſibi effectum. Chriſtus autem in gratia ſibi aſſimilat homines iuſtos, ergo Chriſtus principalis eſt cauſa gratiæ. At ſi Chriſtus non operatur per gratiam tanquam per principium formale actiuum, ſed tantum per imperium, ceſſat tota huius argumenti vis. Nam ex vi operationis Chriſti non aſſimilabimur ei in eſſe gratiæ, ex vi enim operationis tantum aſſimilatur effectus agenti ſecundum formam, per quam operatur, ergo ſi Chriſtus non operatur per gatiam, non aſſimilat ſibi effectum in gratia ex vi operationis. Prætetquam quod agens tantum per imperium, & nullo modo per formam aliquam phyſicam, non eſt cauſa principalis phyſica, ſed tantum moralis. Neque etiam, valet ſecunda ſolutio; quod, nimirum, Chriſtus cauſat in nobis gratiam per rationes, & ideas: quia probandum ſupereſt, in Chriſti anima idæas exemplares, & artificioſas reſidere. Non loquor de rationibus ſpeculatiuis, hoc enim extra propoſitum eſt, ſed de practicis, quæ proprie idæe vocantur. Vnde ſi de rationibus ſpeculatiuis ſolutio procedat, eſt omnino impertinens. Et ita docet S. Th. 3. p. q. 23. a. 1. quod licet Chriſtus habeat ſpeculatricem creationis ſcientiam, quia tamen nõ habet ſcientiam eius practicam non poteſt creare.

Confirmatur hoc argumentum. Chriſtus, inquantum homo non eſt cauſa principalis miraculorum, quę ordinantur ad gratiam, & iuſtificationẽ tanquã media in finem, ergo neque etiam erit cauſa principalis gratiæ, ſolum ergo Chriſtus, inquantum homo eſt vniuerſale inſtrumentum Dei ad iuſtificationem hominum. Qua ratione, inter alias, eius virtus iuſtificatiua comparatur virtuti ſolius vniuerſaliſſimæ, ſimul etiam propter rationem meriti.

§. 3. *Secunda concluſio.*

NOn contrariatur fidei ſententia oppoſita, neq. vllam in ea repetio temeritatem. Ad huius concluſionis probationem notandum, quod auctores, qui docent ſententiam noſtræ primæ concluſionis contrariam, reipſa dicunt Chriſti humanitatem, neque eſſe ſimpliciter principalem gratiæ cauſam, neque vero pure inſtrumentalem, ſed medio quodã modo ſe habere. Qui modus reducitur ad rationem cauſæ principalis, aſſeruntque, quod ſicut illuminatus aer illuminat, non ſimpliciter, vt principalis cauſa, eo quod illuminatiua virtus non eſt ei connaturalis, & propria, ſed ab extrinſeca ſolis impreſſione ei conueniens: neque tamen eſt cauſa pure inſtrumentalis, quia per formam, & virtutem ſibi inhærentem operatur, ſibique effectum aſſimilat; quod conditioni inſtrumentariæ cauſæ repugnat, quæ operatur, vt mota, & non per virtutem ſibi formaliter inhærentem, cui aſſimiletur effectus. Sic in præſẽtia, inquiũt, Chriſti humanitatem gratiam in nobis medio modo efficere. Quatenus enim operatur gratiam per ſimilem formam ſibi inhærentem, per gratiam, videlicet, habitualem ſecundum quod eſt in eo gratia capitis, & nos ſibi per gratiã efficit ſimiles, cauſæ principalis modum induit. Qua ratione vero habitualis hæc gratia, non eſt connaturalis Chriſto, ad iuſtrumenti rationem accedit.

Ex his probo concluſionem hanc ſecundam. Sententia contraria non docet Chriſti humanitatem gratiam efficere per virtutem ſibi connaturalem, & propriam, ſed virtute à Deo auctore gratiæ participata, & ſuſcepta, ergo quare tam rigoroſa ei cenſura eſt adhibenda: præſertim cum ſcriptura ſacra Chriſtum, vt hominem, fontem, & auctorem gratię, & ſalutis appellet, per ipſumque dicat Ioan. c. 1. gratiam factam fuiſſe. Præterea. Quid habet fidei contrarium dicere, quod licet in puro homine gratia non ſi virtus alterius gratiæ factiua, in Chriſto tamen virtutem hãc participet? Nam cum Chriſtus ſit proprium, & connaturale gratiæ ſubiectum, virtus quæ ex tali ſubiecto conuenit ipſi gratiæ, quare non erit ei connaturalis, & propria? Atq; adeo Chriſti humanitas ratione gratiæ cur non habebit modũ quendam cauſæ principalis reſpectu noſtræ gratiæ? Neque vero vlla eſſe poteſt temeritas, vbi nec apparens ratio deeſt, & modus loquendi ſcripturarum fauet. Expendatur, inter alia, illud, *Vt ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*. Pondera, dictionem, *Poteſtatem*, denotat enim amplius quid, quam inſtrumentalem virtutẽ. Fateor intelligi poſſe de morali poteſtate, ſed cur nõ etiam de virtute phyſica, de qua cętera ſcriptura teſtimonia, quæ de hac re loquuntur, intelligi ſolent?

§. 4. *Soluuntur argumenta propoſita initio dubitationis.*

AD argumenta in oppoſitum. Ad primum ex S. Thom. auctoritate deptomptum, reſpõdetur. Quod inter illas actiones, de quibus à principio art. S. Doct. loquebatur, & alias, de quibus poſtea, hoc verſatur diſcrimen. Quod priores operationes quantum ad aliquid à Chriſto, vt homine, procedebant tanquam à principali operante: Doctrina enim quã docebat, & illuminabat homines ab ipſo oriebatur, vt à principali cauſa, nimirum, vt à Doctore, & Magiſtro principaliter operante, per ſcientias ſibi infuſas, ſicut & ego per qualemcumque ſcientiam meam cauſa ſum principalis docendi diſcipulos meos. Similiter etiam actus charitatis in Chriſto Domino, & aliarum ſupernaturalium virtutum, erant à Chriſto tamquam à principali operante phyſice, quia operabatur

Digitized by Google

batur per proprias formas virtutum, quæ licet non eſſent ſibi vt homini connaturales, erant tamen intrinſece ſubiectatæ in ipſo. Et ita operationes procedentes ab huiuſmodi virtutibus ſecundum propriã naturam illarum, erant à Chriſto tanquam à cauſa principali phyſica: effectus vero, quos iſtæ operationes cauſabant in alijs hominibus, non erant à virtutibus Chriſti Domini, neque ab operationibus illarũ tanquam à principalibus cauſis: ſed reſpectu horum effectuum ad extra, concurrebat Chriſtus Dominus inſtrumentaliter per tales operationes; in operationibus vero miraculoſis, de quibus in fine eiuſdem articuli, nullo modo operabatur Chriſtus per aliquam formam ſibi inhærentem, ſed præciſe tanquam inſtrumentum Dei. Eſt exemplum. Prædicator cauſa principalis eſt diſponendi doctrinam, quam prædicat, & docet: conuerſionis autem peccatoris, quæ fit tali prædicatione, & doctrina, non eſt cauſa principalis phyſica, ſed inſtrumentalis duntaxat. Similiter etiam aqua ſemel calefacta per calorem ſibi intrinſecè inhærentem cauſa eſt principalis calefactionis, præciſè vt calefactio eſt; aquæ enim calefactæ naturale eſt calefacere, inquit S. Thom. 1.2.q.33. art.7. Si tamen hæc eadem calefactiò conſideretur ſecundum quod eſt diſpoſitio ad formam ignis, non eſt principaliter ab aqua calefacta, tamquam à principali agente; ſed eſt ab aqua tanquam ab inſtrumento ignis: cuius ratio eſt, quia calor per ſe eſt principium calefactionis: vnde ſubiectum habens in ſe talem calorẽ, operatur principaliter per ipſum. Quod vero calor ſit diſpoſitio ad formam ignis, non habet per ſe præciſè in quantum calor eſt, ſed in quantum eſt virtus ignis. Et ita qui operatur per talem calorẽ diſpoſitiue ad formam ignis, operatur in virtute ignis, & nõ tanquam cauſa principalis. Sic ergo gratia, & charitas, & aliæ virtutes ordinantur per ſe ad actus immanentes, & ad perfectionem intrinſecam habentis tales habitus virtutum ſupernaturalium. Et quantum ad iſtos actus operatur principaliter homo per iſtas virtutes, quod tamen iſti actus cauſent gratiam, & iuſtificent alios homines, non habent ex ſe, ſed tantum vt ſunt inſtrumenta Dei.

Secundo reſpondetur, quod S. Thom. actionem iuſtificandi alios homines, & cauſandi gratiam in eis, & immutationem creaturæ, quæ fit ſecundum illam rationem, comprehendit ſub immutationibus miraculoſis. Iſtæ enim immutationes non comprehenduntur ſub primo genere immutationum, quas S. Thom. explicuit in principio articuli. Illæ enim ſunt immutationes naturales, quæ fiunt ab agente naturali, & virtute naturali. Iuſtificatio autem neq; fit ab agente naturali, neque virtute naturali: vnde pertinet ad ſecundum genus immutationum, quæ ſunt immutationes miraculoſæ. Licet enim iuſtificatio regulariter loquendo non ſit miraculum, ſi ſtricte, & rigoroſe vtamur nomine miraculi, vt docet S. Doct. 1.2. quæſt. 113. art. vlt. tamen aliquando appellatur miraculum. Tum quia eſt omnium miraculorum finis, tum etiam quia eſt opus ſupernaturale, & factum virtute ſupernaturali; licet non præter cõſuetum operandi ordinem, quod pertinet ad miraculum propriè, & rigoroſe dictum.

Ad ſecundum teſtimonium S. Thom. in 4. diſt. 5. Reſpondetur, quod loquitur maniſeſte de cauſalitate morali, & non de phyſica: dicit enim, quod Chriſtus eſt principale agens in baptiſmo, quia eius meritum operatur in illo. Cauſa autem meritoria, non phyſica eſt, ſed moralis.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur primo. Quod in iuſtificatione homo non aſſimilatur Chriſto in quantum homo eſt, neque in quantum habet gratiam, & alias virtutes in anima, ſed in quantum eſt vnigenitus patris, & imago ſubſtantialis illius. Et ita explicant communiter ſancti illud ad Roman. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius*, de quo legatur ibidem S. Th.

Secundo reſpondetur: quod licet aſſimilentur iuſti Chriſto in gratia, hoc non eſt ex vi ipſius gratiæ, quæ per ſe facit homines ſimiles Deo, cuius naturã participant immediatè per ipſam gratiam, & non naturam ſiue gratiam Chriſti. Contingit autem hęc aſſimilatio de facto ex beneplacito Dei ita ordinantis. Qui conſtituit Chriſtum ſupremum in eſſe gratiæ, & voluit, quod pręter aſſimilationem, immediatam ad ipſum Deum, quæ eſt connaturalis gratiæ, & inſeparabilis ab ipſa, aſſimilarentur etiam homines Chriſto in quantum eſt homo, ſecundum quod eſt perfectiſſime gratus. Sicut etiam ſtatuit, vt in vita qua ad gloriam tendimus, & diſponimur ipſi aſſimilamur Chriſto. *Imitatores mei ſtote, ſicut ego Chriſti* dicebat Paul. 1. Corint. 4. & 11. & Petrus 1. can. c. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt ſequamini veſtigia eius.* Et Rom. cap. 8. *Si tamen compatimur, vt conglorificemur.* De aſſimilatione ad Chriſtum, vt hominem, intelligi etiam ſolet, illud Rom. 8. *Conformes fieri imaginis filij eius*.

Ad confirmationem reſpondetur. Negãdo quod Chriſtus Dominus inquantum homo ſit gratus per eſſentiam, vt vberius oſtendetur in ſolutione tèrtij argumenti.

Ad tertium argumentum dicitur, quod gratia nõ eſt forma connaturalis Chriſto, neque illi debita præciſe inquantum eſt homo, ſed in quantum eſt ſimul Deus: ſic enim dixit Ioan. cap. 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Et ita diximus ſupra, potuiſſe fieri incarnationem ſine tali gratia. Ex quo etiam reſpondetur ad confirmationem ſatisfactio enim Chriſti fuit ex proprijs ipſius, & rigoroſa, nõ tamen erant iſta propria Chriſto in quãtum eſt homo, ſed in quantum Deus homo. Et ita ſupra q. 5. diximus, quod ſubſtantiam ſatisfactionis, ſiue actionis ſatisfactoriæ habebat Chriſtus inquantum humo; valorem tamen ſatisfactionis, & rigorẽ habuit in quantum Deus.

Sed inſtas; ergo ſaltem vt Deus homo cauſat Chriſtus phyſice in nobis gratiam, ad eum modum quo illam cauſat moraliter. Nego hanc conſequentiam, quia meriti, & ſatisfactionis ſubſtantia ſumitur ex humanitate, quæ conſtituit Chriſtum meriti capacẽ. At ex humanitate nulla ſumitur ratio, neque fundamentum efficiendi gratiam phyſice. Sed tandem dicitur (& hæc ſolutio euacuat argumenti vim.) Quod in rigore Chriſtus, vt Deus homo non dicitur gratus per eſſentiam, quia in hoc complexo Deus homo. Deus habet rationem ſuppoſiti, & non denotat eſſentiam, homo vero formalem importat, & eſſentialem rationem. Vnde licet qua ratione Chriſtus eſt Deus propria ſit ei, & connaturalis gratia,

non

Digitized by Google

non tamen ſimpliciter Chriſtus, vt Deus homo dici poteſt gratus per eſſentiam. Denique dicitur quod cum gratia ex natura ſua non ſit operatiua forma circa exterum ſubiectum, etſi Chriſtus, vt Deus homo ſit gratus per eſſentiã, non inde colligitur, quod cauſet gratiam in alijs, vt principalis cauſa.

Ad quartum argumentum reſpondetur. Quod etiam in inſtrumentis vnum poteſt eſſe exemplar ſecundarium alterius: vnus enim malleus poteſt eſſe exemplar ſecundarium formandi alterum malleum. Secundo dicitur, ſufficere ad cauſam exẽplarẽ & finalem ſecundariam, quod ſit inſtrumẽtum pręcipuum, & principali agenti coniunctum, ſecus aut ſi eſſet primariũ exemplar, & finis primarius. Tertio tandem dico, hoc argumento probari, Chriſtum eſſe principale agens noſtræ iuſtificationis morale, quod omnes credimus.

Ad quintum reſp. Ad primam ſequelam. Concedo abſolute non fuiſſe neceſſarium, quod Chriſtus haberet gratiam, ad hoc quod poſſet eſſe inſtrumentum gratificationis noſtræ. Imo ipſemet Mag. Med. docuit alias nõ eſſe neceſſarium de potentia Dei abſoluta, quod Chriſtus haberet habitualem gratiam, vt poſſet mereri, & ſatisfacere pro nobis, ſed ſufficere gratiam vnionis hypoſtaticæ.

Ad ſecundam ſequelam. Nego illam, nam licet in inſtrumento, ea præciſe ratione qua inſtrumentum eſt, non requiratur tanta perfectio, quanta reperitur in effectu, ex alia tamen parte poteſt idem inſtrumẽtum habere multo maiorem perfectionem, quam effectus ipſe, vt cõſtat in operationibus miraculoſis, quarum Chriſtus erat cauſa tantum inſtrumentalis, & tamen habebat ipſe multo maiorem perfectionem, quam haberent effectus producti per talia miracula.

Ad ſextum negandum eſt antecedens, & alijs prętermiſſis, de quibus lib. 1. de origin. gratię late tractauimus, ratio à priori ob quam illa repugnat qualitas, ſeu virtus, ea eſt. Quod nulla forma creabilis eſt, quæ tam ſit perfecta, vt gratia, nedum perfectior, eo quod gratia, vt à principio relectionis huius breuiter inſinuauimus, & latius lib. 1. de orig. grat. trac. 2. explicuimus, eſt totalis participatio diuinæ naturæ; qua proinde nulla qualitas poteſt creari perfectior. Vt autem Chriſti humanitas cõſtitueretur in ratione principalis cauſæ effectiuæ gratiæ, oporteret, eleuaretur per formam, quæ eſſet gratia perfectior, aut ſaltem æquè illi perfecta.

Sed dices, ipſamet Chriſti gratia poterit eſſe ſufficiẽs virtus, ad cauſandum in nobis gratiam eiuſdẽ ſpeciei, præſertim cum ex ſubiecto competat ei ſpecialis perfectio cuius virtute in nobis poterit gratiã efficere. Reſpondeo, quod gratia non eſt forma operatiua in exterum ſubiectum: quod vel inde conſtat, quod in nullo iuſto etiam iuſtiſſimo, & in quo gratiam magnam obtinet intenſionem, & perfectionẽ, virtutem habet aliam producendi gratiam: at ſi gratię, hæc virtus connaturalis eſſet, ſicut calori eſt natiua vis alium efficiẽdi calorem, Deus non impediret gratiam iuſtorum, ne ſe aliquando in hunc explicaret effectum. Deus enim non inuidet iuſtis, neque debitam eorum iuſtitiæ perfectionem impedit, aut limitat; ſed promouet potius, & amplificat. Illa autẽ perfectio, quæ in Chriſto accreſcit gratiæ ex ſubiecti perfectione, moralis potius eſt, quam phyſica, vt conſtat ex dictis ſupra q. 3. art. 2. Etſi ad phyſicum pertinet ordinem, inſtrumentalis virtus eſt, & non cauſam principalem conſtituit.

Fateor tamen, quod (ſicut de Chriſti carne, & de tota eius humanitate paulo ſuperius dicebam) ex coniunctione reali, & phyſica ad verbum conuenit gratiæ Chriſti, vt aſſumatur ad cauſandum in nobis iuſtitiam, & gratiam per modum phyſici inſtrumenti, & vt ſit permanenter ad actum primum redacta: vt ex libera Chriſti voluntate poſſit abſque ſui mutatione in actualem gratiarum productionem prodire. Et hoc pertinet ad dignitatem gratiæ Chriſti prout eſt capitis gratia. Omnia quæ diximus in hæc quæſt. pręſertim in concluſ. prima, confirmantur ex eo, quod in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. ſolus Deus vocatur cauſa efficiens gratiæ: at ſi Chriſtus eſſet cauſa eius principalis, diminute docuiſſet Conc. ergo, &c. Dices ex hac corroboratione 1. concluſ. videtur infirmari, 2. concluſ. quia ex hac probatione conſtat non eſſe tutum in fide negare concl. 1. Reſpondetur, quod Chriſtus idcirco cauſa principalis gratiæ effectiua à S. Synod. non vocatur: quia nõ propria humanitatis virtute cauſare poteſt in nobis gratiam, ſed vt plurimũ virtute à Deo ſuſcepta, vt aer illuminat ſicut dixi in conc. 2. lege. Præterea argum. negatiuum non ſatis firmum eſt.

Ad confirmationem nego antecedens. Probationi dico, poſſe quidem Deum efficere creaturam, quę ſit perfectior ijs omnibus, quas creauit, verum illa non haberet ſuperiorem virtutem actiuam ſupra totum naturæ ordinem; eſſet enim intra limites naturæ tota eius poteſtas comprehenſa. Ratio autem à priori, ob quam non ſit communicabilis creaturæ illa excellens virtus miraculorum per modum cauſę principalis factiuę, ea eſt. Quia talis virtus haberet poteſtatem ſupra totum naturæ ordinem, atq. adeo, & ſupra ſeipſam: Dices, quod illa eſſet alterius ordinis, & ita licet haberet vim ſupra totum naturæ ordinem, non tamen ſupra ſeipſam.

Contra. Etiam ſi fingamus pertinere ad gratiæ ordinem hanc poteſtatem non obtineret, quod patet. Gratia eſt forma omnium perfectiſſima, quæ poteſt dari intra totum gratiæ ordinem; at gratia, vt conſtat, hanc vim ſupra totam naturam nõ habet, ergo nulla qualitas eam poteſt habere. Deinde explico eandem illam rationem, quã dixi procedere à priori. Illa virtus eſſet omnipotens, & conſtitueret creaturam omnipotentem, non autem talis virtus in creaturis eſt admittenda; ergo, &c. Probo antecedens, illa virtus haberet vim, & poteſtatem ſupra totum ens, non enim alia ratione poteſt intelligi talem virtutem eſſe effectiuam omnium miraculorũ, nullamque alligationem habere ad naturæ ordinẽ, niſi quia poteſtatem habet ſupra totum ens creabile. Poſſet proinde talis virtus ad creationem ſe extẽdere, & creatura ratione eius poſſet eſſe principalis cauſa creandi, & annihilandi. Item talis virtus ſubijceret ſibi omnem potentiam obedientialem, quæ ineſt creaturis, vt in eis, & ex eis fiat quidquid contradictionem non implicat. Etenim miracula ad hãc obedientialem potentiam pertinẽt. Et qua ratione virtus illa poteſtatem conferret creaturæ ſupra potentiam obedientialem reſpectu vnius ſupernatura-

lis

Digitized by Google

lis effectus, tribueret etiam poteſtatẽ ſupra omnem obedientialem potentiam creaturarum, reſpectu omnium poſſibilium effectuum ſupernaturalium: at potẽtia obedientialis, quæ creaturis ineſt, ſoli earum creatori, eiuſque poteſtati ſubijcitur; creatura enim nonniſi creatori ſuo plene obedit, & hoc quidem ex eo, quod creator plenam habet ſupra totum ens poteſtatem, quæ poteſtas creaturæ repugnat. ergo impoſſibilis eſt virtus, quæ conſtituat creaturam in ratione cauſæ principalis ad facienda miracula.

Hæc argumenta, quæ ita indigeſte, & inordinate propoſui, quia rem hanc inſinuare decreui, & non pertractare, non procedunt de inſtrumentaria virtute, ſiue permanens ſit, ſiue tranſiens. Nam quod potentia obedientialis vnius creaturæ ſubiiciatur alteri creaturæ, vt inſtrumento creatoris, non eſt aliud quam plene ſubiici ipſi creatori, vt non ſolum per ſeipſum, & immediatè, ſed per aſſumpta inſtrumenta poſſit facere, ex creaturis ſuis, & in eis totum quod contradictionem non inuoluit. Præterea. Neq. valet illa conſequentia in virtute inſtrumentali. Hæc virtus poteſt in vnum miraculoſum effectum: ergo poteſt in omnes. Nam cum totam ſuam poteſtatem ſortiatur ex principali agente, determinatam vim habebit iuxta eius voluntatem, & determinationem. Poteſt enim Deus communicare partem ſuæ virtutis alicui qualitati, & non omnem: ad vnum effectum, & non ad alios. Vnde character ſacerdotalis poteſt inſtrumentaliter concurrere ad tranſmutationem ſacramentalem, quæ in ſacramento Euchariſtiæ interuenit, & non valet ad alios effectus etiam minus prodigioſos, & miraculoſos ſe extendere.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrum Chriſtus ſit Angelorum caput, & quid in eos influat ſpiritualis vitæ, & motus.

HIs expeditis quibus conſtat Chriſtum caput eſſe hominum, & conſtat ſimiliter quem influxum in ipſos habeat. Ad Angelos neceſſum eſt noſter deinceps decurrat tractatus, explicandumque erit proinde in hoc tertio dubio. Num Chriſtus Angelorum ſit caput, & quid in eos influat ſpiritualis vitæ, & motus. Sermoque tantum nobis eſt de Angelis bonis, & ſanctis: etenim quod Angeli nequam, & propter ſua ſcelera in perpetuum damnati, nulla ratione ad Chriſtum vti membra corporis eius attineant, in dubium reuocari non debet. Nam ſi homines, qui in hoc ſtatu fideles, & membra Chriſti fuerunt, in illo damnationis ſtatu poſiti excluſi totaliter à Chriſti corpore in perpetuum remanebunt, vt dubio præcedẽti diximus, quid obſecro de Angelis prauis, & ſceleratis erit cenſendum? De Angelis ergo tantum ſanctis, & beatificatis præſens inſtituitur diſputatio; quæ vt dixi ad duas difficultates in præſentia exponenda reducitur, in priori breuiter explicabitur. Num Chriſtus vere, & proprie debeat cenſeri Angelorum caput. In ſecunda. An influat in eos gratiam, & eſſentialem gloriam, aut quem, qualemue in eos habeat influxum.

Prima pars dubitationis ſi Chriſtus eſt Angelorum caput.

§. 1. *Proponitur prima ſententia negatiua cum ſuis fundamentis.*

AD exponendam ergo difficultetem priorem accedamus. In qua duę ſunt diuerſę opiniones, quarum prima docet Chriſtum non propria ratione caput Angelorum vocari, neque Angelos proprie eſſe corporis Chriſti membra. Ita docent S. Bonauentura in 3. diſtin. 13. quæſt. 3. Altiſiodoren. io loco ſuperius citat. quæſi. 2. Driedo lib. de captiuit. redempt. gener. hum. tract. 2. cap. 2. artic. 5. propoſi. 4. Soto. in 4. diſtinct. 49. quæſtion. 4. artic. 2. in fin. expreſſe dicit, quod Chriſtus tantum vt Deus eſt Angelorum caput propendit in eandem ſententiam. Gabriel in 3. diſtin. 13. quæſt. 3. dub. 2. Hæc ſententia probatur. Primo teſtimoniis Patrum. Nam communiter Patres Gręci illa verba Paul. ad Coloſſen. 2. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*, interpretantur de Chriſto, vt Deo, Chriſoſtom. hom. 1. ad Epheſ. circa finem huic quamplurimum fauet ſententiæ, quem ſequitur Theophilat. ibi. Verſanſq. Chryſoſt. illa verba Paul. ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*: hæc verba, *Omnem Eccleſiam* refert, ad Eccleſiam ex Iudęis, & gentibus conſtantem, & non refert ad Angelos. Et ſi legantur hæc Paul. verba, vt habetur gręce, ſcilicet, *Ipſum dedit caput ſuper omnia*, commodam quoque habent intelligentiam, etiam ſi ad Angelos non referantur. Etenim hic ſenſus Chriſtum datum eſſe caput Eccleſiæ ſuper omnia, ideſt, vt omnibus bonis ipſam repleat eccleſiam, ipſique prouideat in omnibus. Ad hunc modum expoſuit Anſelm. hæc verba ibidem. Fauet huic ſententiæ Aug. in Enchiridion. c. 56. illis verbis. *Qui, ideſt, filius Dei etiam de corpore ſuo per quod factus eſt caput eccleſiæ, quæ in hominibus eſt, vt ſit ipſe in omnibus primatum tenens*. Ecce dicitur factus caput Eccleſiæ, quæ eſt in hominibus: Et cum ibi Auguſtin. etiam loqueretur de Angelis, vt patebit legenti, eoſque dixerit eſſe partes cœleſtis eccleſiæ, manifeſte videtur condiſtinguere Angelos ab hominibus, ſoloſque homines membra Chriſti conſtituere. Hæc ſententia probatur duplici ratione. Prima. Angeli non habent conformitatem cum Chriſto in natura humana, ſed ad veram, & propriam capitis rationem neceſſaria eſt hæc conformitas, nam alias impropriiſſime ſaluabitur ratio capitis, ergo.

Secunda ratio. Chriſtus non influit in Angelos gratiam, & gloriam, ſed hęc omnia acceperunt immediate à Deo abſque Chriſti meritis, ergo non eſt propriè illorum caput. Confirmatur. Chriſtus influit in homines ſpiritualem animæ vitam, gratiam ſcilicet, & gloriam: hanc autem non influit in Angelos: ergo non eſt caput Angelorum eadem ratione qua eſt hominum caput. Et ex conſequenti non eſt propriecaput eorum, ſed vt plurimum diminuta, & imperfecta ratione, quatenus gloriam quandam accidentalem in eos influit. Et augeo vim huius argumenti: influxus quem Chriſtus influit in Angelos, imperfectus eſt, & ſecundum quid: non

enim

Digitized by Google

enim influit eſſentialem ſpiritus vitam, ſed accidentalem quandam perfectionem, quæ non per ſe pertinet ad cõſeruandam ipſam ſpiritualem vitam. Influxus autem, eius capitis, quod vere caput eſt, per ſe requiritur eſtque ſimpliciter neceſſarius ad ſubſtantialem membrorum conſeruationem, ergo ratio capitis vel nullo: vel imperfectiſſimo modo competit Chriſto, vt homini comparatione ad Angelos.

§. 2. *Proponitur ſecunda ſententia affirmatiua quam ſequitur, & probat Auctor.*

SEcunda ſententia in alio extremo docet, Chriſtũ vt hominem: ſimpliciter eſſe caput hominum, & Angelorum, & ſi perfectiori modo poſſet dici hominum caput: tum propter maiorẽ conformitatem quam cum ipſis habet per humanam naturam; tum præcipuè, quia in homines influit ſpiritualem animæ vitam, quantum ad eius eſſentiam & ſubſtantialem perfectionem, influit enim gratiam, & eſſentialem gloriam. In Angelos vero gloriam tantum influit accidentariam. Docet hanc ſententiam S. Tho. 3. par. quæſt. 8. ar. 4. quam communiter eius ſequuntur diſcipulis, & antiqui, & moderni. Sed alij etiam quamplures Theologi in 3. diſt. 13. huic adhęrent ſententiæ. Fauent huic ſententiæ Auguſt. in enarratione Pſalm. 138. verſans illud. *Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos. &c.* Ita enim dicit. *Sicut bonorum caput Chriſtus eſt, ſic malorum caput, Diabolus.* In Enchyridion loco pro contraria ſententia citato aperte fauet huic ſententiæ. Si legatur attente. Et in Pſal. 36. hanc ſententiam apertè docet. Inquit enim [quod eſt caput totius Hyeruſalem adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna ciuitas ſub vno Rege, &c.] Non potuit hæc veritas ab Auguſ. clarius exprimi. Cui fauet Hylar. ſuper Pſal. 129 in illa verba. *Caput circuitus eorum*, & lib. de ſynodis c. 28. Hæc ſententia colligitur ex Paul. ad Epheſ, 1. ibi. *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, quæ eſt corpus eius. Ponderanda ſunt illa verba, ſuper omnem Eccleſiam. Nam qui omne dicit nihil excludit. Cum ergo Angelorũ beatorum Reſpublica ſub eccleſiæ nomine comprehendatur, fatendum eſt Chriſtum eſſe Angelorum caput. Quod ibi Paul. de Chriſto, vt homine loqueretur, apparet manifeſtum: loquebatur enim de Chriſto à mortuis ſuſcitato, & ad dexteram Patris ſedente. Quæ Chriſto, tantum vt homini, competunt. Et hoc ipſum colligitur ex illo verbo, *dedit*, quod iam ſuperius ponderauimus. Ad Coloſ. 2. videtur hæc veritas expreſſa illis verbis. *Qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* Vbi etiam ex contextu liquet de Chriſto, vt homine ſermonem fieri.

Ratione præterea probatur iſta ſentẽtia, Chriſtus in ordine gratiæ eſt perfectior Angelis. etiam inquã tum homo (licet ratione naturæ ſit aliquantum inferior) influit in ipſos ſpiritualem motum, nimirum, ſpirituales reuelationes, & illuminationes, vt docent. Dionyſius cap. 7. cęleſtis hyerarchiæ exponens illa verba Iſai. 103. *Quis eſt iſte qui venit de Edom.* & Hieronym. ſuper c. 3. ad Epheſ. verſans illa verba. *Vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus &c.* Gaudia etiam ſpecialia per Chriſtum competunt Angelis iuxta illud Luc. cap. 15. *Gaudium eſt Angelis in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Item Chriſtus, vt homo, & vt hominum redemptor gubernat Angelorum Rẽpublicam, eorumque diſponit miniſteria. *Sunt enim omnes*, vt inquit Paul. ad Hębr. 1. *aminiſtratorii ſpiritus propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Recognoſcunt Angeli Chriſtum, vt hominem tanquam ſuperiorem, quem venerantur, & cui ſeruire tenentur; iuxta illud ad Hebr. 1. *Et cum iterum introduxit Primogenitum in orbem terræ dixit. Et adorent eum omnes Angeli eius.* Et Math. cap. 4. dicitur quod *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Iſtę autem proprietates ſufficiunt conſtituere ſimpliciter rationem capitis. Nam in capite, naturali ex quo hæc denominationis metaphora ad Chriſtum deriuatur, hæc reperiuntur potiſſima, ſcilicet, eminentia, influxus, & corporis gubernatio, ergo. &c.

Confirmatur, Chriſtus vt homo cõformitatẽ habet ſufficientem cum Angelis, vt poſſit abſque improprietate vlla caput eorum vocari: conuenit enim cum eis in gratia, & cęteris ſupernaturalibus chariſmatibus. Sed hæc conuenientia ſufficientiſſima eſt. Nam cum Chriſtus non ſit caput Angelorum in ordine naturæ, ſed in ordine gratię ſufficit cõformitas in gratia, & ſpiritualibus donis ad gratiæ ordinem ſpectantibus, vt verè, & propriè Angelorum caput dici poſſit. Imo vt S. Th. 3. p. q. 8. ar. 4. ad 1. aduertit, etiam in eſſe naturæ reperitur conuenientia inter Chriſtum, & Angelos, ſecundum ipſam Chriſti animam, ex qua principalis influxus ad Angelos prouenit. Et licet ex Chriſti corpore aliquid quoque perfectionis ad Angelos deſcendat: Vnde Chriſtus etiam ſecundum corpus caput ſit Angelorum, hoc tamen totum radicaliter ex anima prouenit, ex eiuſque beatitudine, & gloria, quæ ad ipſam Chriſti carnem deriuatur. Hac vtraque conformitate præſuppoſita inter Chriſtum, & Angelos, & priori præſertim, quæ eſt ſecundum ordinem gratiæ, nulla videtur poſſe probabili ratione negari, quin Chriſtus verè & propriè (ſeruata tamen metaphora ad caput naturale) debeat vocari Angelorum caput, cum aliæ conditiones, quæ requirſitur ad capitis rationem, non deſint, vt conſtat ex paulo ante dictis.

Hæc poſterior ſententia eſt ſine dubio vera. Cuius tanta eſt certitudo; vt non defuerint viri doctiſſimi, quibus contraria ſententia non modo improbabilis, verum, & temeraria viſa fuerit. Ita cenſuit Mag. Medina 3. p. q. 8. art. 4. Cæterum hæc cenſura nimium apparet rigoroſa: quoniam graues authores, quos ſuperius retuli, contrarium docuerunt, quos non licet tam graui ſubnotare cenſura, niſi efficaciſſima cauſa vrget. Et quidem non tam vrgens eſt in præſentia vt Mag. Medinæ viſum eſt: quoniam teſtimonia ſcripturæ ſacræ, in quibus Chriſtus caput ſupra omnem eccleſiam, & omnes principatus, & poteſtates aſſeritur, cum aliquali apparentia explicationem admittunt. Et quidem libentius ego dicerem hanc ſecundam ſententiam eſſe certam ſecundum fidem, & oppoſitam fidei contrariam (quamuis hoc reputo falſiſſimum) quam dicerem ſententiam primam temerariam eſſe. Etenim rationabilius diceretur materialiter, & inculpato errore deceptos fuiſſe authores, qui prędicta Paul. teſtimonia explicauerũt de Chriſto, prout eſt Deus, aut eius ſuperioritatem

in rationecapiti ad Eccleſiam ex Iudęis & gentibus tantum, & non etiam ad Angelos retulerunt: quamquod Theologi, qui modo tantorum virorum antiquorũ ſententiam ſecuti hanc tuerentur doctrinam, temerè loquantur: temeritas enim conſiſtit in hoc, quod quis in re admodũ graui ſine fundamento, & authoritate loquatur, à communi omnium, aut fere omnium ſententia recedens: quod planè in præſentia non contingit. Sũt enim viri grauiſſimi, vt ex his, quæ circa primam ſententiam diximus, conſtat, qui arbitrati ſunt in illis Paul. teſtimonijs, nullatenus de Angelis ſermonem fieri, neq; oppoſitum poterit demonſtrari. Præterea non deſunt apparẽtes rationes, quibus innitatur illa ſententia: cur ergo temerarius cenſeri debet, qui docuerit ſententiam viris doctiſſimis probatam, & apparentibus fulcitam rationibus? Ceſſet ergo iſte tantus rigor, & ſatis fuerit dicamus, ſecundam ſententiam eſſe longe probabiliorem oppoſita: imo abſque dubio veram.

Et antequam diſſoluamus contrariæ ſententiæ argumenta, aduertendum eſt, quod in præſentia nõ tã de re ipſa agimus, quàm de ſermonis proprietate. Fateri enim tenemur omnes, in Chriſto Domino reperiri illa omnia, quæ in rationibus pro ſecũda ſententia factis expoſuimus; nimirum, excellentiam, ſuperioritatem, influxum, atque itidem conformitatem ſecundum ordinem gratiæ: imo & in ordine naturæ, iuxta modum ibi expoſitum. Tota tamen controuerſia eſt, an iſta ſufficiant, vt omni cum proprietate, & rigore ſermonis capitis metaphora accommodanda ſit Chriſto comparatione ad Angelos. Et hinc conſtat, hanc controuerſiam non eſſe tam grandis momenti, vt authoribus contrariæ ſententiæ temeritatis notam imponere debeamus: cum de voce potius quam de re ipſa tota ſit fere diſceptatio. Et ſi neque hac de cauſa ſit contemnenda: debent enim proportionata verba rebus grauiſſimis accommodari. Sed iam ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondeamus: & ad Patres, qui contrariũ docuiſſe videntur, dicitur, quod forſan nihil intellexerunt aliud, quam quod non tanto cum rigore, tantaque cum proprietate capitis metaphora accommodatur Chriſto reſpectu Angelorum; atque illi competit comparatione ad homines; quod eſt veriſſimum, tum propter maiorem conformitatem ad homines, tum quia non influit in Angelos gratiam, & gloriam eſſentialem, vtramque tamen in homines influit.

§.3. *Soluuntur argumenta in oppoſitum.*

AD primam rationem dicitur, quod ſi illa ratio aliquid efficeret, probaret ſimiliter, Deum nõ eſſe caput rerum omnium, imo neque Angelorum: quia ſola analogica conuenientia reperitur inter Deum, & creaturas omnes. Quocirca reſpondetur, ſufficere conuenientiam quam Chriſtus habet in gratia, & gloria cum Angelis, vt abſque vlla improprietate dici poſſit eorum caput: ſed & in eſſe naturali aliqua etiam eſt conuenientia, quam ex S. Tho. ſuperius retuli, & declaraui.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, quod in naturali capite requiritur ille influxus ſubſtantialis conſeruatiuus membrorum in naturali, & ſubſtantiali vita totius ſuppoſiti. Ad caput vero morale, & quod per analogiam ad caput naturale vocatur caput, non eſt neceſſarius tam ſubſtantialis influxus, etiam in illo ordine in quo eſt caput: ſed ſatis fuerit, quod reperiatur verus influxus ad moralem ordinem ſpectans, cum ſuperioritatis, & eminentiæ dignitate, & vtrumque in Chriſto comparatione ad Angelos inuenimus, quod eſt ex dictis manifeſtum.

Illa veritate ſuppoſita, quam præcedenti difficultate expoſuimus. Chriſtum, videlicet, verè, & propriè caput eſſe Angelorum, exponendum ſupereſt, num Angeli gratiam, & eſſentialem gloriam per Chriſtum, & ex meritis eius acceperint. Compendioſa reſolutione decreui in huius difficultatis deciſione procedere. Vnde illa primum proponam, in quibus non pauci Theologi ex ſcholis, Thomiſtica, & Scotica conueniunt. Referam deinde ea, in quibus maior verſatur diſceptatio, ſimulq; meam explicabo ſententiam, vel potius S. Tho. doctrinam: nam licet eius commentatorem modo non agam: eam & explicare & tueri multis titulis meum eſſe putaui: quãuis, vt verum fatear, ille mihi eſt potiſſimus, & fere ſolus, quod ipſum in omnibus ſumma cum eruditione, ingenioque feliciſſimo rectum tramitem ſequi video: ſed tam rem aggredior.

Illud primum inter vniuerſos, qui ex ſcientia loquuntur, cõuenit Theologos, Chriſtum Angelos nõ redemiſſe, ac ſubinde neq; pro ipſis paſſum fuiſſe, & mortuum. Huius oppoſitũ videtur dixiſſe Origenes homil. 1. in Leuit. cuius ſententiæ meminit Hieron. ad Epheſ. 1. 2. & 4. Sed hæc Origenis ſententia ſi ad Angelos, qui peccauerunt referatur, non modo falſa eſt, & improbabilis, verum manifeſtus error in fide: ex illa ipſi Origeni adſcripta hæreſi dimanans, quæ affirmat pœnas dæmonum, & aliorum damnatorum non eſſe in perpetuum duraturas. Si vero referatur ad Angelos Sanctos, & iuſtos, in eo ſenſu vtcunq; poſſet ſuſtineri, ꝙ Deus intuitu paſſionis Chriſti Angelos præſeruauit à peccato. Non quidẽ ad eũ modum, quo Theologi graues docent B. Virginem ex Chriſti paſſione, & meritis abſq; originali culpa præſeruatam: etenim B. Virgo eo ꝙ filia Adæ obnoxia erat culpæ originali contrahendæ ex vi naturalis ſuæ generationis: vnde & verè in Adam peccauit (quod nonnulli errantes negant) & verè fuit redempta per Chriſti paſſionem, & ſanguinem: & eius ab originali culpa præſeruatio, ad redemptionem per Chriſtum factam, attinuit: de qua re alibi eſt dicendum. Cæterum Angeli nullo tenebantur debito ad culpam aliquam contrahendam: ſed eatenus præſeruati dicuntur ex Chriſti meritis, quatenus Deus intuitu meritorum Chriſti, & paſſionis eius ipſos Angelos in officio virtutis continuit, in Deique amore, & obſequio ſtabiliuit, & firmauit, ne peccantibus Angelis conſentientes peccarent, & ruerent.

Hoc dixi, poſſe vtcumque defendi abſque periculo quidem erroris in fide, non tamen abſque periculo falſitatis. Nam ego hanc ſententiam falſam eſſe omnino crediderim: quoniam paſſio, & mors Chriſti non ad præſeruandum à peccato, & ad innocentiæ ſtatum confirmandum fuit à Deo deſtinata;.

Sed ad redimendum humanum genus ab originali culpa, & ab alijs peccatis per modum

cuiuſdam vniuerſalis medicinæ fuit à Deo prçordinata,& à Chriſto acceptata,& perpeſſa. *Traditus eſt enim,& à Patre,& à ſemetipſo propter peccata noſtra.* Rom.8. Confirmatur,ſuperius diximus,& probauimus, quod erraret in fide, is qui diceret Chriſtum venturum eſſe in carne paſſibili, & mortali, etiamſi nullum extaret in natura humana peccatum: ergo paſſio Chriſti per ſe, & primo deſtinata fuit in remedium peccati: atque adeo cum omnia merita Chriſti in paſſione velinchoata, vel conſummata, fundamentum habuerint,per ſe referuntur ad remedium peccati: & ex conſequenti virtute illorum Angeli non perſeuerauerunt in ſua innocentia,& prima gratia. Et quamuis quidam ex Patribus huic ſententiæ de prçſeruatione Angelorum à peccato fauere videantur,vt fauet Cyril. Alexand.lib.5. in Iſa.tom. 2.fere à principio,his verbis.*Per ipſum,* ſcilicet Chriſtum,*omnis ſanctificatio ſpiritualis,tum in Sanctis Angelis,tum in nobis ipſis,inſita eſt,*& Gregor.hom.4.in Ezech. dicens. *Quod vnigenitus Dei,eſt firmitas Angelorum,*& lib. 1. Reg.cap.12.inquit: Angelos, & homines ſanctificatos fuiſſe per Chriſtum, S Bern. ſerm.22.in Cantica,dicit Chriſtum prçſeruaſſe Angelos à peccato.Fauet denique Hierony.in illa verba ad Eph. 1. *inſtaurare omnia,&c.* Sed reuera hi Patres non de Chriſto vt homine: ſed de ipſo vt diuino verbo loquebantur,cum iſta dixerunt. Itaque intendunt Angelos debere Chriſto vt Deo omnem ſuam ſpiritualem vitam & gloriam,cui nos vt Deo homini cuncta noſtra bona debemus. Ex his colligitur veritas ſententiæ propoſitæ ex communi Theologorum doctrina: Chriſtum videlicet neque mortuum fuiſſe pro Angelis,neque eos redemiſſe.Fatetur quidem Auguſt.Chriſtum morte ſua reparaſſe Angelorum ruinas ex hominibus,quos paſſione ſua, & pretioſo redemit,&acquiſiuit ſãguine,qua ratione Deus inſtaurauit omnia in Chriſto,quę in cœlis,& quę in terra ſunt in ipſo,vt Paul.inquit ad Epheſ. 1. in quo loco Theodoret. Eucumenius, Veneta. Beda,S.Anſel.& alij, idem cum Auguſt. docent. Quod docuit etiam Magnus Gregorius in ſuis moralibus, verſans illa verba Iob c. 38. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei:* at quod ipſos Sanctos Angelos Chriſti paſſio redemerit, Patres hi grauiſſimi non dixerunt,ſed ſolus Origenes, cui Hieronym. non conſenſit, quamuis eius ſententiam loco citato retuletit. Imo neque dixerunt eos à peccato prçſeruaſſe: quia vniuerſi Patres,& Greci & Latini in ea ſententia perpetui fuere, Vnigenitum Dei filium non niſi in peccati remedium humanam aſſumpſiſſe naturam.

In alio etiam conſentiunt graues Theologi, etſi diſſentiant nõnulli,nimirum,Angelos in prima ſanctificatione, quam in primo ſuæ creationis inſtanti ſimul cum natura acceperunt, infuſa fide cognouiſſe Chriſtum in carne venturum,futurumque eſſe caput totius cœleſtis Reipublicę, tutiuſq; Angelicæ gloriæ conſummatorem,& ſi accidentaria cõſummatione. Hanc ſententiam multis effecit valde probabilẽ Sapientiſſimus noſter Bannes in egregijs ſuis ad primã partem S. Tho. commentarijs q.57.ar.3.neq;libet ad hunc locum rudiori ſtilo transferre, quę doctiſſimus hic Pater eximia cum eruditione illo in loco pertractauit. Theologi,qui cum S.Bernard. ſermon. 17.in Cantica, dixerunt Angelos peccaſſe ex inuidia & odio, quod contra Chriſtum conceperunt, fateri tenentur hanc ſententiam, quam ego libentiſſimè amplector: & conſentio quoque libenter dicentibus in peccato Angeli interueniſſe Chriſti odium eiuſq; inuidiam. Sed ita tamen hanc doctrinam intelligendam eſſe arbitror, quod primum ſimpliciter Angeli peccatum fuit formaliter ſuperbia illa, qua Angelus plus nimio coram Deo factore ſuo elatus eſt, honorem ſuum,propriamque gloriam Dei gloriæ,& honori præferens: ita quod primum eius peccatum non Deum vt hominem, ſed Deum vt Deum reſpexerit. Vnde ſuperbus Angelus aduerſus ipſum Creatorem ſuum,ſupremumque ſpiritualis gratiæ omnis authorem, manum leuauit ſuam, propriumque voluit extollere manipulum, ſupra omnia cœli aſtra ſolium ſuum fundare ſuperbiſſima elatione affectauit,vt omnibus prçeſſet, & vt Rex eſſet & caput ſuper omnes filios ſuperbiæ. Cuius peccati exactiſſimam rationem S.Thom.1.par.q.63.art.3 nos luculenter docuit. Mox tamen ex hoc peccato in aliud incidit ſuperbiæ quoq; crimen, aduerſus Chriſtum vt hominem,ipſum contemnens. Et quoniam vidit eum futurum eſſe in tota cœleſti Republica caput,& principem,magnam eius auctoritatis & gloriæ concepit inuidiam,inteſtinoque ipſum odio ſemper fuit proſecutus, ita vt non ineptè hac ratione intelligamus S.Ioan. cap.8. homicidam ab initio vocaſſe. Sed ſat fuerit breuiter hæc inſinuaſſe, & ad vlteriora deinceps progrediamur, diuerſaque Theologorum referamus placita.

SECVNDA PARS DVBITAT. TERTIÆ.

Vtrum Angeli habuerint gratiam,& gloriam eſſentialem ex Chriſti meritis.

§.1. Proponitur prima ſententia affirmatiua cum ſuis fundamentis.

Eſt ergo prima Theologorum opinio, quæ docet Angelos,omnem ſuam gratiam,& eſſentialem gloriam ex Chriſti meritis fuiſſe aſſequutos, fatetuq; abſolutè iſta ſententia Chriſtum fuiſſe cauſam prædeſtinationis Angelicæ: quamuis in modo explicandi hanc cauſalitatem,non omnino huius ſententiæ authores inter ſe conueniant. Sed quod ad prædeſtinationem attinet,præmittendum eſt à nobis.

Probatur autem ſententia iſta: qua ratione docet Angelos gratiam, & gloriam ex Chriſti meritis accepiſſe. Primo probatur ex illo Paul. ad Hebr. 2.*Decebat eum,propter quem omnia, & per quem omnia: qui multos filios in gloriam adduxerat authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummari.* Ex quo loco ſic argumentor. Priuſquam Chriſtus per paſſionem conſummaretur, neminem ex hominibus in gloriã adduxerat: ergo filij, de quibus hic loquitur Paul. ipſi fuerunt Angeli. Neque ſufficit ſolutio à quibuſdam adhibita, qui dicunt non de Chriſto, ſed de æterno Patre intelligẽdũ eſſe,qui multos filios, &c. Et dicunt conſequenter non eſſe legendum conſummari,ſed conſummare. Non ſufficit inquam,hæc ſolutio ad vim argumenti euacuandam: quoniã re ipſa idem eſt ſenſus huius teſtimonij, & eandem ingerit diffi-

difficultatem. Nam licet de patre æterno intelligantur illa verba, *Multos filios in gloriam adduxerat, &c.* Sed tamen Chriſtus alteritur author ſalutis eorum: ergo Chriſtus author fuit Angelorum ſalutis.

Secundum argumentum ſumitur ex illo Rom. 5. *Non ſicut delictum ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit.* Ex quo teſtimonio tale induco argumentum. Non verè diceretur Chriſti gratiam in plures abundaſſe, quam peccatum primi hominis, niſi ad Angelos extenderetur. Nam reſpectu hominum non ad plures ſe extendit, cum peccatum illud primum totũ humanum genus inuaſerit: ergo, &c. Et cõfirmatur. Peccato originis non ſolùm quoad ſufficientiam, ſed quoad efficaciam etiam inficiuntur omnes: at Chriſti gratia, eiuſq; redemptio non ad omnes homines ſecundum efficaciam ſe extendit: ergo vt gratia Chriſti abundantior ſit, & quoad ſufficientiam, & quoad efficaciam, oportet dicamus Angelos & iuſtificatos, & glorificatos fuiſſe ex Chriſti meritis, ex ipſiuſque gratia.

Tertium argumentum, Chriſti prædeſtinatio in diuina præſcientia anteceſſit prioritate finalis cauſæ & gratiæ, & gloriæ omnium hominum, & Angelorum præſcientiam, & prædefinitionem: imo & præordinationem conſtitutionis totius vniuerſi: ergo meritorum Chriſti præſcientia anteceſſit Angelorũ prædeſtinationem: atque adeo ex meritis Chriſti in æterna preſcientia præhabitis, & præuiſis prædeſtinati fuerunt Angeli, & conſequenter iuſtificati, & glorificati: cum enim Chriſti merita infiniti fuerint valoris, nulla eſt ratio, ob quam eorum virtus non ſe ad hæc omnia extenderet. Confirmatur. In præclaram Chriſti dignitatis excellentiam quamplurimũ cedit, quod virtus eius, & meritum ad gratiam & gloriam Angelorum ſe extendat, præſertim ſi id fieri potuit ipſa redemptoris ratione ſeruata: ſed ſuppoſito, quod Chriſti prędeſtinatio in ordine finalis cauſæ ſingulorum prædeſtinationem anteceſſerit, hoc fuit poſſibile, cum Chriſtus cum ſuis omnibus meritis præuiſus fuerit antequam prædeſtinarentur Angeli: ergo, &c.

Quartum argumentum. Angeli fuerunt iuſtificati ex fide Chriſti: ergo ex eius meritis per fidem applicatis iuſtitiam acceperunt, & gloriam: conſequentia apparet manifeſta. Antecedens vero conſtat ex his, quæ in ſecundo fundamento à principio ſuppoſuimus.

Denique vltimo argumento confirmãtur hęc omnia ex doctrina S. Thom. ſuper cap. 1. Ioan. lectio. 10. in illa verba *De plenitudine ipſius nos omnes accepimus.* Vbi ait, quod de plenitudine Chriſti acceperunt omnes Patriarchæ, Prophetæ, & etiam Angeli. Et mox ſubiunxit, quod gratia Chriſti principale principium eſt omnis gratiæ, quæ in vniuerſis intellectualibus creaturis reperitur. Ecce manifeſtam S. Tho. ſententiam. Hanc opinionem ſic confirmatam docent graues Theologi. Ruardus Taper Decanus Louanien. in articulo de iuſtificatione non longe à principio, Vighuerius in lib. de Theolog. inſtit. c. 3. §. 2. & cap. 20. §. 1. Catharin. in lib. de glor. Angelorum. Petrus Galatinus lib. 3. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 4. Ioan. Arboreus lib. 3. Theoſophiæ c. 13. & nouiſſimè Franciſcus de Carthagena lib. de prædeſt. & reprobatione Angelorum diſcurſu 6. Et denique omnes illi Theologi, qui exiſtimant Chriſtum abſque vlla dependentia à præſcientia peccati fuiſſe prædeſtinatum, in hanc ſententiam pedibus eunt ac manibus.

Eſt ſecunda ſententia, quæ docet gratiam & gloriam collatam fuiſſe Angelis duplici titulo. Altero ſummæ liberalitatis & gratiæ Dei abſque habitudine aliqua ad Chriſti merita. Altero vero ex iuſtitiæ rigore, id eſt, ex Chriſti meritis ipſis Angelicis ſpiritibus applicatis. Itaque iſta ſententia eo modo procedit de gratia, & eſſentiali Angelorum gloria: quo ſupra in hac quæſtione dub. 1. nos diximus eſſe probabile collatam fuiſſe gratiam Adæ in ſtatu innocentiæ conſtituto.

§. 2. *Proponitur tertia ſententia negatiua, quam ſequitur Author.*

Tertia denique ſententia docet Angelos non accepiſſe ex Chriſti meritis gratiam, & eſſentialem gloriam, ſed ex ſola Dei voluntate ex qua prædeſtinati ſunt ad æternam vitam. De gloria tantum eſſentiali in hac cõcluſione fit ſermo. Fatentur enim vniuerſi Theologi, vt conſtat ex dictis circa difficultatem præcedentem, accidẽtariam gloriam ex Chriſto, & per Chriſtum Angelis obuenire: quæ & ſpecialibus reuelationibus, & gaudijs conſtat, quæ circa creaturas verſantur, præſertim circa humanæ redemptionis opera. Docuit ſine dubio hanc ſententiam S. Thom. tum alias, tum præcipuè 3. par. q. 8. ar. 4. Sequuntur S. Thom. omnes ferè eius diſcipuli, è quorum numero non eſt Caietan. excipiendus. Nam licet 3. par. quæſt. 7. artic. 11. dixerit Chriſti gratiam, & meritum prodeſſe etiam Angelis: intelligendus tamen eſt non de gloria eſſentiali Angelorum, ſed quod profuit eis quantum ad conſummationem accidentariam gratiæ, & gloriæ ipſorum. Quæ intelligentia violenta non eſt, cum Caieta. ipſe in eadem 3. par. quæſt. 1. art. 3. expreſsè docuerit Deum abſque pręuiſione meritorum Chriſti decreuiſſe conferre gratiam, & gloriam Angelis. Omnes Theologi, qui conſentiunt Sanct. Thom. docenti, Chriſtum non venturum, niſi extaret in humana natura peccatum, hanc docuerunt ſententiam, paucis exceptis, qui ſecundæ adhęſerunt opinioni. Pro deciſione igitur huius difficultatis, ſequentes ſtatuo concluſiones.

§. 3. *Prima concluſio.*

SVppoſita S. Thom. doctrina, quę docet Chriſtum non venturum ſi non peccaret primus homo, & quæ docet Chriſtum per ſe primo fuiſſe prędeſtinatum in peccati remedium, non apparet vera, neque multum probabilis ſententia, quę docet ex Chriſti meritis Angelos, & ſuam gratiam, & eſſentialem accepiſſe gloriam: neque etiam in ſenſu explicato in ſecunda ſententia. Probatur hęc concluſio. Primo. Omnis gratia ex Chriſti meritis promanans eſt gratia Redemptoris, & gratia ſanans: ſed Angeli non ſunt participes redemptionis factę per Chriſtum: non. n. ipſos redemit Chriſtus, neq; pro ipſis mor-

tuus eſt, vt à principio huius difficultatis ꝓbauimus, & vt communem præſuppoſuimus Theologorum ſententiam. Non ergo Angeli gratiam ex Chriſti meritis prouenientem acceperunt.

Sed arguit quiſpiam. Adam in ſtatu innocentiæ accepit gratiam ex Chriſti meritis, etiam ſuppoſita prædicta S. Thom. ſententia. Eadem igitur ratione poteſt, imo debet concedi Angelis ſimiliter ob præuiſa Chriſti merita gratiam fuiſſe datam: ita vt duplici illo titulo per ſecundam ſententiam explicato gratiam acceperint, ipſamque itidem eſſentialem gloriam: quod vero ſit eadem ratio patet. Nam ſicut Angelorum prædeſtinatio non præſuppoſuit præſcientiam originalis peccati, neque in Chriſti meritis fundamentum habuit: ita neque gratia in ſtatu innocentiæ Adæ collata præſcientiam peccati præſuppoſuit, aut ex Chriſti meritis per ſe primo habuit ortum.

Huic argumento neganda eſt conſequentia. Illud autem aſſignandum eſt diſcrimen inter gratiã Adæ, & Angelorũ gratiã, & gloriam, quod inſinuauimus ſuperius dub. 1. huius quæſtionis, videlicet, quod gratia Adæ, quatenus fuit principium meritorum, quæ per Chriſti gratiam reuixerunt, & tandem peruenerunt ad præmium, debuit pertinere ad Chriſtum; licet ſecundum ſubſtantiam ſuam non attineret ad redemptionem per Chriſtum factam; plurimũ enim vniuerſalitatem gratiæ Chriſti dedeceret, quod quis in gloria præmium reciperet propter merita, aliter quam ex Chriſti meritis habita. Ad hanc primam rationem reducuntur aliæ duæ, quæ in hac præhabẽtur incluſæ. Altera, quia illa gratia per Chriſtum, & eius merita eſſentialem ſui erat conſũmmationem aſſequutura. Et altera, quia ex ipſius Chriſti virtute, & meritis tandem erat reparanda, Iſtæ autem rationes totaliter defuerunt gratiæ Angelorum: quę neq; in ſui reparatione, neque vero in eſſentiali conſummatione ex Chriſti meritis dependentiam habuit.

Verum dices, gloria Angelorum perfectionem acceptura erat, & vltimatam conſummationem per Chriſtum, & ex meritis eius. Igitur hac ratione potuit conferri ex Chriſti meritis: ita quod Angeli duplici illo ſupradicto titulo vtramque iſtam perfectionem acciperent.

Reſpondetur, quod hæc perfectio, & conſummatio gloriæ, quæ per Chriſtum aduenit Angelis, accidentalis prorſus eſt, & quæ eſſentialem ipſam eorum beatitudinem non immutat: conſiſtit enim in operationibus omnino diſtinctis ab his, in quibus ſita eſt eſſentialis eorum gloria, atque adeo aſſignata ratio inſufficiens prorſus eſt, vt dicamus Angelos gratiam, & gloriam, ex Chriſti meritis accepiſſe.

Hanc concluſionem aliter probant Theologi graues, in hunc videlicet modum. Prædeſtinatio eſt efficax tranſmiſſio creaturæ intellectualis ad beatitudinem per certa, & determinata media; quæ proinde eſt omnino inuariabilis: ergo ſi Angeli in primo ſigno, antequam. ſ. præuiderentur Chriſti merita, prędeſtinati fuerunt ad gloriam eſſentialem, eorũ prædeſtinatio omnino fuit inuariabilis; atque adeo in alio ſigno, in quo præuiſa fuerunt merita Chriſti, nullum aliud medium fuit ſuperadditum, neq; quicquam aliud per quod beatitudinem cõſequerentur, alias enim variationem admitteret primum illud Angelicæ prædeſtinationis decretum.

Hæc tamen ratio apparet inefficax. Nam qui contrariã tenent ſententiam, non dicunt, quod ex Chriſti meritis aliquem gradum gratiæ, aut gloriæ acceperint Angeli illi ſuperaddito, quem acceperunt ex vi primi decreti prædeſtinationis eorum: ſed quod nouo ſuperueniente meritorum Chriſti titulo, eiuſdem gradus gratiæ, & gloriæ collatio ad iuſtitiam Chriſto debitam attinuit. In hoc autem nulla interuenit mutatio, niſi mutationem vocas ſubordinationem inferioris gradus ordinis gratiæ ad ſuperiorem ordinem hypoſtaticæ vnionis: & quidem ſi non cẽſendus eſt diuinus intellectus mutari, ex eo quod prius rationis ordine ea præſcierit, & præordinauerit, quæ ad ordinem gratiæ pertinent, quam ea, quæ pertinent ad ordinem vnionis hypoſtaticæ: nec etiam debet cenſeri mutari decretum prædeſtinationis Angelicæ in primo rationis ſigno habitum; eo quod in ſecundo ſigno tota Angelorum prædeſtinatio ex parte effectus Chriſto ſubijciatur, eiuſque gloriæ, & meritis.

Franciſcus à Carthagena alijs duobus argumentis eandem illam ſecundam ſententiam ſe validiſſimè expugnare arbitratur loco ſuperius citato. Altero, quia titulus iuſtitiæ titulo gratiæ è diametro repugnat. Sed hoc argumentum diſſoluimus ad finẽ primi dubij huius quæſt. cum de gratia, quæ data fuit Adæ in ſtatu innocentiæ loquebamur.

Altero argumento vtitur, quod in hunc modum habet. Sequeretur, inquit, quod poſſemus probabiliter dicere, conferri homini primam gratiam duplici titulo cum primum iuſtificatur, titulo videlicet diuinæ miſericordiæ, & liberalitatis: atque titulo itidem iuſtitiæ fundatæ in merito eius, qui iuſtificatur. Nam poſſet dici, quod per opus contritionis, vi gratia formatum, meretur de condigno eandemmet gratiam, quam prius natura ex Dei liberalitate, & miſericordia accepit: at conſequens nullatenus eſt admittendum, erraret enim in fide, qui illud admitteret: ergo, &c.

Huic argumento duplex ſe offert ſolutio, & vtraq; ſufficientiſſima. Altera colligitur ex doctrina Caiet. in opuſculo de fide, & operibus contra Lutheranos cap. 9. & dico, quod vt haberet locum hæc doctrina de duplici titulo, neceſſum erat, quod gratia non prius conferretur de facto ex titulo miſericordiæ, quam eam, is qui iuſtificatur, de condigno mereretur. Nam ſi eſt habita, & conſecuta gratia, quando intelligimus actum ſufficientem ad merendum, iam gratia nequit habere rationem præmij: ac proinde, neque poteſt ſub merito cadere. Etenim nemo, id quod iam habet, & actu poſſidet tanquam proprium bonum, poteſt expectare ab alio, vt præmium ſui meriti recipiendum, neque etiam implicita, & virtuali expectatione, quæ intrinſecè clauditur in merito. Quod. n. quis habet quid ſperat, dixit Apoſt. Rom. 8. Cum ergo prima gratia neceſſario præſupponatur in anima ad contritionem formatam, conſequens fit, ipſam nullatenus poſſe induere præmij rationem, reſpectu eiuſdem contritionis.

Secunda ſolutio colligitur ex dictis à nobis quæſtione præcedenti. Et dico breuiter, nam multa ibi diximus de hac re, quod id quod eſt propriũ, & per ſe prin-

ſe principium alicuius meriti, nequit vlla ratione eſſe eiuſdem meriti præmium: at ille contritionis actus omnem meriti rationem ex prima gratia, vt à proprio merendi principio ſortitur; vnde non poteſt eſſe eiuſdem gratiæ meritorius.

§.4. *Secunda Concluſio.*

PRima ſententia, quæ abſolutè fatetur Angelos ex Chriſti meritis gratiam accepiſſe, & gloriã, probabilis eſt. Patet, nam ſuperius diximus eſſe probabilem ſententiam affirmãtem, quod Chriſti prædeſtinatio non præſuppoſuit originalis peccati præſcientiam, & quod Chriſtus fuit prædeſtinatus ante præſcientiam, & præordinationem omnium rerum naturalium. Hac autem ſententia ſuppoſita, non difficile erit intelligere Angelos fuiſſe ex Chriſti meritis prædeſtinatos.

Sed rogat quiſpiam, quibus meritis Chriſtus Angelorum gratiam, & gloriam promeruit. Nam omnia Chriſti merita ad opus redemptionis ſpectarunt: quoniam omnia, vt dicebamus ſuperius, fundata fuerunt in illa prima voluntate, qua Chriſtus ingrediens in mundum ſeipſum obtulit in ſacrificium, & hoſtiam, vt Deum humano generi placatum redderet, & beneuolum: & cum redemptionis opus ad Angelos non attineat: nullum Chriſti meritum relinquitur, quo Chriſtus gratiam, & gloriam promeruerit.

Reſpondeo. Hoc argumentum eſt ſatis difficile, & vt aduerti ſuperius, magnam affert probabilitatẽ ſententiæ S. Tho. dicenti Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe, ſuppoſita originalis peccati præſcientia. Nam res eſt mirabilis, quod Chriſtus fuerit prædeſtinatus non præuiſo originis peccato, neq; in eius remediũ, ſed in exaltationem creaturæ intellectualis, & rationalis, quodq; ante eiuſdem peccati præſcientiã Deus prædeſtinauit Angelos ex Chriſti meritis, & quod nullã fuerint præordinata neq; præſcita Chriſti merita: non ignoro communem huius argumenti euaſionem, nimirum, quod Deus confuſa quadã ratione cognouerit merita Chriſti, quia vngendus erat oleo lætitiæ, & exultationis præ participibus ſuis, vt diligeret iuſtitiam, & odio haberet iniquitatem, atq; adeo non poterat eſſe non euidens Deo morali euidentia, eum aliquot, & multa habiturũ merita, propter quæ Deus Angelos prædeſtinauit. Verumtamen hæc ſolutio minimè ſatisfacit. Nam quod Deus in illo rationis ſigno non determinatam præſcientiã, & prouidentiam habuerit meritorum Chriſti: ſed confuſam, & ſaltem ex parte obiecti imperfectam, quę potuit eſſe congruentiæ cauſa? & quam obſecro probabilem poſſumus aſſignare rationem? & cũ poſſet Deus determinata aliquot Chriſti præuidere merita, quare hac præuiſione inexpectata continuo de Angelorũ prædeſtinatione tractauit? Nonne conuenientior erat prouidẽtiæ ordo, quod prius definiret, & præordinaret Deus, ea quæ ad Chriſtũ attinebant, quam quod quidpiam, vel de Angelis, vel de hominibus tractaret? præſertim cum tam ſit his Theologis perſuaſum, omnia pp Chriſtũ ex primaria Dei intentione fuiſſe præordinata, & diſpoſita: ſed his omiſſis ad inſinuatum argumentum, ſic reſpondebit Theologus, cui ſententia prima grata fuerit, & probata, quod per eadem opera, quibus Chriſtus hominibus redemptionis, & ſanitatis promeruit gratiam, meruit quoque Angelis gratiam, & eſſentialem gloriam. Alia tamen, & alia ratione: etenim quatenus illa opera aliquo modo attinuerunt ad paſſionem, & mortem Chriſti profuerunt hominibus, vt redemptionis opera, quatenus vero procedebant ex charitate, & ex virtutibus, quæ poterãt conuenire Chriſto, etiam ſi impaſſibile, & immortale corpus aſſumeret, gratiam, & gloriam Angelis meruerunt. Et hæc ſolutio non eſt cur improbabilis habeatur, vnde illa prima ſententia non debet cenſeri improbabilis.

§.5. *Tertia concluſio.*

PRobabilior eſt tertia ſententia, quæ negat Chriſtum Angelis gratiam, & eſſentialem gloriam promeruiſſe. Docet hanc concluſionem S. Thom. loco ibi citato, & in 3. diſt. 13. q. 2. ar. 2. quæſtiun. 1. & q. 29. de veritate ar. 7. & quidem ſi quando S. Tho. oppoſitam ſententiam docuit; vt planè docuiſſe videtur in loco ſuperius citato ſuper Ioan. non in ea ſententia perſiſtit, ſed locis nunc citatis eam re ipſa mutauit; & aduertat Thomiſta cui placet S. Thom. mentem radicitus penetrare, quod cum S. Thom. 3. p. q. 7. ar. 9. dixerit Chriſtum eſſe vniuerſalem cauſam totius gratiæ. Quæ verba ad Angelos quoque extendi videbantur, poſtea in art. 11. mentem ſuam exponens, hanc ſententiam his verbis limitauit. *Gratia collata eſt animæ Chriſti ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in humana natura.* Ecce quẽadmodum non appellauit Chriſtum vniuerſale principium gratificationis abſolutè: ſed cum illa limitatione in natura humana.

Eandem ſententiam docent grauiſſimi Theologi in 3. diſt. 13. S. Bonauen. ar. 2. q. 3. Durand. q. 2. Paludan. q. 1. Inſinuat Alexan. Alenſ. 3. par. q. 12. memb. 3. ar. 2. & 3. docent etiam Abulen. in cap. 17. Matth. quæſt. 107. Driedo lib. citato tit. 4. cap. 2. par. 8. Fauent quamplurimum Sancti Patres in locis quibus eis ſermo incidit de parabola centum ouium, quæ habetur Matth. 18. & Luc. 15. colligitur hæc ſententia ex litteris ſacris 2. Corinth. 5. *Si vnus mortuus eſt pro omnibus: ergo omnes mortui ſunt.* Senſus eſt, quod ij pro quibus mortuus eſt Chriſtus mortui fuerunt per peccatum; quod Angelis conuenire non poteſt.

Hoc teſtimonium fateor non magnam vim habere ad huius ſententiæ, & concluſionis perſuaſionẽ. Diceret enim quis in fauorem alterius ſententiæ, quod ſicut Chriſtus non propter ſeipſum mortuus eſt, neq; pro ſe Crucis ſacrificiũ obtulit, vt in Cõcil. Epheſin. primo can. 10. definitur: & tamen per mortem meruit ſibi exaltationem ſui nominis, & ipſam corporis gloriam: ita morte ſua meruit Angelis eſſentialem gloriam, non tamen pro ipſis mortuus eſt. Paul. vero in citato teſtimonio non de omnibus, quibus Chriſti paſſio profuit loquebatur, ſed de his tantum pro quibus Chriſtus mortuus eſt.

Sed adſit iam ſecundum teſtimonium, quod magis ad rem attinet. ex eodem Paul. deſumptum ad Hebr. 2. *Qui enim*, inquit, *ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes*, ideſt, ex vno primo parente, ſcilicet Adam. Et idem ſenſus fiet, ſi in ſingulari

legamus, qui ſanctificatur, vt legit Dionyſ. Alexan. Epiſtol. contra Paul. Samoſ. quæ habetur in Bibliot. Sanctorum Patrum. Inſinuaturque iſta lectio à Dionyſ. cap. 4. cœleſt. hierarch. Et tunc ſenſus fit, quod Chriſtus, qui ſanctificat, & qui ſanctificatur, & omnes, qui ad ipſum, & ad eius ſanctificationem pertinent, ex vno primo pàrente deriuantur. Et quod in hoc loco de hominibus tantum loquatur, & non poſſint hęc verba intelligi etiam per extenſionem, ad Angelos, ita quod ſenſus fiat; Ex vno omnes, ideſt, ex vno Deo omnium conditore, (quem tamen ſenſum graues inſinuarunt Authores) conſtat ex ſequentibus verbis; quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem. Quibus verbis Paul. videtur exponere id, quod antea dixerat, ex vno omnes, ideſt, omnes carni, & ſanguini participant ex vno primo, & communi parente acceptis: Et quod non de Angelis loqueretur Apoſt. adhuc magis conſtat ex verbis mox ſequentibus. *Nuſquam enim*, inquit, *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*.

Probatur tertio ex illo Apocal. 7. vbi dum Angeli, & homines agunt gratias pro ſua beatitudine, & æterna conſequuta ſalute, homines, & Deo, & agno gratias agunt: Angeli vero ſoli Deo, nulla agni mentione facta: quod ſignum eſt Angelos ob id non agere gratias Agno, quia gloriam ſuam eſſentialem non recognoſcunt ab ipſo acceptam. Deinde probatur ratione iam inſinuata, videlicet, quod virtus Chriſti Domini eſt virtus redemptoris, & ita dicebat Pau. ad Ro. 3. *Quod Deus propoſuit Chriſtũ propitiationem per fidem in ſanguine eius*, Angeli vero redempti nõ ſunt, neq; ad Chriſti redemptionem eorũ gratia, & eſſentialis gloria attinet. De gloria eſſentiali limitatè loquor: nam accidentalis gloria, quę ex Chriſti meritis accreſcit Angelis, ad virtutemq; redẽptoris pertinet, non ex parte recipientis ſubiecti, Angeli. n. redempti non fuerunt, ſed ex parte principij, & ex parte obiecti. Ex parte quidẽ principij, quã huiuſmodi accidentalis gloria, ex beneficio redẽptionis humanæ ad Angelos per modum cuiuſdam redundantiæ deriuatur, eo quod deſeruiunt Chriſto redemptori, eique miniſtrant in opere redemptionis noſtræ, quia omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Et ita conueniens fuit, vt aliquem fructum ex Chriſto, & ex virtute eius reportarent. Imo neq; eſt omnino improbabile, quod hæc accidentaria gloria rationem præmij ſortiatur reſpectu obſequiorum, quæ Chriſto hominum redemptori exhibent, in opere redemptionis humanę. Hoc quibuſdam improbabile apparet, eo quod, qui ita dicit, conſtituit Angelos viatores, cum ſint tamen in termino, ac proinde extra viæ ſtatum. Sed nihil inconueniẽt aſſerere Angelos eſſe ſimpliciter beatos, & in termino, & ſecundum quid viatores reſpectu accidentalis gloriæ, quam ex Chriſto accipiunt. Et ſicut non dedecet beatum, quod eius felicitas accidentaliter perficiatur, ita neque eum dedecet hanc perfectionem mereri: ſed oppoſitum eſt probabilius, De qua re in 1. par. q. 62. 63. & ſolet etiam verſari q. 64. cum agitur de pœna dæmonum accidentaria. Ex parte vero obiecti, quoniam omnes reuelationes, quas Angeli noviter accipiunt, vniuerſaque accidentaria gaudia, quibus denuo perfruuntur, circa myſterium humanę redemptionis verſantur. Deniq; hæc eadem ſententia à poſteriori probatur. Si contraria ſententia vera eſſet, dicendum conſequenter foret, quod Angeli non conſequuti ſunt eſſentialem gloriam vſque ad Chriſti mortem: ſicut neq; Patres veteris teſtamenti eam fuerunt aſſequuti: non enim decens videtur, quod per Chriſtum Angeli ad eſſentialem gloriam inducantur, & quod prius ipſi beatificarentur, quam Chriſtus, prius membra, quam caput. Conſequens autem aduerſatur fidei, quam docuit Chriſtus Matth. cap. 18. *Angeli eorum vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt*. Vera ergo eſt hæc ſententia, quam noſtra 4. concluſ. docet.

Duæ præterea aliæ congruentiæ ad huius veritatis perſuaſionem ſeſe mihi offerũt. Prior eſt. Angeli per ſe primo, & directè creati ſunt, vt ſeruirent Deo, eſſentq; miniſtri eius in his, quæ ſunt propria Dei, qualia ſunt ſpiritualia omnia miniſteria, & quæ non tam exterius, quam interius geruntur, cuiuſmodi ſunt illuminationes, myſteriorum reuelationes, &c. Nam quia Angeli ſunt ſpirituales creaturæ, ſunt ad hæc officia, & ad obſequia Deo, vt Deo, exhibenda valde proportionati. Poteſt colligi hæc veritas ex illo Iob 4. *Ecce qui ſeruiunt ei, &c.* Et ex illo Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*, quorum verborum is eſt ſenſus: quod Deus ſpiritus facit Angelos, ideſt, miniſtros ſuos, & nuncios, Angelus enim idem pollet, quod nuncius; & colligitur ex locis omnibus ſcripturæ ſacr. in quibus ſermo fit de aſſiſtentia Angelorum coram Deo. Et de promptitudine qua ſunt parati ad miniſtrandum Deo. Daniel. cap. 7. Tob. 12. Iſa. 6. Fateor, quod in hoc vltimo loco de Chriſto potius, vt homine, quæ de Deo, vt Deo fit ſermo.

Sed vlterius pergo in hac exponenda congruentia: Etſi fateamur Chriſti prædeſtinationem ordine cauſæ finalis anteceſſiſſe decretum, & prædeſtinationis, & creationis Angelorum. Fateri quoque debemus, quod per ſe primo creati ſunt, & prædeſtinati in Dei miniſterium, & obſequium, & vt Deus miniſtros ſibi proportionatos, ſuis haberet paratos obſequijs. Et quod ſecundario, & quaſi conſequenter ad Chriſtum, & propter Chriſtum, fuerunt & creati, & prædeſtinati, quod colligo ex illo Paul. ad Heb. 1. *Et iterum introducens primogenitum in orbem terræ dicit. Et adorent eum omnes Angeli eius*. Pondero hæc verba, *Angeli eius*, hunc enim ſenſum mihi reddunt, quod ſpiritus, qui olim erant Angeli eius, ideſt, miniſtri eius, prout erat verbum, & ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, atque patris etiam vnigenitus, de quo Paul. ibi loquutus fuerat, ſeruiant quoque illi in humana exiſtenti natura, in qua primogenitus eſt in multis fratribus, vt Cyrill. Alex. ſæpe, & alij nonnulli Patres explicuere, quod non ita eſt intelligendum, vt illud Dei imperium, quo præcepit Angelis, vt ſeruirent Chriſto, tunc primum fuerit eis denuntiatum, & intimatum, nam ex inſtanti ſuæ iuſtificationis, vt ſuperius dicebam, ipſum cognouerũt, vt futurum eorum caput, & Dominum. Sed denotat hic modus loquendi Pauli, quod Deus, qui vt Deus, eſt proprius Angelorum Dominus: & in cuius miniſterium, ex primæua creatoris intentione fuerunt creati: ſubiecit ipſos Chriſto vt homini: quaſi deſignans eis principale miniſterium, quod ab ipſis exigebat, quod, ſcilicet, filio ſuo homini facto ſumma

cum

Digitized by Google

cum diligentia aſſiſterent,& inſeruirent, haberētq; Seraphin alas duas paratas ad volandum in exequēdis mandaris Chriſti.

Colligo præterea hanc ſententiam ex eo, quod Apoc.7. Angeli non Agno,ſed Deo ſoli gratias egerunt, quaſi recognoſcentes ipſum vt proprium Dominum,in cuius obſequium, & gloriam per ſe primo conditi fuerant:& Chriſto, vt homini,quaſi per redundantiam deſeruiunt; quia videlicet in ipſo ſeruiunt ipſi Deo Domino ſuo. Homines autem, etſi ſecundum communem creaturarum rationem, Deus propter ſeipſum condidit, ſpecialiter tamen creati ſunt Chriſto accōmodati, vt eius eſſent, & fratres,& ſerui: vt nimirum ſeruirent ei tanquam primogenito, quem Deus Dominum eorum conſtituit: ſicut Sanctus ille cæcus Iſaac Iacob electione Dei primogenitum Dominum fratrum ſuorum conſtituit. Gene.cap.27. Et hinc eſt,quod licet ipſe non confundetur nos vocare fratres ſuos, vt aduertit Pau. ad Heb. 2. nos tamen non regulariter eum vocamus fratrem, ſed Dominum potius: & ita Paulus quem Eccleſia in aſſiduis precibus imitatur, tertio quoque verbo Chriſtum appellat Dominum noſtrum. Et diſcipuli quos ipſe & ſermone,& opere vt fratres tractabat, vt patet ex illo Matth.cap. vlt. *Nunciate fratribus meis, &c.* Eum tamen ſpiritu Dei inſpirati, & directi, vocabant Dominum, agnoſcentes ſe ad hoc vocatos, imo & conditos, vt ei ſeruirent, fraternali tamen amore ducti. Et notandum, quod etiam ante quam Chriſtus per paſſionem, & mortem homines redimeret, Apoſtoli ipſum vocabant Dominum, vt non ſolum iure redemptionis,ſed etiam & titulo primogenituræ intelligamus Chriſto deberi ſpeciale dominium. Et ita ipſe Ioan. 13, dicebat, *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benedicitis, ſum etenim.* Itaque homines conditi ſunt, & prædeſtinati, vt Chriſto deſeruirent, quia ſunt proportionati eius miniſtri,& ita in negotio fundationis, & erectionis Eccleſiæ nō Angelos elegit Chriſtus cum poſſet, ſed homines, Epheſ.c.4. *Quoſdamque ex eis dedit Apoſtolos, quoſdā Euangeliſtas, &c. in opus miniſterii.* Olim autem priuſquam Deus eſſet homo in illa antiquiore Eccleſia, in eiuſque fundatione Angelico miniſterio vſus fuit: lex enim per Angelos data eſt. Acto.7.& ad Galat. 3.

Ex his ergo colligo, rationabiliter dicendum eſſe, quod Angeli non à Chriſto vt homine, ſed immediatè à Deo & gratiam & præmium eſſentiale ſuorū meritorum,& obſequiorum, quibus deſeruiunt, receperunt tanquam à proprio Domino, & cui per ſe primo dicata habēt,& ſeipſos,& omnia ſua. A Chriſto vero acceperunt accidentariam gloriam, veluti ſecundarium quoque,& accidentarium præmiū: eo quod ſecundario ei dati ſunt vt miniſtri, & vt ei in negotio ſalutis noſtræ peragendæ obſequia præſtarent. Neque erraret, vt dixi, qui diceret: gloriam accidentalem, quam Angeli à Chriſto,& ex eius meritis accipiunt, rationem ſortiri accidentarij præmij, etſi probabilius oppoſitum eſſe crediderim: de quo aliàs. Homines autē in ſuo eſſentiali præmio à Chriſto Domino noſtro pendemus, & omnia ſpiritualia bona per ipſum accepimus: neque Pater benedicere nos voluit ſpirituali paterna benedictione, niſi in primogenito fratre noſtro Chriſto, quem nobis pręfecit in caput & dominum. Hoc adeo verum eſt, vt ſit probabile, vt diximus, quod etiam gratia Adę collata, etſi primum reſpectum habuerit ad ſolum Deū tāquam ad vniuerſalem totius ordinis gratiæ auctorem, non tamen ſine Chriſto fuerit accepta, iuxta modum ſuperius expoſitum.

Altera & poſterior congruentia ſumitur ex ratione finis. Nam quia Angeli creati ſunt propter Deū, vt propter finem præcipuum,& primarium. Chriſtus vero vt homo fuerit ſecundarius finis, & minus principalis: idcirco congruum apparet, quod gloriā præcipuam & eſſentialem à ſolo Deo acciperent, à Chriſto vero minus principalem, & accidentariam. Quæ ratio fortaſſis haberet etiam locum in hominibus, niſi titulus interueniret redemptionis, propter quem omnia ſua Chriſto vt homini debent: & ita gratia collata Adæ ad Deum reducimus, & non ad Chriſtum, per ſe loquendo. Nam licet ex meritis Chriſti fuerit collata, hoc vero non fuit, vt erat illius ſtatus gratia: ſed quatenus reparanda per Chriſtum, & in ſuis meritorijs operationibus, in quas Adam in ſtatu illo ſe exercuit, viuificanda. Et hæc ſufficiant in tertiæ concluſionis corroborationem.

§.6. *Solutiones argumentorum in oppoſitum.*

AD argumenta à principio dubitationis huius propoſita, reſpondeamus deinceps oportet. Et quidem de intelligentia, & explicatione illius Pauli teſtimonij, ex quo tota vis primi argumenti conficitur, memini me ſuperius dixiſſe. Vnde nunc breuiter dico, ibi de hominibus tantum fieri ſermonem à Paulo: & illud verbum, *Adduxerat*, idem pollet, quod adducturus erat. More namque Prophetico loquitur ibi Pau. Propheris enim mos eſt, ea quæ futura ſunt præterita nuncupare propter euentus certitudinem. Nam ea, quæ diuina ſunt præordinatione diſpoſita tam infallibiliter euenient, atque ſi extarent olim facta, vnde ab æterno ſunt diuino conſpectui præſentia.

Ad ſecundum argumentum. Reſpondetur ſecundum intelligentiam Auguſt. S. Tho. & aliorum ſacrę paginæ interpretum, dictionem, *Plures*, non eſſe ibi accipiendam comparatiuè, ſed poſitiuè, ita vt ſit ſenſus: quod ex delicto Adæ multi moriuntur, & ex Chriſti gratia multi etiam iuſtificantur: iuxta quod ſubdit ſtatim Apoſt. quod *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituuntur multi, ita & per vnius Chriſti obedientiam iuſti conſtituuntur multi*, reſpectu quorum abundat gratia Chriſti, ſupra delictū Adæ: quia peccatum Adæ tantum ſe extendit ad peccatum originale aliorum: gratia autem Chriſti extendit ſe etiam ad delenda peccata actualia, vt explicat ibidem S. Thom. S. Ambroſ. in comment. huius teſtimonij, eos appellat mortuos ex peccato Adæ, qui eius præuaricationem peccatis mortalibus imitantur: ſed hæc intelligentia cum attentione eſt ſuſcipienda, ne occaſionem præbeat hæreticis Pelagianis,& alijs negandi peccatum originis, quod minime Ambroſ. negauit, ſed affirmauit, & prædicauit quam ſæpius: ſicut & alij Patres, qui quandoque etiam peccatum Adæ ad nos transfuſum explicant per imitationem, qua nos ipſum peccantes imitamur: quod ob id fecerunt, quia originis peccatum

pri-

primum eſt omnium peccatorum actualium ſeminarium, primaque radix, ſed de hoc alias.

Poſſet ſecundo reſponderi iuxta prædicta, quod gratia Chriſti etiam ſe extendit ad plures comparatiuè quam peccatum Adæ: eo quod peccatum originis nullatenus attingit Angelos. Gratia autem, & virtus Chriſti, ad ipſos etiam ſe extendit Angelos, eorum gloriam accidentaria perfectione conſummans: quæ licet comparatiuè ad eſſentialem gloriam donum ſit minoris momenti, abſolutè tamen, & ſecundum ſe conſiderata, magna perfectio eſt, & præclarum donum.

Ad tertium argumentum reſpondetur, Chriſtum rationis ordine prædeſtinatum fuiſſe, prius quam prædeſtinarentur Angeli, & quam totius orbis machina fuerit à Deo præordinata. Hoc autem non fuit in ratione cauſę meritoriæ, ſed in ratione tantũ cauſę finalis: quatenus omnia fuerunt ordinata, & diſpoſita ad Chriſti gloriam, & Angeli prædeſtinati fuerunt, vt Chriſto deſeruirent. Etenim Chriſtus, vt cauſa meritoria per ſe primo fuit datus humano generi in remedium originalis peccati. Itaque Angelis fuit finis, hominibus vero finis, & redemptor, cauſaque meritoria, & ſatisfactoria. Vnde non eſt concedendum, ſi formaliter, & rigoroſè loquamur, pręſcientiam meritorum Chriſti anteceſſiſſe prædeſtinationem Angelorum: nec quod Chriſti prædeſtinatio, qua ratione fuit prædeſtinatus redēptor, præceſſit Angelorum prædeſtinationem: quoniam tota anteceſſio inter ea, quæ ab æterno fuerũt à Deo pręordinata, & diſpoſita, conſideranda eſt ſecũdum dependentiam, quam res præordinatæ inter ſeſe habent. Vnde quia Angeli non pendent à Chriſto, vt à cauſa meritoria, neque vt à redemptore, ſed tantum, vt à fine cui ſubijciuntur, & in quem ordinantur: Hinc fit, quod Chriſtus, vt redemptor humani generis, & vt cauſa meritoria ſalutis humanæ non anteceſſit prædeſtinationem Angelorum in Dei præſcientia, ſed ſolum anteceſſit ſecundum ſubſtantiam incarnationis ſuæ.

Et eadem ratione poſſet dici, quod præſcientia originalis peccati non anteceſſit Angelorum prędeſtinationem, eo quod Chriſtus, quatenus fuit prædeſtinatus in remedium peccati, non attinuit ad Angelorum prædeſtinationem, neque fuit eius cauſa, atque adeo neque præſcientia peccati quicquam retulit ad prædeſtinandos Angelos.

Sed dicetur etiam ſatis probabiliter, quod licet Chriſtus per ſe primo tantum fuerit cauſa meritoria comparatione ad homines, in quorum redemptionē prædeſtinatus eſt, ſed nihilominus ipſe Chriſtus vt redemptor humani generis, & vt cauſa meritoria prædeſtinationis hominum, habuit rationem finis gloriæ Angelicæ, & prædeſtinationis Angelorum: ita quod Angeli prædeſtinati ſunt ad Chriſtũ, & propter Chriſtum redemptorem hominum, vt ei deſeruirent, aſſiduaq; præſtarent obſequia in opere redemptionis noſtræ. Itaque ipſa ratio cauſæ meritoriæ intrat rationem finis prædeſtinationis Angelicæ, veluti quædam pars, ſeu conditio ipſius finis. Ex quo tamen non ſequitur, quod Chriſtus fuerit cauſa meritoria reſpectu Angelorum.

Ad confirmationem. Reſpondetur non pertinere ad dignitatem Chriſti extollendam, & amplificandam, quod gratia, & gloria Angelorum habita ſit ex Chriſti meritis, quoniam tota virtus gratiæ, & meritorum Chriſti conſideranda eſt intra latitudinem redemptionis humanæ. Eſt enim gratia Chriſti gratia redemptoris, ſaluatoris, & ſpiritualis medici, atq; adeo propriè vocatur gratia ſanans. Et quã in ſanitate quam efficit gratia in remedio originalis peccati ſplendeſcit tota ipſa diuinæ gratiæ virtus. Tum extēſiuè, quia totam integram humanam naturam reſpicit. Tum intenſiuè, quia omnes effectus gratiæ poſſibiles attingit: Idcirco Chriſti gloria in oſtenſione & manifeſtatione ſanantis gratiæ poſita eſt. In ea enim oſtendet Deus in ſuperuenientibus ſeculis ſuperabundantes diuitias gratiæ, & gloriæ ſuæ.

Ad quartum argumen. Mag. Med. ſentire videtur Angelos non cognouiſſe per fidē incarnationis myſterium. Sed iam dixi à principio huius difficultatis contrariam ſentētiam communiorem eſſe: qua ſuppoſita ad argumentum negatur antecedens. Eſtque aduertendum, quod fides infuſa in duplici ſenſu poteſt fides Chriſti vocari, altero ex parte obiecti, quatenus, videlicet, per hanc fidē creditur ipſe Chriſtus, eſtq; Chriſtus obiectum eius, altero vero ex parte principij, id eſt, quod ſit fides ex Chriſti virtute, & meritis habita. In priori ergo ſēſu Angeli Chriſti fidem habuerunt, minime tamen in ſenſu poſteriori. Et quoniam antecedens argumenti hunc poſteriorē ſenſum reddere videtur. Idcirco abſolutè id negauimus. Poſſet tamen claritatis cauſa diſtingui iuxta prædictam fidei diſtinctionem.

Hinc ſequitur, quod in illo ſigno rationis, in quo Angeli prædeſtinati ſunt ad eſſentialem gloriã, Chriſtus finis quidem fuit Angelorum, & ipſorum glorię, non vero fuit eorum caput, quia licet cognouerint Chriſtum per fidem, vt finem totius Angelicæ gratiæ, nullum tamen in eis influxum habuit.

Si autem quæras, quando incepit Chriſtus caput eſſe Angelorum. Reſp. quod continuo, vt homo peccauit, Angeli, vt miniſtri Chriſti, tractare cœperunt de negotio reparationis humani generis: atq; adeo ex tunc cęperunt membra Chriſti vocari, & eſſe, & tunc acceperunt influxũ pertinētem ad Chriſti merita. Quo fit, vt ſi vera eſt illa ſentētia, quam ſuperius valde probabilem reputauimus, gratiam, videlicet, collatam Adæ in ſtatu innocentiæ ex Chriſti meritis acceptam fuiſſe, conſequenter dicendum eſſe apparet, Chriſtum prius fuiſſe caput hominum, quã Angelorum: quoniã Chriſtus pro illo ſtatu fuit caput hominũ, influens in eos gratiã, & cætera ſupernaturalia chariſmata. Non vero fuit Angelorum caput, quia nullũ in eos habuit influxũ antequã primi homines peccarent, & de remedio peccati ipſorum tractaretur. Influxus eſt enim, qui ex virtute Chriſti deriuatus fuit ad homines in ſtatu innocentiæ conſtitutos, non pertinuit ad Angelorũ miniſterium, ſaltem vt erant miniſtri Chriſti: quia totũ miniſteriũ ipſorũ Chriſto ſubordinatum, circa peccati remedium eſt conſiderandum. Etenim licet homines in illo ſtatu gratiam ex Chriſti meritis acceperint, nullis tamen legibus, & ceremonijs in illo ſtatu vtebantur ſpecialiter dicatis Chriſti obſequijs, & cultui, ſed omnia, quæ ad Chriſtũ pertinebant, peragebantur interius inter Deum, & hominem: atq; adeo ceſſabat neceſſitas Angelici miniſterij erga Chriſtum: quæ tamen

con-

Digitized by Google

continuo poſt peccatum incepit.

Sed iam ad ~vltimum argumentum reſpondeo, quod vt dixi ſuperius, S. Thom. multis in locis noſtram hanc apertiſſimè ſententiam docuit: quamuis ſuper Ioan. in contrariam opinionem inclinauerat, quia probabilis ſententia eſt, & viſa tunc fuit S. Th. idonea ad commendationem, & exaltationem gratiæ Chriſti. Sed renera magis, & excellentius eam commendat noſtra ſententia, ſecundum quam gratia Chriſti, ex vi prædeſtinationis ipſius Chriſti, ſe explicat in omnes effectus gratiæ poſſibiles, & in ſuam omnem excellentẽ perfectionem: ſanat enim, & sãctificat ſimul: quod in Angelis locũ nõ habuit.

Poſſet dici ſecundo, S. Thom. nihil aliud docuiſſe, quam quod gratia Chriſti extenditur ad Angelos, quatenus eorũ gloriam perficit, & conſummat, iuxta modum à nobis ſuperius expoſitum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

AD vltimam tandem, & ſeptimam noſtræ relectionis quæſtionem deuentum eſt, in qua id propoſuimus ad diſputandum, & definiendum, num habitualis Chriſti gratia ex vi prædeſtinationis ei competat. Quam rem vt exacta reſolutione definiamus, neceſſarium fuerit exponere, quiſnam fuerit terminus prędeſtinationis Chriſti, & an vnicus fuerit, an potius multiplex: & denique incidenter explicare oportebit, ea quæ ad exactam intelligẽtiam prædeſtinationis Chriſti pertinent. In tres ergo dubitationes totam huius ſeptimæ quæſtionis ſeriem diſtribuendam fore putaui. In prima tractabo de obiecto prædeſtinationis Chriſti. In ſecunda de proprio, & formali eius termino. In tertia denique, ad doctrinæ complementum de ipſius prædeſtinationis Chriſti virtute, & cauſalitate in nobis diſſerendum erit, vnde dubitatio tertia illa erit, An Chriſti prædeſtinatio cauſa fuerit prædeſtinationis noſtræ.

SECTIO I. DVBITATIO I.

In qua diſputatur de obiecto prædeſtinationis Chriſti.

§. I. *Præmittuntur aliqua notabilia pro intelligentia quæſtionis, & explicatur quid Chriſti vox deſignet explicitè, & quid ſit terminus vnionis hypoſtaticæ.*

AD inchoationẽ ergo primi dubij, in cuius enodatione tantiſper erit immorandum, principio illud eſt animaduertendum, certum eſſe, & ſtatutum apud vniuerſos Theologos, mirabilem duarum naturarum diuinæ & humanæ vnionem, in vna eademque perſona prædeſtinatam fuiſſe ab æterno, ſpecialique Dei conſilio, & decreto prædefinitam, quod S. Thom. 3. par. quæſt. 24. art. 1. ſatis conſideratè animaduertit. Cuius rei ea eſt ratio, quæ ex doctrina S. Thom. ibidem colligitur: quod ineffabilis hæc, & myſterioſa ~vnio maximum opus eſt, ſummeq; gratuitum, quod Deus ab æterno efficaci volũtate decreuit in tempore acceptabili, & in die ſalutis efficere. Hoc autem decretum, quid aliud eſſe potuit, quam æterna prædeſtinatio? Et confirmatur ex Pau. qui 1. Corin. 2. & ad Eph. 1. & 3. vocat hoc ſacramentum abſconditum à ſæculis in Deo, vocatq; prædeſtinatam ſapientiam, quam Deus ante ſęcula in gloriã noſtram prædeſtinauit.

Secundo eſt notandum bifariam aliquid prædeſtinatum dici poſſe: vno modo abſolutè, ita vt neq; explicetur obiectum, neque terminus, ſed res ipſa prædeſtinata, & præordinata efficaci præordinatione æterna. In quo ſenſu vnio duarum naturarum diuinæ & humanæ in vno ſuppoſito, quæ dicitur hypoſtatica vnio, prædeſtinata fuit ab æterno. Secundo modo dicitur aliquid prædeſtinatum, habito reſpectu ad obiectum, & terminum, vt cum dicimus, Petrum eſſe prædeſtinatum ad gloriam. In quo ſenſu quatuor inuoluuntur, ſcilicet, actio prædeſtinantis, ſubiectum prædeſtinationis, illud videlicet, in quo ſubiectatur prædeſtinationis actio, obiectum prædeſtinationis, ideſt, perſona, aut res, quæ prædeſtinatur, (vocatur enim obiectum prædeſtinationis, quatenus eſt obiectum circa quod ~verſatur ipſa prædeſtinationis actio.) Et deniq; terminus ipſius prædeſtinationis, puta bonum illud, ad quod quis prædeſtinatur. V. G. in prædeſtinatione Petri omnia iſta quatuor reperiuntur. Deus prædeſtinans, actio qua prædeſtinauit, obiectum prædeſtinationis, puta Petrus, terminus denique, ſcilicet gloria. Et in hac ſecunda conſideratione in præſentia tractamus de prædeſtinatione Chriſti. Et quidem de eius ſubiecto non eſt in pręſentia tractandum.

Eſſet. n. valde vniuerſalis, & extenſa diſputatio. Sed ſupponendũ eſt ex his, quæ dicunt Theologi cũ S. Thom. 1. par. q. 23. Subiectum proximum prædeſtinationis ipſum eſſe Dei intellectum: quoniam prædeſtinatio eſt actio intellectus practici diuini. De prædeſtinationis actione perpauca dicemus, & ea duntaxat, quæ neceſſaria erunt ad exactam præſentis diſputationis intelligentiam. De duobus ergo poſtremis de obiecto, videlicet, & termino, in hac ſeptima quæſtione potiſſimum diſſeritur. Et in hoc primo dubio de obiecto potiſſimum eſt diſputandum, dixi, potiſſimum: quoniam non poterunt non aliqua intermiſceri, quæ terminum huius ineffabilis prædeſtinationis attingant. Sed priuſquam rem aggrediar, aliquot erunt dicenda de ipſa prædeſtinatione, ſecundum communem rationem conſiderata: quibus explicabimus ſecundum illud membrum factę diſtinctionis, quod pertinet ad ipſum prædeſtinationis actum.

Quocirca tertio eſt aduertendum cum Durand. in 3. d. 7. q. 3. Tria neceſſario requiri ad veram prędeſtinationis rationem. Primũ, quòd illud ad quod quis à Deo prædeſtinatur, ſit infallibiliter aliquando futurum. Alias. n. Dei prædeſtinatio neque infallibilis eſſet, neque vero efficax, quod citra magnum errorem dici non poteſt. Nam prædeſtinatio, & præſcientiam futurorum includit, & efficacem Dei voluntatem ſecundum rationis ordinem præſupponit. Et ſicut ex priori omnimodam habet infallibilitatem: ita & ex poſteriori maximam efficaciam ſortitur.

Digitized by Google

titur. Secundum eſt, vt id ad quod quis prædeſtinatur, non ex naturali debito, ſed ex dono gratiæ ei competat. Nam licet iuxta ſermonis latini proprietatem verbum hoc Prędeſtinare, tam ad ea, quæ ex naturali rerum ordine, quam ad illa, quæ ex ſpeciali Dei gratia proueniunt, poſſet extendi: at ſcriptura ſacra, ſactique, & eccleſiaſtici Authores limitatius hac vtuntur voce, videlicet, vt Dei prouidentiam, & præordinationem eorum bonorum denotat: quæ ex liberali Dei donatione, & gratia promanant. Ex quo ſequitur, quod prædeſtinatus aliqua ratione debet eſſe prædeſtinante inferior, eiq; ſubiectus, & ſubordinatus: tum quia ſubeſt eius prouidentię, & pręordinationi: tum præcipuè, quia ſpeciale beneficium, & donum ab eo ſuſcipit. Tertium denique eſt, vt & prædeſtinatio, & prędeſtinatus, & prædeſtinationis obiectum anteceſſionem aliquam habeant reſpectu eius, ad quod prædeſtinatur, quod diximus terminum prędeſtinationis vocari. Et hoc quidem de prędeſtinatione ſatis eſt manifeſtum: nã cum ſit actus diuini intellectus, non poteſt non eſſe æternus & increatus: ac proinde neceſſum eſt antecedat creatum bonum, quod diuinę prędeſtinationis ordini ſubeſt. Sed & illa dictio, Prę, ex vi ſuę ſignificationis anteceſſionem denotat. Quod vero prędeſtinatus, ſeu, quod idem eſt, prędeſtinationis obiectum aliqua debeat ratione ad ipſum prędeſtinationis terminum pręſupponi, facilè ex eis, quę ad prędeſtinationem diximus eſſe neceſſaria, in hunc modum probatur: id ad quod quis prædeſtinatur, non ex connaturalitatis debito, ſed ex dono, & gratia debet ei conuenire: ergo pręſupponit ipſum prædeſtinatum, ſecundum aliquod eſſe ſibi naturale, & proprium: nam gratuita & liberalis donatio neceſſum eſt pręſupponat ſubiectum, cui fit. Verum eſt, quod hęc anteceſſio ſiue prędeſtinationis, ſiue prędeſtinati non oportet quod ſit ſecundum temporis durationem: poſſibile namque fuit Deo Angelum Gabrielem ab ęterno producere, & ipſum ad gloriam ei ab æterno ſimul cum natura conferendam prędeſtinare, qua hypotheſi data, nulla temporis ibi interueniret anteceſſio.

Satis ergo fuerit ad rationem prędeſtinationis ſeruandam, vt hęc anteceſsio ſecundum verum naturæ ordinem intelligatur: intellectus namque diuinus cuius opus eſt prædeſtinatio, poteſt præordinare, & diſponere ea, quę non temporis duratione, ſed naturę ordine inter ſe ſe comparantur.

Quarto notandum. Duplicem eſſe prędeſtinationem: alteram ſimpliciter: alteram vero ſecundum quid. Cuius diſtinctionis ratio ex terminorũ diuerſitate penſatur: illaque ſimpliciter, & propriè prędeſtinatio cenſenda eſt, cuius terminus eſt bonum ſupernaturale, quod in ſupernaturali ordine vltimum bonum eſt, & maximum eorum omnium ad quę rationalis creatura iuxta communem Dei legem ordinari poteſt, & referri, cuiuſmodi eſt vita ęterna. Loquor de bonis, quę intrinſecam in ipſa creatura perfectionem conſtituunt, & non de vltimo, & optimo illo bono extrinſeco, quod eſt ipſa Dei Optimi max. gloria: quę eſt vltimus & hominis, & omnium creaturarum finis. Illa vero eſt prędeſtinatio ſecundum quid, cuius terminus eſt quoddam particulare bonũ, quod ad bonum aliud excellentius, tanquam ad vlteriorem finem ordinatur; cuiuſmodi fuit pręelectio, & pręordinatio, qua S. Petrus prædeſtinatus fuit à Deo in Apoſtolorũ Principem, & maximum Eccleſiæ paſtorem. Nam hoc bonum particulare fuit in communem Eccleſię vtilitatem, atq; in vltimam animarum ſalutem deſtinatum.

His ita ſuppoſitis examinare tentabimus in hoc primo dubio. Quodnam ſit prędeſtinationis Chriſti obiectum. Et quidem cum tria in Chriſto reperiamus, Diuinum ſuppoſitum, humanitatem, atque ipſum denique totum Chriſtum diuino ſuppoſito & humanitate conſtantem. De diuino verbo nulla poteſt ſuboriri dubitatio, ſi ſecundum ſeipſum conſideretur: cum enim ſit incapax ſuſcipiendæ gratię incapax quoq; eſt prędeſtinationis: deeſt enim illi ſecunda conditio, ex his, quæ diximus ad prędeſtinationem eſſe requiſitas. Quocirca tota dubitatio eſt de alijs duobus. Et quid de vtroque ſentiendum ſit, in huius diſputationis diſcurſu eſt à nobis examinandũ. Primum autem tractabimus de Chriſto: an, videlicet, ſit verè & propriè prædeſtinatus, ſitque proinde prædeſtinationis obiectum.

Sed priuſquam hanc pręcipuam difficultatem aggrediamur, oportet ſcire, quid Chriſti nomine in pręſentia intelligamus, quod licet explicandum videbatur à principio relectionis huius, conſulto tamen ad hunc locum remiſimus, quoniam diſputatio de prędeſtinatione Chriſti huius rei intelligentiam potiſſimum efflagitat. Et pręterea locus ille non iam erat idoneus ad pertractandum id totum, quod in præſentia circa hoc nomen Chriſtus eſt diſſerendum.

Principio igitur ſi ad primariã huius vocis, Chriſtus, ſignificationem attendamus, vulgatum eſt, & cunctis manifeſtum, vocem hanc, Chriſtus, idem ſignificare, quod vnctus. Vnde ſcriptura ſacra Reges, & Sacerdotes, quia ſacro vngebantur oleo Chriſtos, quam ſępius appellat. Ob quam autem cauſam in Regibus, & Sacerdotibus vſitata fuerit vnctio: non vacat in pręſentia dicere. Dixit autẽ pręclarè Sanct. Thom. ſuper caput primum. Epiſto. ad Hebr. lect. 4. Quoniã autem ſumma vnctio, quæ & eſſe, & intelligi poteſt, eſt illa qua Chriſti humanitas in hypoſtatica vnione ad verbum vncta fuit, & delibuta, idcirco verbum caro factum, quaſi per Anthonomaſiam hoc nomen, Chriſtus, ſibi ſuo iure arrogauit. Poſſem in huius rei confirmationem innumera congerere Patrum teſtimonia: ſed iudicaui lectori ſufficere ea, quæ in quæſt. 1. relectionis huius animaduerti: cum de Chriſti ſanctitate tractarem. Et quidem in re tam manifeſta non oportet teſtibus non neceſſarijs vti. Legantur Patres locis, in quibus interpretãtur illud Pſ. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, &c.* Et ſuper 1. cap. Epiſt. ad Hebr. Vbi Apoſtolus hoc Pſalm. teſtimonium de Chriſto Domino interpretatur. Vnde hæc dixiſſe ſufficiant circa primariam huius nominis ſignificationem, & de re ipſa deinceps agamus, & explicemus, quid à parte rei hęc vox, Chriſtus, incarnato verbo accommodata, deſignet.

Ad rem igitur attendentes, hęc vox, Chriſtus, totalem, & integrum incarnationis, vnionisque hypoſtaticę terminum importat: & idem pollet, quod diuinum verbũ in humanitate ſubſiſtens. Hic enim

fuit

fuit illius ineffabilis nouitatis terminus, quem Ioan. in primis verbis noſtri prothematis diuino ſpiritu afflatus expreſſit. *Verbum*, inquit, *caro factum eſt, &c.* Ita docuit S. Tho. 3. par. q. 2. ar. 6. & ſeq. & clarius in 3. diſt. 2. q. 2. ar. 2. quæſtiun. 3. eſtque ſatis communis apud Theologos ſententia in illa diſt. quam etiam Scot. & Dur. re ipſa ibidem docuerunt, etſi in modo loquendi tantiſper ab alijs Theologis diſceſſiſſe videantur. Non deſunt tamen Theologi, præſertim ex iunioribus, qui ab hac communi doctrina recedunt: quorum ordinationem paulo poſt referemus; nunc enim breuiter probandam eſſe duxi, hanc communẽ Theologorum ſententiam.

Probatur ergo primo. In omni ſubſtantiali vnione, terminus totalis, & per ſe primo intentus eſt totum ipſum compoſitũ ex vnione reſultans, ſeu vnione conſtans, ſed vnio hypoſtatica fuit vera, & eſſentialis vnio: ergo proprius eius terminus eſt ipſum totum, nimirum, verbum in humanitate ſubſiſtens. Maior inductione poteſt manifeſtari, in generatione enim humana terminus ſubſtantialis eſt homo genitus: In reſurrectione terminus erit compoſitum ſubſtantiale ex anima, & corpore reunitis conſurgẽs, & in alijs omnibus ſubſtantialibus vnionibus idem eſt omnino dicendum. Minor certa fide tenenda eſt: definitur enim in grauiſſimis antiquis Concilijs, cõtra Neſtori, Eutichet, & alios hæreticos, qui in myſterio incarnationis errarunt, ſed potiſſimum definitur 6. Synod. Gene. actione 7. cap. 2. Et in Concil. Tole. 6. & 11. Docuit illam Cyril. Alex. Anathemate 3. habetur in tom. 5. Actorum. Conc. Epheſi. vbi hãc vnionem vocauit, naturalem vnitionem: & ſuã mentem exponens in defenſione ab obiectionibus Oriẽtalium, dicit in eo ſenſu eam vocaſſe naturalem, in quo naturale idem pollet, quod verum & reale, & non imaginatione confictum: atque adeo hæc vnitio naturalis eſt, nempè vera, quatenus ex duabus rebus diſſimilibus, deitate ſcilicet, & humanitate vnus factus eſt Chriſtus.

Eſt autem hoc loco aduertendum, quod Græca Concilia, hanc vnionem dicunt factam fuiſſe ſecundum hypoſtaſim, quod latinè ſæpius vertitur ſecundum ſubſiſtentiam, & interdũ ſecundum ſubſtantiã, & aliquando ſubſtantialiter facta dicitur. In Cõcil. autem latinis communiter appellatur ſubſtantialis vnio. In Concil. Lateran. ſub Martino I. conſultat. 4. can. 6. ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, &c. & Cano. 8. vocat eam ſubſtantialem vnionem, & ſecundum ſubſtantiam. Vnum eſt, quod in antiquioribus impreſſionibus non habetur ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum hypoſtaſim: at in correctioribus impreſſionibus non ſecundum hypoſtaſim, ſed ſecundum ſubſtantiam dicitur: vnde Ioan. Maxentius in confeſſione fidei, quæ habetur in Biblioteca Sanctor. Patrum tom. 5. *ſecundum traditionem Patrum*, inquit, *duas naturas ſubſtantialiter confitemur vnitas*, & in hunc ſenſum interpretatur Cyrillum, Greg. Nazianz. & alios Patres, quorum ibi meminit. Damaſc. lib. 3. cap. 3. hanc vnionem vocauit ſubſtantialem, iuxta Fabri verſionem, nam in verſione alia, naturalis vocatur iſta vnio, ſed idem prorſus eſt ſenſus, & vt ex ipſomet contextu liquet, naturalis enim idem eſt, quod realis, vera, & non ficta vnio. In quo ſenſu Cyril. vt nunc dicebam, vocauit eam naturalẽ vnionem. Imo aliquando in eodem fere ſenſu vocata eſt eſſentialis: ita eam appellauit Petrus Damian. libr. de incarna. verb. cap. 3. dicitur eſſentialis, id eſt, veram habens eſſentiam. Sed hic loquendi modus, veneratione potius, quam imitatione eſt ſuſcipiendus: quandam enim videtur improprietatem præſeferre: ſed eſt hic breuiter aduertendum, non eſſe idẽ dictu, aliquam vnionem ſubſtantialem eſſe, & eſſe ſubſtãtiarum vnionem. In domo etenim ex diuerſis partibus conſtructa reperitur ſubſtantiarum vnio, nõ vero ſubſtantialis: & ratio huius diſcriminis eſt, quod ſubſtantiarum vnio nihil importat aliud, quã diſtinctarum ſubſtantiarum ad vnitionem, & copulationem, qualiſcunq; illa ſit. Ad vnionem vero ſubſtantialem requiritur, vt vnita conueniant in vno, & eodem eſſe ſubſtantiali: vnde duarum naturarum vnio in Chriſto, non ex eo ſolum ſubſtantialis dicitur, quia eſt duarum ſubſtantiarum adunatio, & cõiunctio: ſed potiſſimum, quia vniuntur in vno eſſe ſubſtantiali perſonali.

Non conſentio quibuſdam Theologis, quibus eſt annumerandus Michael de Palatios in 3. diſt. 6. diſp. 5. qui hanc vnionem nolunt abſolutè appellare ſubſtantialem, ſed dicunt eam eſſe ſubſtantialem, & accidentalem, quia vtriuſque vnionis ſubſtantialis, & accidentalis naturam ſapit: non, inquam, his Theologis vlla ratione conſentio, quia à communi modo loquendi veterum Patrum recedunt: conſtat enim ex citatis teſtimonijs, & ex alijs quamplurimis, quorum nonnulla referemus poſtea, hanc vnionem vocari ſubſtantialem, & nuſquam de accidẽtaria ratione meminerunt Patres, niſi vt eam ab hac inenarrabili vnione reijcerent.

Sed vlterius ſecũdo probatur quod Chriſtus ſit totalis terminus hypoſtaticæ vnionis. Terminus vnionis ſubſtantialis non ſunt partes, quæ præintelliguntur vnioni, aut ea quæ ad modum partium ad ipſam concurrunt, ſed eſt ipſum totum ex illis conſtans: ergo huius ſubſtantialis, & ineffabilis vnionis terminus totalis, & integer, neque verbum eſt, neq; humanitas, ſed ipſe Chriſtus, id eſt, verbum in humanitate ſubſiſtens, qui eſt Deus homo.

Non deſunt, qui dicant hanc mirabilem vnionem non habere terminũ productum, & factum, ſed terminum terminantem, qui eſt ipſamet verbi perſona: vnde aiunt, quòd totalis huius vnionis terminus eſt ipſa perſona Verbi, quatenus terminat dependentiam naturæ humanæ: ita quod non includit formaliter, & in recto humanitatem, ſed quaſi extrinſecè, & in obliquo connotat. Hanc ſententiam alij ex nouioribus putant ſe manifeſtæ falſitatis conuincere tali argumento. Vnio hæc ſubſtantialis non pro relatione accepta, ſed pro immediato proximo relationis fundamento, ſeu conditione fundandi relationem, eſt vera & realis actio, vnde & ſolet quam ſæpius à Patribus vnitio vocari, vt cit. verbis eam appellauit Cyril. ſed omnis actio ſuum agit, & efficit terminum, ſeu, vt proprius loquamur, agens per actionem ipſum terminum efficit: qua enim proprietate vocari poterit actio illa, per quam nihil agitur, nulluſque efficitur terminus: ergo neceſſum eſt dicamus, quod hæc actio egit, & & effecit ſuum totalem terminum, ſcilicet Chriſtum.

Verum hæc argumentatio, etſi contemnenda non

ſit,

Digitized by Google

ſit,non tam efficax eſt,vt ſuis apparet authoribus.

Nam primo poſſet quiſpiam vim eius effugere, dicens, per hanc actionem verè, & realiter effici quendam modum realem ſupernaturalem in humanitate aſſumpta: ſecundum quem ipſa naturæ humanæ dependentia realiter eſt terminata à diuino verbo, qui modus ſaltem formaliter ab ipſa humanitate diſtinguitur. Nam eſt paſſiua ipſius humanitatis terminatio,paſſiuumque ſuæ dependentiæ complementum,& naturalis inclinationis, & appetitus, qui ineſt naturæ ad propriam perſonalitatem, & ſubſiſtentiam, plena ſatietas, intrinſecam habens dependentiam ab actiua verbi terminatione: ſic adeo, vt ſi verbum (quod timendum non eſt,) ab humanitate recederet, haudquaquam modus iſte terminationis paſſiuæ in ipſa humanitate permaneret.Et hoc ſatis fuerit, vt hæc vnio veram ſortiatur actionis rationem.

Hæc ſolutio non facilè poterit impugnari: verum inſufficiens apparet, quoniam vnio iſta non tendit per ſe primo in hanc humanitatis terminationem, in iſtumque paſſiuæ terminationis modum,qui conſequenter, & concomitanter ſe videtur habere ad terminum primario intentum, qui eſt verbum in humanitate ſubſiſtens. Vnde non eſt id, quod per hanc vnitionem agitur, & efficitur.

Sed aliud eſt quærendum, quod ipſam vnionem in ratione actiuæ vnitionis per ſe primo terminet. Video ſolutionem ſe inſinuantem, nimirum, quod primarius vnitionis terminus, ſcilicet, diuinum verbum, vt communicat perſonaliter humanitati ſubſiſtentiam ſuam,non eſt vtcunq; terminus,ſed prout inducit in humanitate prædictam terminationem paſſiuam,& hoc eſt ſatis,vt vnio,prout actio, ad ipſũ terminetur.Propter hanc euaſionem dixi, non facilè expugnari poſſe ſolutionem præcedentem.Sed re vera non ſatisfacit.

Poſſet autem alia forſan probabiliori ſolutione factum argumenti dilui. Nam dicerem ego, ex propria ſententia loquens, illam propoſitionem, omnis actio agit, & efficit, non eſſe vniuerſaliter veram.Sunt enim aliquæ actiones non factiuæ,ſed vnitiuæ,ex quibus non reſultat aliquis terminus productus,& de nouo factus,V.G. viſio,& aliæ immanentes actiones exteriorum ſenſuum, quibus iuxta communiorem,& veriorem ſententiam, nullus producitur terminus,neq; etiam formaliter ab ipſis actionibus diſtinctus,& ſimiliter actio voluntatis humanæ,iuxta probabilem non paucorum Theologorum opinionem, nullum intrinſecum efficit terminum. Sed ſunt iſtæ actiones,& aliæ ſimiles tantum vnitiuæ; copulant enim,& vniunt potẽtias cum ſuis obiectis, & ex potentia, & obiecto efficiunt vnum, non ſimpliciter, ſed ordine vnum: ita diceret quiſpiam in præſentia,quod hæc ſubſtantialis vnio actio eſt vnitiua humanitatis ad verbum,& non eſt productiua termini cuiuſpiam.

Sed hæc omnia veritate cõſtare non poſſunt, nam licet hæc nunc aſſignata ſolutio ſatis ſit veroſimilis, quatenus de actionibus potentiatum viuentium immanentibus procedit, inter quas & ipſarum obiecta ſola vnitas ſecundum quid conſtituitur:at in præſentia locum non habet: Verbum enim, & humanitas in Chriſto non habet vnitatem ſecundum quid, & ordine tantum,ſed veram,& propriam vnitatem,& ob id Cyril. Damaſc.& alij Patres,vt retro dixi,hanc vnionem naturalem appellauerunt,quia vera eſt, & propria,ac veram proinde, & propriam vnitatem inter extrema,quæ vniuntur,conſtituit. Et quidem dicere,quod Chriſtus eſt vnus ordine, & non vnus ſimpliciter, hæreticum eſt.

Præterea vrgeo Theologos,qui nunc commemoratam adſtruxerunt ſententiam, de termino terminante. Totalis terminus huius ſubſtãtialis vnionis eſt Chriſtus,Chriſtus autem,non ſolum connotat in obliquo naturam humanam, ſed illam formaliter includit: Chriſtus enim importat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, ſicut Petrus,aut Martinus. Et ob id Chriſtus vniuocè dicitur homo cum cæteris hominibus: ergo terminus totalis huius vnionis non eſt ſolum verbum terminans, & complens humanitatis dependentiam.

Confirmatur. Ex oppoſita ſentẽtia ſequitur,quod Chriſtus non fuerit per ſe primo,& principaliter intentus per hanc ineffabilem vnionem, ſed potius ſe habuerit conſequenter ad eius primarium terminum:conſequens videtur falſiſſimum: ergo falſa eſt illa præfata ſententia. Sequela apparet euidens, quoniam Chriſtus,vt nunc dicebam, includit intrinſecè, & formaliter naturam humanam: terminus autem per ſe primo intentus,& aſſequutus per hanc vnionem, non formaliter includit humanitatem, vt inquit, prædicta ſententia: ſed eſt ipſa diuina perſona connotans humanitatem, cuius dependentiam terminat. Cum ergo Chriſtus non ſit primarius huius vnionis terminus, neceſſum fuerit, quod ſit terminus ſecundarius, & primarium terminum conſequens. Falſitatem vero conſequentis, probo ex verbis paulo ſuperius ex Cyril. citatis,quibus dicit,quod in hac ineffabili vnitione, ex duabus rebus diſſimilibus vnus factus eſt Chriſtus. Ecce primarium vnitionis terminum, ipſum, videlicet, Chriſtum, factum: quem terminum S. Ioannes illis deſignauit verbis. Et verbum caro factum eſt. Hæc dicta ſint de totali vnionis termino,de quo adhuc paulo poſt plura dicemus.

DVBITATIO I. APPENDIX.

Quis ſit terminus formalis hypoſtaticæ vnionis.

Sed nunc breuiter explicemus oportet, quis ſit vnionis huius formalis terminus, in omni nãq; ſubſtantiali vnione, oportet ſignare terminum, qui in ipſo termino totali locum habet formalem, qui proinde formalius per vnitionem intenditur: ſicut in generatione naturali,etſi totalis terminus, & vltimatè intentus ſit homo, ex humana carne, & rationali anima conſtans: formalis autem terminus ipſa eſt rationalis anima.

Res iſta difficultate non caret. Nã ex vna parte videtur,quod formalis terminus ſit humanitas. Chriſtus enim formalius humanitatem importat, quam verbum: importat enim verbum vt ſuppoſitum, & humanitatem,vt naturam in ipſo ſuppoſitatam. Natura autem comparata ad ſuppoſitum rationem habet formæ: ergo humanitas formaliter terminus

fuit

Digitized by Google

fuit hypoſtaticæ vnionis. Secundum argumentum per hanc vnionem per ſe primo intenditur, vt Verbum, quod ſuppoſitum erat diuinum, eſſet per incarnationem ſuppoſitum humanū, ab humanitate autem tanquam à forma habet diuinum Verbū, quod ſit ſuppoſitum humanum, loquendo formaliter de ſuppoſito humano, vt eſt humanum, ergo humanitas formalior fuit huius vnionis terminus.

Sed pro alia parte ratio dubitandi ſe offert, videlicet quod diuinum Verbum in hac vnione eſt quid præcipuum, & principalius intẽtum: ergo formalior eius terminus eſt. Præterea S. Th. tum alias, tum pręſertim 3. p. q. 2. art. 6. videtur præſupponere tanquã rem certam, principalem, & primarium huius vnionis terminum eſſe diuinam Verbi hypoſtaſim, cum ergo hoc non ſit intelligendum de termino totali, quia hic terminus eſt ipſe Chriſtus, vt ex dictis conſtat, neceſſum eſt, intelligatur de primario, & formali termino: ergo, &c.

Reſoluitur dubitatio.

BReniter huic dubitationi reſpondeo, primarium terminum, & formalē ineffabilis huius vnionis non humanitatem eſſe, ſed ipſum diuinum Verbum, quod probant argumenta pro ſecunda parte poſita, & ex ſolutione argumentorum contrariæ ſententiæ magis eluceſcet iſta veritas. Vnde ad argumenta pro parte contraria facta in communi, primum reſpondeo, quod ſi hæc vnio tantum conſideraretur in ratione ſubſtantialis vnionis, per quā conſtituitur humanum ſuppoſitum, ſecundum formalem humani ſuppoſiti rationem, argumentum conuinceret intentum: veruntamen hæc mirabilis vnio eſt ſimpliciter, & formaliter aſſumptio: per quam humanitas aſſumitur, & trahitur ad ipſum eſſe perſonale Verbi, in quo præclaram, & excellentem dignitatem acquirit. Vnde terminus primario, & formaliſſimè intentus eſt ipſum eſſe perſonale diuini Verbi: nō quidem abſolutè conſideratum, ſed vt terminans, ſuſtentans, complens, perficiens, & eleuans ipſam humanitatem.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quod hęc vox Chriſtus, incarnato Verbo accommodata, vt illam accipimus in præſentia, importat quidem humanitatem per modum naturæ, ac proinde per modum formæ: & importat diuinum Verbum, vt eius ſuppoſitum: & ob id homo vniuocè de Chriſto, & de cæteris hominibus prędicatur. Et hac ratione humanitas formaliorem locum tenet in ſignificato huius vocis, Chriſtus. Sed nihilominus ſimpliciter, & abſolutè Verbum eſt principalius, & formalius ſignificatum huius vocis, quoniam Chriſtus importat quidem de formali naturam humanā, non vtcunque, ſed vt aſſumptam, & eleuatam ad eſſe perſonale Verbi: & hoc vel ex ipſa primaria vocis ſignificatione colligitur, ſecundū quam Chriſtus vnctum ſignificat. Ex hac enim ſignificatione conſtat, quod hæc vox Chriſtus, importat quidem humanitatem, nō abſolutè, ſed vt diuino oleo exultationis, & lętitiæ vnctam, & delibutam .i. vt eleuatā ad eſſe perſonale Verbi, ex quo ipſa valde perficitur, eximiāq; dignitatem comparat, & excellentiam: multoq; formalius, & actualius eſſe, quā ei poſſit competere ex proprijs, & eſſentialibus principijs: itaque Verbum ſecundum rationem humani ſuppoſiti præciſè cōſideratum, & in ipſa vnione, & in ſignificatione vocis huius Chriſtus, ſe habet quaſi materialiter, cæterum conſideratum, vt ad eius excellentiſſimum, & formaliſſimum eſſe aſſumpta eſt, & euecta humanitas, contra res ſe habet, & humanitas materialem, aut quaſi materialem, & in vnione, & in vocis ſignificato locum tenet.

Ad ſecundum argumentū reſpōdetur, hanc ineffabilem hypoſtaticam vnionem eo quidem tendere, vt Verbum, quod tantum erat diuinæ naturæ ſuppoſitum, ſimul eſſet ſuppoſitum humanum: eleuans tamen, & trahens ad ſe, ad ſuamque dignitatem ipſam humanam naturam, à qua habet formalitatem humani ſuppoſiti, vt humanum eſt: quæ tamen formalitas, comparata ad eam perfectionem, quam ipſa natura humana accipit ex vnione ad Verbum, potentialitas eſt, & materialitas: vnde tandem ipſum diuinum Verbum prout ſuppoſitum perfectiuum, & eleuatiuum humanitatis formalius eſt, & perfectius ſignificatum huius vocis Chriſtus.

Poſſet præterea ad vtrunque argumentum dici, quod licet ſecundum modum ſignificationis huius vocis Chriſtus, formalius ſignificetur humanitas, eo quod per modum naturæ, ac proinde per modū formæ ſignificatur: ſignificamus enim nos Verbum in humanitate ſubſiſtens, ad eum modum, atque ſi eſſet ſuppoſitum purè humanum; & ad eum modum, quo ſignificamus Paulum, aut Martinum: eo quod diuinum Verbum perfectiſſimè ſupplet totū, quod pertinet ad humanū ſuppoſitum, etſi altiori, & eminentiori modo illud exequatur. Cæterum ſi de re ipſa fiat ſermo, è contra res ſe habet, multo enim principalius, & formalius eſt ipſum diuinum ſuppoſitum, non ſolum entitatiuè, & materialiter conſideratum, (hoc enim non vertitur in dubium) ſed etiam, noſtro more loquēdi, ſecūdum quod intrat compoſitionem Chriſti, qui eſt totalis vnionis hypoſtaticę terminus.

DVBITATIO II. APPENDIX.

An terminus vnionis hypoſtaticæ creatum quid ſit, an increatum.

EX his facilè poteſt ſumi reſolutio ad illam dubitationē, quę multos malè vexat: an videlicet, terminus vnionis hypoſtaticę, creatū quid ſit, an increatum. Cui dubitationi conſentaneè ad ſuperius dicta, primo reſpondeo, quod ſi de termino totali ſermo fiat, nec creatū quid eſt, neque increatū, ſi rem ipſam attendamus, quoniam includit Verbum, & humanitatem, quorū alterum creatura eſt, & alterū Creator, ſuntq; ſimul in vnum diues, & pauper. Dixi tā ſecundum rem, nam ſi ad prædicationem attēdamus, cum Chriſtus ſit Deus, imo & ipſa deitas, verè de illo dicitur, quod eſt Creator, & ſubinde quid increatum, in huiuſmodi enim prędicationibus, Chriſtus accipitur quaſi materialiter pro ſuppoſito, quod ſine dubio increatum eſt, & ipſiſſimus rerum omnium Creator.

Reſpondeo ſecundo, quod ſi de termino formaliori, & principaliori ſermo fiat, abſolutè fateri oportet, quod huius vnionis terminus increatū quid eſt. In quo ſenſu intelligendus eſt Caiet. 3. p. q. 2. art. 6.

Digitized by Google

& intelligendi ſunt alij, qui cum Caiet. abſolutè dicunt, terminum huius vnionis increatum quid eſſe. Loquuntur enim, non de totali, ſed de formali termino: & quidem hic loquendi modus nullam habet improprietatem, ſatis enim vſitatus eſt apud Philoſophos, qui cum Ariſt. 2. Phyſic. formam terminum, & finem generationis appellant.

Habemus ergo ex omnibus dictis ad noſtrum intentum, quod obiectum prædeſtinationis Chriſti, eſt ipſe totalis hypoſtaticæ vnionis terminus, ſcilicet, Chriſtus. Verum non adhuc quieſcit animus. Nam rogat nos quiſpiam, an totalis hic hypoſtaticæ vnionis terminus, quem vocamus prædeſtinationis obiectum, ſit aliquid ex ipſa vnione reſultans: nam videtur ita eſſe, ſi vera ſunt quæ diximus: affirmauimus enim paulo ſuperius, quod hæc ineffabilis vnio eſt vera actio, per quam Chriſtus, vt eſt totalis eius terminus, factus eſt: quod etiam apertis verbis docuit Cyrill. ſupra citatus, & ratio manifeſta ſuffragatur, nam Chriſtus nouum quoddã eſt à Deo factum, non habens eſſe ab æterno, ſecundum quod ex diuinitate, & humanitate conſtat. Hæc eſt enim illa nouitas de qua dicebat Hieremias c. 31. *Nouum creauit Dominus ſuper terram, mulier circundabit virum.* At quod nouum eſt, & factum eſt, creatum eſt: Chriſtus ergo prout totalis terminus hypoſtaticæ vnionis per ipſammet vnionẽ factus eſt, & ex conſequenti reſultauit ex eadem vnione. Confirmatur, nã hæc propoſitio, Deus factus eſt homo, eſt vera, & Catholica, ergo ſimiliter & iſta, Deus factus eſt Chriſtus, antecedens eſt communis Theologorum ſententia cum S. Th. 3. p. q. 16. ar. 7. ad 4. Imo & habetur expreſsè in ſymbolo Concil. Niceni.

Sed in oppoſitum pugnat, quod non ſatis apparet intelligibile, quid ſit illud vnum, quod reſultat ex prædicta vnione. An videlicet ſit aliquid vnum tertium diſtinctũ ab humanitate, & diuinitate, an vero ipſa diuinitas, & humanitas tantum. Nam ſi primũ dicamus, vix explicare poterimus quid ſit illud tertium, Creator ne ſit, an creatura, creatum, an increatum potius. Si autem ſecundum dixerimus, tunc obſtat nobis, quod licet ex illa vnione reſultare poſſet humanitas, eſſetque ipſius vnionis effectus: id tamen de diuinitate minimè dici poteſt: atque adeo neque poteſt dici, quod reſultauit ex vnione totalis eius terminus, ſed pars eius duntaxat. Vt huic dubitationi ſatisfaciamus, & radicitus explicemus, quiſnam fuerit totalis vnionis hypoſtaticæ terminus, quodve Chriſti prædeſtinationis obiectum, oportet grauem illam, & difficilem diſputationem differamus, cuius S. Thom. meminit in 3. p. q. 2. art. 4.

DVBITATIO III. APPENDIX.

An Chriſtus ſit perſona verè, & propriè compoſita.

§. 1. Proponuntur argumenta pro parte negatiua.

PArtem negatiuã ſequentibus oſtendo argumẽtis. Primum in omni compoſitione neceſſum eſt, vt altera pars ſe habeat vt actus, & altera vt potentia: hoc autem in perſona Chriſti locum non habet, quoniam diuinitas neque potentia eſſe poteſt, quę eſt res cõſtantiſſima, & omnibus in propatulo, neque vero rationem poteſt actus ſortiri reſpectu humanitatis, non. n. informare valet, aut actuare ipſam, quia eſſet imperfectio magna diuinitatis, talis actuatio, & informatio, non. n. fieri poſſet abſque ipſius diuinitatis limitatione, forma. n. per potẽtiam quam informat, limitatur, & coarctatur. Ergo neque in Chriſto reperitur vera, & propria cõpoſitio, atque adeo Chriſtus nequit propriè dici perſona cõpoſita. Confirmatur. Omnis cõpoſitio imperfectionem inuoluit, tum in partibus cõponentibus, quę ſunt imperfectiores toto compoſito: & quia ad ipſum ordinãtur vt ad finem, & quia comparatione ad ipſum ſe habent vt potẽtiales, totũ enim eſt ſitarum partium forma: tum etiam in ipſomet toto compoſito, quia à partibus pendet, & ab eis accipit eſſe: hæc autẽ, & omnis imperfectio penitus eſt à diuinitate releganda, vtpote quæ cum ſit ipſa eſſentialis perfectio, nullius eſt imperfectionis capax: ergo diuinitas non habet rationem partis componentis Chriſtum, atque adeo Chriſtus nequit eſſe perſona ex humanitate, & diuinitate compoſita.

Secundum argumentum. Diuinum ſuppoſitũ non poteſt habere rationem partis componentis Chriſtum: at ſi Chriſtus eſt perſona compoſita, neceſſum eſt componatur ex Verbo diuino tanquam ex ſuppoſito, & ex humanitate tãquam ex natura: ergo Chriſtus nequit eſſe perſona compoſita. Maior probatur. Suppoſitum eſt totum perfectum, & completum: non ergo poteſt compoſitio conſtare ex ſuppoſito tanquam ex parte componente.

Tertium argumentum. In nullo compoſito altera pars componens eſt idem realiter cũ toto, quoniam totũ addit realitatem vnius partis ſuper alterã partẽ. Vnde in philoſophia, vt primum habetur principiũ, quod omne totum eſt maius qualibet ſua parte: ſed Chriſtus eſt omnino idem cum natura diuina, & realiter, & formaliter: hæc enim prædicatio eſt veriſſima, Chriſtus eſt Deus: imo & iſta, Chriſtus eſt veritas, Chriſtus eſt deitas: & ita ipſe Io. 15. de ſemetipſo dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Idem autem eſt dictu, veritas, vita, quod deitas: ergo in Chriſto non vera, & propria interuenit compoſitio.

Quartum argumentum. Iſtę propoſitiones ſunt in rigore falſæ, & abſolutè negandę, Chriſtus eſt factus, Chriſtus eſt creatura, ergo Chriſtus non eſt compoſitus. Antecedens aſſeritur ex S. Th. 3. p. q. 16. art. 8. & conſtat ex eo, quod iſtæ propoſitiones pertinent ad ſectam Arianorum, qui Chriſtum facturam, & creaturam eſſe dixerunt. Conſequentia verò probatur, nam omne compoſitum factum eſt, & creatum: ſola enim ſimpliciſſima entitas, & perfectio diuina increata eſt, & non facta: ergo vera eſt pars negatiua dubitationis propoſitæ. In oppoſitum eſt S. Thom. in illo art. 4. à principio huius dubij citato, vbi expreſsè fatetur, quod Chriſtus dicitur perſona compoſita, inquãtum vnum in duobus ſubſiſtit, id eſt vnum ſuppoſitum in duabus ſubſiſtit naturis.

§. 2. Notanda pro deciſione quæſtionis.

AD huius controuerſiæ deciſionem præſupponẽdum eſt, in præſentia non diſputari: an Chriſtus aliquam compoſitionẽ includat. Conſtat enim

quod

Digitized by Google

quod humanitas Chriſti verè, & realiter eſt compoſita, eſt enim Chriſtus verus homo ex corpore, & ex anima rationali conſtans, vt in ſymbolo Athanaſij definitur. Et ſimiliter fatebimur omnes, Chriſtum vt hominem, genere & differentia conſtare, quæ eſt metaphyſica compoſitio, conſtat enim ex animali, & rationali: eſt namque Chriſtus animal rationale ſicut Petrus. Vnde huiuſmodi compoſitiones, quæ ad ſolam Chriſti humanitatem referuntur, minimè ad præſentem attinent diſputationem. Quocirca in præſentia de illa tantum cōpoſitione diſſeritur, quæ pertinet ad perſonam Chriſti, prout in gemina ſubſiſtit natura, diuina ſcilicet, & humana.

Secundo eſt notandum, quod cum inquiritur de compoſitione perſonæ Chriſti, prout in duabus ſubſiſtit naturis, vtraque natura, in qua Chriſti perſona ſubſiſtit, conſideranda eſt formaliter, & intrinſecè in ipſa Chriſti perſona: aliàs enim nulla ratione poterit appellari compoſita: & grauiter errant, qui oppoſitū cenſent. Hoc animaduerterim propter quoſdam S. Thom. diſcipulos, qui arbitrantur, quod, vt Chriſti perſona compoſita dicatur, nō oportet, quod humanitas formaliter intret in ratione compoſitionis tanquam alterum extremum componens, ſed ipſamet Chriſti ſubſiſtentia cenſetur compoſita, quatenus geminā induit ſubſiſtendi rationem. Alteram per ordinem ad naturam diuinam, & alteram per reſpectum ad naturā humanam, quam actu terminat: nā de hoc actuali reſpectu loquuntur docti hi Theologi, dicuntque quod quatenus perſona Chriſti hanc duplicem ſubſiſtendi rationē includit, perſona compoſita vocatur, itaque humanitas in hac compoſitione non intrat formaliter, ſed terminatiuè tantum. Sed & dicunt præterea hi Theologi, quod illa ſubſiſtendi ratio, quæ in Chriſti perſona conſideratur per reſpectum ad naturam humanam, in qua ſubſiſtit, non aliquid reale eſt, ſed reſpectus rationis. Vnde tandem aſſerunt, quod illæ duæ rationes ſubſiſtendi in Chriſti perſona dicūtur ad eum modum, quo materia prima, & priuatio appellantur ab Ariſt. lib. 1. Phyſ. duo principia rerum.

Hanc ſententiam verā eſſe probant ex ſancta Synodo generali c.7. decernente, quod hypoſtaſis Chriſti ſola cōſideratione multiplicatur. Sed hæc duo mihi apparent falſa: & vt ab hoc ſecundo incipiam, illud, niſi fallor, laborat manifeſta æquiuocatione: aliud eſt enim conſiderare diſtinctionem inter duo extrema, aliud vtriuſque extremi realitatem; contingit enim quod duo extrema ſint realia, & tamen quod eorum diſtinctio ſit ens rationis formaliter ſumpta. Homo enim, & animal in Petro ſola ratione diſtinguuntur, & ita eorum diſtinctio formaliter eſt ens rationis, ſed tamen vtrunque iſtud extremum eſt ens reale: & his ſimilia reperiemus innumera exempla. Ad propoſitum ergo dico, quod in Chriſto, etiam ſi humanitas non intrinſecè conſideretur in humana Chriſti ſubſiſtentia, ſed tantum extrinſecè eius habitudinem terminans, duplex eſt nihilominus ratio ſubſiſtendi vera, & realis, nō tamen realiter, ſed ſola ratione diſtincta. Etenim eadem perſonalitas Verbi, quæ eſt realiter ſubſiſtentia diuina comparata ad diuinitatem, eſt etiam ſubſiſtentia humana ad humanitatem relata, quatenus ſupplet vicem ſubſiſtentiæ humanæ in Chriſti humanitate eius dependentiam terminans, & complens, & ſeipſa, ſuaque entitate relatiua diuina Verbi proprietas, imperfectionibus ſublatis, exequitur in omnibus officiū humanæ ſubſiſtentiæ. Et quamuis ex hoc conſurgat in ipſa quidem reſpectus rationis ad humanitatem, non tamen ex illo reſpectu formaliter habet, quod ſit humana ſubſiſtentia: etſi explicari non poſſit ratio ſubſiſtentiæ humanę in Chriſti perſonalitate, niſi cum tali reſpectu: etenim Verbi perſonalitas ſeipſa, eo quod infinita eſt in ratione perſonalitatis complet, & terminat humanitatis dependentiam, atque humanæ exiſtentiæ officium exequitur: reſpectus autem rationis concomitanter, & conſequenter ſe habet: neque formalem humanæ ſubſiſtentiæ rationē ingreditur.

Quemadmodum Deus non per reſpectū aliquem rationis, ſed per ſuam omnipotentiam, & per diuinum intellectus ſui practici imperiū creaturas produxit, & creauit: quamuis rationem Creatoris non poſſimus explicare, neque verò mente noſtra concipere, niſi adhibito reſpectu rationis ipſius Dei ad creaturas. Et hoc exemplo creationis amplius explico rem iſtam: dico enim quod ſicut Deus per eandem omnipotentiam, per quam in ſemetipſo omnipotens eſt, creaturas produxit, & creauit ex nihilo: ita diuinum Verbum per eādem perſonalitatem relatiuam, qua in ſeipſo, & ex ſemetipſo eſt diuina perſona, terminat naturam humanam, eiuſq; dependentiam complet, vnde & rationem humanæ ſubſiſtētię ſortitur. Quæ quidem ratio vera eſt, & realis, quia eſt ipſa Verbi perſonalitas terminans, & complens humanitatem, quod totum eſt reale: erraret enim in fide, qui diceret, hoc quod eſt Verbi perſonalitatem terminare, & complere humanitatis depēdentiam, eſſe tantū reſpectum, & habitudinem rationis: quoniam Verbum non eſſet verè, & realiter homo, ſicut Petrus: nam ſuppoſitum, quod realiter nō terminat naturæ alicuius dependentiam, non verè, & realiter in ipſa ſubſiſtit natura. Igitur fateri tenemur, quod illa duplex ſubſiſtendi ratio, quam S. Tho. 3. p. q. 2. a. 3. & 4. contra gentes, c. 49. & alijs in locis in Chriſti perſona comentatur, vera eſt, & realis, non tamen realiter, ſed ſola ratione inter ſeſe diſtincta. Et ita intelligitur doctrina ex ſancta Synodo generali adducta. Non dico ad fidem pertinere, quod in Chriſto ſit duplex ratio ſubſiſtentiæ: nam qui concederet, Verbi perſonalitatem verè, & realiter terminare, & complere humanitatis Chriſti dependentiam, æquè perfectè, imo multo perfectius, quàm ſi eſſet propria, & connaturalis eius perſonalitas: non erraret in fide, ſi negaret, reperiri ibidem geminam ſubſiſtentiæ rationem, vt affirmauit Dionyſ. Carthuſianus in 3. diſt. 6. q. 8. cui in hac parte conſentit Medin. 3. par. quæſt. 2. art. 4.

Sed arguit quiſpiam: In Chriſto eſt gemina hypoſtaſis ſecundum rationem diſtincta, vt conſtat ex Verbis paulo ante citatis Synod. 5. general. Ergo fide tenemur credere, quod eſt in Chriſto duplex ſubſiſtendi ratio. Patet conſequentia. Quoniam impoſſibile eſt, quod ſit duplex hypoſtaſis, id eſt, duplex perſona ſecundum rationem diſtincta, quin etiā diſtinguamus ibi duplicem ſubſiſtentiæ perſonalis rationem. Subſiſtentia enim perſonalis eſt proprium perſonæ conſtitutiuum, quo ſublato, perſona non remanet. Reſpondetur, & primum dico, quod hic mo-

dinis diſtinguendi duplicis ſubſiſtentiæ rationem, qui habetur in S. Th. doctrina, eſt ſine dubio valdè conformis, & conſentaneus doctrinæ fidei, etſi contrarius dicendi modus non ſimpliciter fidei veritati opponatur.

Sed ſecundo dico, quod aliud eſt conſiderare ipſam Verbi ſubſiſtentiam ab humanitate Chriſti diſtinctam, & aliud conſiderare, vt eandem humanitatem includit. Si quidem priori modo conſideretur, etiam ſi intelligamus ipſam, vt actu complentẽ, & terminantem humanitatis dependentiam, non eſt neceſſe dicamus in ipſa reperiri geminam ſubſiſtentię rationem, eo quod Verbi perſonalitas ſeipſa, propter ſui infinitatem, humanitatis terminat dependẽtiam. Cæterum ſi conſideretur, vt formaliter includit ipſam humanitatem, quam terminat, negari nõ poſſumus, quin hac ratione appelletur ſubſiſtentia humana: atque adeo, quod ratione diſtinguatur à ſemetipſa, prout eſt ſubſiſtẽtia purè diuina. Nam ſicut ipſum Verbi ſuppoſitum in concreto conſideratum, prout includit formaliter humanitatem, verè eſt homo, & ratione diſtinguitur à ſeipſo, vt eſt purè diuinum ſuppoſitũ; includit enim aliquid in ſuo formali conceptu, quod non includitur in conceptu ipſius Verbi, vt purè diuini: ita ſuppoſitalitas Verbi in abſtracto ſumpta, prout humanitatem terminatam, & completam includit, non poteſt nõ ratione diſtingui à ſeipſa, purè conſiderata: & qui hoc negaret, quantum opinor, erraret in fide. Et in hoc poſteriori ſenſu explicanda eſt definitio ex Synod. 5. generali adducta: nos autem in priori ſenſu hactenus loquebamur, vt ex ipſo doctrinæ diſcurſu liquet.

Sed iam reuertamur ad illud primum, quod referebamus ex ſententia quorundam Thomiſtarum, qui dicebant in Chriſti perſona veram intelligi compoſitionem, propter illam duplicem ſubſiſtendi rationem, ita quod ex vna habet Chriſtus, quod ſit humana perſona, & ex altera, quod ſit diuina, quamuis in altero extremo. ſ. ſubſiſtentia humana, non includamus formaliter humanitatem, ſed reſpectũ duntaxat rationis ad ipſam. Hęc doctrina mihi vera non apparet. Primò, quoniam Concilia grauiſſima, & antiqui Patres, ex quorum doctrina, & verbis colligitur illa ſententia, quæ conſtituit in Chriſti perſona verã compoſitionem, ad duas naturas, diuinitatem ſcilicet, & humanitatem tecurrunt, ex quibus dicũt Chriſti perſonam conſtare, & componi. Præterea ſi ſecludamus humanitatem ab altero extremo, ſcilicet à ſubſiſtentia humana, nihil manet reale in vno extremo, quod non ſit in alio: nam humana ſubſiſtentia in hoc ſenſu cõſiderata, nihil includit reale, quod nõ includat ſubſiſtentia diuina, ſed tantũ ſuperaddit reſpectum rationis ad humanitatem, quam terminat: ergo impoſſibile eſt, quod ibi intelligatur vera, & realis compoſitio, de qua in præſentia loquimur: non enim diſputamus, an in Chriſto reperiatur compoſitio per intellectum, & rationẽ factam, ſed quærimus, an ſit ibi vera, & realis compoſitio, ſicut concedimus veram in Chriſto vnitionem duarum naturarum reperiri, ita vt Chriſtus verè, & realiter ſit perſona compoſita. Nec oppoſitum docuit S. Thomas, cum in 3. par. loco citato dixit hęc verba, ex quibus graues quidam eius diſcipuli præcitatam hauſerunt ſententiam. *Vnde licet*, inquit, *vnum ſit ibi ſubſiſtens, eſt tamen ibi alia, & alia ratio ſubſiſtendi, & ſic dicitur perſona compoſita.* Hæc verba, niſi quidpiam adderet S. Thom. fundamentum præſtare poſſent præfatæ ſententiæ, ſed mox, & immediatè Doctor Sanctus addidit alia, ſcilicet, *inquãtum vnum in duobus ſubſiſtit.* Ecce manifeſtam vtriuſque naturæ, & diuinæ, & humanæ incluſionem requiſitam à S. Thoma, vt Chriſtus dicatur perſona compoſita.

Sed iam tertiò notandum eſt, quod compoſitio, quæ in Chriſti perſona intelligitur, tripliciter poteſt conſiderari. Primo, quod extrema compoſitionis ſint ex vna parte humanitas, & ex alia parte diuinitas. Secundo, quod compoſitionis extrema ſint ex vna parte humanitas, & ex alia ipſa perſonalitas Verbi, quæ eſt proprietas relatiua conſtituens ipſam diuinam Verbi perſonam. Tertio denique, quod humanitas ſit vnum extremum, & ipſum ſuppoſitum diuinum, ſcilicet Verbum, ſit extremum aliud.

Quarto eſt notandum, quod licet in re ſint omnino idem perſona Verbi, ſeu Verbum, Filius Dei, & Chriſtus, ſecundum tamen rationem, & modum ſignificandi differunt. Nam Verbum, & Filius Dei ex modo ſignificandi, ſignificant ſuppoſitum diuinum præciſè, vt ſubſiſtit in natura diuina. Chriſtus vero ſignificat idem ſuppoſitum diuinum formaliter, prout in duplici natura humana, & diuina ſubſiſtit. Diximus ſuperius nonnulla, quæ valdè conferunt ad intelligentiam ſignificationis huius vocis Chriſtus, ſed adhuc amplius quid neceſſum eſt dicamus, quod & ſignificationem huius vocis magis explicabit, & ad præſentis dubitationis deciſionẽ valdè conducet. Summopere ergo obſeruandum eſt, quod vt S. Th. 4. contra gentes cap. 49. in ſolut. ad 3. & 5. dicit, *humanitas in Chriſto trahitur ad ipſammet Verbi ſubſiſtentiam.* Quorum verborum iſte eſt ſenſus, quod non debemus commẽtari, ex ipſa perſonalitate Verbi, vt accommodata humanitati, & ex ipſa humanitate conſurgere nouum ſuppoſitum, atque conſurgeret ex eadem humanitate, & ex perſonalitate propria, & naturali ipſius humanitatis: hæc enim imaginatio eſſet omnino falſa, & huius myſterij dignitati iniurioſa. Sed debemus intelligere, quod humanitas ita vnitur perſonalitati Verbi, per ipſamque terminatur, & completur, quod ſimul aſſumitur ad ipſum ſuppoſitum Verbi præexiſtens, ita quod non intelligimus etiam ſecundum formaliſſimam rationis conſiderationem, quod ex illa vnione reſultauit aliquod nouum ſuppoſitum, quod eſſet, & appellaretur homo. Sed ipſummet antiquum ſuppoſitum diuini Verbi eſt humanum, & eſt homo, ac vocatur homo, itaque Verbi perſonalitas non concurrit in hoc myſterio per modum proprietatis cõſtitutiuæ noui ſuppoſiti, quamuis verè terminet, & compleat, & id quidem excellentiſſimo, & ineffabili modo humanitatis dependentiam, ſed terminando, & complẽdo humanæ naturæ dependẽtiam, trahit per modum medij formalis, quo, imperfectionibus ſublatis naturã humanam ad ipſum Verbi ſuppoſitum: quo, illudq; verum hominem conſtituit, & ipſum hominem verum Deum. Et quidem ſi comminiſceremur ex perſonalitate Verbi, & ex humanitate conſtitui, quoddam nouum ſuppoſitum: atque conſtitueretur ex eadem humanitate, & ex propria eius perſonalitate, certè ſi rigorem ſermonis attendamus, neque Deus

eſſet

eſſet homo,neque homo eſſet Deus. Nam illud ſuppoſitum nouum reſultans, neque Deus eſſet, neque vero eſſet homo, ſed eſſet quaſi mixtum quoddam ex humanitate,& diuinitate. Ad conſtitutionē enim ſuppoſiti per ſe concurreret vtrunque,& humanitas, & diuina perſonalitas Verbi.

Huius rei exemplum adęquatum quærere impertinens eſſet,imo & ineptum:nam,vt grauiſſimè Auguſt. in Epiſt. 3. quæ eſt ad Voluſianum,inquit, *Si in hoc myſterio rationem quærimus, non eſſet mirabile, ſi vero exemplum, non eſſet ſingulare.* Veruntamen noſtri intellectus imbecillitati deſeruiet exēplum imperfectum, quod ex compoſitione accidentis corporei cum ſubiecto deſumitur. Ex accidente enim, & ſubiecto non conſurgit aliquod nouum eſſe, ab eſſe ſubiecti,& accidentis diſtinctum: ſed accidens trahitur ad ipſum eſſe antiquū ſubiecti,in quo ſuſcipitur. Hæc autem vnio, & quaſi tractio accidentis ad eſſe ſubſtantialis ſubiecti,fit mediante quantitate,quæ vt ſubiectum Quo, terminat immediatè vnionem, ſeu inhæſionem accidētis, & ipſam quaſi defert ad ſubſtantiam vbi obiter adnotetur (deſeruiet enim quāplurimum inferius dicendis) quod accidens propriè loquendo non facit compoſitionem cum quantitate, quia quantitas nō habet rationem extremi componentis cum ipſo: ſed rationem medij,quo accidēs trahitur ad eſſe alterius extremi, nimirum, ſubſtantialis ſubiecti.

Sed aduerſus hanc doctrinam tale argumentum formo. Si ex perſonalitate Verbi terminante humanitatem , & ex humanitate ipſa non conſurgit nouum ſuppoſitum,ſequitur falſum eſſe illud, quod dudum aſſeruimus, puta, in Chriſto geminum eſſe ſuppoſitum, etſi ſola ratione inter ſe ſe diſtinctum. Alterum diuinum,& alterum humanum,conſequēs non poteſt vlla veritate ſubſiſtere:ergo,&c. Sequela probatur. Ante vnionem humanitatis ad Verbum nullum erat ſuppoſitum humanum in Deo, ergo ſi non conſurgit de nouo,nullum erit etiam poſt vnionem hypoſtaticam humanum ſuppoſitū in ipſo Deo.

Confirmatur. Sequitur ex eadem ſententia,quod in Deo non ſit duplex ratio ſubſiſtentiæ, conſequens etiam his, quæ diximus aduerſatur, ergo, &c. Patet ſequela. Verbi perſonalitas non eſt conſtitutiua humani ſuppoſiti, iuxta doctrinam aſſignatam, ergo neque eſt formaliter ſubſiſtentia humana;manifeſta videtur hæc conſequentia, quia ſicut ad rationē ſubſiſtentiæ pertinet, quod ſit proprietas ſubſtantialis ſuppoſiti conſtitutiua, ita de ratione humanæ ſubſiſtentiæ eſt,quod ſit conſtitutiua ſuppoſiti humani.

Ad argumentum reſpōdeo,quod in humano ſuppoſito duo per rationem diſtinguimus, & id quidē veriſſimè. Alterum eſt,quod ſit ſuppoſitum ſubſtantiale:& alterum quod ſit humanum: qua intellecta, & ſuppoſita diſtinctione, dico, quod in mirabili incarnationis Sacramento nulla fuit nouitas, quod attinet ad rationem ſuppoſiti ſubſtantialis: nam quantum ad hoc antiquum,illud Verbi ſuppoſitum inuariatum prorſus manſit, neque nouum aliud ſuppoſitum Deo fuit adiunctum, neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem: ſed humanitas eleuata eſt, & aſſumpta ad illud antiquum ſuppoſitum, & ad eius eſſe perſonale; & ob id magna, imo & ſumma cum proprietate hæc vnio hypoſtatica à ſacris Theologis vocatur. Cæterum illudmet antiquum ſubſtantiale ſuppoſitum ab ipſa humanitate,quam perſonaliter, & ſuppoſitaliter terminauit, nouam denominationem,& rationem accepit: vnde & verè,& propriè appellatur humanum ſuppoſitum.

Confirmationi negatur ſequela. Probationi dicitur, quod vt perſonalitas Verbi humana ſubſiſtentia verè dicatur, ſatis ſuperque fuerit,quod terminet,& compleat humanitatis dependentiam, ipſam quaſi per modum formalis medij trahendo ad ipſum eſſe perſonale Verbi: nam hac ratione ſimpliciter conſtituit ſuppoſitum humanum,multo altiori,& eminentiori modo, quàm ex humana naturā,& ex propria, & naturali eius perſonalitate conſtitueretur humanum ſuppoſitum: nam ipſum Verbi ſuppoſitum in ſe ſuſtentans,& ſuppoſitans humanitatem,æquè perfectè, imo & longè perfectius,& præſtantius eſt ſuppoſitum humanum, quàm eſſet homo ille ex humana natura, & ex propria eius perſonalitate conſtitutus.

Quarto eſt notandum, quod ſuppoſitum alicuius naturæ duplex eſt: Alterum materiale,ſiue phyſicū, eſtque illud,quod reuera ſuſtentat talem naturā, vel formam, licet non explicet formaliter rationem talis formæ, v.g. corpus eſt ſuppoſitum albedinis,quia ſuſtentat albedinem,& ſubijcitur illi. Aliud verò eſt ſuppoſitum formale, quod non ſolum ſuſtentat naturam, ſed etiam in ſua ſignificatione explicat rationem illius formaliter, v.g. album non ſolum eſt ſuppoſitum phyſicum, & materiale albedinis, ipſam ſuſtentans, ſed etiam eſt ſuppoſitum formale, quia in ipſa ſignificatione explicat naturam albedinis, & ſuſtentationis illius, & hoc ſuppoſitum ſolet appellari metaphyſicum, ſiue logicum, eo quod ſecundū illud attenditur ordinatio prædicamentorum, ſeries, & coordinatio. Sic ergo Filius Dei eſt ſuppoſitum naturæ humanæ, phyſicum tamen, & quaſi materiale tantum, quia de facto ſuſtentat naturam humanam, ſed non eſt metaphyſicum ſuppoſitum, quia ipſam ſua ſignificatione, & in ſuo ſignificato non explicat: at Chriſtus formale ſuppoſitum eſt eiuſdem naturæ humanæ,quia & de facto illam ſuſtentat,& explicat formaliter ſubſiſtentiam in tali natura.

§.3. *Referuntur DD. ſententiæ.*

HIs ſuppoſitis, vt rem iſtam dilucidius abſoluamus, operæpretium erit referre diuerſa, quæ de hac re circunferuntur Theologorum placita. Eſt ergo prima ſententia, quę in vno extremo docet, Chriſti perſonam non eſſe compoſitam,neque id aſfirmari poſſe abſque magna improprietate,ita Scot. in 3.diſt.6.q.3. Gabriel eadem diſt.q.1. Marſil.in 3. q.6.art.3. Durand.ead.diſt.6.q.3. Albertus Magnus ead.diſt.art.6.Richard.art.6.q.3. Carthuſ.q.8.fauet Alex.Alenſ.in 3.p.q.6. mēb.2.art.4.5.imò & S.Th. in eadem 6.diſt.q.1. in hanc ſententiam propendit, dicit enim,quod compoſitio,quę in Chriſti perſona reperitur,non propria eſt,ſed ſecundum quid.

Secunda opinio eſt,quòd Chriſti perſona compoſita quidem eſt,ſed compoſitione tamen longè alterius rationis, ab ea quæ in omnibus rebus creatis rēperitur: vnde non debet,neque poteſt abſolutè concedi, Chriſtum eſſe perſonam compoſitam,ſed cum

Digitized by Google

addito nimirum. Si dicamus eſſe perſonam compoſitam ineffabili compoſitione, omnibuſque imperfectionibus ſemotis, docet hanc ſententiam Caiet. 3.p.q.2.art.4.& ex Theologis nonioribus reperinntur non pauci, quibus eius ſententia non diſpliceat.

Tertia denique ſententia in alio extremo docet, Chriſtum eſſe perſonam compoſitam: & ita abſque vlla formidine, & limitatione, Chriſtum compoſitam perſonam eſſe appellandam.

Deinceps per ſubiunctas propoſitiones explicanda erit huius dubitationis veritas: ſimulque explicabimus quid de re ipſa cenſendum ſit, & quem loquendi modum in hac materia ſeruare debemus.

§.4. *Prima concluſio.*

NOn eſt contra fidem abſolutè negare, Chriſtum eſſe perſonam compoſitam, neque verò in hac ſententia vlla erit temeritas. Cenſent huius concluſionis oppoſitum nonnulli ex modernis Theologis, ſed nimio certè cum rigore procedunt: nam cũ multi graues Theologi, quos retulimus pro prima ſentẽtia, negent veram, & propriam compoſitionem in Chriſti perſona reperiri, nimius ſanè rigor eſt, tam graui cenſura illã ſententiam ſubnotare. Sed dicunt authores, quibus hæc tam grandis cenſura placet, Concilia antiquiora grauiſsima, ſanctiſsimoſque Patres verbis expreſsis docuiſſe, Chriſtum ex duabus naturis, humana, & diuina eſſe compoſitum, vt ex referendis pro concluſione ſecũda fiet manifeſtum. Ergo non poterit non eſſe ingens temeritas, ſi modò non eſt manifeſtus error, compoſitionem in Chriſti perſona negare. Authores primæ ſententiæ dicunt, Concilia, & Patres in illis loquutionibus, & definitionibus non rigoroſè de compoſitione definiſſe, ſed in lata quadam, & ampla, & minus propria acceptione, compoſitionis nomen vſurpaſſe, pro vera ſcilicet, & reali vnione duarum naturarum in vno, eodemq; ſuppoſito. Et quidem quod hæc ſolutio nõ ſit voluntaria, & irrationabilis. Colligo ex Conc. 1. Lateranen. ſub Mart. I. conſult. 5. can. 6. ſic definiẽte, *Si quis non confitetur ſecundum Patres, propriè, & ſecundũ veritatem in duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, inconfusè & indiuisè, vnum, eundemq; Dominum, & Deum Ieſum Chriſtum, condemnatus ſit.* & can. 8. *Si quis ſecundum Patres non confitetur, propriè, & ſecundum veritatem naturarum ſubſtantialem vnitionẽ, indiuisè, & inconfuse in eo cognitam, condemnatus ſit.* & idem ferè habetur in can. 7. præced. Ex quibus conſtat, quid debeamus credere ſecundum Patrum doctrinam, & definitiones, & quæ fuerit eorũ mens, cum dixerunt, Chriſtum perſonam eſſe in duabus, & ex duabus naturis compoſitam: & quidẽ ſanctiſsimum, & grauiſsimũ hoc Concilium intẽdebat proponere in hac parte Patrum ſententiam, & eam per modum explicationis denuo definire. Conſtatque ex his, quod Patres, & Concilia in locis inferius citandis, non de proprietate compoſitionis tractabãt, ſed id aduerſus hæreticos Eutichetem, & alios grauiſsimè definiebant, in vna, eademq; Chriſti perſona duas reperiri naturas, diuinam videlicet, & humanã, & hoc quidem citra vllam ipſarum naturarum confuſionem, ſed ſeruatis omnibus vtriuſque naturę proprietatibus: qui ergo hoc catholicè confitetur, nihil errabit aduerſus fidem, neque cõtrarium quidpiam menti Conciliorum, & Patrum dicet: ſi propter metaphyſicas rationes, & quidem non inapparentes, aſſerit, in perſona Chriſti non reperiri propriam compoſitionem, atque adeo nec Chriſtum cum proprietate appellari debere perſonam compoſitam.

Sed & vlterius in defenſionem primæ ſententiæ, & authorum eius addendum eſſe decreui, ex doctrina S. Th. in prologo, opuſc. contra errores Græcorum, quod in definitionibus Conciliorum debemus attendere finem Concilij, & contra quas hæreſes intendant Concilia aliquam veritatem definire, & ea, quæ ſpectant ad confutationem talium hęreſum, debent accipi vt definita ſecundum fidem: alia verò, quę aſſerunt Concilia non neceſſariò ad eas fidei veritates ſpectantia, quorum determinationem intendunt, non ſunt accipienda vt determinata ſecũdum fidem, ſed relinquitur ſemper aliqua probabilitas in oppoſito, ſi ex alia parte ſint authoritates Doctorũ, vel Sanctorum. Prædicta ergo Concilia directè intendebant damnare hæreſim aſſerentium, vel duas perſonas in Chriſto, vel negantium duas naturas inconfuſas in vnica ſubſiſtentia, & perſona Verbi, & ita certum eſt ſecundum fidem, & quod in Chriſto eſt vnica tantum perſona, & quod in hac vnica perſona eſt duplex natura inconfuſa, diuina, & humana: quod verò ex hoc reſultet aliqua compoſitio, quæ ſit verè, & propriè compoſitio, ad mentem Conciliorũ non attinet, quia ſiue aſſeramus iſtam eſſe verã compoſitionem, ſiue negemus, ſemper manet integra veritas fidei, quod in vnica perſona Verbi vniũtur duæ naturæ realiter diſtinctæ, diuina, & humana, quod ad Concilium, & Patrum mentem per ſe, & directè tantum attinebat. Et quod hæc fuerit duntaxat ſacri Concilij intentio, oſtendunt nobis definitiones eiuſdem ſanctę Synod. Lateranen. 1. conſultat. 4. can. 4. *Sed non confitentur, ſicut ſancti Patres docuerunt, vnitatem Dei Verbi ad carnem, animatam anima rationali, & intellectuali ſecundum compoſitionem, id eſt ſecundum ſubſiſtentiam faciam.* Ecce Patrum doctrinam, & mentem, quod nimirum compoſitionem vocant ſubſiſtentiæ vnitatem: ita quod duæ naturæ in vna perſona, & ſecundum ſubſiſtentiam eandem ſubſiſtant: expendatur illa declaratiua, *id eſt.*

§.5. *Secunda concluſio.*

CHriſtus verè, & propriè eſt perſona compoſita ex duabus naturis humana, & diuina. Hęc concluſio, quæ tertiæ opinionis authoribus grata eſt, & probata, eſt ſine dubio valde probabilis, quã re ipſa nõ negauerunt Caiet. & alij, qui eius ſententię adhęſerunt: quin potius fatentur apertiſſimè: de quorum ſententia poſtea dicemus nonnihil. Eſtq; iſta ſententia ob id valde probabilis, quoniam fauent ei ſacra Concilia, ſacriq; Patres: conuenitq; cum ipſis in ipſo loquendi modo: In Conc. enim generali 5. collat. 8. can. 4. ſic habetur: *Sancta Eccleſia vnionem Verbi Dei ad carnem ſecundum compoſitionem fatetur, quæ eſt ſecundum ſubſiſtentiam.* & can. 7. dicitur: *Chriſtus duas habet naturas, ex quibus eſt compoſitus.* & in Epiſtola Agathonis Papę, quam Patres in Concil. 6. generali. actio. 4. magna cũ veneratione ſuſceperunt, expreſsè definitur, Chriſtum eſſe ex duabus naturis cõpoſitũ,

Actio.

Digitized by Google

Actio. 11. in epiſt. Sophronij paſſim repetitur hæc veritas; vbi Sophronius Neſtorium ſubcẽſuit, quod timens vbi non erat timor, formidauit vocare Chriſtum compoſitam ſubſiſtentiam, *nos vero*, inquit, *ſenſu viuido ſtantes ſupra petram pietatis, fatemur Chriſtum eſſe compoſitum*, & actor. 13. can. 6. vniuerſi Concilij Patres in hanc confluxere ſententiam. In Conc. cit. Lat. hæc veritas ſæpe repetitur. Conſulta 4. can. 4. cuius verba ex parte retulimus, & can. 7. apertiſſimis verbis id definit. Et expendantur, quod cum multa dixiſſet de ſubſiſtentia verbi in duabus naturis humanitate, & diuinitate, quaſi nouum aliquid addens ſubiunxit, *Ex quibus, & compoſitus eſt*: ergo de vera compoſitione ſunt accipienda illa verba, alias non tam conſiderate addita fuiſſent. Quia totum, quod ad confutandas hæreſes Neſt. & Eut. neceſſarium erat, in præcedentibus expreſſis habebatur verbis. Sed quoniam hæc ponderatio videtur labefactare præcedentis conc. veritatem. Idcirco aduertendum eſſe duxi circa hæc Conc. verba, quod quia duo extremi errores in his Conc. confutabantur, Neſt. qui perſonas diſtinguebat, & Eutic. qui cõfundebat nãs; ideo quibuſdã verbis Cõc. Eutich. dãnabat, & alijs quibuſdam Neſt. illa verba, *Ex duabus naturis, &c.* Eutich. reſpiciebant. Illa autem, *Ex quibus, & compoſitus*, Neſt. Vnde ſenſus illorum verborum, quæ vltimo loco retulimus, is eſt, quod vtraque natura in vna eademque ſubſiſtit perſona, & eadem ſubſiſtentia. Ponderentur ad huius perſuaſionem poſtrema verba can. 4. *Vnitio per compoſitionem in myſterio Chriſti non ſolum inconfuſa, ea quæ cõuenerunt, conſeruat, ſed nec diuiſionem ſuſcipit.* Hęc S. Synod. Vide Conſu. 5. can. 7. & 8. Patres grauiſſimi expreſſis fere verbis eandem ſententiam docuerunt. S. Leo in ep. ad Iul. dicit Chriſtum conſtare ex tribus ſubſtantijs verbo, anima & carne. Chriſoſt. hom. 10. in Ioan. Iuſtin. lib. de recta fid. expoſ. Huic ſententiæ fauet Auguſt. 13. de Trin. cap. 17. aiens, quod ex duabus ſubſtantiis facta fuit vna perſona, facta ideſt compoſita. Et tract. 78. ſuper Io. idipſum inſinuat. Non diſſentit magn. Greg. hom. 38. in Euang. S. Dionyſ. lib. 2. de diuinis nominibus vocat hanc compoſitionem ineffabilem. Denique Cyr. Alex. in lib. de incar. Verbi. hanc ineffabilem vnitionem vocat adunationem. In Eph. vero ad Neſt. cõpoſitionem, & copulationem appellat. S. Augu. non modo compoſitionem, ſed & Epiſ. 3. miſturam eam vocat Dei, & hominis, qui modus dicendi metaphoricus eſt, & non admodum proprius, & ob id non frequenti vſu probandus; ne occaſionem quandoque afferat errãdi. Et idem eſt cenſendum de modo quo Tertull. de car. Chriſ. vtitur, vocans Chriſtum hominem mixtum Deo. Dam. lib. 3. cap. 3. 4. & 7. libentiſſime fatetur Chriſtum eſſe perſonam compoſitã. Sed rationibus confirmatur.

Prima ratio. In Chriſto eſt vnica perſona, in qua realiter conueniunt duæ naturæ, humana, & diuina, non confuſe, & inordinate; ergo faciunt veram, & propriam compoſitionem: atque adeo Chriſtus eſt perſona vere, & proprie ex duabus naturis compoſita. Probatur conſequentia. Nam vbi eſt multitudo rerum abſque compoſitione non poteſt non eſſe inordinata confuſio; & res huiuſmodi ſua multitudine nihil aliud quam inordinatum, & confuſum aceruũ conſtituere poterunt.

Secunda ratio. Humanitas ſimplicior eſt quam Chriſtus, ergo Chriſtus compoſitam importat perſonam ex humanitate, & diuinitate. Nam diuina perſona, nulla in ea compoſitione intellecta, multo ſimplicior eſt, quam humanitas. Antecedens vero videtur ex modo loquendi Conc. & Patrum citatis in locis colligi.

Tertia ratione idipſum probo. Perſona Chriſti vna cum ſit, ſimul eſt diuina, & humana, quod ſit diuina à deitate habet, quod vero ſit humana ab humanitate: ergo eſt vna perſona ex humanitate, & diuinitate conſtans: atque adeo compoſita.

Sed pro rationis huius intelligentia, & ad maiorem veritatis elucidationem in hunc modum argumentor. Ex natura humana, & diuina non reſultat vna perſona, quæ ſit omninò, & ſecundum rationẽ vna: nam eſt in Chriſto duplex ratio ſubſiſtendi, duplexque proinde ratio perſonæ, & ex conſequenti ſunt duæ pèrſonæ ſecundum rationem diſtinctæ, altera humana, altera diuina: ergo formaliter loquendo, & conſiderando ipſam perſonæ rationem, non eſt in Chriſto vna perſona compoſita, niſi tantum materialiter: ad eum modum quo albedò, & dulcedo, cum reperiuntur in eodem ſubiecto, componunt vnum quale, quod eſt tantum materialiter vnum, & formalitèr multiplex.

Perpauci ſunt Theologi ex quorũ doctrinã poſſit deſumi exacta huius argumenti ſolutio. Quia pauciſſimi ſunt, qui modum huius ineffabilis compoſitionis explicent ſufficienter; neque etiam ſecundum eam qualemcumque rationem, qua poteſt à nobis intelligi, & explicari: etſi multi dicant eam eſſe veram, & propriam compoſitionem. Ad eam explicandam vtuntur quandoque illo exemplo à nobis nunc inſinuato de albedine, & dulcedine eidem ſubiecto inexiſtentibus. Quod certè exemplum plurimum eſt deficiens, & neſcio an ſit aliqua ratione cõueniens. Nam cum manifeſte conſtet, nullam ibi formalem compoſitionem reperiri, ſed potius quandã adunationem, & coaceruationem duarum qualitatũ impertinenter ſe habentium inter ſeſe, & quæ ex ſola materiali identitate vnitatem participant: nullatenus exemplum illud poteſt accommodari huic cõpoſitioni, quæ perfectiſſima eſt, & non ſolum materialiter, ſed ſecundum formales extremorum rationes eſt conſideranda.

Quare ad argumenti ſolutionem, & ad explicandam hanc veritatem recolendum eſt, id quod in 4. dicebamus notabili. Nimirum humanitatem ex vi hypoſtaticę vnionis, aſſumi ad illudmet eſſe perſonale antiquum, & æternum, quod erat in diuini verbi ſuppoſito. Ita quod verbum ea ratione qua ſuppoſitum diuinum eſt ex diuinitate, & relatiua verbi proprietate, vt more noſtro loquamur conſtitutum, terminat vnionem humanitatis ad ipſum. Quo fit, vt perſona diuina, & perſona humana in Chriſto, & ſi ratione diſtinguantur non tamen ſe habent, vt perſonæ omnino condiſtinctæ, nullum formalem ordinem inter ſeſe habentes. Sed ſeipſas in hac compoſitione multo includũt. Perſona enim diuina, licet ſecundum ſe conſiderata, non includat humanam; poſt hanc tamen indicibilem factam vnionem, ſecũdum illudmet perſonale eſſe, quo eſt diuina perſona, eſt etiam & humana: illud eſſe ſm̃

pro-

Digitized by Google

propriam perſonalis ſubſiſtentiæ rationem ita humanitati communicans, atque ſi eſſet forma, & natura, ſibi propria, & connaturalis; non enim accidentalis ibi, ſed pure ſubſtantialis, & vnio aſſumptio, & naturæ per ſubſiſtentiam terminatio, interuenit. Perſona vero humana in Chriſto ſecundum propriam rationem talis perſonæ, diuinam intinſecè perſonam includit. Itaque non ſolum claudit intrinſece ipſam verbi perſonalitatem, vt terminum complentem, & terminantem humanitatis dependentiam: ſed etiam includit ipſum diuinum verbum; prout eſt ſuppoſitum in diuina natura ſubſiſtens. Eo quod humanitas, vt dicebam, ex vi vnionis aſſumpta eſt, & quaſi attracta ad ipſudmet eſſe perſonale verbi antiquum in concreto conſideratum. Suppoſita hac ergo coordinatione, quæ inter ipſaſmet formales rationes humanæ perſonæ, & diuinæ perſonę reperitur, non erit admodum difficile aliqualiter intelligere modum, quo formaliter conſtat hæc cōpoſitio, de qua loquimur. Conſiſtitque, non in eo, quod ex duobus naturis aliquod vnum tertium formaliter conſtitutum reſultet, quod ſit quaſi totum, quoddam formaliter ambiens, & cōplectens vtrāq; naturam vti partes ſui ipſius. Neq; vero in eo quod perſonæ, quæ ſunt ſecundum formales rationes duę, materialiter in vna entitate, aut in vna perſona diuina copulentur: ſed conſiſtit in quadam mutua, & reciproca communicatione vtriuſque naturæ in eodem ſuppoſito. Quatenus, videlicet, diuinum ſuppoſitum, quod intrinſece in ratione talis ſuppoſiti claudit naturam diuinam, & prout illam includit, in ea, quæ ſubſiſtit, induit ab humanitate formalem rationem humani ſuppoſiti: ita quod verbum, ſecundum quod in humanitate ſubſiſtit ſpecificatiue loquēdo, eſt humanum ſuppoſitum, & eſt homo. Natura autem humana habet à diuino verbo, in natura diuina ſubſiſtente, & prout ſubſiſtente, quod ſit terminata, completa, & perſonaliter perfecta. Itaque diuinum verbum, prout in diuinitate ſubſiſtit, tribuit perſonæ humanæ rationem perſonæ, & ſuppoſiti ſubſtantialis. Ab humanitate vero habet, quod ſit ſuppoſitum humanum formaliter in ratione humani.

Quo circa Chriſtus abſolute loquendo vtrumque complectitur, & quod ſi diuinum ſuppoſitum à diuinitate, & quod ſit humanum ab humanitate: & hæc mutua connexio (ſi ita fas eſt loqui) conſtituit perfectam compoſitionem. Quæ tanta eſt, & tam intima, vt patres grauiſſimi. Tertul. & Auguſt. quos retuli paulo ante, & Soph. etiam præcitatus eam ob iſtā cauſam miſturam Dei, & hominis nuncuparent. Eſtque adeo excellens compoſitio iſta, vt ſit ineffabilis, & ab intellectu creato vix intelligibilis, etſi vtcūque de illa ad modum noſtrum, alnori qua poſſumus ratione, loquamur.

Ex his ſequitur. Primo quod in hac compoſitione non intelligimus aliquod totum, quod per modum formalis rationis ſuperioris, duas has complectatur naturas, diuinam, ſcilicet, & humanam. Patet quoniā compoſitio non conſiſtit in hoc quod ex duabus naturis, humana, & diuina, reſultet aliquod totum cōpoſitum, ſuperius ad vtramque naturam, ſed in eo, quod vtraque natura per ſe concurrit ad conſtitutionem vnius humani ſuppoſiti, ſecundum quod eſt tale ſuppoſitum humanum.

Secundo ſequitur quod tota compoſitio, quæ in Chriſti perſona reperitur, conſideranda eſt in ipſo Chriſto, prout eſt talis perſona humana, quatenus, videlicet, à diuinitate habet, quod ſit ſubſiſtens perſona, ab humanitate vero, quod ſit humana. Itaque non conſideratur compoſitio in eo ſolum, quod in Chriſto reperitur duplex ratio ſubſiſtentiæ, aut duplex ratio perſonalis: ſed in eo, quod vtraque ratio eſt inter ſeſe modo prædicto connexa, ſecundum proprias perſonalitatis, & ſubſiſtentiæ rationes, & ſic vnum conſtituunt Chriſtum, qui cum ſit ſimpliciter vnus, duas prædictas intrinſecè claudit ſubſiſtendi rationes. Et hoc inſinuauit Later. Conc. verbis illis dudum citat, ex cap. 4. conſulta. 4. *Sed neque diuiſionem ſuſcipit, &c.* Itaque etiam ſi formaliſſimè loquamur non ita ſunt diſtinguendæ duæ ſubſiſtendi rationes, vt totaliter ſecundum rationem ſeparentur, ſed mutuam potius incluſionem habent in Chriſto. Et ex hoc corollario conſtat argumēti facti ſolutio. Dicitur enim quod tota compoſitio conſideratur in vna Chriſti perſona, ſcilicet, in perſona humana, ſecundum quod eſt talis humana perſona, quæ in ſuo eſſe perſonali intrinſece claudit perſonam diuinam, & ſubſiſtētiam diuinam, imo, & naturam diuinam. Et in hoc ſenſu eſt intelligenda ſecunda ratio, quam pro concluſione fecimus.

Tertio ſequitur ex omnibus dictis, quod in formali ſignificato huius vocis Chriſtus, importatur tota hæc compoſitio à nobis explicata: quoniam hoc ipſo, quod Chriſtus importat tale ſuppoſitum humanum, neceſſum eſt, quod per modum naturæ denotet humanitatem, & ex parte ſuppoſiti per ſe includat diuinum verbum, vt abſolutè, & ſimpliciter ſubſiſtens in natura diuina, ſuam ſubſiſtentiam humanitati communicans. Vnde vere dicitur, quod totale ſignificatum huius vocis, Chriſtus, eſt diuinū verbum homo, ſeu Deus homo. Et etiam veriſſimū eſt, quod Chriſtus importat formaliter vnctum diuino ſubſtantiali oleo: quia importat in ſuo ſignificato verbum diuinum prout communicat ſuam ſubſiſtentiam humanitati, eamque in ſemetipſo perſonaliter ſubſtentat. In quo ſita eſt excellens, & ineffabilis vnctio.

§. 6. *Tertia concluſio.*

Verè, & propriè dici poteſt, reperiri in Chriſto compoſitionem ex diuino ſuppoſito, & ex humanitate, vt ex duobus extremis. Iſta concluſio magna ex parte conſtat ex dictis circa concluſionem præcedentem, in qua totam compoſitionem, quę eſt in perſona Chriſti ex diuinitate, tanquam ex vno extremo, reduximus ad hoc, quod diuinitas ex eo eſt per ſe extremum compoſitionis, quatenus eſt forma ſubſtātialis diuina in qua verbum ſubſiſtit, & ex qua (vt ita more noſtro dicamus) verbum habet eam ſubſiſtentiam, quam humanitati communicat: ergo compoſitio præcipua, quæ in Chriſti perſona reperitur, immediate conſideranda eſt, non ex diuinitate cum humanitate, ſed potius ex diuino verbo, vt eſt in diuinitate ſubſiſtens. Confirmatur: humanitas nō vnitur immediatè diuinitati, ſed verbo: ergo verbū eſt extremum ex quo immediate conſurgit compoſitio, quæ in Chriſto reperitur.

Se-

Secundo probatur. Inter formam accidentariam & ſubiectum reperitur compoſitio quædam, quatenus accidens ſuſtentatur in ſubiecto ab ipſoque recipit eſſe, & ſubiectum recipit qualificationem, & denominationem ab accidente: ergo in myſterio incarnationis reperitur compoſitio inter humanitatem, & diuinum verbum, quatenus humanitas ſuſtentatur ſuppoſitaliter in verbo, in ipſoque, & ab ipſo habet totum ſuum perſonale complementum, & diuinum verbum habet ab humanitate, quod ſit ſuppoſitum humanum, & quod ſit homo.

Sed aduertendum eſt primo, Concilia, & Patres duplici ex cauſa olim non meminiſſe huius compoſitionis, ſed de ea tantum feciſſe mentionem, quæ ex humanitate, & diuinitate conſtat. Prima. Quoniam non tam attendebant ad explicandam compoſitionem, quæ in Chriſti perſona reperitur; quam ad confundendos hæreticos, qui vel duas in Chriſto conſtituebant perſonas humanam ſcilicet, & diuinam realiter inter ſe diſtinctas. Vel duas naturas, humanam, & diuinam in vnam confundebant. Et vt errorem vtrumque ſimul extirparent, definierunt vnam, & eandem Chriſti perſonam compoſitam eſſe ex duabus naturis humanitate, ſcilicet, & diuinitate. Secunda. Quoniam compoſitionis proprietas in eo magis apparet, quod ex duobus extremis vnum cõſtituatur, quod ab vtroque extremorum aliqua ratione diſtinguatur. Hoc autem in compoſitione qua vna Chriſti perſona ex duabus conſtat naturis, omni cum proprietate reperitur, ſunt enim duo extrema realiter diſtincta, humanitas, nempe, & diuinitas, eſtque vnum quaſi tertium, puta, perſona Chriſti, quæ ab humanitate realiter diſtinguitur, humanitas enim non eſt Chriſtus. Et à diuinitate eatenus differt, quatenus humanitatem includit. Quæ diſtinctio non poteſt appellari realis, eſt tamen ad veram, & propriam compoſitionem ſufficiens. In compoſitione, quæ eſt inter humanitatem, & verbum, etſi reperiamus duo extrema realia, & realiter diſtincta: non tamen inuenimus vnum ex duobus conſtans. Sed reperimus duntaxat, vnum extremum ad alterius eſſe eleuatum, & aſſumptum. Sed eſt nihilominus hoc ſufficiens ad veritatem compoſitionis, quatenus ita vnum extremum ad alterius eſſe aſſumitur, ſcilicet, humanitas ad eſſe verbi, quod verbum ab ipſa humanitate accipit etiam quod ſit humanum ſuppoſitum, & quod ſit homo. Et in hac mutua acceptione vnius extremi ab alio, vera conſtat compoſitio. Acceptionem voco, ne dependentiam appellem.

Secundo eſt aduertendũ, quod hæc ſecunda compoſitio non eſt ſimpliciter diſtinguenda à compoſitione prima: nam verbum, & diuinitas ex vno extremo ſe tenent. Diuinitas enim, vt circa primam concluſionem dicebam, ad compoſitionem perſonæ Chriſti concurrit, quatenus cum ipſa perſonali verbi proprietate vnam diuinam perſonam conſtituit; datque ipſi perſonæ infinitam vim perſonalem, qua potens eſt extraneam naturam, humanam ſcilicet, perſonare, & ſuſtentare.

Tertio notandum, quod niſi verbum ab humanitate acciperet, quod eſſet humanum & homo, quantumcumque humanitas à verbi ſubſiſtentia perficeretur, non eſſe poſſet vera compoſitio inter humanitatem, & verbum: quia totum compoſitum poſtulat, vel quod ex vtroque componentium vnum tertium reſultet, vel, quod extremum vnum, aliquid ab alio accipiat, & è contra: nam hac reciproca dependentia ſemota perficietur quidem vnum ab altero, ſed compoſitio non erit.

§. 7. *Quarta concluſio.*

INter humanitatem Chriſti, & diuinam verbi perſonalitatem non eſt propria compoſitio. Contrarium huius concluſionis docent quidam graues Theologi ex modernis, quorum ſententiæ olim ego libenter annuebam: vt ex commentariis noſtris ad 3. S. Thom. p. quæ in quotidianis prælectionibus edidimus in inſigni noſtra Salmanticenſi Academia conſtare poterit. Sed re melius perſpecta, quartam hanc decreui concluſionem ſtatuere quam probo.

Primo, ex eo, quod huius compoſitionis apud Theologos antiquiores vix aliqua reperitur facta mentio. Duran. in 3. diſt. 6. q. 4. eius obiter meminit. Quam tamen propriam compoſitionem eſſe negauit. Conceſſit quidem in Chriſto compoſitionem perſonalitatis Verbi cum humana natura: quam ipſe vocat compoſitionem cum iis, negauit tamen compoſitionem ex humanitate, & ex perſonalitate Verbi, quam appellauit compoſitionem ex iis. Loquiturque proportionabiliter ad eum modum, quo Ferrarienſ. lib. 2. contra gentes c. 54. docet reperiri compoſitionem in qualibet natura creata inter eſſentiã, & eſſe: quam dicit eſſe compoſitionem, cum iis, & non ex his. Sed quicquid ſit de hoc dicendi modo Durandi, quem magis probabilem reputarem: ſi de ſola compoſitione ex humanitate, & verbi perſonalitate loqueretur, & ſermonem non extenderet ad compoſitionem ex humanitate, & diuinitate.

Probatur ſecundo noſtra concluſio. Perſonalitas verbi non habet rationem extremi in compoſitione, qua Chriſtus dicitur perſona compoſita: non ergo proprie in Chriſto reperitur compoſitio ex humanitate, & perſonalitate verbi. Conſequentia eſt manifeſta; & antecedens probatur. Perſonalitas verbi tantum ſe habet vt medium, quo humanitas trahitur ad ipſum verbum, quod eſt ſuppoſitum humanitatem ſuſtentans: ergo nõ habet rationem alterius extremi cõponentis cum humanitate.

Confirmatur. Etſi inter accidens, & ſubiectum, cui inhæret vera reperiatur compoſitio, non tamen inter ipſum accidens, & quantitatem, qua mediante inhæret ſubiecto: eo quod quantitas non eſt ſubiectum ſuſtentans ipſum accidens, & à quo accipit eſſe, ſed eſt medium quo accidens coniungitur, & copulatur ſubſtantiali ſubiecto, eique inhæret. Sed, vti dicebamus ſuperius, ad eum modum ſe habet perſonalitas verbi in hac ſubſtantiali, & mirabili vnione humanitatis ad verbum, quo ſe habet quantitas in materiali, & imperfecta vnione accidẽtis ad ſubſtantiam: ergo proportionabiliter loquendum eſt de vtraque vnione, quod attinet ad compoſitionis rationem. Itaque perſonalitas terminat humanitatem in hypoſtatica vnione, vt Quo, verbum autem, vt Quod. Compoſitio autem non cum terminante,

Quo,

Quo, ſed cum terminante, Quod, conſideranda eſt. Quia terminus Quo, non iam extremi, quam formalis, aut quaſi formalis medij rationem ſortitur. Qui tamen contenderet nonnihil compoſitionis inter humanitatem,& Verbi perſonalitatem reperiri, neq. quidpiam diceret improbabile, nec ego ei refragarer. Quia tantum contendo non ibi proprie,& ſimpliciter inueniri compoſitionem.

Eſt tamen aduertendum, quod ſiue compoſitionem inter humanitatem, & Verbi ſubſiſtentiam, & perſonalitatem admittamus, ſiue nõ; abſolute tamẽ fateri debemus, quod humanitas,& diuinitas vniuntur ſecundum ſubſiſtentiam. Ita quod eadem ſubſiſtentia vtraque natura ſubſiſtit.

Hactenus explicamus quid de Chriſti compoſitione ſecundum rem conſiderata cenſeri debeat. Neceſſum eſt deinceps explicemus, quem modum loquendi in hac materia ſeruare debeamus. Oportet enim in re tam graui magna cum proprietate loqui. Qua in re tres inuenio ſententias. Prima dicit negãdas eſſe abſolutè has propoſitiones, Chriſtus eſt cõpoſitus, Filius Dei eſt compoſitus. Ita ſentit Caiet. 3. par. loc. cit. & multi docti cum eo,& probant. Hac regula, quam dicunt eſſe omnino obſeruandam in incarnationis myſterio, aliaque mẽte reponendam. Quando aliquod prædicatum indifferenter poteſt conuenire naturæ,& ſuppoſito, ſi includat repugnantiam ad diuinum ſuppoſitum, non poteſt affirmari de Chriſto,& multo minus de filio Dei, niſi reduplicetur ex parte ſubiecti humanitas propter quam cõuenit, v.g. non poteſt concedi, quod Chriſtus incipit, vel incepit eſſe, niſi dicamus in quantum homo. Ex hac regula ſic arguitur. Eſſe compoſitum indifferenter poteſt conuenire naturæ,& ſuppoſito:& intrinſecam dicit repugnantiam ad ſimplicitatem ſuppoſiti diuini, ergo &c.

Secunda ſententia, quam ſequitur Mag. Med. 3. p. q. 3. art. 4. dicit, quod hæc propoſitio, Chriſtus eſt compoſitus, eſt abſolute cõcedenda. Iſta vero, Filius Dei eſt compoſitus, abſolutè eſt neganda. Probat, quia hæc vox, compoſitus, appellat ſuper formale ſignificatum ſubiecti: ergo in hac propoſitione Chriſtus eſt compoſitus, appellat ſupra humanitatem,& ex cõſequenti eſt vera propoſitio. In hac vero Filius Dei eſt compoſitus, appellat ſupra deitatem, atque adeo eſt falſa.

Tertia ſententia docet in alio extremo vtramque propoſitionem eſſe concedendam. Ita docent quidam moderni Theologi. Ad huius rei explicationem ſit.

§. 8. *Quinta concluſio.*

HÆc propoſitio Chriſtus eſt compoſitus, ſeu eſt perſona compoſita, vera eſt, & propria, atque adeo abſolute concedenda; quamuis ſapienter, & prudenter faciet qui addiderit limitationem explicitam à Caiet. nimirum, quod eſt compoſitus eminenti,& ineffabili compoſitione. Prior concluſionis pars contraria videtur ſententiæ Caiet.& ſi fortaſſis Caietan. non tam ad rigorem ſermonis attenderit, quam ad optimam cautelam, quam cum loquimur de diuinis, conſilium eſt adhibere; vt non ſolum re ipſa, ſed explicationem etiam adhibita omnem à rebus, de quibus loquimur, imperfectionem auferamus. Sed iam probatur prima concluſionis pars.

Concilia, & Sancti Patres abſque vllo additamento, & citra limitationem vllam concedunt Chriſtum eſſe compoſitum, & eſſe perſonam compoſitam, & frequentiſſime tum Concilia, tum Patres dicunt Chriſtum eſſe vnum ex & diuinitate & humanitate conſtantem: at imitari debemus modum loquendi Cõciliorũ,& Patrum ergo. Neq. vero credendum eſt in eorum loquutionibus, in illis præſertim, quibus tam frequenter, tamque ex profeſſo vtuntur, vllam interuenire ſermonis improprietatem: ergo &c.

Secundo probatur. In Chriſti perſona reperitur vera,& propria compoſitio: ergo abſque vlla improprietate dicere poſſumus, Chriſtum eſſe perſonam compoſitam, quid ni? Nam ab eo quod res eſt, vel nõ eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa, & ſimiliter ex reali proprietate rerum, proprietas loquutionum conſurgit, ſi terminis accommodatis vtamur.

Dices, quod quia omnis compoſitio, quam in creaturis inuenimus, potentialitatem, & imperfectionẽ habet admiſtam: idcirco niſi addamus aliquid, quo imperfectionem totã,& totaliter ab hac compoſitione ſecludamus: non poſſumus dicere Chriſtum eſſe compoſitum. Quia ſermo fiet de compoſitione imperfecta, eo quod termini noſtri accommodati ſunt ad ſignificandas res, ſecundum eum modum quo ipſas in creaturis experimur.

Reſpondetur, quod ex hac obiectione colligi poteſt ſatis veroſimiliter ſecunda noſtræ concluſionis pars: non autem ſufficit hæc obiectio ad hanc primam partem infirmandam: nam certe ſi hæc argumentatio aduerſus concluſionem noſtram quicquam efficeret, probaret etiam nullum nomen ex creatis deſumptum effectibus, accommodari poſſe ad ſignificandum diuina. Itaque non proprie diceremus in Chriſto eſſe iuſtitiam, miſericordiam, ſapientiam &c. Quoniam hæ omnes perfectiones in rebus creatis imperfectiones, & potentialitates habent admiſtas.

Quo circa ad argumentum reſpondetur ex doctrina S. Th. 3. par. quæſt. 13. art. 2. ad 1. quod licet nomina quibus vtimur, ex effectibus creatis imperfectis ſumantur, quædam tamen ſunt quæ ex parte rei ſignificatæ nullam imperfectionem intrinſecam deſignant; eo quod rationes importatæ per eiuſmodi nomina abſtrahunt à Deo, & creaturis, vt entitas, bonitas,&c. Vnde nomina quæ has rationes in communi,& abſolute ſignificant, prædicari poſſunt de Deo. Proportionabiliter ergo in præſentia dico, quod licet compoſitio hominis, quæ in puris creaturis reperitur imperfecta ſit, non tamen eſt de eſſentia compoſitionis hæc imperfectio; atque adeo poterit in Chriſto reperiri compoſitio ſine imperfectione,& iſta vox, compoſitum, abſtrahit in ſuo ſignificato à compoſito perfecto,& imperfecto,& ita vere & proprie dicitur Chriſtum eſſe compoſitum. Non negauerim in hac compoſitione imperfectionem aliquam inuolui, ſed illa tota ſe tenet ex parte humanitatis, quæ perficitur. Quamuis qui velit negare imperfectionẽ vllam hic reperiri, nihil diceret improbabile. Quia licet humanitas imperfectionem in

ſui

Digitized by Google

ſui ratione claudat, eam tamen ad hanc compoſitionem minime refundit: quoniam humanitas in altero compoſitionis extremo nullam ponit imperfectionem, & ſi denominationem imperfectam ei tribuat, ſcilicet, eſſe humanum. Ipſa vero à diuini verbi ſubſiſtentia perficitur quamplurimum, & nullam imperfectionem accipit.

Secunda pars concluſionis noua probatione non eget. Nam ex obiectione facta manet comprobata, ſi tameo addamus, quod compoſitio vt in plurimum videtur deſignare vnionem factam ex partibus, quarum altera eſt potentialis, & altera formalis. Vnde compoſitio ſolitarie ſumpta videtur malum, ideſt, imperfectum, ſonare; atq; adeo optima cautela erit per aliquod additamentum hanc imperfectionem penitus à Chriſto ſecludere.

Ad illud argumentum ex regula Caietan. ſtatuta deſumptum. Reſpondeo, quod illa regula non eſt accipienda in ſenſu a Caiet. & ab alijs primæ opinionis auctoribus expoſita. Sed verus ſenſus eſt iſte, quod quando prædicatum aliquod non poteſt verificari de Chriſto niſi ponendo imperfectionem in ſuppoſito, tale prædicatum non poteſt abſolute de Chriſto affirmari, ſed vtendum eſt illa ſpecificatiua, ſecundũ quod homo, v.g. non poſſumus abſolute concedere, illam enuntiationem, Chriſtus incepit eſſe. Quoniã illud verbum, Incepit, abſolute prolatum denotat totalem inceptionem: quæ magnam in diuino ſuppoſito imperfectionem ponit. Vnde dicendum eſt, quod Chriſtus in quantum homo incepit eſſe. Cæterum illud prædicatum compoſitus abſolute prolatum non inducit imperfectionem diuino ſuppoſito. Nam ea imperfectio, quam importat verificari poteſt ſufficientiſſime ex parte naturæ humanæ, quæ per hãc ineffabilem compoſitionem mutatur. Imo, vt dixi, ſatis eſt probabile nullam etiam ex parte naturæ imperfectionem interuenire. Quia mutatio naturę humanæ perfectionem ei affert, & nequaquã imperfectionem, etſi ipſa natura imperfecta ſit, & quidquid mutationis eſt in ipſa ex parte eius? imperfectioni ſit obnoxia. Sed hæc imperfectio materialis eſt, & non pertinet ad formalem huius compoſitionis rationem. Ex qua totum quod reſultat in humanitate magnam ei perfectionem inducit. Et cum fiat ſine informatione, & inhæſione, nulla ex parte alterius componentis, puta, diuinitatis, ſeu verbi, imperfectio contingit. Sed inenarrabilis, & intelligibilis ab humano intellectu perfectio, & mirabilis conſummatio, & vltimum humanitatis adimplementum.

§. 9. *Sexta concluſio.*

PRobabilis eſt ſententia, quæ dicit hanc propoſitionem, Filius Dei eſt compoſitus; veram eſſe, & abſolute concedendam, ſed probabilior apparet ſententia oppoſita. Probatur prior concl. pars. Per communicationem idiomatum ea quæ dicuntur de Chriſto, dicuntur de Filio Dei, ſed de Chriſto conceditur, quod eſt perſona compoſita; ergo idipſum abſolute concedi poteſt de Filio Dei. Argumentum quod Auctores ſecundæ ſententiæ ex appellatione huius vocis, compoſitus, contra hanc ſententiam formant, facile diſſolui poteſt ex regulis dialecticis, quibus perſcribitur inter terminos à parte diuerſorũ extremorum locatos appellationem non fieri. Sed aduertat is cui hæc placuerit ſententia, quod illa cautela, quam diximus concluſioni præcedenti conuenienter eſſe adhibendã in illa propoſitione Chriſtus eſt compoſitus, multo conuenientius (ſi non neceſſario) apponenda eſt huic enunciationi, filius Dei eſt compoſitus.

Secunda pars concluſionis probatur, iſtud nomẽ, compoſitus, etiã poſitum à parte alterius extremi, appellat, ſeu applicat compoſitionem ad formale termini ſupra quem fertur: ergo in hac propoſitione, Filius Dei eſt compoſitus, applicatur compoſitio ad formale ſignificatum huius termini, Filius Dei: atque adeo iſta propoſitio falſa eſt, & hæretica. Probatur antecedens. Hæc propoſitio eſt veriſſima. Homo eſt cõpoſitus ex corpore, & anima rationali, hæc aũt animal eſt cõpoſitũ ex corpore, & anima rõnali, vel eſt falſa, vel ſaltem omnino impropria. Hoc autem non eſt propter aliud, niſi quia illud prædicatũ, compoſitus, in priori enunciatione applicat compoſitionẽ ad formale ſignificatũ hominis, & in propoſitione poſteriori ad formale ſignificatum animalis. Et quidem licet ſm̃ regulas dialecticas non contingat appellatio inter terminos diuerſorum extremorum, contingit tamen formalis applicatio, quæ appellationi æquiualet. Vnde concederent dialectici hanc propoſitionem in Petri generatione, Petrus eſt terminus generationis, negabunt tamen iſtam, homo eſt terminus generationis, propter diuerſam applicationem quam facit illa vox, terminus.

§. 10. *Soluuntur argumenta propoſita initio dubitationis.*

ARgumentis à principio poſitis oportet ſatisfaciamus, vt hæc diſputatio de compoſitione Chriſti maneat abſoluta.

Ad primum argumẽtum varie reſpondent Theologi. Quidam enim abſolutè negant, in hac compoſitione alteram partem habere rationem actus, & alteram potentiæ: & dicunt hoc minime neceſſariũ eſſe ad compoſitionis eſſentiam, niſi quando compoſitio fuerit omnino imperfecta, ideſt, ex partibus conſtans: ex quibus aliquod vnũ totũ tertiũ reſultat. In hac aũt compoſitione nõ reſultat aliquod totum; quod, vel realiter, vel formaliter à cõpoñẽtibus diſtinguatur, & qđ ſe habeat, vt totalis, & ſuperior forma reſpectu componentium: ſed vnum componentium trahitur ad eſſe alterius. Et non ſolum hoc, ſed, vt dicebam, ſuperius ipſi componenti ad cuius eſſe trahitur communicat ſuum eſſe formale. Humanitas enim, Verbum à quo aſſumitur, humanum conſtituit. Et in hac mutua, & alterna componentium communicatione conſiſtit proprietas huius ineffabilis & indicibilis compoſitionis. Aequiualet enim reſultantiæ qua totum ex vtraque parte reſultat, & conſurgit: nam ſicut vtraque pars componens totũ entitatem propriam ad eſſe totius accommodat. Et ſingulæ partes ſeipſas mutuo in toto perficiunt; ita in hac mirabili compoſitione alterum componens confert alteri ſuam entitatem, & perfectionem, & ſi non ſe mutuo perficiant. Quia licet humanitas det

Verbo,

Digitized by Google

Verbo, quod ſit humanum, & homo: nõ tamen illud perficit: ſed hoc nõ tollit rationem compoſitionis, quia non ex eius defectu prouenit, ſed ex maxima Verbi perfectione. Hæc autem communicatio ex vtraque parte contingit abſque vlla imperfectione: quoniam verbum accipit eſſe humanum abſque vlla informatione, & abſque vlla perfectione ſibi intrinſeca nouiter acquiſita: humanitas ſimiliter, & ſi valde perficiatur ab ipſo perſonali eſſe verbi, ad quod aſſumitur: non tamen perficitur per inhærentiam, & informationem: in qua ipſa humanitas rationem habeat materiæ, aut potentiæ: ſed mirifica, & inexplicabili vnione ſoli puriſſimo actui, infinitoque eſſe propria.

Cæterum alij Thologi dicunt cum Caiet. 1. p. q. 3. art. 8. ad omnem veram compoſitionem quatuor requiri. Primum, quod componentia ſint realiter diſtincta, ſecundum quod realiter vniantur, & copulentur. Tertio quod realis eorum vnio non ſit, vel, ſecundum extrinſecam habitudinem, vel, ſecundum ſitualem diſpoſitionem duntaxat: ſed in aliquo vno eſſe reali. Quarto denique quod alterum componentium rationem habeat actus, & alterum rationem potentiæ; tunc dicunt hi Theologi, quod diuinitas habet rationem actus in hac compoſitione, & humanitas rationem potentiæ; eo quod humanitas vere perficitur per diuinum eſſe. Sed duo addunt iſti authores. Primum, quod nomen actus in præſentia accipitur largo modo, vt non ſolum deſignet actum per informationem actuantem: ſed etiam actum per realem, & intimam aſſiſtentiam perficientem, terminantem, & complẽtem, & qui proprius habet rationem termini, quam rationem actus. In quo poſteriori ſenſu diuinitas locum actus habet in hac cõpoſitione, & humanitas locum potentiæ: quatenus ab illo actu terminatur, completur, eleuatur, & perficitur. Secundum eſt, quod diuinitas non immediate, & ſe ipſa in ratione diuinitatis eſt actus humanitatem perficiens, ſed mediante ſuppoſito Verbi, quod eſt terminus terminans, & complens humanitatem communicans illi ſuum eſſe perſonale, & mediante perſonalitate Verbi vt termino, Quo. Hæc poſterior ſolutio mihi magis placet: & ſi prior non ſit contemnenda: nam cum tota perfectio, qua humanitas perficitur in vnione ad Verbum, non informet ipſam humanitatem, ſed ſe habeat per modum terminantis; non oportet conſtituamus rationẽ potentiæ in humanitate, quæ per Verbi ſubſiſtentiam perficiatur & actuetur.

Ad confirmationem ex dictis conſtat ſolutio. Dicitur enim, quod hæc compoſitio non conſtat ex partibus, quæ, vel, inter ſeſe mutuo pendeant, vel, ab ipſis pendeat compoſitum ex eis reſultans, quoniam non reperitur hic tale compoſitum: ſed hæc compoſitio fit ex eo, quod Deus, qui puriſſimus eſt actus, ſeipſum humanæ naturæ communicat citra informationem vllam: atque adeo omni imperfectione ſemota.

Ad ſecundum. Reſpondeo, quod ſuppoſitum nequit componere cum ea natura, quæ ſimul cum perſonalitate ipſum intrinſece conſtituit: vnde Verbum cum diuinitate nullam facit compoſitionem. At non repugnat ſuppoſito in ratione ſuppoſiti, quod cum alia extrinſeca natura compoſitionem faciat; communicando ei proprium eſſe perſonale, & accipiendo ab ipſa eſſentialem ipſius naturę rationem, & ita in præſentia contingit, vt ex dictis conſtat. Quod vero ſuppoſitum creatum huiuſmodi compoſitionem conſtituere nequeat: non prouenit ex ratione ſuppoſiti, vt ſic: ſed ex tali ratione, quia propter ſui imperfectionẽ, & limitationem, nequit extraneam terminare, & ſuppoſitare naturam. An vero poſſit ſecundum abſolutam Dei potentiam, non vacat hoc loco definire. Affirmauit Scot. in 3. d. 1. quæſt. 4. & cũ eo non pauci. Negauit vero S. Doct. 3. p. q. 3. art. 1. ad 3. Et eius ſententiam probant grauiſſimi Theologi, quibus ego libenter aſſentior eo quod terminare, & perſonare naturam non eſt opus inſtrumenti, ſed termini, qui ſua virtute ſubſtantiali vim habeat non limitatam, & coarctatam ad certum entis genus, & ſpeciem, quod ſoli Deo cõpetere poteſt. Hæc ratio, quæ pro hac ſententia apparet mihi præcipua, non eſt à calumnia immunis, ſed de hac re alias.

Ad tertium. Reſpondetur primo, quod in compoſitionibus accidentalibus ſubiectum abſolute eſt idẽ cum toto compoſito, & de illo prædicatur, album enim componitur ex corpore, & albedine, & tamen hæc eſt vera, album eſt corpus. Hæc autem compoſitio in incarnatione, licet non ſit facta ſecundum vnionem accidentalem duarum naturarum, ſed potius ſecundum vnionem ſubſtantialem, vt ſuperius grauiſſimis Patrum teſtimonijs oſtendimus. Abſque dubio tamen habet aliquam effigiem vnionis accidentalis. Eo quod natura humana vnitur verbo diuino complete ſubſiſtenti in ſua natura.

Secundo reſpondetur, & melius, quod in compoſitione, quæ tantum fit ſecundum rationem numeri, non eſt inconueniens, quod aliqua ex partibus numeratis ſit omnino idem cum compoſito, quia compoſitio tantum conſiſtit in numero, id eſt, in hoc quod duæ naturæ realiter diſtinctæ vniantur, & numerentur in vnico ſuppoſito. Hæc autem numeratio duarum naturarum æqualiter fit, ſiue natura diuina realiter diſtinguatur à ſuppoſito Chriſti, ſiue non, & quia neque formaliter ab ea ſecernitur, idcirco, & in concreto, & in abſtracto de ipſo prædicatur.

§. 11. *Soluitur quartum argumentum principale, & diſputatur de veritate quarundam propoſitionum.*

AD quartum argumentum ſigillatim dicendum eſt, de illis duabus propoſitionibus in antecedenti aſſumptis. De priori quidem ſcilicet Chriſtus eſt factus, dicendum eſt eam non eſſe catholicam, atque adeo abſolute fore negandam. Et ratio falſitatis propoſitionis huius ea eſt, quod terminus à parte ſubiecti poſitus, materialiter eſt accipiendus: atque adeo factio applicatur ad materiale illius termini, Chriſtus, vnde fit ſenſus, quod ſuppoſitum Chriſti eſt factum, qui ſẽſus eſt hęreticus. Sed inſtat quiſpiã. Hæc propoſitio eſt vera, Chriſtus fit, conſiderando inſtans generationis humanæ Chriſti: ergo hæc etiã erit vera, Chriſtus eſt factus tranſacto illo primo generationis Chriſti inſtanti: id enim quod fit, tranſacto

facto

Digitized by Google

facto ipſo factionis inſtanti factum eſt,& dicitur. Similiter hæc propoſitio, Deus factus eſt Chriſtus, eſt vera,ergo & iſta Chriſtus eſt factus. Item hæc propoſitio homo Deus eſt factus,eſt vera:ergo & iſta eſt vera Chriſtus eſt factus. Patet conſequentia,nam Chriſtus,idem importat quod Deus homo.

Huic argumento oportet reſpondere explicando breuiter ſingulas propoſitiones. Primam quidem propoſitionem,Chriſtus fit,concedunt aliqui Theologi, ſicut concedunt iſtam, Chriſtus generatur,pro eodem illo inſtanti incarnationis Chriſti. Alijs vero Theologis hæc propoſitio apparet omninò falſa. Quoniam,inquit,qui hanc propoſitionem conceſſerit, neceſſum eſt etiam concedat aliam, ſcilicet, Chriſtus eſt quid factum. Quæ propoſitio eſt omninò falſa: quoniam Chriſtus à parte ſubiecti poſitus, ſumitur materialiter ſupponitque pro Chriſti ſuppoſito, quod improductum eſt, & increatum: ſed breuiter dico, quod hæc propoſitio in rigore ſermonis non apparet falſa. Quoniam reuera eadem omnino videtur ratio de iſta propoſitione, Chriſtus fit,atque illa Chriſtus generatur, vt authores primę opinionis dixerunt. Eſt enim generatio, quædam ſpecies factionis (loquimur namque de generatione Chriſti humana.) Fateor non eſſe ineptum diſcrimen illud, quod inter has duas propoſitiones aſſignant Theologi, qui cenſent propoſitionem iſtam falſam eſſe, & abſolutè explodendam, videlicet, quod generatio ſua natura importet mutationem, quæ ſe tenet ex parte formæ,& naturæ,quæ de nouo acquiritur:Chriſtus autem humana generatione acquiſiuit ſine dubio formam nouam,& naturam, nimirum, humanam. Fieri vero denotat totalem ſubiecti acquiſitionem, & productionem: quæ non poteſt Chriſto competere. Sed quamuis hoc diſcrimen bonam habeat apparentiam, non tamen videtur neceſſario admittendum. Quoniam fieri,generaliter ſumitur amplamque habet acceptionem neque neceſſum eſt, vt importet totalem ſubiecti mutationem. Alias enim cum Petrus, qui ante extiterat, de nouo albeſcit, non vere diceretur fieri albus. Dices quod limitatur factio, & mutatio importata per Verbum fieri ab illo prædicato,albus,& tantum verificatur propoſitio pro mutatione formali ſecundum albedinem.

Vera quidem ſolutio. Sed ex illa ego colligo primum,quod hoc Verbum,fieri,generalem habet,& amplam ſignificationem ſub qua comprehẽduntur mutatio formalis,& mutatio totalis. Alias enim nõ verificaretur illa propoſitio pro ſola mutatione formali. Deinde adhuc magis ad rem infero,quod hęc propoſitio Chriſtus fit, etiam verificatur pro mutatione formali, quæ in illo inſtanti fiebat circa perſonam Chriſti ratione naturæ humanæ, in qua generabatur. Etenim ſecundum regulas dialecticorum, terminus ille, Chriſtus, cõiunctus copulæ pręſentis temporis, non ſumitur pure materialiter: non enim debet verificari propoſitio pro ſolo materiali ſuppoſito,ſed adiuncta forma per terminum importata. Itaque vox, Chriſtus, in illa propoſitione accipitur pro toto illo, quod ſignificat cũ abſolute profertur, ſed abſolute prolata ſignificat diuinum ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana: ergo in illa propoſitione ſecundum hanc modum accipitur: atque adeo Verbum,fit, non applicatur ſuppoſito diuino vtcumque,ſed ſub determinatione humanitatis in quo ſubſiſtit, & ex conſequenti poteſt verificari pro mutatione formali, quæ facta eſt in Chriſto ratione humanitatis: neque vero ex hac propoſitione ſequitur veritas alterius quam inferunt aduerſarij, ſcilicet. Chriſtus eſt aliquid factum:nam ad veritatem huius poſterioris enunciationis, non ſatis eſt, quod Chriſtus de præſenti fiat,ſed deberet concedi de præterito Chriſtus fuit factus,quæ tamen propoſitio de pręterito eſt omnino falſa, & denique dico, quod cum ponimus ex parte prædicati illud complexum, aliquid factum:ſubiectum Chriſtus ex vi propoſitionis capitur materialiter:eo quod illud complexum,aliquid factum à parte prædicati poſitum,materialiter ſumitur, & ſi hæc propoſitio negatur, multo magis eſt neganda illa,Chriſtus fuit factus:eo quod ſecũdũ regulas dialecticas illud ſubiectum, Chriſtus, debet ſumi materialiter,& debet reſolui propoſitio, atque ſi vox Chriſtus,terminus eſſet cõnotatiuus, ſed quãuis prædicta propoſitio, Chriſtus fit, in rigore ſermonis vera appareat, non tamen libere vtendum eſt hac propoſitione, quoniam præſefert malum tinnitum,& videtur inſinuare Arrianum ſenſum.

De alia vero propoſitione,ſcilicet,Deus factus eſt Chriſtus,exiſtimo dicendum, eam eſſe abſolute veram, quam concedit verbis expreſſis Cyrill. in defenſione Anathematiſmi tertij, cuius verba ſuperius habentur relata:& paſſim habẽtur apud ſanctos Patres,eum de hoc myſterio ſermonem fecerunt,& quidem cum terminus à parte prædicati poſitus ſumatur formaliter, vt inquit S. Thom. 3. p. q. 16. ar. 6. loquens de iſta propoſitione Deus factus eſt homo, dicendum eſt, quod Chriſtus in prædicta enunciatione ſumitur formaliter, vt importat naturam humanam, & hoc præcipue ob id verum eſſe crediderim, quia hæc vox Chriſtus, etſi terminus ſit ſingularis, ſicut Petrus, habet tamen quendam modum termini connotatiui, qui à parte ſubiecti poſitus materialiter ſumitur, à parte vero prædicati ſumitur formaliter, & quod præfata propoſitio ſit vera, ex eo etiam colligo, quod iſta propoſitio eſt falſa, Deus ab æterno fuit Chriſtus: ergo iſta debet eſſe vera, Deus incepit eſſe Chriſtus, & per locum à fortiori erit vera iſta, Deus factus eſt Chriſtus.

De tertia propoſitione, nimirum, Deus homo factus eſt, non conuenit inter graues Theologos, vera ne ſit,an falſa Caietan. 3. par. quæſt. 16. artic. 7. quem ſequitur Medina ibidem, putant hanc propoſitionem eſſe falſam; & conantur diſſoluere argumentum,quo in hunc modum probatur vera illa propoſitio. Si demus Petrum ante hac extitiſſe in rerum natura, & quod modo per primũ fui eſſe fiat albus, bene valet hæc conſequentia, Petrus fit albus, ergo Petrus albus fit,verificatur enim iſtud cõſequens, eo quod ſubiectum non eſt ſolus Petrus, ſed Petrus albus,qui modo fit de nouo, quoniam Petrus albus antea nunquam fuit,ergo ſimiliter bene valet: Deus factus eſt homo. ergo Deus homo factus eſt atq. adeo ſicut antecedens eſt verum, ita & conſequens. Hoc inquam argumentum auctores prædicti diluere admituntur, neuter tamen in eius ſolutione perficit, ſed vterque vim argumenti eludit: vnde ego cum quibuſdam aliis Theologis exiſtimo hanc propoſi-

Digitized by Google

tionem reipſa veram eſſe, & catholicam, ſed nihilominus arbitror non eſſe hac, & ſimilibus propoſitionibus libere vtendum, quoniam præſeferunt prima ſpecie conſideratæ ſenſum parum catholicum, & ad Arianum errorem tendentem.

Circa aliam propoſitionem, Chriſtus eſt creatura. Notandum, quod quamuis vtcumque poſſit defenſari in rigore ſermonis, vt exiſtimat Caiet. 3. p. q. 16. ar. 10. multo tamen probabilius aſſeritur, illã eſſe falſam ſecundum rigorem ſermonis, vt docuit S. Tho. Et probatur hoc, quoniam hæc dictio, creatura, ſecũdum proprietatem vocis, idem pollet, quod ens non habens eſſe ex ſemetipſo, ſed ab alio; hæc autem negatio incluſa in iſta voce, habet magnam repugnantiam ad illud ſubiectum Chriſtus, de quo fatendum eſt, quod eſt ens habens eſſe à ſemetipſo, ergo, &c. Cõfirmatur. Creatura in ſuo conceptu formali denotat ens, quod non habet eſſe per eſſentiam, ſed per participationem, Chriſtus autem ſimpliciter eſt ens, habens eſſe per eſſentiam, ergo, &c.

Sed eſt argumentum pro ſententia oppoſita, S. Thom. 3. p. q. 16. ar. 10. ad 1. ait quod hæc vox, creatura, communis eſt ad naturam, & ad ſuppoſitum: ita quod vtraque hæc propoſitio eſt vera, humanitas eſt creatura, & homo eſt creatura, ergo illa propoſitio Chriſtus eſt creatura, poteſt verificari, quatenus dictio, creatura, accommodatur ad naturam humanam Chriſti, ſicuti hæc propoſitio, Chriſtus eſt mortuus, verificatur ex eo, quod mors accommodatur Chriſto ratione humanæ naturæ.

Reſpondetur, quod, creatura, eſt quaſi nomen tranſcendens, deſignat enim ens non habens eſſe à ſeipſo. Ex quo ſequuntur duo ad noſtrum propoſitum. Primum, quod poteſt conuenire ſubſtantiæ, & accedenti, concreto, & abſtracto, eo quod eſt terminus tranſcẽdẽs omne genus. Secundum eſt, quod negatio incluſa in hoc termino creatura, fertur ſupra totum ſignificatum illius vocis, de qua prædicatur v. g. In hac propoſitione, Petrus eſt creatura, negatio incluſa in illo termino creatura, ſcilicet, nõ habẽs eſſe à ſe ipſo, fertur ſupra totum Petrum, id eſt, ſupra naturam, & ſupra ſuppoſitum Petri. Probatur hoc, quia illa negatio cadit immediatè ſupra tranſcendẽtem entis rationem, quæ complectitur, & naturam, & ſuppoſitum, accidens, & ſubſtantiam, & omnia; ergo negat totum ſignificatum illius vocis, de qua prędicatur hic terminus creatura.

Ex his tandẽ ſequitur, quod in hac propoſitione, Chriſtus eſt creatura, negatio incluſa in termino creatura, negat totum, quod importatur per ſubiectum, Chriſtus, ſiue ſuppoſitum, ſiue naturam, atque adeo propoſitio illa falſa eſt, & Ariana.

Ad argumentum ergo, negatur conſequentia, nã iſte terminus creatura, licet indifferenter poſſit prædicari de ſuppoſito, & de natura propter ſui tranſcẽdentiam, tamen propter eandem tranſcendentiam cuicunque termino adiũgatur, applicat totaliter ſuã negationem: itaque negatio æque cadit ſupra ſuppoſitum, & ſupra naturam.

Multa poſſemus huic addere diſputationi, præſertim circa ipſum vnionis hypoſtaticæ terminum, & circa propriam vnionis ipſius rationem, & ad exponendum relationem ibi interuenientem, quæ ex parte naturæ realis eſt, & ex parte verbi tantum rationis; verum hęc tam minutatim diſcutere alienum à noſtro intento eſſe videtur, non enim noſtra præſens diſputatio alio tẽdit, quam vt exponamus, quod nam ſit Chriſti prædeſtinationis obiectum, cuius quaſi materialem rationem nunc inueſtigamus; nam poſtea ipſum formalius conſiderabimus comparatiue ad prædeſtinationem.

Verum his expoſitis, & pertractatis adhuc explicandum ſupereſt, id vnde tota hæc diſputatio defluxit. Num, videlicet, concedendum ſit, Chriſtum, quem diximus totalem eſſe hypoſtaticæ vnionis terminum, ac vere compoſitum, reſultaſſe ex hac ineffabili vnione, & quidem ita videtur concedendum, tum, quia per vnionem Chriſtus eſt factus, id autem quod fit, reſultat ex factione. Tum etiam, quia ita dicunt quandoque Patres locis ſuperius citatis.

Sed nihilominus exiſtimo, nõ poſſe cum proprietate concedi, Chriſtum reſultaſſe ex vnione hypoſtatica: ratio eſt, quoniam hic modus loquendi denotat Chriſtum ita eſſe compoſitum, quod importat aliquod totum à componẽtibus diſtinctum, totalemq. formam includens, ſub qua continentur ipſa componentia vti partes materialitatem quandam & potentialitatem inuoluentes, hoc autem nullatenus eſt admittendum in Chriſto, vt ex dictis patet; ergo, &c.

Ad motiua pro altera parte reſpondetur facile. Ad primum dicitur, quod reſultantia non habet locum niſi in eo tantum compoſito, quod ex partibus conſtat, ex quibus quaſi oritur vna forma ipſius partibus communis; neq. vero terminus actionis, ſeu factionis propriè dicitur reſultare ex ipſa actione, per quam fit; vnde qui concederet Chriſtũ reſultaſſe ex vnione, reſultantiam non tam referret ad ipsã vnionem, quam ad humanitatem, & diuinitatem vnitas, ex quibus deſignatur conſurgere aliquod totum ipſis commune, & ſuperius. Ad ſecundum dicitur, Patres rariſſime vſos fuiſſe hoc dicendi modo, quod ſi quando ita dixerunt, vt certe dixerunt quandoque, largo modo acceperunt reſultantiam, eam vſurpantes pro compoſitione conſtitutiua Chriſti in ratione humani ſuppoſiti.

DVBITATIO IV. APPENDIX.

An Chriſti humanitas exiſtat per propriam exiſtentiam.

HÆc quæ diximus ſufficere videbantur ad explicandum prędeſtinationis obiectum ſecundum eius realitatem, vt poſſemus deinceps ipſam prædeſtinationis formalitatem ad ipſum comparare. Nam ex dictis ſatis conſtat, quid, quodue ſit hujus vocis, Chriſtus, ſignificatum, quod putamus eſſe Chriſti prædeſtinationis obiectum. Verum enimuero ipſa doctrinæ conſummatio ſtricto à nobis iure efflagitat, vt ea, quæ pertinent ad Chriſti compoſitionem, totaliter abſoluamus, & explicemus, Num in Chriſto ſit compoſitio ex humanitate, & ex ipſa increata Verbi exiſtẽtia, ita vt in Chriſto reperiatur vera compoſitio ex eſſentia creata, & increato eſſe. neq. vim facio in præſentia, an talis compoſitio debeat cenſeri ex his, vt cenſuimus de humanitate, & diuinitate, aut potius debeat dici compoſitio cum

his,

Digitized by Google

his, vt præcitatus Ferrarien. vocat eam omnem compoſitionem, quæ eſt ex eſſentia, & eſſe. Sed illud inquirimus: an vere humanitas exiſtat per exiſtentiam Verbi, nullam creatam retinens exiſtentiam, ſitque proinde in Chriſto compoſitio ex eſſentia creata, & increato eſſe, vt ex duobus extremis componentibus vnum exiſtens, ſiue compoſitione cum his, ſiue ex his.

§. 1. *Proponuntur argumenta pro parte affirmatiua.*

PRobaturque primo, pars affirmatiua, minimeq. infirmis ſuadetur argumentis humanitatem in Chriſto propriam retinere exiſtentiam, ac proinde non eſſe locum compoſitioni prædictæ.

Primum argumentum. Chriſti humanitas propriam habet ſingularitatem à Verbi ſingularitate diſtinctam, neque enim humanitas Chriſti per idē eſt ſingularis per quod diuinum Verbum eſt ſingulare, ſed ſingularitate creata ſingularis eſt; ergo & habet propriam exiſtentiam humanitas in Chriſto. Probatur conſequentia: quoniam exiſtentia intrinſecè pertinet ad ſingularitatē, ita qđ implicat intelligere rē aliquā ſingularē abſq; ſingulari exiſtentia: in hoc enim conſiſtit rem eſſe ſingularem, ꝙ ſingulariter exiſtat, atque adeo ſingulari exiſtentia: ergo, &c. Confirmatur primo. Humanitas Chriſti prius intelligitur ſingularis, quam aſſumpta à verbo: ergo & prius etiam intelligitur exiſtens, atque adeo exiſtit per exiſtentiam propriam, & non per exiſtentiam Verbi. Verbum enim in athomo, ideſt, ſingularem humanitatem aſſumpſit, vt dixit Dama. lib. 3. c. 11.

Secundo confirmatur. Si Verbum humanitatem relinqueret, eadem numero perſeueraret humanitas, quę antea erat in Verbo: ergo permaneret etiam eadem humanitatis exiſtētia: atque adeo humanitas in Chriſto propriam nunc exiſtentiam retinet. Conſequentia probatur, quoniam manifeſta apparet implicatio, quod permaneret eadem humanitas, & non cum eadem exiſtentia: corrupta enim, vel ſubtracta exiſtentia ab aliqua re, neceſſe eſt, quod res ipſa, quæ exiſtebat per talem exiſtentiam, deſinat eſſe.

Secundum argumentum. Vnio humanitatis cum Verbo eſt vera, & realis vnio: & quidem duorum extremorum realium; ergo prius natura quam humanitas vniretur Verbo, vere intelligebatur eſſe aliquod ens reale. At impoſſibile eſt, quod res aliqua intelligatur in eſſe vero & reali, quin intelligatur exiſtens: ergo prius natura quam humanitas vniretur Verbo, extitit, & cum in illo priori naturæ ſigno non exiſteret per exiſtentiam Verbi, neceſſum eſt dicamus, quod extitit per exiſtētiam propriam, quā Verbum non deſtruxit humanitatem aſſumendo: ergo retinet illam in Chriſto. Confirmatur primo. Humanitas prius natura, quam vniretur Verbo præintellecta fuit per modum actualis entitatis, etenim Verbum aliquam actualem entitatem ſibi aſſumpſit, & non purum nihil: ſed nulla res poteſt intelligi per modum actualis entitatis, quin intelligatur exiſtens, & in eius conceptu formali intrinſece claudatur exiſtentia: ergo in illo priori rationis ſigno, quo humanitas præintelligitur vnioni in ratione actualis entitatis, præintelligitur etiam exiſtens, & in eius conceptu clauditur exiſtentia. Probatur minor. Prima omnium rerum actualitas, eſt eſſe exiſtentiæ, ergo illo ab aliqua re ſublato, imo, & non formaliter intellecto, talis res manet pure potentialis, & nullatenus eſt intelligibilis per modum actualis entitatis. Confirmatur ſecundo. Chriſti humanitas, ſicut quælibet res alia, quandiu non intelligitur extra ſuas cauſas, nequit intelligi in ratione actualis entitatis; nam eſt purum nihil, ſed per exiſtentiam tanquam per formā, ſeu actum formalem, res quælibet primo extra ſuas cauſas conſtituitur, nec enim aliud formale principium fingi poteſt, quo res extra ſuas cauſas formaliter conſtituatur, præter exiſtentiam. Sed Chriſti humanitas præintellecta fuit vnioni per modum actualis entitatis, ideſt, vt extremum actualitatem habens, qua poſſet terminare vnionem cum Verbo: ergo præintellecta fuit extra ſuas cauſas poſita. Rurſus: ergo fuit præintellecta exiſtens.

Tertium argumentum. Humanitas prius natura fuit producta, quam Verbo vniretur, ergo prius natura extitit. Antecedens videtur affirmari S. Thom. 3. parte quæſtion. 6. artic. 4. ad 3. conſequentia vero probatur. Nam productio rei ad rem ipſam exiſtentem, imo vt exiſtentem terminatur: productio enim per ſe intendit rem de potentia ad actum exiſtendi deducere.

Confirmatur. Humanitas in Chriſto vere terminat realem conſeruationem Dei, ſicut eam termināt aliæ creaturæ, imo dum Chriſtus mortalem vitam degit, à celeſtibus influentiis, & ab aliis naturalibus cauſis conſeruabatur: ergo terminat huius conſeruationem ratione propriæ exiſtentiæ. Nam exiſtentia diuina Verbi non conſeruatur, neque vt Quod, neq. vt, Quo, eſt. n. totaliter conſeruationis incapax, ſicut & dependentiæ ab aliqua cauſa.

Quartum argumentum. In Chriſto ſecundum fidem ſunt duæ naturę actuales, & ſecundum proprias actualitates diſtinctas, fide enim credere tenemur, non eſſe in Chriſto, naturarum confuſionem, ſed quod vtraque natura humana, & diuina retinet in Chriſto ſuam propriam eſſentiam, & formalitatē, & exequitur ea quæ ſibi propria ſunt. Vt in Concil. Calcedonen. Conſtantinop. 2. & 3. Lateran. 1. & in alijs Conci. & in grauiſs. Patrum decretis definitum habemus, ergo quælibet earum exiſtit ſua propria exiſtentia. Probatur conſequentia, quoniam per exiſtentiam formaliter cōſtituitur prima rei actualitas, ergo ſi quælibet natura in Chriſto retinet ſuam primariam actualitatem, neceſſum eſt retineat ſuam propriam exiſtentiam.

Confirmatur. Poſſet Deus conſeruare humanitatem cum illa actualitate per quam in Verbo eſt entitas actualis, ſed non eſt entitas actualis niſi per exiſtentiam, ergo in Verbo retinet propriam exiſtentiam, alias enim inſeparabilis eſſet humanitas à Verbo, ſecundum quod eſt actualis entitas.

Quintum argumentum, Angelus naturaliter cognoſcebat exiſtentiam humanitatis Chriſti, ſed non cognoſcebat exiſtentiā diuinā, & increatā: ergo creatam: atque adeo erat ibi: patet maior. Cognoſcebat

humanitatem Chriſti exiſtentem; ergo & eius exiſtentiam. Patet conſequentia, quia non poteſt cognoſci formalis effectus alicuius formæ, quin cognoſcatur ipſa forma, ſed facere exiſtentem eſt formalis effectus exiſtentiæ; ergo, &c.

Sextum argumentum. Si humanitas exiſtit immediatè per exiſtentiam Verbi, ſequitur quod vnio eſt immediatè facta non in perſona, ſed in natura. Conſequens aduerſatur fidei. Definitum enim contra Eutichetem habemus in perſona, & non in natura factam eſſe hanc ineffabilem vnionem: ergo, &c. Probatur ſequela. Exiſtentia non eſt propria ſolius Verbi, ſed toti Trinitati communis: eſt enim eſſentiale, & quidditatiuum Dei prædicatum. ergo ſi humanitas vnita eſt diuinæ exiſtentiæ, ſeu Verbo, vt exiſtenti, neceſſum eſt dicamus, quod humanitas fuit vnita diuinitati, vt eſt communis tribus perſonis, id eſt, ſecundum quod habet exiſtentiam tribus perſonis communem.

Denique vltimo hæc omnia confirmantur ex eo, quod in Concil. 7. generali Actio. 6. Epiphanius quidam, cuius ſententia minimè fuit à Concilio reprobata, diſtinguit naturam ab hypoſtaſi, quod natura dicit entitatem exiſtentem, hypoſtaſis vero ſubſiſtentiam addit. Igitur humana natura in Chriſto exiſtens eſt exiſtentia propria. Confirmatur authoritate Damaſcen. lib. 3. capit. 3. vbi iuxta verſionem Fabri dicit Verbum aſſumpſiſſe humanitatem non exiſtentia præuiam. Ex cap. 11. & 12. eadem ſententia colligitur: nam diſtinguit exiſtentiam, aſſumptionem, & deificationem, vbi cum diſtinguat exiſtentiam ab aſſumptione, & deificatione, manifeſte ſentire videtur, quod exiſtentia humanitatis non eſt ipſamet Verbi exiſtentia, alias qua ratione diſtinguenda eſſet à deificatione, & aſſumptione?

§. 2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitum eſt, quod S. Thom. 3. part. quæſt. 17. artic. 2. docet in Chriſto vnicum tantum, eſſe, reperiri, & loquitur aperte de eſſe exiſtentiæ. Violenter enim aliqui de, eſſe, ſubſiſtentiæ. S. Thom. explicant, cum ipſe dicat ibi perſonam ſubſiſtentem eſſe proximum ſuſceptiuum ipſius eſſe. Quod non habere poteſt locum reſpectu ſubſiſtentiæ, per quam ſubſiſtens perſona conſtat.

§. 3. *Referuntur duæ celebres Theologorum ſententiæ.*

IN hoc dubio duæ ſunt Theologorum extremæ ſententiæ. Altera eſt S. Thom. loco nunc citato aſſerentis Chriſti humanitatem exiſtere diuina Verbi exiſtentia. Sequuntur S. Thom. vniuerſi eius diſcipuli, ſed præcipuè videndi ſunt Ferratien. lib. 4. contra gentes cap. 41. Capreol. in 3. diſt. 6. & Caietan. in commentario articuli ſecundi citati ex S. Tho. Docuit eandem ſententiá Héricus Gandauenſis quodl. 3. quæſt. 2.

Altera ſententia in alio extremo aſſerit Chriſti humanitatem exiſtere naturali, & ſibi propria exiſtentia. Docent hanc ſententiam Scot. in 3. diſt. 6. Albertus Magnus eadem diſt. q. 2. ar. 4. & 5. Riccar. art. 2. q. 2. S. Bonauentura diſt. 5. art. 2. q. 1. Gabriel Almainus & Palud. diſt. 6. Altiſiodoren. lib. 3. ſummæ tract. 1. cap. 1. q. 8. & ex nouioribus Theologis, illi omnes, quibus parum ſunt grata S. Thom. placita, & fere omnes huius ſententiæ auctores ob id præcipuè in hanc ſententiam ducuntur, quia non valent intelligere, quo pacto res aliqua aliter exiſtat, quam per exiſtentiam ſibi propriam, & intrinſecam, & quaſi inhærentem: vnde tot exiſtentias multiplicant, quod ſunt rerum eſſentiæ, ſiue totales, ſiue partiales. Itaque dicunt, quod in homine alia eſt exiſtentia materiæ, & alia exiſtentia formæ, & alia exiſtentia totius ſuppoſiti, & alia exiſtentia perſonalitatis terminantis naturam humanam, & conſtituentis humanum ſuppoſitum, ſeu perſonam: neque illis reſtat aliud, quam dicere, quod exiſtentia etiam ſuam propriam habet exiſtentiam. Dicuntque prætereà, quod ſicut partes ſubſtantiales ſuppoſiti cu ipſiam imperfectæ ſunt in eſſe ſubſtantiali, & eſſentiali, ita & earum exiſtentiæ imperfectæ quoque ſunt. Et ſicut partes ſubſtantialiter conſideratæ perficiuntur, & complentur per formam ſubſtantialem totius ſuppoſiti, & intra ipſam continentur, ab eaque aliqua ratione informantur: ita partiales exiſtentiæ partium earundem ſecundum rationem exiſtentiæ perficiuntur, & complentur per exiſtentiam totius ſuppoſiti, ab ipſaque petident, ſecũdum quod exequuntur exiſtentiæ officium: atque adeo quæcunque exiſtentia partialis modum quendam habet inexiſtentiæ. Nam ſicut inexiſtentia accidentis non ſufficit ipſum extra ſuas cauſa reponere, ſed dependenter à ſubſtantia, & ab eius exiſtentia, ita partialis exiſtentia nequit ipſam ſubſtantialem partem in rerum natura ſtatuere, niſi dependenter à toto compoſito, & à totali eius exiſtentia. Itaque in leone & materia, & forma ſuas habent exiſtentias partiales: ſed neq. materia poteſt exiſtere niſi depẽdenter à forma, & ab exiſtentia eius, neque materia, & forma exiſtere valent, niſi dependenter à toto compoſito, ſcilicet, leone.

Proportionabiliter ad iſta quæ in communi dicũt auctores citati, procedunt in particulari circa incarnationis myſterium. Dicuntque humanitatem propria exiſtentia exiſtere in Chriſto: ſed quemadmodum exiſtentia ipſa ſecundum naturæ ordinem complenda erat, & determinanda per propriam, & naturalem perſonalitatem humanæ naturæ debitam, imo & per exiſtentiam propriam ipſius humanæ perſonalitatis, quæ eſt exiſtentia communis totius humani ſuppoſiti, neque aliter (miraculis ſecluſis) humanitas exiſtere poſſet in rerum natura: ita cum perſonalitas diuini Verbi in hoc profundiſſimo incarnationis ſacramento ſuppleat perfectiſſime vicem perſonalitatis humanę, exiſtentia propria humanitatis per ſe pendet ab ipſa Verbi perſonalitate, ab eiuſque exiſtentia: atque adeo modum quendam inexiſtentiæ induit in Chriſto. Et ex hac doctrina eius auctores ſufficienter, ſuo iudicio, explicãt omnia, quæ in Concilijs, & Patribus reperiuntur. In quibus quandoque affirmari videtur in Chriſto humanam reperiri exiſtentiam, quandoque vero quod Chriſti humanitas exiſtit per exiſtentiam Verbi nam cum primum dicunt, aut ſaltem inſinuant,

do-

Digitized by Google

docent re ipſa,id quod hæc ſententia affirmat. Cum vero ſecundum aſſerunt, intelligendi ſunt in hoc ſenſu quod exiſtentia humanitatis completur, & terminatur per exiſtentiam Verbi tanquam per exiſtentiam totius ſuppoſiti; atque adeo reuera humanitas exiſtit exiſtentia Verbi. Quod etiam in ſuppoſito hŭmano contingit,nam licet humanitas ex corpore, & anima conſtans propriam habeat exiſtentiam, per quam exiſtit, vt per exiſtentiam ſibi propriam, & ſibi intrinſecam, exiſtit nihilominus per exiſtentiam totius ſuppoſiti.

Denique auctores prædicti,aut ſaltem eorum aliqui arbitrantur, quod in re qualibet, exiſtentia ita habet rationem primi actus, & primæ formæ, quod eſt impoſſibile, vt res aliqua aut ſit, aut intelligatur vt entitas actualis, niſi per exiſtentiam: ita quod nec conceptu etiam præciſiuo intelligi poteſt, & concipi res aliqua in ratione actualis entitatis,quin in tali conceptu intrinſecè, & formaliter claudatur exiſtentia. Quoniam actualitas cuiuſcumque entitatis eſt effectus formalis exiſtentiæ: comparatur enim eſſe ad eſſentiam, ſicut actus ad puram potentiam in ratione entis. Hæc & alia nonnulla dicunt præfati Theologi; & omnia hæc adeo vera eſſe ſibi perſuadent, vt eorum oppoſita vix probabilia reputent. Imo & quidam eorum abſque formidine dicunt, ſententiam S. Thom. parum obtinere probabilitatis. Cum tamen omnia, quæ ex ipſis retulimus ſint falſa,& neſcio an deberent cenſeri probabilia. Suntque huic ſacro incarnationis myſterio parum digna, neque admodum conſentanea modo loquendi Conciliorum,& Patrum. Vnde non ſatis queo mirari, quo pacto viris doctiſſimis, & excellenti ingenio prædítis hæc, quæ retulimus, tantum potuerunt placere, vt grauiſſimam S. Thom. doctrinam huic tanto myſterio conſentaneam, & eius excellentiæ condignam, tanta cum libertate contempſerint. Non vacat in præſentia immorari in referendis omnibus, & explicandis in quibus iſta ſententia magnam continet falſitatem. Aduertam tamen nonnulla. Et priuſquam in particulari deſcendam ad probandam S. Thom. ſententiam, quæ docet humanitatem Chriſti non propria, ſed exiſtentia Verbi tantum exiſtere. In communi conabor breuiter oſtendere huius ſententiæ falſitatem. Neque vero hoc cenſendum eſt à noſtro inſtituto alienum, cum ſit admodum neceſſarium, ad intelligendum id quod propoſuimus in hac dubitatione explicandum.

Sed tamen prius aduertere oportet, exiſtentiam ſubſtantialem nullatenus eſſe cum ſubſiſtentia confundendam: diſtinguŭtur enim, vel, realiter, & inter ſeſe, & à ſubſtantiali natura, vt placuit Caietan. 3. p. quæſt. 4. art. 2. vel vt placet alijs quibuſdam etiam grauiſſimis ſolis diſtinguuntur rationibus formalibus. Quæ res quod ad præſens attinet,non eſt magni ponderis. Quamuis ſuauiori modo explicari poſſit incarnationis myſterium ſi cum Caietan. & alijs Theologis non paucis, qui ei adhæſerunt realem, vt res à re, diſtinctionem inter iſta conſtituamus. Quo ſuppoſito.

§. 4. *Prima concluſio.*

Falſa eſt ſecunda ſententia, quatenus docet in rebus omnibus proprias, & particulares reperiri exiſtentias. Probatur hæc concluſio. Primo. Per exiſtentiam, vt authores contrarij fatentur, res conſtituitur formaliter in actu; ergo ſi in compoſito ſubſtantiali v. g. in Petro partes eius ſubſtantiales exiſtunt proprijs exiſtentijs, omnes etiam ſeorſum conſideratæ ſunt formaliter in actu conſtitutæ. Ita quod materia prima eſt formaliter in actu, & forma ſimiliter eſt in actu. Hoc autem couſequens eſt omninò falſum: ergo falſa eſt ſententia ex qua infertur. Probatur falſitas conſequentis vulgatiſſimo illo argumento ex Ariſtotelica doctrina deſumpto. Ex pluribus entibus in actu non poteſt effici vnum ens ſimpliciter, ſed vnum duntaxat ſecŭdum quid, nimirum, per aggregationem: ergo ſi partes ſubſtantiales ſuppoſiti. v. g. Petri ſunt formaliter in actu conſtitutæ, prius natura quam intrent compoſitionem totius ſuppoſiti, Petrus non erit ens ſimpliciter vnum, ſed aggregatione duntaxat. Et idem argumentum ſit de quocumque ſubſtantiali compoſito: at quod huius compoſitum non ſit vnum ſimpliciter, nullus phyloſophorum niſi deſipiat, dicere audebit. Contemnunt hoc argumentum quidam Theologi ex iunioribus, diuerſaſque ei ſolutiones accŏmodant: ſed tota earum probabilitas, ſi hoc nomine digna eſt, reducitur ad doctrinam illam paulo ſuperius commemoratam, videlicet, quod exiſtentia partialis non eſt exiſtentia completa in ratione exiſtentiæ, ſed comparata ad exiſtentiam totius compoſiti, ſeu ſubſtantialis ſuppoſiti potentialis eſt, & modum habet inexiſtentiæ: atque adeo omnes partes cum exiſtentijs partialibus ad vnum concurrunt ſuppoſitum, & vnico eius eſſe exiſtunt ſimpliciter, & ob id ipſum totum ſuppoſitum ſimpliciter eſt vnum. Hæc ſolutio vehementer diſplicet ſuis authoribus, mihi tamen vehementer diſplicet, multiſque illam impugno. Primo. Exiſtentia ex propria ſua ratione ita eſt actualitas, quod nullam habet potentialitatem terminabilem, & actuabilem per ſuperiorem formam: nam eſſe ex proprio ſuo conceptu actualitatem dicit, nihilque potentialitatis admittit, niſi ratione eſſentiæ, & naturæ, cui adiungitur, à qua materialiter modificatur, & determinatur in qualibet re creata: ſicut omnis forma determinatur, & contrahitur materialiter à potentia, quam actuat, & informat. Vnde eſſe exiſtentiæ ſecundum ſuam rationem perfectior eſt ſimpliciter quacunque ſubſtantiali forma, vt docte S. Thom. aduertit 1. par. quæſt. 4. ar. 2. ad 3. Et hinc eſt, quod eſſentialiſſima perfectio Dei eſt ipſum eſſe. Quod non eſt in præſentia probandum, ſed ex multis, quæ in lib. de orig. & poteſtate gratiæ tract. 2. diximus, præſupponendum; ergo irrationabiliter aduerſarij dicunt exiſtentias partiales actuari, & informari per communem totius ſuppoſiti exiſtentiam: & quantum ego coniectura aſſequi poſſum, hæc ratio à nobis facta potiſſimum fundamĕtum eſt illius Peripatetici proloquij. Ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum ens ſimpliciter. Nam duæ entitates cŏſtitutæ in proprijs eſſendi actualitatibus, non poſſunt actuari per aliud

eſſe eiuſdem commune; quoniam repugnat exiſtentiam actuari, vel per aliam exiſtentiam ſuperiorem, vel per aliam quamcunque formam: eo quod exiſtentia vt ſic ſummum tenet actualitatis apicem, nec aliunde poteſt determinari, quam ex parte ſubiecti, ideſt, eſſentiæ, quam terminat, & actuat. Itaque illa repugnantia, quam Ariſtot. & qui eius ſequuntur doctrinam inuenerunt in hoc, quod ex pluribus entibus in actu fiat vnum ſimpliciter, non ex alijs formis, & actualitatibus potiſſimum penſatur, ſed ex ipſa actualitate exiſtendi: nam certum eſt, quod gradus formales inferiores actuantur, & perficiuntur per ſuperiores: corporeum per vegetatiuum, vegetatiuum per ſenſitiuum, ſenſitiuum denique per rationale: & quidem nullum ego reputarem inconueniens, quod in homine multæ eſſent formæ, ex quibus diuerſi iſti gradus deſumerentur: & quod inferior forma ſe haberet potentialiter, & materialiter reſpectu ſuperioris, niſi obſtaret, actualitas exiſtendi; volo dicere, quod tota repugnantia huius rei inde ſumitur, quod iſte formæ tribuerent diuerſas exiſtentias, & eſt impoſſibile, quod exiſtentia, quam tribuit inferior forma, poſſit in ratione exiſtentiæ per ſuperiorem formam, aut ſuperiorem exiſtentiam actuari, & formaliter perfici. Vnde ſi eſſent in vno ſuppoſito diuerſæ formæ, eſſent ſimpliciter plura entia in actu, & non eſſet vnum ſimpliciter.

Hæc doctrina non eſt voluntaria, quia ſi gradus ſubſtantialis inferior perfici poteſt, & actuari per ſuperiorem: quare non poterit forma inferior, cui ille gradus reſpondet, actuari ſimiliter, & perfici per formam ſuperiorem? Vnde niſi obſtaret actualitas exiſtentiæ quam ſecum affert quælibet ſubſtantialis forma, nulla eſſet ratio, propter quam non multiplicarentur ſubſtantiales formæ in eodem ſuppoſito. Scio authores quoſdam ex his, quibus ſecunda ſententia placuit, libenter admittere hanc multiplicationem formarum, ſed alij multi etiam ex eis, qui doctius loquuntur, eam nullatenus admittunt.

Sed iam ſecundo contra hanc ſolutionem ſic argumentor. Partiales iſtæ exiſtentiæ non ſufficiunt conſtituere ipſas ſubſtantiales partes extra ſuas cauſas; ergo impropriè, imo falſiſſime appellantur exiſtentiæ, & ſumma cum proprietate dicitur eas habere modum inexiſtentiarum. Imo eſt inexplicabilis iſte modus, quod ſic oſtendo, cum dicimus materiã primam propria terminari exiſtẽtia, inquiro, an exiſtentia hæc ſufficiens ſit, vt materia prima per ipſam ſolam exiſtat extra ſuas cauſas conſtituta, vel non. Si dicas primum; quare ergo, dicis, quod exiſtentia materiæ primæ habet rationem inexiſtentiæ, cum ſe ſola ſufficiat exequi proprium exiſtentiæ officium? Si dicas ſecundum; ergo non eſt exiſtentia. Probo euidenter conſequentiam, quoniam proprius effectus formalis exiſtentiæ eſt exiſtens, ſeu exiſtere. Itaque tam proprium eſt, & formale exiſtentiæ facere rem exiſtentem: atque eſt proprium albedini facere album; & confirmo, vel hæc exiſtentia materiæ primæ eſt exiſtentia per ſe, vel exiſtentia in alio. Si eſt exiſtentia in alio; ergo non habet modum inexiſtentiæ, ſed vera eſt inexiſtentia: atque adeo, eſt actus quidam accidentalis, per quem ſubſtantia quæcunque illa ſit nullatenus exiſtere valet. Si vero eſt exiſtentia per ſe: ergo materia prima per hanc ſolam ſubſtantialem exiſtentiam ſeparata ab omni forma poterit ſine miraculo exiſtere: ita quod miraculum conſiſtit tantum in ſeparatione materiæ ab omni forma, non vero in eo, quod ſeparata exiſtat.

Vrgeo amplius rem iſtã, & inquiro, vtrum in illo priori, quo materiam præintelligimus formæ, & cõpoſito, materia vere exiſtat per hanc ſuam partialem exiſtentiam, ita quod verè præintelligatur exiſtens, & vt exiſtens ad compoſitionẽ confluat, ad eum modum quo Sol prius natura exiſtit quam illuminet, & licet in eodem inſtanti quo exiſtit, illuminet, prius tamen intelligitur exiſtens, eo quod ſm̃ quod exiſtit actu lucidus illuminat; ſic quæritur; an materia concurrat ad compoſitionem totius cõpoſiti, vt exiſtẽs propria exiſtẽtia, vereq. pręintelligatur actu exiſtẽs: vel nunquam intelligitur exiſtens quandiu non intelligitur informata, & intra totum compoſitũ conſtituta. Si concedas eam præintelligi exiſtentem cum prius non pendeat intrinſecè à poſteriori, manifeſte ſequitur, quod materia prima ſi per miraculũ ab illa omnis ſeparetur ſubſtantialis forma, abſq; nouo miraculo permanebit exiſtens, & exiſtẽt quandiu ab ea non fuerit per aliud miraculum ſeparata illa partialis exiſtentia, ſicut præintelligitur exiſtens per eandẽ exiſtentiam, prius natura quam vniatur formæ; ſic adeo vt ſicut exiſteret Sol, etſi eius actualis totaliter impediretur illuminatio, vt impedita videtur in Chriſti morte, & homo etſi per miraculum ab eo riſibilitas ſepararetur; ita exiſteret materia, etſi omnis ſubſtantialis forma excluderetur ab ipſa: & quidẽ mirum eſt, quod à materia prima nõ ſeparetur exiſtentia, per quam potuit præexiſtere vnioni ad formã, & quod deſinat eſſe. Si vero nõ pręexiſtit vnioni ad formã: neq; concurrit vt exiſtens ad cõpoſitionẽ totius compoſiti, explicandum reſtat, quare natura talem partialem exiſtẽtiam materiæ primæ conceſſit: quia videtur omnino impertinens: nam ſi materia nequit extra ſuas cauſas actu exiſtere niſi dependenter a forma, imo, & à toto cõpoſito, & actuata, & terminata per exiſtentiam totius compoſiti quæ nã erat neceſſitas talis exiſtentiæ partialis? Sufficiebat enim exiſtentia totius compoſiti, per quam & materia, & omnes eius partes exiſtant. Nihil autẽ otioſum eſt, & fruſtraneum in naturali ordine ſtatuẽdũ. Si quidem præexiſtentia partium neceſſaria eſſet, hoc argumentum leues obtinere vires: verum ſuppoſito quod partes non præexiſtant toti compoſito, manifeſtarium argumentum apparet.

At dices, partialem exiſtentiam in partibus eſſe neceſſariam, vt partes ſint entitates actuales, quoniã ſecluſa exiſtentia nulla intelligitur actualitas. Magnificatur hæc ſolutio à ſuis auctoribus, ſed ego cauſam non video: video potius magnam eius inſufficiẽtiam. Et primo quod ab iſtis Theologis dicitur, nullã eſſe aliam entitatiuã actualitatẽ niſi exiſtentiam, quis non videt eſſe falſiſſimum, & veræ phyloſophię contrarium? gradus enim formalis, quem forma præſtat v. g. ſenſitiuum, rationale, &c. nonne formalis actualitas eſt? Fateor libenter, quod exiſtentia conditio eſt neceſſaria, vt formalis quæcunq. actualitas ſuum habeat complementum, & actualitatis mo-

modum: vnde exiſtentia ſecluſa, omnia ſunt potentialia, ſed nihilominus ipſa exiſtentia non confert rei creatæ actualitatem eius ſubſtantialem. Sed hoc ad formam pertinet, concurrente ſimul ipſa exiſtentiæ actualitate per modum neceſſariæ conditionis, exiſtentia enim non eſt forma rei, in rigore loquendo, ſed quidam terminus ſubſtantialis, ſicut de ſubſiſteotia dici ſolet. Sed hoc prætermiſſo, de quo ſtatim, aſſignatam ſolutionem ſic impugno ſecundo: materia prima priuſquam ſit vnita formæ non eget actualitate eſſendi, neque oportet, quod præintelligatur per modum exiſtentis, quia vt antecedit compoſitionem actualem cum toto compoſito, & vt naturæ ordine præcedit totius compoſiti formam, non præexiſtit, neque præintelligitur vt exiſtens: (nam hac ſuppoſitione facta procedit hæc argumentatio) qnia alias, vt dicebam, ſine miraculo poſſet exiſtere ab omni forma ſeparata: at præintellecta forma totius, eiuſque exiſtentia, per ipſammet exiſtentiã totius conſtituetur materia, & quælibet alia pars compoſiti in ratione actualis entitatis.

Hæc argumentatio non poteſt non eſſe euidens, niſi dicatur, id, quod aduerſarij contendunt verum eſſe, & nos falſiſſimum arbitramur, videlicet, quod exiſtentia ſit forma eſſentialiter, & intrinſecè conſtituens actualitatem cuiuſcunque rei. Quam ſententiam ego vix poſſum intelligere: neque ſcio qnid dicat. Vnde ſic argumentor, eſſentia, & formalis ratio naturæ humanæ non eſt exiſtere, hoc enim commune eſt homini, equo, & lapidi: ſed eſt eſſe animal rationale, hoc autem homo non habet ab exiſtentia, ſed à ſua forma rationali: non ergo exiſtẽtia eſt forma conſtituens eſſentialem rei actualitatem, ſed, vt dudum dicebam, eſt terminus quidam eſſentiæ, & formæ neceſſario requiſitus, vt forma actu conferat ſuam entitatiuam actualitatẽ: neque ſufficit dicere, quod exiſtentia eſt actualitas entis cuiuslibet ſecundum rationem entitatis: à forma vero ſumitur actualitas ſpecifica, quæ ſub formalitate entitatis debet contineri, quia alias neque actualitas erit, neque aliquid extra nihil: non ſufficit, inquam, hoc aſſerere quoniam forma, quæ dat actualitatem ſpecificã confert etiam omnem actualitatem eſſentialem, quamlibet genericam, & communem. Non enim geminã formam, ſed vnĩcam duntaxat in re qualibet peritiores Philoſophi conſtituunt, ex qua tota rei formalitas, & actualitas prouenit: & ob id in homine omnis ratio quantumlibet communis perfectior eſt, quam in equo, quia à perfectiore ſpecifica forma prouenit ab anima nempè rationali, & in equo propter eandem cauſam omnis actualitas perfectior eſt, quam in formica.

Præterea inquiro, an actualitas, quæ ab exiſtentia deſumitur eſſentialis ſit homini, nec ne? Si eſſentialis eſt: ergo homini eſſentialiter competit exiſtere ſicut Deo; atque adeo cum eſſentiæ rerum inuariabiles ſint ſecundum eſſentiales rationes, cõcedendum eſt, hominem ab æterno extitiſſe, imo eſt concedendum, quod à ſe ipſo exiſtit, ſicuti Deus: quoniam exiſtere eſt ei eſſentiale, ſicut Deo, nec vero Deus alia ratione ex ſe ipſo exiſtit, niſi quia ex ſua eſſentia exiſtit. Si vero non eſt eſſentialis actualitas prædicta, ergo aliam debemus comentari actualitatem in ratione entis homini eſſentialem, ab exiſtentia vel realiter, vel formaliter ſaltem diſtinctam, res enim certa eſt, & ab omni formidabili opinione ſegregata, qnod homo, & quælibet res alia actualitatem habet aliquã ſibi propriam, & eſſentialem intra genus entis, & in ratione entis: nam ſi hanc non habet actualitatem, nullam ſanè habere poterit, ſiue in ratione ſubſtantiæ, ſiue in ratione animalis, ſiue in quauis alia, vel generica, vel ſpecifica ratione. Nam ſicut id, quod ens non eſt, nihil eſt: ita quod actualitatem entis eſſentialiter non continet, nullam habet actualitatem. Neque hoc maiori probatione indiget, cum ſit ex ſe manifeſtiſſimum.

Sed iam vlterius noſtram primam concluſionem, tertium, & id quidem non debile, argumentum confirmat (etſi præcipua eius vis ad præcedens argumentum debeat reuocari) ſequitur ex contraria ſentẽtia, quod equus, leo, & aliæ omnes inferiores creaturæ formas habeant ſua natura immortales, & incorruptibiles, ſicut homo formam habet ſua natura, & abſque ſpeciali dono Dei incorruptibilẽ, & immortalem, quod in Conc. 3. Lateran. definitũ habemus. Conſequens manifeſtam habet abſurditatem, nulli, vel mediocriter ſapienti incognitam: ergo, &c. Probatur ſequela. Leonis formæ propria, & particularis competit exiſtentia, ſicut competit formæ hominis, animæ videlicet rationali: ergo eodem modo forma leonis incorruptibilis eſt, ſicut anima rationalis. Et idem argumentum fit de formis aliarum rerum.

Dices, non eodem modo competere exiſtentiam formæ leonis, atque rationali animæ, quia exiſtentia formæ leonis eſt imperfecta, exiſtentia autem animę rationalis ſimpliciter eſt perfecta, per quam ſubinde rationalis anima à corpore ſeparata poteſt realiter exiſtere. Contra: vel imperfectio exiſtentiæ, quæ propria eſt leoninæ formæ, cõſiſtit in hoc, quod partialis eſt, & ſua natura ordinata ad totũ compoſitum: vel quia non poteſt per ſe conſtituere formam leonis exiſtentem, niſi dependenter ab alia exiſtentia, nimirum ab exiſtentia totius. Prior imperfectio nihil ad rem attinet, quia communis eſt etiam animæ rationali, quæ ſua natura pars eſt totius hominis, & cum omnibus, quæ ad ipſam pertinent, ad totum hominẽ eſſentialiter ordinatur: ſic adeo, vt quidã ex doctioribus modernis (etſi mea ſentẽtia falſiſſimè) dixerint, in ſui productione per ſe à toto pendere compoſito. Secunda verò imperfectio, vt præcedenti argumento probaui, eſt ferè inintelligibilis, tum quia eſt contra rationem exiſtentiæ, quod non poſſit facere per ſe exiſtentem formam, cui adiungitur: tum etiam quia authores contrarij hactenus non explicuerunt, an prius natura, quàm intelligamus exiſtentiã totius compoſiti, v.g. leonis, ſubſtantialis eius forma præexiſtat per ſuam exiſtentiam partialem, nec ne: nam ſi non præexiſtit, impertinens eſt partialis illa exiſtẽtia: ſi verò præexiſtit, ſequitur inconueniens illatum, videlicet, quod forma leonis poſſit ſua natura exiſtere à corpore ſeparata, ſicut exiſtit rationalis anima. Item ſequitur inconueniens aliud non minoris conſiderationis, nimirũ quod forma leonis incipiat eſſe per creationẽ, ſicut rationalis anima. Quod ſic probo: forma leonis nõ pendet in ſui productione à toto compoſito, ergo verè producitur per ſe, ipſaque immediatè ſuam terminat productionem: & producitur ſecundum ſe totam, & ſecundum omnem ſui

enti-

entitatem,ergo creatur. Prior conſequentia eſt euidens, quia id, quod independenter ab alio producitur,per ſe producitur. Et conſequentia poſterior cunctis verè doctis eſt in propatulo: productio enim qua producitur totum aliquod ens, ſiue partiale ſit, ſiue totale, creatio eſt: nam creatio quid aliud eſt, quàm totius entis productio? Antecedens verò probatur. Non pendet à toto compoſito in ſuo eſſe: quia prius natura eſſe habet,vt dicunt authores cōtrarij, quàm totum compoſitum eſſe habeat. Res autem quęlibet ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad produci,& fieri, & à quo non pendet in eſſe, non poteſt per ſe pendere in fieri, niſi vt plurimum tanquam à diſpoſitione quadam,& quidem remota,quod non eſt ad propoſitum: ergo,&c.

Forſan recurres ad operationem, quam habet rationalis anima à corporeo organo, & inſtrumento independētem,quam operationem in leonis anima minimè reperimus. Sed hoc impertinenter ad propoſitum adducitur,vbi cauſam inquirimus,ob quam cum leonis anima propriam ſortiatur exiſtentiam, ſicut anima hominis, non competat ei ſimilis operatio. Et ſicut ex operatione,quā habet rationalis anima à corpore independentem, à poſteriori colligimus,eam propria pollere exiſtentia,in qua non pendet à corpore,neque à toto coniuncto: ita ex eo quod in leone nullam huiuſmodi experimur actionem, efficaci conſequutione deducimus, eius animam non actuari propria,& partiali exiſtentia,qua prius natura exiſtat,quàm totus leo,ſed quod exiſtit potius per exiſtentiam cōmunem totius compoſiti,& nō aliter.

Quarto tandem, & vltimo probo concluſionem ſtatutam, & ſpecialiter argumētum procedit in homine. Si in homine præter exiſtentiā animæ rationalis aliam exiſtentiam totæ humanitati communem comentamur, vel illa exiſtentia corporea eſt, vel incorporea,ſed neutrū horum dici poteſt: ergo,&c. Propoſitio maior apparet euidēs,niſi dicamus,quod illa exiſtentia eſt compoſita,ſicut & ipſa humanitas, cuius altera pars eſt corporea, & altera incorporea: & ita iam ab intento recedimus, quia non conſtituimus aliquam exiſtentiam communem,ſed duas partiales, atque adeo tota contraria doctrina rueret: omnes enim exiſtentiæ in homine eſſent partiales,& nō reſponderet toti compoſito ſua ſpecialis exiſtentia,vt aduerſarij contendunt. Probatur autē minor. Et primo,quod non ſit corporea,videtur manifeſtū: nam anima rationalis,quæ ſpiritualis eſt,& incorporea, nequit exiſtere per corpoream,& materialem exiſtentiam. Quod præcipuè eſt manifeſtum in horū Theologorum doctrina, quæ docet,exiſtentiam eſſe verum actum, veramque formam, verèque actuare, & informare illam eſſentiam, cui dat exiſtere. Præterea ſecundo, quod non ſit ſpiritualis illa communis exiſtentia,ſic probo, Primo totum compoſitum ex corpore,& anima reſultans,non eſt purè ſpirituale: non ergo actuabile eſt per exiſtentiam purè ſpiritualem, quæ per ſe primò proportionata ſit ipſi toti compoſito. Hoc vltimum addiderim propter exiſtētiam animæ rationalis,quæ toti compoſito humano communicatur, cum ſit ſpiritualis, ſed hoc nō mirum, quoniam eius ſpiritualitas non ex toto compoſito, ſed ex ipſa rationali anima, ad quam per ſe primò pertinet, penſari debet.

Deinde ſecundo. Si illa eſſet ſpiritualis,ſua natura incorruptibilis eſſet, atque adeo redderet totū compoſitum incorruptibile,& immortale. Vel,vt minimum,infertur magnū abſurdum,nempe,quod quoties corrūpitur homo, deſtruatur aliqua entitas ſubſtātialis,& ſpiritualis,magnamq; videtur præſeferre abſurditatem,dicere,quod ſubſtantialis entitas ſpiritualis,& immaterialis per ſe pendeat in ſui conſeruatione ab entitate corporali,ita quod deſtructo corpore humano neceſſum ſit, vt ipſa quoque deſtruatur, & quod ſua proinde natura ſit corruptibilis: nam cū totum corruptibilitatis fundamentum materia ſit, quę ob ſuū vagum,& inſatiabilem appetitum, veluti adultera viro, formæ,& compoſito machinatur malum,vt Ariſt.1. Phyſ. dixit, res ſpiritualis,quæ omnis eſt materiæ expers,nequit non eſſe ſua natura incorruptibilis,& immortalis. Ex his omnibus, quæ diximus, infero veram eſſe concluſionem primam, veramque proinde S.Th.ſententiam,quæ docet, totum compoſitum, & omnes eius partes, ac omnia quę ad ipſum intrinſecè pertinent, vnica, & eadem exiſtere ſubſtantiali exiſtētia. Et prætermitto innumera,quæ fieri poſſent pro hac concluſione argumenta: nam quæ propoſui videntur eſſe præcipua, continereque capita aliorum argumentorum omnium.

§.5. *Secunda concluſio.*

HVmanitas in Chriſto non propria, ſed Verbi exiſtentia exiſtit, nullatenus de ſubſiſtentia loquor in hac concluſione, ſed de exiſtentia duntaxat, prout à ſubſiſtentia diſtinguitur,nam ſi de ſubſiſtentia præſens intelligeretur concluſio, nō probabilem opinionem, ſed certam fidei contineret veritatem.

Probatur hæc concl. Primo ex Concil.6.generali Actio.11. in Epiſt. Sophronij Hieroſolymitani valdè grata,& probata vniuerſis S.Concil.Patribus. In qua hæc habentur: *In illo itaque*, ſcilicet in Verbo, *non in ſemetipſa, habuit exiſtentiam vnam*. Loquebaturque grauiſſimus hic Pater de Chriſti humanitate,vt legenti conſtabit,ergo nō propria, ſed Verbi exiſtentia ſubſtātiali humanitas Chriſti exiſtit. Non ſatisfacit quorundam ſolutio dicentium, exiſtentiæ nomine ſubſiſtentiam intelligi,nam licet negare nō debeamus, quod potiſſimum intendebatur ab illo Concilio, & ab vniuerſis eius Patribus definire aduerſus Neſtorium, & alios hæreticos duas naturas verè,& realiter vna, & eadem ſubſiſtētia Verbi perſonaliter ſubſiſtere,voluntariè tamen aſſeritur,quod non aliquando ſaltem incidenter Patres illius Concilij de ipſa loquerentur exiſtentia, & cum verbum, exiſtētia,habeatur expreſsū, irrationabiliter ad ſubſiſtentiam cōfugitur: præſertim cum Neſtorij error multo apertius,& euidentius confutetur, ſi dicamus Chriſti humanitatem non ſolum ſubſiſtere diuina Verbi ſubſiſtentia, ſed & increata quoque eius exiſtentia exiſtere: nam hac ratione maiorem, & ſtrictiorem, magiſq; ſubſtantialem vnionem inter Verbum,& humanitatem conſtituimus, ac proinde magis à Neſtoriano errore auocamur. Neque verò ſatis explicat Sophronij mentem,qui dicit, nihil aliud ibi intendi, quàm quod humanitas non prius tempore extitit,quàm Verbo fuerit vnita: nam licet ipſe non negauerim,hanc veritatem fuiſſe ibidē per ſe primò in-

intentam, aſſero tamen Sophronium inde hanc veritatem maximè confirmaſſe. Quoniam, inquit, humanitas nullā propriam vnquā exiſtentiam habuit, ſed per Verbi exiſtentiā ſemper extitit, vnamq; communem cum Verbo exiſtentiam ſortitur. Sed dicunt tandem authores nonnulli, quod Chriſti humanitas, etiam ſi propriam habeat exiſtentiam, exiſtit nihilominus per exiſtentiam Verbi, quatenus Verbi perſonalitas, per quam terminatur, peculiarem habet exiſtentiam, quam ipſi humanitati communicat; quæ doctrina ſuperius iam fuit à nobis inſinuata.

Veruntamen hanc ſolutionem expugnant omnia illa, quibus oſtendimus circa concluſionē præcedentem nō eſſe multiplicandas partiales exiſtentias, neque vnam exiſtentiam compleri poſſe, & actuari per aliam. Sed ſpecialiter hanc ſolutionem impugno, & inquiro ab authoribus huius ſolutionis, num humanitas per propriā exiſtentiam prius natura extiterit, quàm fuerit Verbo vnita, & quā extiterit per Verbi exiſtentiam, vel non. Si primum dicant, manifeſtè loquuntur cōtra Sophronij ſententiam, grauiſſimo Concilio probatam, quoniam fatentur re ipſa, quod humanitas propria exiſtētia exiſtit, cum nō pendeat ab exiſtentia Verbi, in hoc quod actu extra ſuas cauſas exiſtat. Nam ſi in primo vnionis inſtanti fuit verū dicere, humanitatem exiſtere propria exiſtētia prius natura, quàm Verbi perſonalitate terminaretur, neceſſum eſt cōcedamus, quod humanitas, in hoc quod eſt actu extra ſuas cauſas exiſtere, minimè pendet à Verbo, nam ſi penderet, non prius exiſteret, quàm ei eſſet communicata propria Verbi exiſtentia, atque adeo ſi tunc nō pendebat, neque modò pendet. Et ex conſequenti non verè dixit Sophronius, Chriſti humanitatem non in ſeipſa, ſed in Verbo exiſtentiam habere: hic enim dicendi modus manifeſtè deſignat dependentiam humanitatis à Verbo in hoc, quod eſt actu exiſtere. Si verò reſpondeant, non prius natura humanitatē extitiſſe, quā fuerit à Verbo aſſumpta, & quod exiſtentia humanitatis non fuit ſufficiens eā cōſtituere in actu extra ſuas cauſas, niſi vt coniuncta perſonalitati, & exiſtētia diuini Verbi. Si hæc, inquā, dixerint, ruit præcipuum eorū ſententię fundamentum: ob id enim contendunt humanitatem propria exiſtentia exiſtere, vt tueantur humanitatem prius natura, quàm aſſumeretur à Verbo, fuiſſe verā, realem, & actualem entitatem, vt poſſet habere rationē extremi aſſumendi à Verbo: at ſi dicant, humanitatem non prius natura extitiſſe, quàm Verbo fuerit vnita, ruit hoc fundamentum, funditusq; eorum ſententia ſubuertitur; non enim ſaluant, quod intendūt, videlicet humanitatem, priuſquā aſſumeretur, fuiſſe actualem entitatem. Item ſic vrgeo, ſi doctiſſimus Sophronius dixiſſet duntaxat humanitatem vnam habere exiſtentiā in Verbo, aliquid apparentiæ ſolutioni præfatæ tribui poſſet, at non ſolum hoc dixit, ſed quod non in ſemetipſa, ſed in illo vnam exiſtentiam habet: excludit his verbis omnē aliam exiſtentiam ab humanitate, præter illam, quæ ipſi eſt communis cum Verbo, & in Verbo: ergo non eſt rationabilis illa ſolutio. Inferius adhuc preſſius, & vrgentius ex hoc teſtimonio cōtrariā ſententiā confutabo.

Sed iam ſecundò probatur eadem ſententia ex S. Leone Epiſt. 11. ita dicente: *Natura quippe noſtra non ita aſſumpta eſt, vt prius creata, poſt aſſumeretur, ſed vt ipſamet aſſumptione crearetur*. Quid clarius pro hac veritate dici potuit? Nam ex his verbis conſtat, quod creatio. i. productio humanitatis Chriſti, aſſumptionem præſuppoſuit: ergo Chriſti humanitas nullum accipit eſſe, niſi dependēter ab aſſumptione. Ex quo rurſus colligitur, quod non propria, ſed exiſtentia Verbi exiſtit: nam totum eſſe, quod ex vi aſſumptionis humanitati competit, eſt ipſum eſſe Verbi. Dices S. Leonem nihil aliud intendere prædictis verbis, quā quod humanitas non prius tempore extitit creata, quàm fuerit à Verbo aſſumpta: admitto libenter, hanc fuiſſe præcipuam S. Leonis mentem, ſed quod de Sophronio dicebam, nunc de Leone doctiſſimo dico, nempe, quod ad intentum præcipuum probandum, aſſumpſit doctrinam, & rationem communiorem, & magis generalem, nimirum quod creatio humanitatis in ſuo termino, & in facto eſſe ab aſſumptione depēdentiam habuit, quod nos ſupra q. 5. a. 3. dub. 3. in ſolut. ad 2. adhibito quodam exemplo vberius expoſuimus: hoc enim manifeſtè denotant illa Leonis verba, niſi à proprio ſenſu diſtrahātur, ſcilicet *vt aſſumptione crearetur*, puta humanitas: non dixit, in aſſumptione, ſed aſſumptione, vt denotaret creationis dependentiā ab ipſa aſſumptione. Expendantur etiam illa verba, *vt prius creata*: ſenſum enim formalem reddunt iſtum, ſcilicet, quod non fuit aſſumpta vt præexiſtens ſecundum exiſtentiam propriam per creationem acceptam. Ego planè neſcio, quibus verbis potuit S. Leo. ſententiam iſtam apertius exprimere. Eiſdem ferè verbis vſus fuit Fulgentius lib. de Incarn. c. 3. quæ paulò poſt referemus. Hanc denique ſententiam docuit expreſsè Damaſcen. lib. 3. cap. 22.

Sed iam rationibus agamus, ſitque prima ratio: Si humanitas Chriſti propria exiſtentia, & ſibi connaturali exiſtit, ſequitur, quod B. Virgo non eſt formaliter appellāda Dei genitrix, & Mater. Conſequēs eſt hæreſis in Concil. Epheſ. 1. can. 1. & can. 13. & in Conc. 2. & 3. Conſtan. quę 5. & 6. generalia dicuntur, & in Conc. Lateran. 1. De qua re legatur S. Th. 3. p. q. 35. a. 4. & 5. ergo contraria ſententia non tam contentit fidei, & ſacro Incarnationis myſterio, atque S. Thom. doctrinæ, quam in noſtra concluſione propoſuimus.

Probatur ſequela. Tota Chriſti humanitas ſecundum animam, & ſecundum corpus præextitit aſſumptioni, ita quod anima prius natura fuit creata, & tota humanitas prius natura fuit concepta, quàm aſſumeretur à Verbo: & hoc totum concedunt authores cōtrariæ ſententiæ, vt tueantur humanitatē priuſquā aſſumeretur à Verbo, veram, & actualē fuiſſe entitatem, actualeq; aſſumptionis extremum: ergo prius natura, quā Deus eſſet homo, & homo Deus, peractū fuit, & abſolutum totū officium, & Dei creantis animam, & B. Virginis totam humanitatem concipientis, & generātis. Probatur euidenter hęc conſequentia, quoniam totū officium maternum à B. Virgine in Chriſti generatione exhibitū non attingit aſſumptionem humanitatis cum Verbo, hoc enim non ad Virginem generantem, ſed ad Deum mirabilia operantem attinuit, ſed totum eius officium ſubſtitit in productione humanitatis, quæ vera idcirco fuit generatio, quia ipſam humanitatem produxit tali productione, quæ niſi diuina præueniretur actione,

huma-

humanum etiam efficeret ſuppoſitum: ſed tota productio humanitatis fuit abſoluta, & conſummata ante aſſumptionem, eo quod humanitas habuit totũ eſſe, & eſſentiæ, & exiſtentiæ ſibi debitum in ratione humanitatis, priuſquàm aſſumeretur à Verbo: ergo antequam humanitas aſſumeretur à Verbo, ceſſauit tota humanę generationis actio: ſed tunc neque erat Deus, neque Chriſtus, ſed humanitas: ergo beatiſſima Virgo humanitatẽ genuit, non Chriſtum, neque ſua actione ipſum Chriſtum attigit. Confirmatur, ſi fingamus per aliquod temporis inſtans humanitatem à B. Virgine productam extitiſſe abſque aliquo ſuppoſito, ſed propria humanitatis exiſtentia terminatam, nullatenus dici poſſet Beatiſſimã Virginem genuiſſe Chriſtum, & Deum, ſed eius dũtaxat humanitatem: ſed idem prorſus eſt, quod præcedat vel duratione temporis, vel ordine naturæ: ergo ex illa ſententia prædictum ſequitur inconueniens. Probo minorem. Suppoſito, quod prius naturæ ordine fuit conſummata humanitatis generatio, quam ipſa humanitas aſſumeretur à Verbo, per accidens fuit eiuſdem humanitatis generationi, quod humanitas in eodem inſtanti, vel in tempore poſtea ſequenti à Verbo aſſumeretur. Ergo non magis Beata Virgo poteſt nunc Dei Mater appellari, quàm vocaretur in illo caſu conficto, videlicet, ſi non in eodem inſtanti, ſed in tempore ſequenti Verbum humanitatem aſſumeret.

Si dixeris, quod ſi in illomet inſtanti, Verbum nõ aſſumpſiſſet humanitatem, actio Beatiſs. Virginis, qua concurrit ad generationem Chriſti terminatur ad proprium ſuppoſitum eiuſdem humanitatis, ab aſſumptione autem quaſi impedita fuit eius actio, & humanitas non proprium, ſed altius ſuppoſitum fuit adepta, nimirum ipſum Verbi ſuppoſitum bene hæc ſe habent: ſed quid obſecro ad argumenti facti ſolutionem conferunt? Ex his enim nihil habemus aliud, quam quod impedita fuit actio generatiua B. Virginis, ne proprium terminum vltimũ, humanum ſcilicet ſuppoſitum attingeret, non vero quod ipſa ſua actione, quid amplius effecerit, quam humanitatem præexiſtentem aſſumptioni, & in illo conficto caſu etiam ſupponimus, quod impediretur Virginis actio ne ad ſuppoſitum humanum perueniret: hoc ergo impertinens eſt ad veram generationis Chriſti ſaluandam, neque vero quidquam refert aſſerere, quod Virgo ſanctiſs. non actiuitatem aliã habuit in Chriſti generatione, quã miniſtrare, & præparare materiam. De qua re alibi eſt tractandum. Non inquam, hoc refert: nam ſiue hanc ſolam, ſiue aliam etiam actiuitatem habuerit, neceſſũ eſt, quod circa Verbum, imo & in Verbo, habuerit eam, nam ſi circa ſolam humanitatem Virgo Beat. officium genitricis exercuit, qua proprietate poteſt cõcedi, quod Chriſtus conceptus eſt ex Maria Virgine, & quod Maria Virgo concepit Chriſtum, & ipſum Deum genuit? Expendat Theologus hoc argumentum, & ſolutionem eius probabilem quærat. Ego enim non inuenio, ſed euaſiones quaſdam friuolas, quas conſulto propter grandem earum inſufficientiam prætermitto, & abſq; vlla dubitatione exiſtimo, Sophr. & Fulgent. loc. cit. intellexiſſe hoc eſſe neceſſarium ad ſaluandum hanc veritatem, quod B. Virgo, verè, propriè, & formaliter genuit Deum.

Legantur attentè verba Sophronij, & eorum cõſequentia, & apparebit quam ſit verum id quod diximus. Inter alia hæc dicit Sophronius. *Simul quippe caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei Verbo caro animata rationalis, ſimul Dei Verbo caro animata rationalis. In illo itaque, & non in ſemetipſa habuit exiſtentiam vnam.* Et paucis interiectis, quæ à propoſito non diuertunt, ſubiunxit. *Ex inuiolabili namque, & virginali ſanguine ſanctæ atque immaculatæ Virginis Mariæ Verbum verè factum eſt incarnatum, & veraciter homo, &c.* Et paulo poſt addidit. *Naſcitur Deus homo humana corpore ſimiliterq; & habitu animam rationalem, & incorpoream habens, quod ipſe in ſemetipſo, & nequaquam aliter rationali animauit ſpiritu, & Virginem generantem conſeruauit, & theotocon, id eſt Dei genitricem eam propriè, & veraciter demonſtrauit.* Omnia hæc verba ſunt ponderanda, ſed hæc vltima præcipue, ſcilicet quod *ipſe in ſemetipſo rationali animauit ſpiritu*, &c. quibus verbis conſtat, ſacrũ Chriſti corpus in ipſomet Verbo fuiſſe anima rationali animatum. Hanc enim vim habent illa verba, *In ſemetipſo*, id eſt, non priuſquam aſſumeretur, ſed in aſſumptione humanam effecit carnem, & rationali ſpiritu animauit. Et hinc mox Sophronius intulit B. Virginem propriè, & veraciter Dei genitricem fuiſſe vocatam. Intelligens planè impropriè Dei genitricem appellandam fore, ſi humanitatis generatio, & productio, nõ in ipſo Verbo facta fuiſſet. At ſine dubio non caro Chriſti in Verbo animata, ſi verum eſt, quod dicunt auctores contrarij, ſcilicet humanitatem priuſquam aſſumeretur creatam, ſeu productam propria exiſtentia ſubſtantiali extitiſſe, nam tunc infra Verbum, & extra Verbum animatio fieri debuit: ſiue prius tempore, ſiue prius natura hoc contingeret, nam hoc eſt per accidens, & illud per ſe, & neceſſario eſt requiſitũ, quod Chriſti caro non niſi in Verbo fuerit animata, neque extra Verbum fuerit caro animata rationalis: imo, neque fuerit caro ſimpliciter, nã *ſimul*, inquit Sophronius, *caro*, & *ſimul*, inquit, *Dei caro*, & non de ſola temporis ſimultate, ſed de ſimultate omnimoda, etiam ſecundum naturæ ordinẽ loqui Sophronium ex verbis citatis, & ponderatis eſt manifeſtum, neque aliud intellexit Fulgentius iam citatus cum dixit, *Acceptio carnis fuit conceptio virginalis.* Acceptio carnis, idẽ pollet, quod aſſumptio carnis, vt ex contextu liquet, & in eodem formaliſſimo, & punctualiſſimo ſenſu loquutus fuit S. Leo cum dixit, *Chriſti humanitatem aſſumptione fuiſſe creatam*, creationis nomine comprehendit, & animæ creationem, & totius humanitatis generationem.

Non poſſum non fateri, hoc argumentum apud me adeo eſſe magni põderis, vt niſi authoritas Theologorum, qui contrarium dixerunt, quæ magna eſt, & grauis, me in debito modeſtiæ officio contineret: contrariam noſtræ concluſionis ſententiã, & improbabilem, & parum fidei cõſentaneam cenſerem, ſed neque licet, neque libet tãto rigore vti, vnde ſat fuerit dixiſſe noſtram ſententiam (ſeu vt dicam verius) S. Th. eſſe valdè probabilem, & quamplurimum Fidei Catholicæ conſentaneam, an vero maiori digna ſit certitudinis qualitate, & contraria ſententia acerbiorem mereatur cenſuram: aliorum eſto iudicium.

Secunda ratio. Fieri potuit ſecundum abſolutam

Dei

Dei potentiam, quod humanitas exiſteret non propria, ſed Verbi tantum exiſtentia: ergo credendum eſt ita de facto contingiſſe. Patet conſequentia, quia ex hoc qnod humanitas exiſtat per exiſtentiã Verbi, quamplurimum ipſa humanitas dignificatur: ac proinde Chriſtus inquantum homo, imo & tota ipſa natura humana per Chriſtum reparabilis in ſuo capite Chriſto præclaram indueret excellentiam, ergo valdè rationabile eſt credere, ita factum eſſe, ſi fieri potuit, nam credibile eſt, imo oppoſitũ nulla ratione eſt credendum, voluiſſe Deum in hoc myſterio naturam humanam miris modis dignificare, & extollere: & quod in ipſa ſummo modo poſſibili habitaret omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Antecedẽs vero probatur, exiſtẽtia non eſt eſſentialis perfectio naturæ creatæ: ſed terminus quidam complẽs, & terminans ipſam naturam, ſicut perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia: ergo ſicut potuit Verbum vicem ſubſiſteotiæ creatæ ſupplere per ſuam increatam ſubſiſtentiam, potuit etiam ſupplere vicem exiſtentiæ humanæ per increatam, & infinitam exiſtentiam.

Tertia ratio. Ex contraria ſententia ſequuntur aliquot inconuenientia, quæ non videntur benè cõſentire cum doctrina ſana, & cum modo loquẽdi Conciliorum, & Patrum: ergo falſa ſententia eſt, & lõgè probabilior eſt S. Th. doctrina. Probo antecedens. Sequitur ex illa ſententia debere concedi, quod in Chriſto eſt duplex eſſe, creatum ſcilicet, & increatũ: atque adeo quod Chriſtus non ſit vnus ſimpliciter, ſed duo, vt optimè deducit S. Th. 3. p. q. 17. ar. 2. in toto articulo, ſed pręſertim in argumento. Sed contra, hoc autem vltimũ, qui aſſereret, erraret in fide: eſſet enim hęreticum dicere, Chriſtum non eſſe vnũ ſimpliciter. Ad huius primi incõuenientis exactam comprobationem recurrat diligens lector ad illam rationem pro concluſione prima informatam, quæ innititur illi vulgato principio, nimirum, quod ex duobus entibus in actu nõ poteſt fieri vnum ens per ſe. Et ex omnibus, quæ in huius principij corroborationem ibidem diximus, inferat Chriſtum non eſſe ſimpliciter vnum, ſi in eo conſtituatur duplex eſſe exiſtentiæ.

Sequitur ſecundò ex eadem ſententia concedendum eſſe, Chriſti humanitatem non exiſtere in Verbo, ſed in ſemetipſa. Theologus qui cõſequeos iſtud concederet, audaciſſimus haberetur ab his, qui de ſana doctrioa pro dignitate cenſent; qua enim ratione concedi debet, hominem ſimpliciter eſſe Deum, ac Deum ſimpliciter eſſe hominem, ſi abſolutè concedimus humanitatem non in Deo, ſed in ſeipſa exiſtere? ergo, &c. Authores contrarij cum ſint verè docti, & ſanæ doctrinæ valde affecti, iſtud cõſequens non admittunt. Sed ego illud manifeſtè probo, humaoitas non exiſtit exiſtentia Verbi, ergo noo exiſtit in Verbo; nam quid eſt exiſtere in aliquo, quàm exiſtere per exiſtentiã eius, & dependenter ab eius eſſe? Dicunt prædicti Theologi, qnod exiſtentia humanitatis habet modum inexiſtentiæ in Chriſto, & ita ſubordinatur exiſtentiæ diuinæ, ab ipſaque quodammodo actuatur: & ita humanitas tandem exiſtit per ipſam Verbi exiſteotiam.

Sed hæc ſolutio impugnatur efficaciſſimè ex his, quæ diximus circa primã concluſionem, quibus probauimus exiſtentiam minimè poſſe inexiſtentiæ rationem ſubire: vnde omnia, quæ ad hoc propoſitum ibi diximus, huic loco ſunt accommodanda, ad probandum quod contraria ſententia ſuppoſita conſequenter debeat concedi, Chriſti humanitatem non in Verbo, ſed in ſemetipſa exiſtere.

Denique pro iſta concluſione legatur S. Thom. loco proximè citato, & expendatur ratio ab ipſo ibidem expoſita, quę huic innititur principio, videlicet, eſſe exiſtentiæ non ad naturam immediatè, ſed ad ſuppoſitum pertinere. Quæ propoſitio magnum habet in philoſophia fundamentum; concedunt enim peritiores Philoſophi, & Theologi ſubſtantialem naturam neque eſſe, neque operari poſſe, niſi in ſuppoſito terminatam, & completam: ergo conſequenter dicere tenentur, quod natura (miraculis ſecluſis) non eſt capax exiſtentiæ, niſi præintelligatur terminata, & completa in ſuppoſito.

Et confirmo. Sequitur ex contraria ſententia, quod natura priuſquàm ſit in ſuppoſito terminata, & completa poſſit operari, imo & de facto operetur operationes inſtantaneas, quæ ſequuntur neceſſariò ad ipſas formas naturales. Probatur. Subiectum quod eſt capax exiſtẽtiæ, poteſt eſſe operationis principium, ſecundum quod eſt exiſtentiæ capax, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad operari: ergo cum nullus mediocriter doctus dixerit vnquam, naturam prout anteuertit ſuppoſitalem terminationẽ, eſſe principium operandi: fatendum eſt conſequenter naturam non eſſe immediatum exiſtentiæ ſuſceptiuum, ſed exiſtentiam ad ſuppoſitum, vt ad immediatum, & proximum ſubiectum eſſe referendam. Aduertat Theologus Thomiſticæ doctrinæ bene affectus, quod Doctor Sanctus in hoc 2. ar. q. 17. 3. p. retractaſſe ſententiam, quam docuerat in quæſt. de vnion. Verb. art. 4. ibi enim ſententiam ſecundo loco à nobis propoſitam docuiſſe videtur, ſed in hoc 2. art. adeo apertè contrariam docuit, vt cœcus ſit qui non videat, & imponit S. Thom. crimen magnum, qui eum facit oppoſitæ opinationis authorem.

§. 6. Tertia concluſio.

POſſibile fuit ſecũdum abſolutam Dei potentiam, quod diuinum Verbum aſſumeret humanitatẽ exiſtentem per propriam, & ſibi connaturalem exiſtentiam. Hanc concluſionem intelligo in hoc ſenſu, quod humanitas aſſumpta retineret hãc naturalem exiſtentiam, ita quod ſubſiſtentiam tantum à Verbo ſuſciperet. Negant hanc concluſionem oonnulli S. Thomæ interpretes, quamuis noo omnes propter eandem rationem; quidam enim idcirco negant hãc concluſionem, quia exiſtimant non eſſe poſſibile, quod humanitas exiſtat, niſi prius ſit completa, & terminata aliqua perſonalitate, & ſubſiſtentia, ſiue creata, & propria, ſiue increata, & diuina: arbitrantur enim hi Theologi, quod ſicut inter potẽtiam viſiuam, & viſionem eſt intrinſeca, & eſſentialis habitudo, ſic adeo quod viſio in nulla potentia alia recipi poteſt, ita inter ſuppoſitum, & exiſtentiam intrinſeca, & eſſentialis eſt habitudo: vnde cenſent ſuppoſitum eſſe vnicum, & ſolum exiſtentiæ ſuſceptiuum.

Alij verò alia ratione mouentur, videlicet, quia non eſt factibile vt Verbum communicet ſubſiſtentiam

Digitized by Google

tiam humanitati, non communicando ei ſuam diuinam exiſtentiam.

Alij vero alia ratione mouentur, videlicet quia nõ eſt factibile, vt Verbum communicet ſubſiſtentiam humsnitati, non communicando ei ſuam diuinam exiſtentiam.

Alij denique Theologi eo mouentur, quia exiſtẽtia eſt vltimus terminus, vltimumque naturæ cõplementum, præſertim ſecundum S. Th. doctrinam, nã Scot. & alij quos pro ſecũda opinione ſuperius circa principiũ huius dubitationis citauimus, non exiſtentiam, ſed ſubſiſtentiam dicunt vltimum eſse naturæ terminum, vnde colligitur, quod ſi humanitas per abſolutam Dei potentiam ab omni ſuppoſito ſeparata exiſteret: exiſtentia conſtitueret illam vltimo complemento terminatam: atque adeo redderet incommunicabilem, interminabilem, & inaſsumptibilem, & confirmant: ſubſiſtentia idcirco reddit naturam omnino incommunicabilem, & inaſsumptibilem, quia eſt terminus totaliter, complens, & terminans ipſam naturam, ergo ſi exiſtentia eſt vltimus naturæ terminus, vltimumque eius complemẽtum, formaliter conſtituit naturam plenè terminatam, atque adeo interminabilem, & inaſſumptibilem à Verbo.

Sed his omnibus non obſtantibus, noſtra tertia cõcluſio nobis probabilior apparet. Et primo, quod humanitas capax ſit immediatè exiſtentiæ, nec ne, ad verificandam noſtram concluſionem non admodum refert, quoniam in concluſione conditionatim loquimur, ſi daretur humanitas ita exiſtens.

Sed præterea exiſtimo ſatis eſſe probabile, non tam intrinſecam habitudinem inter ſuppoſitum, & exiſtentiam reperiri, atque eſt inter potentiam viſiuam, & viſionem: viſio enim cum ſit actus vitalis, formalem importat habitudinem ad viſiuam potentiã, à qua vitaliter elicitur: quæ ratio inter ſuppoſitum, & exiſtentiam locum non habet: eſt quidem habitudo ſecundum ordinem naturæ proportionata, & neceſſario ſeruanda: eo quod natura quandiu non eſt per ſubſiſtentiam terminata, incompleta eſt, & imperfectum habet ſtatum. Et ex conſequenti non ſatis eſt proportionata ad ſuſcipiendum exiſtentię actum, qui eſt omnium actuum perfectiſſimus, poſtulatque proinde ſuſceptiuum perfectum, & completum; ſed tamen infinita Dei omnipotentia fieri poteſt, vt hic ordo mutetur, quia ſolum ſumitur ex ratione debitæ proportionis, ex parte ſubiecti pręſupponendi, poteritque diuina omnipotentia fieri, vt exiſtentia immediatè in ipſa ſuſcipiatur ſubſtantiali natura. Et quidem ſi anima rationalis, quæ neque ſuppoſitum eſt, neque completa natura, ſed ſubſtãtialis naturæ pars, abſque miraculo, imo ſecundum ipſas naturæ leges capax eſt exiſtentiæ ſuſcipiendæ: quare integra, & totalis natura, humanitas ſcilicet à ſuppoſito ſeparata non poterit miraculosè per exiſtentiam terminari, & actu extra ſuas cauſas conſtitui?

Hoc ergo ſuppoſito, probatur concluſio. Humanitas ſic exiſtens, terminabilis manet, & complebilis per ſubſiſtentiam perſonalem: ergo quid impedit quominus terminetur, & compleatur per diuinam Verbi ſubſiſtentiam. Siquidem exiſtentia auferret ab humanitate dependentiã, quam habet à propria perſonalitate, ſuppleretq; vicẽ perſonalitatis, cõplendo illam naturæ dependẽtiam, quam habet à ſuppoſito: libentiſſimè ego faterer, quod redderet humanitatẽ vlterius interminabilẽ, atque adeo inaſsũptibilem; cum tamẽ relinquat in humanitate dependentiã naturalem, quam habet à ſuppoſito, neceſſum eſt illam vlterius terminabilem, & complebilẽ eſſe fateamur: & ex conſequenti cum ex parte diuinæ ſubſiſtentiæ nihil deſit, quominus poſſit illam naturę dependentiã complere, & terminare, rationabile eſt dicamus, illud eſſe poſſibile; vel quod oſtendamus repugnantiam, quæ ex parte ipſius creatæ naturæ reperitur.

Secundo probatur iſta ſententia. Bene intelligitur poſse Deum cõmunicare ſubſiſtentiam, & nõ exiſtentiam: ergo intelligi quoque valet cõmunicatio ſubſiſtentiæ perſonalis in humanitate per exiſtentiã creatam præexiſtentẽ. Antecedens probatur, cõmunicatio ſubſiſtentiæ præcedit naturæ ordine exiſtentiæ communicationem, ſecundum S. Th. doctrinã in cit. q. 17. ergo cum prius non pendeat neceſsariò à poſteriori, ſaltem ſecundum abſolutã Dei potentiam commodè poſsumus intelligere, quod diuinum Verbum ſuam illi præexiſtẽti humanitati communicaret ſubſiſtentiam, non communicando ei exiſtentiam.

Ex his motiua contrariæ opinionis abſque difficultate manent ſoluta, ſi legantur hæc attentè. Ad tertiũ motiuum ſpecialiter dicimus, quod exiſtentia eſt vltimus terminus, vltimumq; complementum naturæ, ſecundum S. Th. in hoc ſenſu, quod ex naturę ordine pręſupponit naturam completam, & terminatam in ſuppoſito: non autẽ quod ipſa exiſtentia ſubſtantialẽ naturã compleat, & terminet; hoc enim officium eſt ſubſiſtentiæ, & non exiſtentię, nam exiſtentia nullum aliud complemẽtum præſtat, quàm ipſam naturam, & omnia quæ ad eam pertinent, conſtituere ſimpliciter in actu extra ſuas cauſas. Vnde ſi fingamus humanitatem exiſtere ab omni ſeparata ſuppoſito, dicere conſequenter debemus, eam non eſſe plenè terminatam, & completam: atque adeo permanere terminabilem per ſubſiſtentiam diuinam.

Poſset hæc ſolutio, & doctrina iuuari ex eo quod exiſtere diuinum, quod participatur in exiſtentia creata, non reddit diuinam naturam incommunicabilem, communicatur enim exiſtens deitas tribus diuinis perſonis: ergo creata exiſtentia ex propria exiſtentię ratione, nequit reddere naturam creatam incõmunicabilem ſuppoſitaliter: nam ſi hoc non competit exiſtentiæ diuinæ, quæ eſt perfectiſſima in ratione exiſtentiæ, non eſt cur competat exiſtentię creatæ, ſecundum propriam exiſtentiæ rationem, ſed neceſsum eſt illi cõueniat, prout coniungitur cum perſonali, ſeu ſuppoſitali exiſtentia.

Sed obſeruandum eſt, quod aſsumptio humanitatis ad Verbum in tali caſu alterius eſſet rationis, ab aſsumptione, quæ de facto contigit: quod eſt manifeſtum, cum illa aſsumptio in ſola ſubſiſtentiæ communicatione ſiſteret, ea autem quam de facto veneramur, & credimus, ad cõmunicationem etiam exiſtentię pertingit. Et præterea illa data hypotheſi, ego nullatenus concederem, quod humanitas exiſteret per exiſtentiam Verbi: & quod propria humanitatis exiſtentia, haberet inexiſtentiæ modum, vt concedũt ſecundæ ſententiæ authores de facto cõtingere; nam talis inexiſtentiæ modus non eſt explicabilis, neque intelligibilis, neque verò ſubſtãtialis exiſtentia capax

eſt

eſt vlterioris actualitatis in ratione exiſtentiæ; atque adeo nequit actuari, & terminari per exiſtentiam diuinā: quocirca in illo caſu humanitas ſubſiſteret quidem ſubſiſtentia diuina, exiſteret tamen duntaxat per exiſtentiam humanam: nec eſſet concedendum ſimpliciter, quod in illo homine eſſet vnicum tantū eſſe, ſicut S. Th. concedit de Chriſto, ſed diſtinctione vtendum foret, nimirum, quod haberet vnum eſſe perſonale, duplex autem eſſe exiſtentiæ: vnde non eſſet tanta vnitas in illo homine Deo, quanta nunc reperitur in Chriſto.

§. 7. *Soluuntur argumenta initio diſputationis propoſita.*

ARgumenta à principio huius dubitationis formata peculiaribus indigent ſolutionibus, quæ magna ex parte deſumi poterunt ex doctrina circa concluſiones primam, & ſecundam tradita.

Vnde ad primum argumentum reſpondetur, concedendo ſingularitatem humanitatis in Chriſto diſtinctam eſſe à ſingularitate Verbi: nego tamen, humanitatem conſtitui ſingularem per exiſtentiam; exiſtentia enim nō pertinet ad indiuiduationis principium, niſi forſan extrinſecè, vt putauit Capreolus, id eſt, quod ordo ad exiſtētiam, & non ipſa exiſtentia ſingularitatē naturæ, & indiuiduationem conſtituit. De principio indiuiduationis non vacat in præſentia diſputare. Diſputant Caiet. & alij S. Tho. interpret. de hac re ſatis copioſè 3. par. q. 4. & 1. p. q. 3. Verior ſententia in hac parte mihi apparet, quod materia prout radicaliter præhabet quantitatem, primum eſt indiuiduationis principium. Sed de huius ſententiæ intelligentia, & de principio indiuiduationis, nullum aliud hic verbum addam, vocat enim me huius operis exitus, quem attingere feſtino.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quod ſingularitas, quæ præintellecta fuit in humanitate ad aſſumptionem hypoſtaticam, non ex aliqua prouen ebat exiſtentia, ſed ex prædicto indiuiduationis principio.

Ad ſecundam confirmationem dicitur, quod humanitas à Verbo ſeparata, eādem quidem retineret ſingularitatem, quam nunc habet vnita: non tamen eandem conſeruaret exiſtentiam, ſed continuò in ea inſurgeret propria, & ipſi connaturalis exiſtentia, oriretur que ad modum ſimplicis reſultantiæ ex vi actionis, quà humanitas fuit à B. Virgine concepta, ſimulque ex vi creationis, quā Chriſti anima fuit à Deo creata: quę actiones per hypoſtaticam vnionem fuerūt quaſi impeditæ, ne ad hunc pertingerent terminum; quo impedimento ſublato, continuò humanitas ſe explicaret in propriam exiſtentiam (voco impedimentum, vt clariori verbo vtar, ſed reipſa potius ibi fuit excellens beneficium humanitati collatum, quàm aliquod appoſitum impedimentum.) Et quamuis illo caſu admiſſo, ſepararetur à Chriſti humanitate illa exiſtentia, per quā nunc exiſtit, puta exiſtentia Verbi: nō tamen ipſa humanitas corrumperetur, aut deſtrueretur, eo quod in eodem inſtanti ſeparationis exiſtētię Verbi, reſultaret propria ipſius humanitatis exiſtentia: itaque primum non eſſe exiſtentiæ Verbi in humanitate, eſſet primum eſſe exiſtentiæ naturalis in humanitate eadem.

Iuxta modum, quo Peripatetici philoſophantur de materia prima, ad quam fit in ſubſtantiali generatione reſolutio; neque authores contrariæ ſententiæ, etiam ſi in materia prima partialem exiſtentiam commententur, poſſunt ab hac ſolutione recedere: quoniam niſi improbabiliter protſus loquantur, fateri tenentur materiam primam abſque miraculo non poſſe per ſolam illam exiſtētiam partialiter exiſtere, ſed quod neceſſariò pēdet à forma, & ab actuali eius exiſtentia, vt actu extra ſuas cauſas exiſtat. Qua ſuppoſita ſententia, vt ſuſtineant eandem materiam primam, quæ in corruptio fuit, ingenito permanere, (quod eſt omni dubio procul certiſſimum) neceſſum habent ad ſolutionem à nobis aſſignatam recurrere. Niſi fortaſſis cum Scot. dixerint, coæuam eſſe materiæ ſubſtantialem corporeitatis formam.

Ad ſolutionem ſecundi argumenti illud præmittendum eſſe cenſeo, quod inter cauſam efficientem ex vno extremo, & alias cauſas ex alio, hoc differt, (alijs differentijs prætermiſſis) quod cauſa efficiens debet præcedere ſuum effectum ordine naturæ, ſecūdum actualem exiſtentiam, ita quod prius exiſtat cauſa, quàm eius effectus. In alijs verò cauſis non eſt neceſſaria præexiſtentia cauſæ ad effectum, ſed ſatis fuerit, quod præintelligantur ſecundum verum eſſe eſſentiale. Ad huius rei exactam aſſignandam rationem præſupponendum eſt ex Ariſt. in cap. de priori, quod *in his, quæ ſunt ſimul tempore, naturæ prioritas ſolum attenditur ſecundum cauſalitatis exigentiam*, ita quod cauſa ea ſola ratione prior ſit ſuo effectu, quæ neceſſaria eſt ex parte ipſius cauſæ ad inducendum effectum: in alijs autem omnibus cauſa, & effectus omnimodam habeant ſimultatem. Quo ſuppoſito, ad propoſitum dico, quod cum cauſa efficiens producat effectum à ſeipſa realiter diſtinctum, neceſſum eſt vt prius in ſemetipſa virtute, & in actu primo effectum præhabeat, quàm ipſum extra ſe efficiat: præhabere autem hoc modo effectum, minimè poteſt efficiens cauſa, niſi & ipſa actu præexiſtat, vt iam ſuperius dicebamus.

Cauſa verò formalis, & materialis (nam de finali non eſt locus hic dicendi) non cauſant effectum totaliter à ſeipſis diſtinctum, ita vt ſit neceſſe præhabere illum in actuali virtute, ſed cauſant ſeipſis intrando compoſitionem rei, in qua re ipſæmet cauſæ permanent in ſua perfectione, in ſuoque complemento cōſtitutæ, & compoſitum ex his partialibus cauſis reſultans, ab ipſis quidem pendet in ſuo toto eſſe ſubſtantiali, & eſſentiali: non enim ſubſtantiale eſſe compoſiti eſt aliud ſecundum rem, quàm ipſæ coniunctæ partes, etſi totum formalitatem quandam ſupra partes importet, non autem pendet formaliter à partibus in ſua exiſtentia, ſed potius è contra, partium inexiſtentia pendet à toto compoſito, quod ex parte admittunt etiam aduerſarij, quoniam fatentur, totum habere propriam exiſtentiam, per quam exiſtit, & dicunt, totum non exiſtere formaliter per exiſtentiam partium, ſed potius partes in actualitate exiſtendi pendere ab exiſtentia totius, ſic adeo quod ſublata exiſtentia totius, partes actu exiſtere nequeunt, vno excepto homine, cuius anima eſt immortalis.

Nos vero amplius, quid dicimus, etſi proportionabiliter ad iſta. Dicimus enim, quod vt partes cau-

Digitized by Google

ſent totum, neceſſum quidem eſt, vt in eodem inſtāti in quo illud cauſant, exiſtant, nam ſine exiſtētia, nulla cauſalitas eſſe poteſt, ſed tamen quia non cauſant quatenus exiſtunt, quia in exiſtentia ipſæ pendent à toto compoſito, & non econuerſo, ſed quatenus ſunt entitates ſubſtantiales, ex quibus conſurgit tota ſubſtantialitas, & eſſentia totius: idcirco non prius natura exiſtunt, quam componāt totum, & ipſum cauſent; præintelliguntur tamen ſecundum veram entitatem ſubſtantialem, in qua totum compoſitum ab ipſis pendet.

Dices. Niſi materia, & forma præintelligātur exiſtentes, non præintelliguntur in aliqua actualitate, quia prima actualitas eſt ipſa exiſtentia: ergo non præintelliguntur in ratione ſufficienti ad cauſandū; cauſare enim, aliquam in ipſa cauſa actualitatē importat, imo & præſupponit: nam cū cauſare ſit actualitas quædam, ſupponat neceſſe eſt primam actualitatem, quæ eſt exiſtentia.

Ad hoc argumentum, in quo punctus difficultatis huius conſiſtit, reſpondeo, quod idcirco iſtud argumentū tam difficile viſum eſt contrarijs auctoribus, quia perſuaſum habuerunt, ſolam exiſtentiam eſſe actualitatem, & formalitatē entis, ex quo principio optima conſequutione deduxerunt, quod non poteſt haberi conceptus alicuius entitatis, ſecundum eſſe actuale eius, & formale, in quo nō formaliter includatur actualis exiſtentia: nos autem ſufficienter, ni fallimur, probatum relinquimus iſtud principium falſum eſſe, vnde conſentaneè ad ea, quæ diximus, reſpondeo huic argumento exiſtentiam conditionē quidem eſſe neceſſariam per modum termini, vt ens quodcunque entitatem habeat actualem. Cæterum hac conditione exiſtentiæ actualis extante, quælibet res ex ſua ſpecifica forma actualem habet entitatem etiam in ratione entis, neque oportet, vt in cōceptu, in quo explicatur hæc rei actualitas, explicetur ipſa eius actualis exiſtētia, ſed ſatis ſuperque fuerit, quod realiter interueniat ipſa actualis rei exiſtentia, & quod vt plurimum inuoluatur in ipſo conceptu, vt requiſita conditio. Quo ſuppoſito, ad ſolutionem argumenti proprius accedens dico, quod vt præintelligātur partes in ratione cauſandi totum cum ſufficiēti actualitate ad cauſandum in ſuo genere, neceſſum eſt, vt in eodem inſtanti in quo cauſant, exiſtāt: non tamen eſt neceſſe, quod hæc exiſtendi actualitas explicetur in conceptu illo partium, quo præintelliguntur toti componendo, nam ipſamet eſſentialis ratio partium eſt vera actualitas, ſecundum quam partes præſupponuntur toti compoſito.

Sed dices: exiſtentia vt minimum eſt conditio neceſſaria, vt partes, & quælibet res actualitatē habeant entitatiuam; ergo niſi in cōceptu explicetur actualis exiſtentia, non concipietur res formaliter in ratione actualis entitatis: quia deeſt illi conceptui conditio ſine qua neque eſſe, neque intelligi poteſt entitatis actualitas.

Reſpondetur, quod ad actualitatem entitatiuam, ſecundum quod eſt in conceptione mentis, exiſtentia non eſt neceſſaria in actu, ſed tantū eſt neceſſe, quod res concipiatur, vt potens exiſtere, ita quod à conceptu actualis entis nequit excludi, eſſe: ſed non oportet, quod includatur vt actu terminans entitatem cōceptam, ſed quod ipſa entitas concipiatur per modū terminabilis per exiſtentiam. Hæc ſolutio ſufficit ad ſoluendum argumentum ſi tantū procedat de actualitate entitatis vt concepta: quoniam tunc concipitur vera entitas eſſentialis ſecundum actualitatē eſſentialem, quæ in genere entis eſt ſimpliciter actualitas, quando concipitur per modum entitatis aptæ natæ exiſtere: de qua re non eſt locus amplius dicendi, ſolent illam tractare Theologi cū de abſtractione intellectus differunt, & cum obiectum intellectus comparant voluntatis obiecto, vt ex obiectiua perfectione colligant vtra ſit perfectior potentia, intellectiua, an volitiua, reſoluuntque peritiores Thomiſtæ cum Caiet. 1. p. q. 82. ar. 3. quod obiectum intellectus eſt eſſentia ſeu quidditas rei, ſic adeo quod ipſa etiā exiſtentia pertinet ad obiectum intellectus, qua ratione eſt eſſentia quędam, & non prout exequitur exiſtentiæ officium, nam hac ratione ad voluntatis obiectū potius attinet, voluntas enim fertur ad res, vt exiſtūt actu extra ſuas cauſas. Legatur illo loco Caiet. & ad noſtrum nos redeamus intentum, aſſerendo, quod ipſa rei quidditas, & eſſentia eſt vera actualitas, ſi tamen cum ordine ad exiſtentiam concipiatur.

Maior autem difficultas eſt, ſi de actualitate entitatiua loquamur ſecūdum quod in cauſis, materiali, & formali fundat actualitatem cauſandi, de quo potiſſimum tota hæc argumētatio procedit, hoc enim non ad ordinem conceptionis, ſed ad realem executionem ſpectat, vnde ſicut omnis actualitas in conceptione intellectus poſtular habitudinem ad exiſtentiam, ita in executione poſita exigit ſaltem, vt neceſſariam conditionem actualem ipſam exiſtentiam, actuale exiſtentiæ officium exequentem, vnde cum concipitur res aliqua per modum actualis entitatis ad executionem attinentis, debet neceſſario intelligi, vt exiſtens.

Huic difficultati breuiter dico, ſatis ſuperque eſſe ad hanc actualitatem, quod in eodem inſtāti, in quo materia, & forma per ſuas entitates eſſentiales concurrunt ad conſtituendam eſſentiam compoſiti, actu exiſtant in rerum natura, nam cum earum actualitas, vt dixi, non conſiſtat formaliter in actuali exiſtētia, non eſt neceſſarium ad exercitium cauſalitatis harum cauſarum, quod actualis earū exiſtentia præſupponatur ordine naturę, ſed ſat fuerit, quod in ipſo actuali exercitio cauſalitatis eam habeant adiunctā, ſitque ſimul in eadem durationis menſura, & quidē ſi auctores contrariæ ſententiæ, vt par eſt, fatentur, quod partes in actuali exiſtentia pendent neceſſario ab exiſtentia totius, etiam ſi exiſtentijs partialibus exiſtant: eodem ferè modo debet ſoluere hoc argumentū, quod nos illud ſoluimus: neceſſum enim habent concedere, quod partes ſubſtantiales non prius natura exiſtunt, quàm exiſtat totum: aliàs enim falſo dicent, & irrationabiliter, quod partes in actuali exiſtentia pendent per ſe, & eſſentialiter ab exiſtentia totius. Ad argumentum ergo tandem dico, quod etiam ſi partes eſſentiales, ſcilicet materia, & forma intelligantur in ratione actualitatis ſecundum executionem realem cauſalitatis propriæ, non eſt neceſſe, quod concipiantur vt exiſtentes, ſed ſatis eſt, quod non intelligantur vt non exiſtentes, ita quod ex vi cognitionis relinquatur locus vt in eodem exiſtant inſtanti, eo quod exiſtentia non eſt neceſſaria ad cauſalitatem materiæ, & formæ per modum præ-

requi-

requiſitæ conditionis, ſed per modum cuiuſdam actualitatis concomitantis: totumque huius doctrinæ fundamentum eſt id, quod ſuppoſuimus, nempe, has partes eſſentiales non vt exiſtentes ad compoſitionem totius concurrere, neque ei conferre ſuas exiſtentias, ſed ſuas duntaxat eſſentias partiales, & proinde actualitas cauſalitatis materialis, & formalis ſolam præſupponit entitatem eſſentialem, requirit tamen vt conditionem neceſſariam actualitatem exiſtentiæ ſimul tempore concomitantem, & concurrentem.

Ex his omnibus, quæ tam latè diximus, facillimum erit ſecundum argumentum diluere. Dico enim, quod Chriſti humanitas præſupponitur ad vnionem cum Verbo, ad eum modum, quo diximus partes eſsentiales præſupponi ad compoſitionem, quæ præſuppoſitio ſufficientiſſima eſt, vt ipſa humanitas dicatur aſſumi, cum aſſumptio non ſit qualiſcunque, ſed ad ſuppoſitum, in quo humanitas aſſumpta acquirit eſſe, & in ſenſu, in quo partes dicuntur prius vnitæ, quàm exiſtant per exiſtentiam totius. Dicitur etiam humanitas prius aſſumpta ad eſſe perſonale Verbi, quàm exiſtat per eius exiſtentiam: prioritas autem partium ad totum, non ſecundum eſſe exiſtentiæ attenditur, ſed ſecundum eſſe duntaxat ſubſtantiale, & eſſentiale, vt ex dictis conſtat, & ſolam ſimultaneam, & concomitantem exiſtentiam poſtulat. Et poſſet addi his, quæ diximus, quod hæc ſimultanea actualis exiſtentiæ duratio inuoluitur in conceptu, quo partes præintelliguntur vt componentes, per modum neceſſariæ conditionis: quod & à principio ſolutionis argumenti huius inſinuauimus. Ex his ſupereſt ſoluta prima confirmatio; conſtat enim ex dictis, humanitatem fuiſſe præintellectam aſſumptioni in ratione actualis entitatis, non quidem vt actualiter exiſtentis, ſed vt entitatis formalis aptæ natæ conferre diuino Verbo, formalem denominationem humani ſuppoſiti. Hoc dictum eſt, quod attinet ad præconceptionem; nam ſi de exercitio actualis aſſumptionis loquamur, ſatis fuit actualis exiſtentia, quam habuit in ipſo aſſumptionis inſtanti, neque alia fuit prærequiſita, vt de partibus nunc nunc dicebamus, proportionabiliter enim de humanitate Chriſti loqui debemus ad ea quę de partibus diximus, imperfectionibus tamen ſemotis.

Secundæ cõfirmationi dicitur, quod cum res præintelligitur, vt apta nata exiſtere, non intelligitur vt purum nihil, ſed per modum verę, & formalis eſſentiæ: ex quo tamen non licet inferre, quod à parte rei ſit aliquid: non enim valet argumentatio à re, vt concepta, ad ipſammet, vt exiſtentem, quamuis ſi ad id de quo loquimur attendamus, etiam concedo quod in illo inſtanti in quo concipiebatur humanitas per modum entitatis aſſumendæ à Verbo, exiſtebat à parte rei, & aſſumebatur, & erat aſſumpta à Verbo: quia in inſtanti ſimul eſt fieri, & factum eſſe.

Ad tertij argumenti ſolutionem ſufficiunt, quæ dixi ſuperius q. 5. art. 3. dub. 2. illud tantũ ſuperaddendum duxi, quod terminus aſſumptionis, & terminus creationis, ſeu productionis humanæ naturæ, ratione differunt in iſto myſterio; aſſumptio enim per ſe primo non terminatur ad eſſe exiſtentię, ſed ad eſſe perſonale, ſeu quod eſt idem, ad eſſe ſubſiſtentiæ: creatio vero non eſſe perſonale reſpicit, ſed eſſe exiſtentiæ: eſt enim productio entis de non eſſe, ad eſſe: ſed licet hoc verum ſit de creatione, de productione tamen ſeu generatione qua B. Virgo Chriſtum genuit aliter eſt dicendum: generatio enim per ſe primo reſpicit formam, vt terminum, quo; reſpicit autem per ſe ſuppoſitum, vt terminum, quē; vnde terminus, qui, generationis factæ materno B. Virginis officio, ipſe fuit Chriſtus prout humanum ſuppoſitum: & licet ipſa ſacra Virgo ſua genitrice actione nullatenus effecerit aſſumptionem ſecundum aſſumptionis rationem, ipſam tamen humanitatem, quam verè effecit, communicauit Verbo, ideſt miniſtrauit Deo in eius aſſumptione, quatenus humanitas non habuit eſse niſi in ipſo Verbo, vt ſuperius ex grauiſſima Sophronij Hieroſolymitani Epiſtola referebam. Vnde beatiſſima Virgo verum habuit concurſum, vt Verbum humanum eſſet ſuppoſitum, & vt eſſet homo. Quo fit vt terminus generationis humanæ, Virginis miniſterio factæ, non fuit humanitas vt aſſumpta ſecundum formalitatem aſsumptionis, nam ſolum Verbum aſsumpſit ad ſe naturam, & tota Trinitas abſque vllo inſtrumento medio ipſam aſſumptionem effecit; fuit tamen ipſamet humanitas, vt in tali ſuppoſito conſtituta, vt autem Virginis actio attingeret humanitatem vt in tali ſuppoſito, habuit ex eo, quod ſimul cum eius actione concurrebat aſſumptio, imo prius naturæ ordine ex parte termini pręintelligimus aſsumptionem, nam quia Verbum aſsumpſit ad ſe humanitatem, idcirco actio generatiua Beatæ Virginis attigit humanitatem in tali ſuppoſito conſtitutam, & ibi ſuum applicuit concurſum. Et hoc eſt, quod non ſemel dicunt graues Auctores, Verbum Beatæ Virginis actione indutum fuiſse, & veſtitum carne noſtra. Et ob id ſumma cum formalitate concedunt Concilia, & Patres, Beatam Virginem Chriſtum, & Deum genuiſse, eſseque proinde appellandam verè, & propriè theotocon, ideſt Dei genitricem. Hæc autem omnia, quæ ad hanc fidei veritatem elucidandam tam apertè conducunt, ceſsarent penitus, ſi vera eſset ſententia contraria, quæ dicit humanitatem Chriſti, aſsumptioni præextitiſse: nam totum immaculatæ Virginis officium præſuppoſitum fuiſset ante aſsumptionem, & totaliter conſummatum, & abſolutum, & purè materialiter ipſa ſuo officio, & miniſterio concurreret, imo & omnino per accidens, vt ſuperius dicebam, ad hoc vt Verbum eſset caro, atque adeo minus propriè Chriſti, & Dei Genitrix diceretur. Ad exactam huius tertij argumenti ſolutionem, quam deſumat lector ex loco citato, expendantur omnino verba, quæ circa primam huius dubij concluſionem ex S. Leone retulimus, quibus dicit, Chriſti humanitatem aſsumptione fuiſse creatam: quibus verbis deſignat manifeſtè generationis Chriſti ab humanitatis aſsumptione dependentiam: quoniam creationis nomine, generationem humanitatis Chriſti doctiſsimus hic, & ſanctiſſimus Pater comprehendit.

Ad confirmationem reſpondetur, quod conſeruatio ſiue à Deo immediatè fiat, ſiue cauſarum ſecundarum miniſterio, non oportet quod ipſam exiſtentiam immediatè attingat, ſed ſatis fuerit, quod attingat diſpoſitiones, quæ ex parte naturæ conſeruandæ requiruntur, vt ipſa debitè ſit proportionata, &

Digitized by Google

diſpoſita vt in tali eſse conſeruetur. Itaq; proportionabiliter loqui poſsumus de conſeruatione humanitatis Chriſti, præſertim ſi de conſeruatione facta cauſis naturalibus ſermo fiat, atque loquebamur modo de actione generatiua B. Virginis, quæ non attigit formaliter vnionem humanitatis cum Verbo, ſed ipſam effecit proportionatam tali vnioni, ea proportione, quæ ex parte rationalis naturę potuit reperiri: & hoc non ſolum antecedenter ad vnionem, ſed etiam concomitanter, & quaſi conſequenter, quatenus in ipſomet Verbo fuit formata Chriſti caro, eiuſque producta humanitas.

Secundo reſpondetur, quod ſi loquamur de conſeruatione formaliter ſumpta, à ſolo Deo eſse poteſt, à quo ſolo vnio potuit effici: attigit autem actio Dei diuinum eſse Verbi, non vt faciendum, ſed vt vniendum, vel, vt proprius loquar, attigit humanitatem, vniendo illam Verbo ſubſtãtialiter, & eodem modo eius conſeruat vnionem: quia ſicut creatio, & conſeruatio non ſunt duæ actiones, ſed vna continuata, & ſolum differunt in quadam nouitatis ratione, quam importat creatio, ita & vnitio actualis, & eius conſeruatio in hoc myſterio, eadem ſimiliter eſt Dei actio. Eſt autem hoc loco aduertendum, ad rationẽ generationis non eſse neceſsarium, quod generans producat de nouo exiſtentiã rei genitę, ſed ſatis fuerit, producat eſsentiã rei ſub exiſtentia præexiſtenti: nam cũ exiſtentia non ſit intrinſeca rei actualitas, ſed terminus, & complementũ eius, parũ retulerit ad generationem, quod generãs producat de nouo exiſtentiã, aut quod producat ſubſtantiã rei genitæ ſub exiſtẽtia antiqua: & ita contigit generationi, qua Beata Virgo Chriſtum genuit; produxit enim humanitatem ſub diuini Verbi exiſtentia, per quã terminatur, & completur. Imo & probabilis eſt ſententia, quã ſapientiſſimus Bañes in comm. ad 1. p. S. Th. docuit, quod exiſtentia in omni generatione cuiuſcũque particularis ſubſtãtię, non à generante particulari, ſed à ſolo Deo immediatè efficitur, qua probabili ſententia ſuppoſita, ſatis fit veroſimile id, quod nunc dicebamus. Et proportionabiliter eſt dicendum de conſeruatione, non eſse neceſsarium vt conſeruans rei ſubſtantiam, attingat conſeruationem exiſtentię rei in ſemetipſa.

Ad quartum argumentum reſpondeo, quod humanitas ſuam habet in Chriſto eſſentialem actualitatem, ab actualitate eſſentiali diuinitatis diſtinctã: hæc autem humanitatis actualitas, non eſt actualis eius exiſtentia, vt ex dictis conſtat: etſi requirat exiſtentiam tanquam conditionem neceſſariam, non tamen vt ingredientem ipſam eſſentialis actualitatis rationem: ſed vt requiſitum quendam terminum: ſi ſemel animum ab illo falſo principio auocemus, videlicet, exiſtentiam eſſe formalẽ cuiuſuis rei actualitatem, omnia contrariæ ſentẽtiæ euaneſcunt argumenta. Ex his ſupereſt ſoluta huius argumenti confirmatio: conſtat enim poſſe Deum conſeruare humanitatem cum omni actualitate eius eſſentiali, non vero cum actualitate ab exiſtentia proueniente: quæ non eſt neceſſaria, vt verè dicamus Deum conſeruare humanitatem cum omni eius intrinſeca, & eſſentiali actualitate, quæ tamen conſeruaret ſub alia exiſtentia. Ex quo apertè colligitur exiſtentiam quaſi extrinſecè ſe habere ad propriam naturæ humanæ actualitatem, & eſſentialem perfectionem, cum ad eius conſeruationem quæcunque ſiue creata, ſiue increata exiſtentia ſufficiat.

Ad quintum argumentum reſpondetur, eodem argumento poſſe probari, Angelũ euidenter cognouiſſe diuinam Verbi ſubſiſtentiam humanitati communicatam: quoniam videbat Chriſtum ſubſiſtere: nam ſicut exiſtere effectus eſt formalis exiſtentiæ, ita & ſubſiſtere eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ. Sicut ergo Theologi omnes tenentur ſoluere hoc argumentum de ſubſiſtentia deſumptum: grauiter enim erraret, qui diceret Angelum proprio, & naturali lumine euidenti potuiſſe notitia cognoſcere diuinã ſubſiſtentiam, qua ipſa ſubſiſtit humanitas, ita & nos diſſoluemus ſimiliter argumentũ de exiſtẽtia factũ.

Reſpondetur ergo, Angelo notum quidem fuiſſe illum hominem actu in rerum natura exiſtere: verũtamen non in particulari cognouit ipſum formale eius exiſtere: neque nouit an diuinum eſſet, vel humanum: ſed in confuſo à poſteriori, & ab effectu certè iudicabat illum hominẽ exiſtere, ac ſimiliter ſubſiſtere: vnde rigoroſè loquendo non euidenter cognouit formalem effectũ exiſtentiæ qua Chriſti humanitas exiſtebat, atque adeo neque mirum, quod ipſam formam non cognoſceret. Auctores contrarij ſuo fundamento inhærentes, nimirum, quod Chriſti humanitas nonniſi per exiſtentiam conſtituitur in ratione actualis entitatis, non probabunt iſtam ſolutionem: ſed neceſsum habent illi Theologi ſuum prius probare fundamentum, quod, niſi ego cæcutio, & in Philoſophia, & in Theologia eſt parum probabile.

Ad ſextum argumentũ facilè reſpondetur, quod vnio humanitatis ad Verbum, non in primo terminata fuit ad exiſtentiam, ſed ad ipſam perſonalẽ ſubſiſtentiã Verbi, atque adeo non in natura, ſed in perſona facta eſt. Qua in re valde errauit Durand. cuius ſententiã ſuperius q. 5. ar. 3. inſinuauimus, à qua non longè recedit alia Dionyſij Ciſtercien. ibidẽ quoque inſinuata, de qua re non vacat in præſentia amplius quid dicere: ſed illud tantum addiderim, negandum nõ eſse, ſed potius certa fide credendum, Chriſti humanitatem mediatè, & quaſi ſecũdariò vnitam quoque fuiſse diuinitati: & ita ſuperius definiuimus ex humanitate, & diuinitate Chriſtum conſtitui, & verè componi: atque adeo valde rationabiliter aſseritur, quod humanitas habet exiſtere à diuinitate; ita quod ſubſiſtentiam à Verbo, exiſtentiam verò à diuinitate ſuſcipit pręſuppoſita tamẽ ipſa Verbi ſubſiſtentia humanitati cõmunicata: & ob id vnio non in natura, ſed in perſona, à grauiſſimis Concilijs, & Patribus dicitur facta. Miſsũ facio, quod mens Conciliorum, & Patrum in hac doctrina, in qua aduerſus Eutychetem potiſſimũ definiebant, ea fuit, quod ex duabus naturis, non vna reſultauit natura, neque eſt in Chriſto naturarum confuſio, ſed quælibet natura retinet quæ ſibi ſecundum rationem naturę propria ſunt, & connaturalia. Poſset quoque ad iſtud ſextum argumentum dici, quod humanitas à Verbo accipit perſonalem exiſtentiam, quæ propria eſt Verbi, & non toti Trinitati communis: neque quicquam retulerit quod ſit relatiua, & humanitas ſit natura ſubſtantialis abſoluta: nam ſicut relatiua Verbi ſubſiſtentia perſonaliter poteſt terminare, & complere naturã humanam, ſubſiſtitq; humanitas in Chriſto

ipſa

ipſa relatiua ſubſiſtentia, poteſt ſimiliter exiſtentia Verbi relatiua eandem humanitatem terminare, poteſtque humanitas per hanc Verbi exiſtentiam actualiter exiſtere.

An vero in Deo exiſtentiæ ſint relatiuæ, vel vnica tantum exiſtentia eſſentiali tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ exiſtant, alienum eſſe arbitror à præſenti diſputatione. Diſputaui copioſe difficultatem iſtam in libro primo de origine gratiæ tractatu 2. ibi poterit noſtra ſententia videri, nec enim mei moris eſt, vel aliena, vel propria tranſportare, & tranſcribere.

Ad vltimum tamen argumentum, ad verba ex ſeptima generali ſynodo deſumpta, quibus Epiphanius ille humanitatem Chriſti vocauit entitatem exiſtentem reſpondetur: alijs omiſſis, quæ non tam apparẽt veroſimilia. Primo. Quod cum Epiphanius humanitatem appellauit entitatem exiſtentem, nihil aliud intellexit quam quod humanitas eſt vera entitas propriæ exiſtentiæ capax, & non ſola imaginatione conficta, & quod hæc intelligentia ſit mẽti Epiphanij conſentanea conſtabit legenti. In hunc enim modum dicit. [Phyſim vero, ideſt, naturam rem per ſe exiſtentem, & non indigentem altera, vt ſubſiſtat] vbi manifeſtum eſt nõ loqui de actuali ſubſiſtentia, quia natura humana in Chriſto propriam ſubſiſtentiam non retinet, ſed eget potius ſubſiſtẽtia Dei, qua actu ſubſiſtit, quo circa ſenſus Epiphanij eſt: illam verè appellari naturam, quæ propria ſubſiſtentia poteſt ſubſiſtere. In eodem ergo ſenſu, non irrationabiliter dicemus Epyphanium vocaſſe naturam exiſtentem, ideſt, ex ſeipſa potentem exiſtere abſque adminiculo exiſtentię alterius cuiuſpiam naturæ.

Secundo reſpondeo, quod Epiphanius dixit humanitatem in Chriſto vere exiſtere, eſſeque proinde rem per ſe exiſtentem, minime autem explicuit qua exiſteret exiſtentia, creata ne, an increata: vnde facilius eſt dicere: Epiphan. non veniſſe in mentem Chriſti humanitatem ſibi propriam, & connaturalem retinere exiſtentiam.

Ad Damaſceni authoritatem dicitur, quod in verſione Bilij mens Damaſceni apertiſſime exprimitur, nam quod in verſione Fabri dicitur, Chriſti humanitatem non eſſe per aſſumptionẽ exiſtenia priuatam: Bilius vertit, quod non fuit in nihilũ redacta, quod veriſſimum eſt, cum fuerit ei communicata infinita Verbi exiſtentia. Præterea dico: quod cum in Chriſti humanitate nullus ſit appetitus ad propriam, vel ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam, quia vberrime, & totaliter ſatiatur totius eius appetitus per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam Verbi, quamuis propriam exiſtentiam non habeat, nullatenus debet dici exiſtentia priuari, aut eſſe priuatam: ſed potius valde perfectam eſſe, & eleuatam etiam in ratione exiſtentis. Quis enim priuari dicitur aliquo bono, cum illud excellentius, & altius commutat: igitur ex eo, quod Damaſcenus humanitatam Chriſti non priuatam exiſtentia dicit, nullatenus inferri poteſt ipſam non exiſtere diuina Verbi exiſtentia. Ad illam autẽ diſtinctionem quam Damaſcenus numerat, quaſi res diſtinctas, exiſtentiam carnis, aſſumptionem, & deificationem. Reſpondeo debile ſatis argumentum ex hac diſtinctione deſumi, in ea enim non res, ſed rationes diſtinxit Damaſcenus: alias enim etiam eſſet dicendum quod aſſumptio, & deificatio ſunt res diſtinctæ realiter in Chriſto, & in ſacra eius carne, quo nihil falſius dici poſſit: tandem Damaſceni ſententia eſt manifeſta pro doctrina S. Tho. vt conſtat ex cap. 22. Sed ex eodem capite obijciunt nobis aduerſarij, quia in quadam trãslatione dicitur, quod Verbo eſt vnita caro extremæ exiſtentiæ, ideſt, caro in altero extremo exiſtens, ſed reſpondetur, & primo admittendo hunc ſenſum expoſitum, dico quod humanitas eſt alterum extremum in Chriſti compoſitione vere exiſtens: non tamen propria exiſtentia, ſed exiſtentia Verbi, nam vere dicuntur extrema exiſtentia alicuius compoſiti, quamuis vtrumque extremum eadem exiſtat compoſiti exiſtentia. Secundo reſpõdetur ſenſum illorum verborum alium eſſe fortaſſis ab eo quem argumentum contendit, neque aliud Damaſcenus dicere per illa verba extremæ exiſtentiæ, voluit quam quod humanitas non prius extitit, quam diuino eſſet Verbo vnita, ſed ibi habuit initium exiſtendi, hoc enim primum exiſtendi initium intellexit Damaſcenus illis verbis, Extremæ exiſtentiæ; quo circa hæc verba potius fauent S. Tho. doctrinæ, quam ei aliqua ex parte repugnent, & hactenus de iſta difficultate, & his omnibus ita ſuppoſitis ad primi dubij diſputationem, & explicationem accedamus.

SECTIO SECVNDA.

Vbi ponitur reſolutio primi dubij principalis an Chriſtus ſit prædeſtinationis obiectum.

DVbitatio igitur eſt, cui in hac ſeptima quæſtione primum tribuimus locum. Num Chriſtus ſit prædeſtinationis obiectum, ideſt, an ſit prædeſtinatus, & partem negatiuam ſequentibus argumentis probo.

§. 1. *Proponuntur argumenta pro parte negatiua.*

PRimum argumentum ſumitur ex authoritate quorundam Patrum, Origines enim ſuper Paulum verſans illa verba Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.* Ita inquit, deſtinatur qui eſt, prædeſtinatus, qui nondum eſt, & Aug. explicans illud Ro. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, &c.* inquit. Vocantur exiſtentes, prædeſtinantur non exiſtentes, ex his teſtimonijs colligitur, quod obiectum prædeſtinationis debet intelligi non exiſtens ante prædeſtinationem, ſed de Chriſto non poteſt affirmari quod non eſt, vel aliquando non fuerit: *Ieſus Chriſtus enim heri, & hodie, vſque in ſeculum.* dicente Pau. ad Hæbr. vlt. ergo Chriſtus non poteſt dici alicuius prædeſtinationis obiectum.

Secundum argumentum. Chriſto nulla poteſt aut potuit vnquam fieri gratia: ergo incapax eſt prædeſtinationis atque adeo non erit eius obiectum. Conſequentia euidens eſt, ex quodam notabili ex his quæ à principio ſuppoſuimus, in quo diximus ex communi Theologorum ſententia, quod prædeſtinatio nõ eſt, niſi in bonis, quæ gratuito, & liberaliter

Digitized by Google

conferuntur ei qui prædeſtinatur. Antecedens vero probatur, & primo quidem, Chriſtus ſecundum perſonam diuinam cum ſit dominus omnium atque omnium bonorum plenus, vt docte animaduertit Aug. tractans illa verba Pſalm. 49. *Pulchritudo agri meum eſt*. Nullius paſſiuæ donationis, nulliuſque beneficij ſuſcipiendi capax eſſe poteſt. Secundum vero humanitaté probo quod nulla ei poſſit fieri gratia. Omnia ſupernaturalia bona ad ordinem gratiæ ſpectantia, debita ſunt humanitati Chriſti ratione hypoſtaticæ vnionis, quod ſuperius quæſt. 2. ar. 2. longa diſputatione verſati ſumus: at ei cui debentur omnia, nulla poteſt fieri gratia. Confirmatur. Chriſtus, vt homo eſt hæres vniuerſalis omnium bonorum Dei: ita quod debétur ei omnia bona, præſertim ſupernaturalis ordinis titulo filiationis diuinæ: quia, videlicet, Filius eſt Dei naturalis, & ita Pau. ad Heb. 1. dicebat, *quem conſtituit hæredem vniuerſorum*, ergo nulla ei poteſt fieri gratia.

Tertium argumétum. Chriſtus non eſt obiectum prædeſtinationis in quantum Deus, aut in quantum homo: ergo nulla ratione poteſt appellari prædeſtinationis obiectum; videtur euidens conſequentia, & antecedens pro prima parte ex dictis eſt manifeſtum: pro ſecunda vero probatur. Chriſtus ſecúdum quod homo: neque poteſt prædeſtinari, vt ſit Dei Filius naturalis, neque vero Filius Dei adoptiuus: ergo nullius prædeſtinationis eſt capax. Conſequentia apparet manifeſta; quia omnis diuina prædeſtinatio ordinatur ad diuinam filiationem, vel naturalem, vel adoptiuam. Antecedens vero quoad neutram partem videtur poſſe negari, nam de filiatione adoptiua ſuperius in prima quæſtione multis probauimus, adoptiuam filiationem eſſe Chriſto repugnantem: de filiatione vero naturali patet, ex eo quod Chriſtus inquantum homo non eſt Deus, ſi proprius fiat ſermo, vt conſtat ex S. Thom. 3. par. quæſtio. 16. artic. 11. atque adeo neque poteſt Filius Dei naturalis appellari.

Quartum argumentum. Iſtæ propoſitiones ſunt falſæ. Chriſtus incepit eſſe, & Chriſtus eſt factus, ergo & iſta propoſitio eſt falſa, Chriſtus eſt prædeſtinatus, & ex conſequenti Chriſtus non eſt prædeſtinationis obiectum, ex paritate rationis conſtat bonitas huius conſequentiæ. Confirmatur. Si de Chriſto vere concedimus eſſe prædeſtinatum, ſimiliter debemus concedere, Dei, Filium prædeſtinatum eſſe propter communicationem Idiomatum. Nam quę prædicátur de Chriſto dicuntur etiam de Filio Dei quãuis ſint prædicata, quæ defectum aliquem rationem humanitatis importét, vt pati, mori, &c. Sicut enim concedimus Chriſtum paſſum fuiſſe, & mortuum, ita concedimus ſimiliter Filium Dei paſſum fuiſſe, & mortuum, at hæc propoſitio Filius Dei eſt prædeſtinatus, nullatenus eſt concedenda, ergo, &c.

Quintum argumentum. Tota gratia quæ reperitur in myſterio Incarnationis facta eſt humanitati, & non Chriſto, ergo obiectum prædeſtinationis nõ eſt Chriſtus ſed humanitas: eſt euidens conſequentia, quia obiectum prædeſtinationis eſt illud cui tribuitur bonum, vel beneficium in quod tanquam in terminum ipſa prædeſtinatio tendit. Probatur antecedens. Potiſſimum beneficium quod interuenit in myſterio incarnationis fuit vnio, ſeu aſſumptio hypoſtatica: hæc autem vnio non Chriſto, ſed humanitati competit, ergo humanitas eſt, cui ex vi prædeſtinationis facta eſt gratia; atque adeo ipſa fuit prædeſtinationis obiectum.

§. 2. *Pro parte affirmatiua.*

IN oppoſitum eſt Paul. ad Roman. 1. in hunc modum de Chriſto loquens. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.*

Quamuis diuerſa ſint Theologorum placita in modo explicandi prædeſtinationem Chriſti: nullus tamen abſolute negat, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatũ quamuis nonnulli videantur proprietatem negare; exiſtimantes larga, & ampla aſſertione ſumi hoc nomen prædeſtinatio, cum Chriſto accomodatur, ſed ad veritatis intelligentiam, & quæſtionis reſolutionem ſit.

§. 3. *Prima concluſio.*

CHriſtus ſecundum quod Deus, ſeu naturalis Dei Filius non eſt prædeſtinationis obiectum. Hęc concluſio certa eſt ſecundum fidem, quam definiuit Concilium Toletan. 11. in præfatione fidei in hunc modum. [Hic tamen, ſcilicet, Chriſtus, per hoc quod de Deo Patre ſine initio prodijt natus tantum, nam nec factus, nec prædeſtinatus accipitur.] Colligitur prætereà hæc veritas ex illo teſtimonio Paul. nunc citato: nam, vt erudite S. Thom. aduertit 3. p. quæſt. 24. artic. 1. ad 2. Priuſquam Paul. Chriſtum prædeſtinatum eſſe diceret, præmiſit illa verba, quæ ad eius humanitatem pertinent, videlicet, Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, vt oſtenderet quod non attribuebat prędeſtinationem Chriſto, vt Deo, & ſecundum quod in diuina ſubſiſtit natura, ergo, &c.

Tertio probatur. Chriſto prout in diuina natura ſubſiſtit, id eſt ſecúdum quod eſt naturalis Dei Filius, non competunt conditiones, quas ex communi Theologorum ſententia præſuppoſuimus à principio eſſe ſimpliciter ad prædeſtinationem neceſſarias: non ergo Chriſtus prout in diuina ſubſiſtens natura poteſt eſſe prædeſtinationis obiectum: antecedens probatur: nam prima conditio erat, quod ex vi prædeſtinationis aliqua fieret gratia ei qui prædeſtinatur: at Chriſto ſub hac ratione conſiderato, nulla poteſt gratia fieri, nullumque ei valet donum, aut beneficium conferri. Item neceſſum eſt iuxta conditiones ſupra poſitas, quod prædeſtinans ſuperioritatem aliquam habeat ſupra prædeſtinatum: Chriſtus autem vt Deus, cui poteſt ſubijci? Aut quam põt ſuperioritatem recognoſcere? Deniq; iſta concluſio ab vniuerſis Theologis eſt recepta in 3. diſt. 7. & 10. neque vero illam vt probabilem ſententiam docent, ſed vt certam fidei veritatem.

Eſt tamen hæc concluſio cum duplici limitatione accipienda. Prima, quod procedat de reipſa: non. n. in pręſentia definio: an hæc propoſitio Filius Dei eſt prædeſtinatus poſſit verificari propter communicationem idiomatum, ſicut verificatur iſta Filius Dei eſt mortuus, de qua re ſtatim.

Secunda limitatio eſt, quod intelligitur de pręde-

deſtinatione, quæ eſt ſimpliciter prædeſtinatio, & in qua ſeruantur leges, quæ communiter cenſentur neceſſariæ ad veram, & propriam prędeſtinationem, quæ ſunt illæ, quæ in fundamentis ſuperius præiactis continentur. Hoc dixerim propterea, quod quibuſdam Theologis egregie doctis viſum eſt aliqua ratione concedere hanc propoſitionem, Filius Dei prædeſtinatus eſt, vt eſſet homo, eo quod in tempore ita contigit, quod Filius Dei factus eſt homo: id autem quod fit in tempore, ſi ad ſupernaturalem ordinem ſpectet, æterna Dei prædeſtinatione fuit diſpoſitum. Præterea quia Paul. 1. Corinth. 2. ſapientiam Dei prædeſtinatam dicit in gloriam noſtram, & per ſapientiam Dei videtur ipſum Dei Filium, qui eſt ipſa Patris ſapientia intellexiſſe: ne hanc ſententiam videamur excludere, ſecundam limitationẽ primæ concluſionis appoſuimus; nam licet ego huic ſentẽtiæ non libenter aſſentiam, ſed aſſentio potius S. Thom. expreſſe contrarium dicenti 3. par. q. 24. ar. 2. ad 3. non tamen in ea aliquid vel temeritatis, vel periculi reperio, nam potiſſimum argumẽtum, quod illam impugnat, apparentem habet ſolutionem, argumentum autem hoc deſumitur ex illa cõditione ad prædeſtinationem requiſita, videlicet, ꝙ prædeſtinatio aliqua debet fieri gratia ex vi prædeſtinationis: filio autem Dei nulla fuit facta gratia in hoc, quod eſſet homo, & quod natura humana ipſi perſonaliter copularetur: ergo, &c.

Huic argumento apparenter dicunt, qui prædictam ſententiam tuentur, ſatis eſſe, vt ibi aliqualis ratio prædeſtinationis reperiatur, quod fuit facta gratia humanæ naturæ: imo & ipſi Filio Dei, quatenus in termino hypoſtaticæ vnionis in ipſa humana ſubſiſtit natura, nam cum hæc gratia Filio Dei ſic conſiderato exhibita, inuoluatur in æterna illa præordinatione qua diſpoſitum eſt, vt Filius Dei fieret homo, non ſine probabilitate dicitur, quod præordinatio illa ad ordinem pertinet prædeſtinationis, ita quod Filius Dei dicatur prædeſtinatus, vt fieret homo, ſed quicquid de hac opinione fuerit, quod attinet ad omne erroris periculum euitandum, ſi de eius tamen veritatis probabilitate tractetur, mihi non apparet vera, quoniam tota gratia, quæ in hac prædeſtinatione implicatur, tenet ſe ex parte termini, & nullatenus ex parte obiecti, quod neceſſarium erat ad veritatem, & proprietatem prædeſtinationis ſaluandam. Præterea vehementer vrget illa definitio quam ex Concil. 11. Toletan. pro concluſione adduximus, neque ei ſufficientem contrariæ ſententiæ auctores videntur adhibere ſolutionem, quocirca fatendum eſt prædeſtinatum fuiſſe ab æterno, quod Filius Dei fieret homo, non vero eſt concedendum, quod Filius Dei fuerit prædeſtinatus, vt fieret homo, & hoc ſatis eſt ad primum argumentũ, quod pro illa inſinuauimus ſententia: ſaluamus enim prædeſtinatum fuiſſe ab æterno id totum, quod in tempore fuit factum. Ad illud teſtimonium ex Paul. 1. Corin. 2. adductum circa ſequentem concluſionem reſpondebimus. Interim legatur S. Tho. loc. cit. ex quo petenda ſunt multa, quæ ob faſtidioſam euitandam prolixitatem ad hunc locum non trãſtulimus, quæ tamen digna ſunt, vt legantur, & ſumma cum diligentia notetur, ad exactam eorum, quæ diximus, intelligentiam habendam.

§. 4. *Secunda concluſio.*

CHriſtus quatenus ſubſiſtit in humana natura obiectum eſt prædeſtinationis, Hæc concluſio colligitur ex Paul. ad Roman. 1. vbi poſtquam dixerat Chriſtum factum eſſe ex ſemine Dauid ſecundum carnem, mox ſubiunxit, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, &c.*

Secundo eadem veritas colligitur ex Conc. Tole. 11. iam citato, vbi poſt verba relata ſic dicitur. *Per hoc tamen, quod de Maria Virgine eſt, ſcilicet, Chriſtus, & factus, & prædeſtinatus eſſe credendus eſt.*

Tertio eadem veritas ex Patrum teſtimonijs conſtat August. lib. de prędeſtinatio. ſanctorum cap. 15. & lib. 2. cap. vltimo, hanc veritatem apertiſſime docet. Athanaſ. lib. 3. de aſſumptione hominis circa finem referens illa Pau. verba ad Rom. 1. dicit. [Ecce filium dexteræ. Ecce filium hominis, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, nam ſecundũ deitatem ſic ait, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.] Anſe. eadem verba Paul. explicans, inquit, quod de eadem perſona, de qua Paul. dixerat, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, continuo dixit, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, &c. Plura adducemas Patrum teſtimonia, ſequenti dubio ad huius veritatis comprobationem, cum tractabimus de vera huius Pauli teſtimonij intelligentia, vbi explicabitur ſimul qua certitudine iſta concluſio debeat affirmari.

Probatur ratione hæc eadem veritas: in Chriſto prout in humana ſubſiſtit natura inueniuntur conditiones quas à principio huius quæſtionis ſeptimæ diximus eſſe neceſſarias, & ſufficientes ad obiectum prædeſtinationis, nam Chriſtus, vt ſic, inferior eſt Deo, gratuitumque beneficium poteſt ab ipſo Deo ſuſcipere: ergo Chriſtus, vt in humana ſubſiſtens natura, vere poteſt eſſe prædeſtinatus, ac proinde prædeſtinationis obiectum. Confirmatur. Illa prædeſtinatio de qua Paul. loquitur teſtimonio citato, neque poteſt conuenire naturæ humanæ, neque Chriſto, vt ſubſiſtenti in natura diuina: ergo neceſſum eſt conueniat Chriſto, vt eſt ſuppoſitum naturæ humanæ. Antecedens pro prima parte ex concluſ. præcedenti cõſtat. Pro ſecunda patet, quia natura humana non eſt filia Dei, ergo, &c.

Eſt autem circa iſtam concluſionem ſummopere aduertendum, eam ita eſſe intelligendam: quod in ipſo prædeſtinationis obiecto formaliter debet includi natura, ita quod idem polleat, Chriſtus, vt ſubſiſtens in natura humana, quod Chriſtus ſecundum quod homo: quomodo autem ipſa natura humana concurrat in ipſa Chriſti prædeſtinatione, formaliter ne, an tantum vt neceſſaria conditio, ſequenti dubio explicabitur, nam quamdiu non conſtiterit de termino prædeſtinationis Chriſti, non commode poterit res iſta exponi.

§. 5. *Tertia concluſio.*

HÆc propoſitio Chriſtus eſt prædeſtinatus vera eſt, & propria, atque a deo abſolute concedenda. Oppoſitum huius concluſionis, negat Palu. in 3. d. 7. artic. 3. affirmans non poſſent concedi, niſi addamus

danius illam ſpecificatiuam, in quantum homo. Sequuntur Palud. doctiſs. quidam ex nouioribus, ſed noſtram concluſionem affirmat Riccard. eadem diſtinctione ar. 2. q. 1. ad 1. & quamplures Theologi ex nouioribus ejus adherent ſententiæ; inter quos eſt annumerandus Med. 3. par. quæſt. 24. ar. 1. ad 2. argum. dubij t.

Probatur primo, iſta concluſio ex illo Paul. 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram*. Vbi Paul. abſolutè, & ſine addito concedit Dei ſapientiam prædeſtinatam eſſe in gloriam noſtram: & nomine ſapientiæ Chriſtum intelligebat, vt colligi poteſt ex ſequentibus verbis nam ita ſtatim ſubiunxit Paul. *Quam*, ſcilicet, Dei ſapientiam *nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Hoc argumentum, quod quidam Theologi pro hac concluſione magnificant, minime ipſam reddit certam, nam Chryſoſtom. Theodoret. Anſelm. & alij nonnulli graues auctores per Dei ſapientiam non intelligunt Chriſtum ſecundum ſe conſideratum, ſed diſpenſationem ſalutis, & redemptionis noſtræ, quam Deus Chriſti incarnatione, eiuſque paſſione, & morte peragendam præordinauit, ipſumque Crucis myſterium ab Apoſtolis prædicatum, quod gentes ſtultitiam reputabant, Paul. Dei ſapientiam hoc loco vocauit: quam Deum ante ſæcula prædeſtinaſſe, prædictis verbis affirmauit, ideſt, præordinaſſe ab æterno in gloriam noſtram, nimirum in noſtram ſalutem: quod hæc fuerit mens Apoſtoli ex antecedentibus, & conſequentibus non difficulter colligitur, nam paulo ante de prædeſtinatione myſterij crucis Apoſt. dixerat. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*, ideſt, prędicatio noſtra, qua vobis annunciamus ſalutem per Chriſti crucem, & mortẽ comparandam, quamuis hominibus, qui carnis iudicio, & huius ſeculi prudentia ducuntur, ingens appareat ſtultitia: viris tamen perfectis, ideſt, qui prudentiam ſpiritus ſequuntur, maxima cenſetur ſapientia, profundiſſimumque Dei admirantur conſilium, ita in ſubſtantia expoſuit Chryſoſt. Cum igitur verba, quæ in argumento ex Paul. retulimus prædictis verbis annectantur, intelligenda quoque ſunt de hac ſumma Dei ſapientia, quæ in myſterio crucis latet abſcondita, verba quæ inferius in eodem cap. ſequũtur, conducere etiam poſſunt, quamplurimum, ſi bene expendantur, ad iſtam fundandam intelligentiã: quæ ex capite etiam præcedenti veroſimiliter ſatis deſumi poteſt, ex illis præſertim verbis. *Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*. Et quod Chriſti nomine nõ ipſum Chriſtum ſecundum ſe conſideratum intellexerit Apo. ſed quatenus per paſſionem, & crucis mortem noſtram fuit operatus ſalutem conſtabit legenti totum illud primum caput.

Poſſet etiam aliter reſponderi ad illud primum argumentum in Pauli teſtimonio fundatum, quod quamuis admittamus Paul. ibi ſapientiæ nomine ipſum Chriſtum deſignaſſe, adhuc non colligitur, hanc propoſitionem, Chriſtus eſt prædeſtinatus, fore abſque aliquo additamento concedendam, multa enim Paul. addidit, quibus manifeſtauit ſe de Chriſto ratione humanitatis loqui: cum ipſum in gloriam noſtram prædeſtinatum eſſe dixit, etenim prædicatio myſterij crucis, quæ gentibus ſtulta. imo ipſa ſtultitia viſa fuit, ipſam Chriſti carnem, & humanitatem, in qua paſſus fuit, & mortuus, oſtendit.

Sed & tertio poſſemus dicere, Dei ſapientiam in citatis Paul. verbis, ex parte prædicati ſe tenere, & ideo ſi pro Chriſto ſumitur, formaliter debet accipi ideſt, ratione humanitatis, nam hæc eſt prædicatorũ natura, vt formalem habeant acceptionem, ſicut è contra ſubiecta materialiter ſumuntur, iuxta quam regulam ſolent graues ſacrorum Bybliorum interpretes interpretari illud ad Hebr. 3. *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum Chriſtũ, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum*. Et id ſimiliter Acto. 2. *Certiſſime ergo ſciat omnis domus Iſrael, quia dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis*. Dicunt igitur graues auctores, his locis non ſignificari ſolum, quod Deus fecerit Ieſum pontificem, & dominum, ſed quod ſimpliciter illum fecit Chriſtum: ſumiturque Chriſtus formaliter, ſcilicet, ratione humanitatis, eo quod à parte prædicati collocatur.

Hoc igitur primo argumento, vt parum ſufficienti prætermiſſo: & alijs itidem quibuſdam omiſſis, quæ & ſi apparentiam præſeferre videantur, parum, aut nihil probant, vnico duntaxat argumento vtar, ex quo & ex ſolutionibus contrariæ ſententiæ conſtabit huius noſtræ concluſionis veritas.

Argumentum eſt huiuſmodi, Chriſtus in propoſitione de qua præſens concluſio, ſumitur formaliter, videlicet, ratione humanitatis quam de formali importat hæc vox Chriſtus: ergo hunc reddit ſenſum, Chriſtus in quantum homo, ſeu ratione humanitatis eſt prædeſtinatus; at ſenſus iſte in omni Theologorum opinione veriſſimus eſt, ergo, &c. Probatur antecedẽs, illud prædicatum, prædeſtinatus, cum interiorem animi cõceptionem deſignet, fertur ſupra ſubiectum ratione formalis ſignificati ipſius ſubiecti, ſic enim præſcribit dialecticorum regula de ſimilibus prædicatis: ergo enũtiatio prædicta formalem reddit ſenſum.

Sed obſtant huic rationi, & concluſioni ſimiliter duo aduerſariorum argumenta. Primum, etſi dialecticis demus, fieri ſenſum formalem in hac propoſitione, & ſimilibus, in quibus prædicatum actum animæ importat, adhuc non ſequitur, veram eſſe propoſitionem illam, ſed potius ſequitur eſſe falſam: ergo argumentum factum non probat, quin potius improbat cõcluſionem. Probatur antecedens. Iſta vox, Chriſtus, in formali ſignificato importat ex æquo vtramque naturam, diuinam, & humanam: ergo ſi formaliter ſumitur, neceſſe eſt, quod prædicatum, ꝓdeſtinatus, feratur ſupra ſubiectũ ratione vtriuſq. naturæ, atq. adeo, quod propoſitio ſit ſimpliciter falſa, nam quod Chriſtus ratione diuinitatis ſit prædeſtinatus, falſum eſt, & hæreticum.

Secundum argumentum. Prædeſtinatio eſt actio practica diuini intellectus, quæ virtualiter æquiualet actioni tranſeunti, præſertim ſm̃ S. Th. doctrinam, qui inter effectum, & actionem Dei immanentem, nullam conſtituit actionem mediam tranſeuntem, ergo de illo prædicato prædeſtinatus, non idem debet ferri iudicium, quod de aliis prædicatis importãtibus interiorem actum animæ.

Primum

Primum argumentum oſtendit manifeſte falſitatem contrariæ ſententiæ. Proceditq. ex ignorantia ſignificationis, & formalis ſignificati huius vocis, Chriſtus, eſt enim falſiſſimũ id, quod dicitur in hoc argumento, videlicet, quod Chriſtus in formali ſignificato importet ex æquo humanitatem, & diuinitatem: conſtat enim ex ſuperius dictis in hac quęſt. quod per modum formalis naturæ humanitatem tantum deſignat, ſicuti, vox Petrus, diuinitatem autem importat ex parte ſuppoſiti, ex eo, videlicet, quod diuinitas per ſe concurrit ad conſtitutionem ſuppoſiti Diuini Verbi, ad cuius diuinum eſſe perſonale aſſumpta fuit humanitas: vnde cum hæc vox, Chriſtus, formaliter ſumitur, non diuinitatem, ſed humanitatem in formali conceptu explicat, & quod hoc ſit veriſſimum, & ab omnibus concedendum, à poſteriori oſtendo, nam ex contraria ſententia ſequitur, quod propoſitiones in quibus vox, Chriſtus, ponitur à parte prædicati, ſi factionem: aut prędeſtinationem, vel quid ſimile diuinitati repugnans importent, ſint omninò falſæ, cuius oppoſitum docent omnes Thelogi, etiam illi qui noſtram negant concluſionem: ergo, &c. Patet ſequela. In hac propoſitione, Deus factus eſt Chriſtus. Vox, Chriſtus, formaliter ſumpta, non ſolam humanitatem, ſed ex æquo diuinitatem formaliter dicit; ergo eſt falſa propoſitio, & hæretica; quatenus factio ſupra diuinitatem fertur: ſicut præfati auctores propter ſimilem cauſam dicunt, negandam eſſe hanc propoſitionem, Chriſtus eſt prædeſtinatus. Ex his conſtat ſolutio primi argumenti, & ipſa noſtræ concluſionis veritas.

Ad ſecundum reſpondetur. Quod quãuis prędeſtinatio virtute complectatur vim tranſeuntis actionis, eſt nihilominus ſimpliciter actio immanens, atque adeo debet illud prædicatum, prædeſtinatus, ſequi regulas aliorum terminorum, qui interiorem actum animæ important, quæ res non deberet verti in dubium à Theologis eruditis: cum in materia prędeſtinationis paſſim affirmemus, vel negemus propoſitiones, quæ aliàs non affirmarentur, vel negarentur, niſi propter formalem acceptionem terminorũ quibus adiungitur hęc vox prædeſtinatus.

Ex dictis ſequitur hanc propoſitionem, Filius Dei eſt prędeſtinatus, abſolutè falſam eſſe, & negandam, ita docent Riccard. Durand. Palud. in 3. diſt. 7. Probatur ex dictis, illud ſubiectum Dei Filius, ratione prædicati, prędeſtinatus, ſumitur formaliter, id eſt, pro Filio Dei, qua ratione eſt Dei Filius: ergo propoſitio illa eſt ſimpliciter falſa, hęretica, & negãda, vt ex prima concluſione conſtat.

§. 6. *Soluuntur argumenta propoſita initio dubitationis.*

AD argumenta à principio poſita. Reſpondetur. Primo argumento dicitur, quod Origenes ſingularis fuiſſe videtur in illa ſententia. Viſus eſt enim negare Chriſto prædeſtinationem conuenire, S. vero Auguſt. loquebatur aperte de prædeſtinatione, qua puri homines prædeſtinantur ad gloriam, qui antequam exiſtant in proprijs menſuris prędeſtinantur, ſed non vocantur ad fidem, & ad gratiam, niſi poſtquam extiterint producti, quo autem prædeſtinatio Chriſti qua fuit prædeſtinatus, vt eſſet naturalis Dei Filius ipſum Chriſtum præſuppoſuerit, ſeq. dub. declarabitur, nunc vero id ſufficiat dicere, quod Chriſtus ratione diuini ſuppoſiti ab æterno eſt, quia vt ſic eſt Deus, ac proinde nullatenus prædeſtinatur: in quo ſenſu procedunt verba Pauli in argumẽto citata: ratione autem humanitatis, & prout in ipſa ſubſiſtit, ſicut potuit eſſe temporalis generationis terminus, ita & prædeſtinationis obiectum.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, illo ſufficientiſſime probari, Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum ad gratiam, & gloriam, de quo dub. ſeq. nihil tamen probat de prædeſtinatione ad filiationem naturalem, quæ Chriſto, vt homini cõpetit per gratiam vnionis.

Ad tertium reſpondetur, quod Chriſtus non fuit prædeſtinatus, vt eſſet Filius Dei adoptiuus: ſatis enim probatum dedimus ſupra q. 1. in ſpeciali dubio. Chriſtum nullatenus appellari poſſe Filium Dei adoptiuum: eſt ergo Chriſtus prædeſtinatus, vt eſſet Filius Dei naturalis. Ad huius impugnationem dicitur: Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum in quantum hominem, ſi dictio, inquantum, accipiatur ſpecificatiue, ita vt ſpecificet humanitatem, non vt formam, cuius ratione Chriſto conueniat naturalis Dei filiatio, ſed vt conditionem requiſitam, vt ei poſſit per gratiam vnionis, huiuſmodi naturalis filiatio competere, ita quod ipſa filiationis naturalitas ad Chriſti ſuppoſitum eſt referenda, conuenientia vero gratuita, quæ omnino eſt ad prædeſtinationem neceſſaria, ex parte ſolius humanitatis ſe teneat in Chriſto, ſed de huius argumẽti difficultate, iterum ſequenti dub. redibit ſermo.

Ad quartum argumentum conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Ratio diſcriminis eſt, quoniã in propoſitionibus in antecedẽti aſſumptis. Chriſtus poſitus à parte ſubiecti, capitur materialiter; ſupponitque pro ſuppoſito Verbi, in propoſitione autem noſtra, vox, Chriſtus, formaliter ſumitur ratione naturæ humanæ, in qua Chriſtus ſubſiſtit.

Ad confirmationem patet ſolutio ex ſuperius dictis: eſtque latum diſcrimen inter illas propoſitiones ex vna parte, ſcilicet, Filius Dei eſt paſſus, Filius Dei eſt mortuus, & aliam propoſitionem, ex altera parte, ſcilicet, Filius Dei eſt prædeſtinatus: in prioribus. n. propoſitionibus ſubiectum ſupponit materialiter, & imperfectio importata in prædicatis non applicatur ad Filium Dei cum ea formalitate, qua eſt Dei Filius, atq. adeo poteſt ei competere ratione humanæ naturæ, in qua re ipſa ſubſiſtit. Cęterum in alia propoſitione, Filius Dei eſt prædeſtinatus, cum ſubiectũ accipiatur formaliter, vt diximus, imperfectio, quã prædeſtinatio inuoluit ex parte prædicati, refunditur ad Filium Dei ratione filiationis diuinę, & prout in diuina ſubſiſtit natura: atque adeo non habet locum idiomatis communicatio, neq. valet argumentum à Chriſto ad Filium Dei, propter appellationis variationem.

Quintum argumentum, & vltimum eam difficultatem inſinuat, num Chriſti humanitas debeat dici ſimpliciter prædeſtinata: non vertitur in dubium, an humanitas ſit obiectum, quod illius prædeſtinationis, qua Chriſtus dicitur prædeſtinatus Dei Filius

na-

Digitized by Google

naturalis, natura enim humana non eſt Dei filia, ſed illud habet difficultatem, num ſit obiectũ, quod prædeſtinationis, qua prædeſtinata ſit, vt aſſumeretur à Verbo, ipſique ſubſtantialiter vniretur. Qua in re varie procedunt Theologi, ſed primum omnium vix intelligo, quid ſibi velint dicere illi Theologi qui aſſeruut, ita ſe habere humanitatem in Chriſti prædeſtinatione, atque ſe habet anima in prædeſtinatione Petri; ita quod ſicut Petrus eſt per ſe primo prædeſtinatus, anima vero ſecundario, vt pars præcipua; ita prædeſtinatio Chriſti, per ſe primo ad ipſum referatur Chriſtum, ſecundario vero ad humanitatem, vt ad obiectum, quo; hanc, inquã, ſententiam vix intelligo, nam ſi fiat ſermo de prædeſtinatione humanitatis ad aſſumptionem à Verbo, falſum oſt omninò, quod hæc prædeſtinatio per ſe primo ad Chriſtum referatur: Chriſto enim non conuenit aſſumi, ſed ſoli humanitati, vt eſt res manifeſta, & poſſet fundari in doctrina S. Thom. 3. par. quæſt. 16. art. 4. ad 3. Si vero ſermo fiat de prædeſtinatione, qua Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis, talis prædeſtinatio nullatenus eſt ad humanitatem Chriſti referenda, ad eum præſertim modum, quo prædeſtinatio Petri eius animæ conuenit, nam totum bonum prædeſtinationis Petri formaliter competit eius animæ: ipſa enim grata eſt Deo, æternaque potitur gloria. At humanitas Chriſti nullatenus eſt filia naturalis dei, ſed tantum eſt conditio neceſſariò requiſita, vt hæc naturalis filiatio per gratiam, puta vnionis, Chriſto competat. Eſſet autem vera hæc iſtorum Theologorum doctrina: ſi Chriſtus prædeſtinatus fuiſſet ad gratiam & gloriam ſicut Petrus: Sed de hac prædeſtinatione non loquuntur hi Theologi, qui Thomiſticam ſequuntur doctrinam; quæ hanc prædeſtinationem non admittit.

Hac ergo prætermiſſa diſtinctione *Scot.* in 3. d. 7. q. vnica abſolute affirmat humanitatem Chriſti fuiſſe prædeſtinatam, & ad gloriam, & ad hypoſtaticam vnionem. De prædeſtinatione ad gloriam nullum hic addemus Verbum, tractabitur enim hęc diſputatiò ſequenti dubitatione. Id duntaxat aduerto, quod qui admiſerit hanc prædeſtinationem, parũ philoſophice loquetur, ſi dixerit, quod humanitas eſt obiectum quod prædeſtinationis huius: natura enim non eſt, quod, ſed, quo, vnde tenetur dicere, Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ad gloriam, vt obiectum, quod, humanitas vero, vt, quo, quia eſt forma per quam Chriſto poſſunt competere gratia, & gloria. De prædeſtinatione autem ad aſſumptionem, graues quidam S. Th. diſcipuli Scot. ſequuntur. Probantque eius ſentẽtiam in hunc modum. Aſſumptio eſt bonum diuinum valde excellens atque gratuitũ: ergo pertinet ad ordinem prædeſtinationis. Rurſus hoc bonum non potuit competere Chriſto ex vi prædeſtinationis, Chriſtus enim non fuit aſſumptus à Verbo: igitur conuenit humanitati hæc prædeſtinatio.

Confirmatur. Aſſumptionis bonum conuenit humanitati ex vi prædeſtinationis, ſed non conuenit ei mediate, & ſecundario, quia, vt modo dicebam, non conuenit ei ratione totius Chriſti: ergo conuenit ei per ſe primo: atque adeo humanitas eſt obiectum, quod, prædeſtinationis huius.

Huic ſententiæ, vt libere loquar, nunquam potui animum admouere, vnde ſic argumentor contra illam. Primo. Aſſumptio humanitatis ad Verbum non eſt vltimum bonum, quod in hypoſtatica vnione humanitati conuenit: ſed potius habet rationem medij comparatione ad vlterius bonum: non ergo ſimpliciter loquendo, humanitas debet cenſeri prædeſtinata ad iſtud bonum. Conſequentia manifeſta eſt ex communi Theologorum doctrina, quæ docet prędeſtinationem ſimpliciter non circa media, ſed circa vltimum bonum verſari: aliàs enim Petrus diceretur prædeſtinatus ad fidem, ad ſpem, ad gratiam, &c. Qui modus dicendi non eſt in vſu apud graues Theologos. Antecedens vero probatur. Vltimũ hypoſthaticæ vnionis bonum quod humanitati competit, conſiſtit in hoc, quod Chriſtus inquantum homo ſit per gratiam vnionis Dei filius naturalis, hoc eſt. n. maximum, & ſummum bonum, quod Chriſto vt homini competit, atq. adeo eius humanitati, ad hoc autẽ bonum ordinatur ipſa humanitatis aſſumptio a Verbo, ergo, &c.

Secundo probatur. Ita ſe habet humanitatis aſſũptio reſpectu eius, quod eſt Chriſtum vt hominem eſſe per gratiam vnionis filium Dei naturalem, atque ſe habet vnio partium in toto reſpectu perfectionis totalis: ſed vnio partium non pertinet ad aliã naturalem actionem diſtinctam à generatione, qua totum fit, & generatur, ergo nec aſſumptio humanitatis ad aliam actionem attinuit ab ea, qua Chriſtus, vt homo conſtitutus eſt per gratiam vnionis Dei filius naturalis: rurſus, ergo neque pertinet ad aliam prædeſtinationem: prædeſtinãtur enim ab æterno illa eadem met, quæ in tempore fiunt, & ſecundum q̃d fiunt: ergo ſicut generatio naturalis per ſe primo attingit totum compoſitum, & ſecũdario partes, nam licet partes prius vniantur quam totum generetur, non tamen prius generantur aut fiunt quam totum, ſed dependenter à toto: ita ſimiliter prius ex parte obiecti prædeſtinatus fuit Chriſtus, vt eſſet per gratiam vnionis naturalis Dei filius, quam ipſa humanitatis aſſumptio ad Verbum.

Confirmatur. Humanitas non fuit prædeſtinata ad gloriam, quæ eſſentialiter in quidditatiua viſione eſt, quod probabitur ſeq. dub. & docet S. Thom. 3. par. quæſt. cit. art. 1. & in Epiſ. ad Rom. lect. 1. ſed ad rationem prædeſtinationis, licet non ſit neceſſarium, vt eius formalis, & primarius terminus ſit operatio ſupernaturalis, requiſitum tamen eſt, vt ſaltem ſit ſecundarius, & conſequens terminus, nam alias ſi Deus leoninam naturam ſibi hypoſtaticè copularet, leo ille vere, & proprie diceretur prædeſtinatus.

Cenſeo igitur propter hæc, & alia huiuſmodi argumenta: humanitatem Chriſti non fuiſſe prædeſtinatam, vt obiectum quod, ad aſſumptionem à Verbo, ſed duntaxat vt obiectum, quo, ita quod prædeſtinationis obiectum, quod, fuit ipſe Chriſtus inquantum homo, non quidem vt aſſumeretur à Verbo, ſed vt eſſet per gratiam vnionis filius Dei naturalis, in qua prædeſtinatione partialiter inuoluitur humanitatis aſſumptio tanquam prærequiſitum medium, & quaſi præſuppoſitum in genere cauſæ materialis ad formalem prædeſtinationis prædictę terminum, & a quo pendet veluti in genere cauſę formalis, ſicut

par.

partes pendent à toto, imperfectionibus tamen ſemotis, nam ſi formalem ſenſum attendamus, hæc eſt vera propoſitio, quia Chriſtus vt homo eſt per gratiam vnionis naturalis Dei filius, humanitas Chriſti ſubſiſtit in Verbo ab ipſo aſſumpta. Si vero minus formalem ſequamur ſenſum, è contra dicendum eſt, quod quia humanitas aſſumpta eſt ad eſſe perſonale Verbi, Chriſtus vt homo naturalis eſt Dei filius per vnionis gratiam.

Ad argumentum pro Scoti ſententia reſpondeo per conceſſionem antecedentis, & primæ conſequentiæ: ad ea vero, quæ in argumento ſequuntur dico, quod Chriſtus non eſt prædeſtinatus, vt aſſumeretur à Verbo; eſt tamen prædeſtinatus, vt ſit Dei filius naturalis, in qua prædeſtinatione includitur velut vt medium, ſeu vt proprius loquar quaſi partialiter, ipſa humanitatis ad Verbum aſſumptio, vnde non conſtituit per ſe propriam rationem termini prædeſtinationis.

Ad confir. negatur minor, nam licet Chriſto non conueniat aſſumi à Verbo, conuenit ei tamen, quod ſit in quantum homo naturalis Dei filius per gratiã vnionis, qui eſt primarius terminus prædeſtinationis Chriſti, in quo, vt dixi, inuoluitur quaſi partialiter humanitatis aſſumptio ad Verbum; atque adeo eius prædeſtinatio dependet à Chriſti prædeſtinatione, & ita partialiter dumtaxat, & ſecundario fuit humanitas Chriſti prædeſtinata ad aſſumptionem, in quo ſenſu intelligendus eſt Aug. in lib. 1. de præd. ſanct. c. 17. cum ait, Prædeſtinata eſt humanæ naturæ tanta, & tam excelſa ſubuectio, vt quo tolleretur altius non haberet, ſicut & ipſa diuinitas pro nobis quo ſe deponeret humillius non habuit, & in eodem ſenſu loquuntur quandoque alij Patres, & viri grauiſs. nam ita dixerunt Mag. in 3. diſ. 10. & S. Thom. ibid. q. 3. quamuis poſtea in 3. par. q. 24. ar. 1. contrarium aperte docuerit, Durand. ibidem q. 3. Hugo de Sanct. Vict. q. 11. ſuper epiſ. ad Roman. Haymon ſuper caput. 1. eiuſd. ſed ij omnes in ſenſu expoſito ſunt intelligendi.

Ad quintum ergo, & vltimum principale argumẽtum tandem ex his reſpondetur, quod gratia prædeſtinationis Chriſti non eius humanitati per ſe primo facta eſt, ſed ipſi Chriſto vt homini, & ratione eius humanitati, & ita non primario, ſed ſecundario prædeſtinata eſt.

SECTIO III. DVBITATIO II.

De proprio, & formali termino prædeſtinationis Chriſti, an fuerit gloria animæ, an naturalis Dei filiatio.

Disputatum eſt præcedenti dubio de Chriſti prędeſtinationis obiecto: de proprio & formali eius termino deinceps erit diſſerendum, cuius rei difficultas in duobus præcipue punctis conſiſtit. Primus punctus eſt, an terminus formalis, & præcipuus prędeſtinationis Chriſti fuerit ipſius animę gloria. Secundus. Vtrũ fuerit naturalis Dei filiatio, & ſigillatim diſputabimus vtrumque iuſtum punctum.

Prima pars deciſionis dubij, vtrum gloria animæ Chriſti fuerit formalis terminus prædeſtinationis Chriſti.

Ad primum ergo deuenientes probatur pars affirmatiua, nimirũ, quod gloria animæ Chriſti fuerit proprius terminus, & formalis prædeſtinationis ipſius Chriſti.

§. 1. *Proponitur argumentum pro parte affirmatiua.*

Primum argumentum. Gloria animæ Chriſti cõparatur ad hypoſtaticam vnionem ſicut finis ad medium: ergo ſimpliciter fuit formalis Chriſti prædeſtinationis terminus. Conſequentia patet, quia terminus ad quem res dicitur ſimpliciter prædeſtinari, eſt finis, & non medium ad illum ordinata. Antecedens probatur dupliciter. Primo quia ſicut ſe habent in nobis merita ad beatitudinem, ita in humanitate Chriſti vnio hypoſtatica. Sicut in nobis confertur tanta gloria propter quantitatem meritorum: ita humanitati Chriſti propter vnionem, quia niſi eſſet vnita Verbo non perueniret ad tantum gradum gloriæ: ſed merita in nobis ordinantur ad beatitudinem ſicut ad finem: ergo etiam vnio humanitatis Chriſti. Secundo, id quod eſt vltimum in exequutione, eſt primum in intentione, atque adeo habet ſe, vt finis: ſed in exequutione prius intelligimus Deum eleuaſſe, ſeu extuliſſe humanitatẽ hanc Chriſti ad vnionem hypoſtaticam, quam contuliſſe illi gloriam animæ, ſicut prius intelligimus rem eſſe quam eſſe beatam, ergo in intentione, atque adeo in genere cauſæ finalis prius voluit conferre illi humanitati gloriam, & deinde decreuit, quod vniretur Verbo hypoſtatice.

Confirmatur. Chriſtus, vt homo eumdem habet vltimum finem, quem habent cæteri homines, nam ſicut habet naturam communem cum eis, ita, & communem finem habet vltimum, in quem tota natura deſtinatur, ſed animæ gloria eſt finis vltimus aliorum hominum; ergo, & Chriſti, vt hominis, atque adeo in hunc finem Chriſtus fuit prædeſtinatus.

Secundum argumentum. Maius bonum eſt reſpectu humanitatis Chriſti viſio beatifica, quam vnio hypoſtatica, ergo potius dicetur prædeſtinata ad viſionem, quam ad vnionem. Patet conſequentia. Vnaquæque res dicitur prędeſtinari ſimpliciter ad id quod eſt maximum bonum ſuum. Antecedens probatur, quia quod eſt generatione poſterius eſt perfectius, vt ſenſitiuum vegetatiuo, ſed via generationis prius fuit hęc humanitas eleuata ad vnionem, quam ad beatitudinem, ergo beatitudo perfectior eſt vnione hypoſtatica.

Tertio. Prędeſtinatio eſt ad aliquod eſſe accidentale, & ſecundum quid: humanitas vero habet ſimpliciter ex vnione cum Verbo, ex gloria vera animę accidentale dumtaxat: ergo potius dicitur prędeſtinari ad gloriã animę, quam ad vnionẽ hypoſtaticam.

Vltimo, alias ſequeretur quod natura bruti poſſet dici prędeſtinata. Conſequens videtur falſum: quia

præ-

Digitized by Google

prędeſtinatio eſt reſpectu doni, quod alicui confertur ex gratia: ſed creatura irrationalis non eſt capax doni, neque gratię, ſicut neque iniurię: ergo neque prędeſtinationis. Probatur ſequela, quia etiam natura alicuius bruti poſſet vniri hypoſtatice perſonæ diuinę, vt nunc ſuppono ex his, quę dici ſolent 3.p. quęſt.4.ar.1.

§. 2. *Pro parte oppoſita.*

IN oppoſitũ eſt Paul. ad Roman. 1. vbi de Chriſto dicit, Quod *prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, &c.* Non dixit eſſe prædeſtinatum in beatitudinem, & gloriam animę ſuę: ſed vt eſſet filius Dei naturalis.

In hoc dubio Scotus in 3. d.7.q.vnica dicit. Chriſti humanitatem prędeſtinatam eſſe, & ad vnionem cum Verbo, & ad ipſam animæ ſuæ gloriam. Principalius tamen, & vltimate ad gloriam, eo quod ipſa hypoſtatica vnio ad gloriam animæ, vt finem vltimum deſtinatur: vnde terminus ſimpliciter prædeſtinationis humanitatis Chriſti, ipſa eſt gloria animæ, id enim, quod vltimum eſt, & finis vltimi rationem ſortitur, terminus eſſe debet ſimpliciter prædeſtinationis.

Contrariam autem ſententiam docet S. Th. 3.p. q.34.ar.1. quæ in duobus diſſidet ab Scot. opinione. Primum in eo, quod S. Th. omnino negat humanitatem prædeſtinatam fuiſſe, vel ad gloriam, vel ad filiationem naturalem, ſed Chriſtum vt hominem dicit eſſe prædeſtinatum. Secundo differt, eo quod negat gloriam eſſe ſimpliciter terminum prædeſtinationis Chriſti. Pro reſolutione ſit.

§. 3. *Prima concluſio.*

CHriſti humanitas non fuit prædeſtinata vel ad gloriam, vel ad filiationem Dei naturalem. Hæc concluſio potius ad primum dubium quam ad iſtud ſecũdum attinere videbatur, ſed non poſſumus non, aliqua permixtim dicere de ſubiecto, & de termino prædeſtinationis Chriſti, quia materia aliud non patitur. Probatur ergo concluſio breuiter. Gloria animæ Chriſti conſiſtit in operatione in beatifica, nimirum, in viſione diuinæ eſſentiæ, at operari non ad naturam pertinet, ſed ad ſuppoſitum, quod per naturam tanquam per formam operatur: ſimiliter natura non eſt filia, vt enim in 1. q. cum de adoptione diſſerebamus, multis explicuimus, relatio filiationis non ad naturam, ſed ad ſuppoſitum pertinet, ergo Chriſti humanitas, neq. ad filiationem Dei naturalem, neq. ad gloriam fuit prædeſtinata.

§. 4. *Secunda concluſio.*

CHriſtus non eſt prædeſtinatus ſimpliciter ad gloriam, & multo minus ad habitualem gratiam. Probatur primo, quia quando aliquis ordinatur ad diuerſa bona tantum dicitur prædeſtinari reſpectu præſtantioris: vt Petrus dicitur prædeſtinatus ad beatitudinem, & non ad Pontificiam dignitatem: ſed humanitas Chriſti fuit ordinata à Deo ad vnionem hypoſtaticam, & ad gratiam habitualem, & viſionem beatificam, & ex his vnio eſt maius bonum, ergo ad vnionem dicetur illa humanitas prædeſtinata, atque adeo Chriſtus vt homo non ad gratiam habitualem, neque ad gloriam fuit prædeſtinatus, vt aſſerit noſtra cõcluſio, ſed vt inferius dicemus ad hoc, vt eſſet filius Dei naturalis. Probo min. primo authoritate S. Th. 3.p.q.4.ar.2.ad 2. vbi ait perfectiorem eſſe vnionem ad Deum ſecundum eſſe, quem ſecundum operationem, & Augu. lib. 13. de Trin. cap. 9. ita inquit, *Cum dixiſſet Euangeliſta, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ne hominum infirmitas tantam excellentiam deſperaret, illico annexum eſt. Verbum caro factum eſt.* Et tract. 2. in Ioan. explicans eadem verba ſic ait. *Quid miratis quia homines ex Deo naſcuntur, attende ipſum Deum natum ex hominibus.* Et præterea ratione, quia melius eſt vniri Deo ſubſtantialiter, & ſecundum ſuam entitatem, quam accidentaliter, & ſecundum participationem, ſed priori modo vnitur humanitas Deo ratione vnionis hypoſtaticæ, poſteriori vero ratione gratiæ habitualis, & viſionis beatificæ, ergo vnio hypoſtatica eſt maius bonum.

Secundo probatur. Prędeſtinatio tantum eſt ad illud bonum, quod ex gratia conuenit rei prædeſtinatæ, ſed Chriſto, vt homini debita eſt, & connaturalis gloria animę, & omnis ſupernaturalis perfectio, quæ ad ipſam gloriam diſponit, ergo Chriſtus non fuit prędeſtinatus ad gloriam, neq. ad gratiam, neq. ad aliqua huiuſmodi ſupernaturalia bona. Conſequentia eſt euidens, quoniam nõ ex gratia tribuitur bonum ei, cui eſt ex ordine connaturalitatis debitũ. Maior ex dictis in hac q. conſtat, & minor probatur. Humanitati Chriſti ſuppoſita vnione hypoſtatica ad Verbum debita ſunt illa prædicta bona, & habẽt modum proprietatis naturalis, vt ſuperius q. 2. a.2. declaratum fuit, ergo cum Chriſtus non poſſit ordinari ad hęc bona, ad gloriã, ſcilicet, & habitualem Dei gratiam, niſi per humanitatem hypoſtatice Verbo vnitam, manifeſtum eſt non potuiſſe ad illam prædeſtinari; eo quod erant illi debita ex vi hypoſtaticæ vnionis.

Ex his facile poteſt colligi reſolutio ad tertium ſeptimæ quæſtionis principalis in cuius diſputatione verſamur, quo quæritur. An gratia habitualis ex vi prædeſtinationis Chriſto competat. Reſpondendum eſt enim negatiue ſi formalis fiat ſermo, quo de prædeſtinatione ad ipſam gratiam, aut gloriam loquamur. Quod ideo hoc Verborum tenore dixerim, quia negari non debet, conuenire Chriſto habitualem gratiam, & gloriam, mediate, & ſecundario ex vi prædeſtinationis, qua prędeſtinatus eſt Dei filius naturalis: eo quod gratia habet ſe, vt ſecundarius terminus prædeſtinationis huius, ad eum modum quo proprietas rei naturalis ſe habent, vt ſecundarius terminus generationis eius.

§. 5 *Solutiones argumentorum initio dubitationis propoſitorum.*

AD argumenta reſpondetur. Ad primum nego antecedens, ad probationem ſimiliter, namquamuis Chriſto fuerit collata tanta gloria propter vnionem, ſed tamen non tanquam propter me-

medium, ſed tanquam propter cauſam ex qua ſequebatur: ſicut ex forma ignis ſequitur maior calor, quam ex forma aeris, & tamen forma ignis non ordinatur in calorem vt medium in finem, ſed vt cauſa in effectum. Ad ſecundam probationem dicitur, maximam illam non eſſe veram, quando illud, quod eſt prius in executione, eſt ſimul prius in cauſalitate, ſicut patet in eſſentia, & paſſionibus, quæ ex illa dimanant.

Ad confirmationem reſpondetur, quod ſi de fine naturali humanitatis, eiuſque naturæ proportionato ſermo fiat, idem prorſus eſt finis vltimus humanitatis Chriſti, ſeu Chriſti vt hominis, qui eſt finis Petri, & cuiuſuis alterius hominis. Si vero de vltimo ſupernaturali fine loquamur, non ita ſe res habet, longe enim altior finis fuit humanitatis Chriſti, ſeu Chriſti vt hominis, quam ſit finis vltimus cuiuſuis puræ creaturæ. Finis enim Chriſti vt hominis non eſt alius quam quod ſit filius Dei naturalis, ſicut enim Deus non habet finem extra ſe ipſum, ita neque Chriſtus ordinatur ad aliquem finem à ſe ipſo diſtinctum. Hoc enim ad ipſam Chriſti excellentiam attinuit, cui derogaret quamplurimum finis ab ipſo perſonali eſſe diſtinctus. Neque vero Chriſti humanitati deeſt perfectio illa ſupernaturalis, quæ in alijs hominibus eſt vltimus eorum finis, videlicet, gloria, quæ in faciali Dei viſione conſiſtit. Sed hæc perfectio altiori modo competit Chriſto: nam, vt diximus, conuenit illi per modum proprietatis naturalis ex hypoſtatica vnione reſultantis: atque adeo conuenit non vt præmiũ ab alio expectatum, & ab extrinſeco receptum: ſed vt perfectio ſibi connaturalis, & ab intrinſeco trahens originem.

Ad ſecundum argumentum negatur maior. Ad probationem reſpondetur, quod tunc id quod eſt poſterius generatione eſt perfectius, cum ſimul eſt finis prioris: cum vero non eſt finis, ſed conſequutio ad illum vt effectus ad ſuam cauſam, potius eſt minus perfectum, ſicut patet in exemplo adducto de paſſionibus comparatis ad ſuam eſſentiam. Et ita, quia vnio hypoſtatica eſt cauſa efficiens, & finalis viſionis beatificæ, & gratiæ habitualis, quamuis ſit prima generatione, poterit eſſe perfectior.

Ad tertium reſpondetur maiorem illam eſſe veram reſpectu rei, quæ eſt per eſſe naturale, quia cum tale eſſe non poſſit rei conuenire per gratiam, non poterit eſſe terminus prædeſtinationis: & ideo ſi illa res ſit prædeſtinata, non poterit eius prædeſtinatio terminari ad eſſe per quod ſimpliciter eſt; ſed ſolum ad aliquod eſſe ſuperadditum, & accidentale. Quando vero illud eſſe per quod aliqua res ſimpliciter eſt, conuenit illi ex gratia, & eſt illi ſupernaturale, non eſt vera maior illa, quia nihil deeſt illi eſſe, vt ſit terminus prædeſtinationis. Et ita contingit in præſenti: quia vniri verbo hypoſtaticè, euenit illi humanitati ex gratia, & eſt illi ſupernaturale. Itaque non impedit prædeſtinationem, quod terminus ſit ipſum eſſe ſubſtantiale rei, quæ prædeſtinatur: ſed quod ſit eſſe ad naturalem ordinem ſpectans. Præterea dicitur ſecundo, quod quia humanitas in Chriſto ſubſiſtit per Eſſe Verbi, poteſt commode intelligi in hoc myſterio, quod obiectum prædeſtinationis præſupponatur eius termino, vt conſtabit ex dicendis ſequenti puncto. Solutio. ad 1. Aliud forſan eſſet, ſi de eſſe proprio humanitatis tractaretur.

Ad vltimum argumentum non deſunt, qui libenter concedant, quod ſi Deus aſſumeret naturam brutam. V.G. leoninam, Leo ille diceretur prædeſtinatus filius Dei naturalis. Cui ſententiæ nullatenus libet ſubſcribere, eo quod prædeſtinatio intrinſecè importat gratiam, quæ ex vi ordinationis diuinæ rei prædeſtinatæ confertur in tempore. Natura autem bruta nullatenus eſt gratiæ ſuſcipiendæ capax: vnde ad argumentum neganda eſt ſequela propter iſtam rationem inſinuatam: & magis in forma dici poteſt, quod in illo caſu deeſſet terminus prædeſtinationis formaliter conſideratus. Terminus namque prædeſtinationis, de qua loquimur, non ſolum eſt filiatio Dei naturalis, ſed filiatio naturalis Dei per gratiam conferenda. Et hoc ſecundum deeſſet in illo caſu, eo quod ſubiectum eſſet incapax talis gratiæ. Memini me ſuperius queſt. 1. in quodam ſpeciali dubio diſputato de Chriſti ſanctificatione nonnulla dixiſſe, quæ ad huius argumenti ſolutionem commodè transferri poterunt.

SECVNDA PARS DECISIONIS DVBII.

Vtrum naturalis filiatio ſit formalis terminus prædeſtinationis Chriſti.

SEcundus, & præcipuus difficultatis huius diſputandæ punctus ſuccedit, in quo explicandum eſt: num filiatio Dei naturalis ſit proprius, formalis, & præcipuus prædeſtinationis Chriſti terminus, & ex quo Chriſti prædeſtinatio ſuam propriam, & formalem rationem deſumat: ita quod Chriſtus verè & propriè ſit, & dicatur prædeſtinatus Dei filius. Cuius dubitationis negatiuam ſententiam argumenta ſequentia comprobant.

§. 1. *Proponuntur argumenta pro parte negatiua.*

PRimũ argumentum. Id quod eſt terminus prædeſtinationis debet eſſe prædeſtinato poſterius tẽpore, vel natura; ſed eſſe filiũ Dei naturalem nec tempore, nec natura eſt poſterius Chriſto, vt homo eſt: ergo non eſt terminus prædeſtinationis Chriſti. Minor probatur, quia cum Chriſtus in quantum homo ſit ſuppoſitum, & non ſola natura, includit perſonalitatem Verbi, & ex conſequenti filiationem Dei naturalem, quæ eſt ipſa perſonalitas: ergo Chriſtus vt homo nullo modo præcedit id quod eſt eſſe filium Dei.

Secundum argumentum. Terminus formalis prædeſtinationis nequit includi in proprio eiuſdem prædeſtinationis obiecto: ſed eſſe filium Dei naturalem, intrinſecè clauditur in Chriſto, qui eſt proprium huius prædeſtinationis obiectum: ergo eſſe naturalem Dei filium non eſt terminus per ſe, & formalis prædeſtinationis Chriſti. Maior conſtat ex illo præſuppoſito fundamento, quod vniuerſi Theologi libenter admittunt, videlicet, terminum prædeſtinationis debere eſſe gratiam, & liberali donatione conueniri prædeſtinationis obiecto, quod fundamentum locum non haberet, ſi prædeſtinationis terminus intrin-

Digitized by Google

trinſecè clauderetur in obiecto prædeſtinationis eiuſdem. Minor apparet manifeſta ex ſuperius dictis: Chriſtus enim importat diuinum verbum in natura humana ſubſiſtens.

Dices forſan, quod licet Chriſtus abſolutè conſideratus includat intrinſecè filium Dei naturalem, ſecus tamen eſt, ſi de Chriſto cum ſpecificatione, prout eſt homo loquamur: Chriſtus enim ſecundum quod homo, neque Deus eſt, neq; proinde naturalis Dei filius, vt ex S. Th. 3. p. q. 16. ar. 11. cõſtat. At Chriſtus non abſolutè ſumptus, ſed ſecũdum quod homo eſt obiectum prædeſtinationis huius. Sed contra hãc ſolutionem manifeſta inſurgit replica. Res illa cui nequit ſimpliciter competere formalis prædeſtinationis terminus, nequit eſſe proprium eiuſdem prædeſtinationis obiectum: ſed Chriſto vt homini non poteſt ſimpliciter competere eſſe filium Dei naturalem, vt aſſignata ſolutio admittit: ergo non eſt obiectum prædeſtinationis huius: atque adeo Chriſtus abſolutè conſideratus, cui intrinſeca eſt naturalis Dei filiatio, obiectum eſt illius prædeſtinationis. Si dixeris, quod Chriſtus inquantum homo ſumitur in ſenſu, in quo S. Thom. loco citato concedit, quod Chriſtus inquantum homo eſt Deus, qui ſenſus eſt iſte: quod Chriſtus in natura humana exiſtens eſt Deus. Contra: ergo iam admittis in obiecto prædeſtinationis intrinſecè claudi terminum. Patet manifeſtè ex dicta explicatione, ex qua conſtat, quod Chriſtus vt homo importat Dei filium in natura humana ſubſiſtentem.

Tertium argumentum. Non eſt ſignabilis aliqua formalis ratio, propter quam Chriſto conueniat eſſe prædeſtinatum Dei filium naturalem: ergo nec formaliter concedi poteſt, quod Chriſtus prædeſtinatus eſt naturalis Dei filius: atque adeo eſſe naturalem Dei filium, non eſt formalis prædeſtinationis Chriſti terminus. Probo antecedens (nam conſequentia apparet manifeſta) Diuinum Verbum in natura humana ſubſiſtens, non eſt formalis ratio, propter quã Chriſtus ſit prædeſtinatus filius Dei: Nam eſſe filiũ Dei naturalem nullatenus ex vi prædeſtinationis cõuenit verbo in humana natura ſubſiſtenti, quia non ex gratia, ſed per naturam illi competit: humanitas vero conditio quidem eſſe poteſt neceſſaria ad hãc prædeſtinationem, vt dicebamus in primo huius dubitationis puncto: at ratio formalis minimè poteſt eſſe: non enim formaliter competit Chriſto eſſe filium Dei ratione humanitatis, atque adeo neque quod ſit prædeſtinatus filius Dei.

Quarto arguitur. Non eſt concedendum hominem Chriſtum factum eſſe Deum, aut filium Dei, vt docet S. Thom. 3. par. q. 16. ar. 7. Ergo nec eſt concedendum prædeſtinatum eſſe, vt filius Dei. Patet conſequentia, quia quod prædeſtinatur ab æterno, fit in tempore.

Vltimo probatur, quòd Chriſtus ſit prædeſtinatus filius Dei. Non ſufficienter colligitur ex illo Pauli teſtimonio ad Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, &c.* ergo ſine ſufficienti fundamento aſſeritur, quod eſſe naturalem Dei filium eſt formalis terminus prædeſtinationis Chriſti. Antecedens patet, quoniam illa verba Pauli diuerſimode à Patribus explicantur.

§. 2. *Referuntur DD. ſententiæ.*

IN hoc dubio Durand. in 3. diſt. 7. quæſt. 3. quem refert, & videtur ſequi Palud. ibidem exiſtimat, quod licet lata quadam, & impropria acceptione dici poſſit Chriſtus prædeſtinatus filius Dei naturalis: in quo ſenſu Sancti Patres vſi ſunt hoc modo dicendi, propriè tamen, & ſecundum ſermonis rigorem id non eſt concedendum: non enim, inquit, terminus formalis prædeſtinationis Chriſti eſt eſſe filium Dei naturalẽ, ſed ſupernaturalis animæ Chriſti beatitudo, ſicut dici ſolet de prędeſtinatione aliorum hominum.

De hac ſententia Durandi quatenus affirmat, formalem terminum prædeſtinationis Chriſti ipſam fuiſſe gloriam, & beatitudinem animæ eius, idem prorſus eſt dicendum, & cenſendum, quod diximus, & cenſuimus paulo ante, de ſimili Scoti opinione; & eiſdem prorſus argumentis vtraque confutanda eſt ſententia. Quocirca in præſenti id ſolum tractãdum eſt, an verè, & propriè dici debeat, quod terminus formalis prædeſtinationis Chriſti eſt eſſe filium Dei naturalem, qua in re adhuc peius Durand. loquutus fuit, quam Scotus. Etenim Scotus etſi præcipuum prædeſtinationis Chriſti terminum exiſtimauerit eſſe gloriam animę eius, non tamen negauit filiationem Dei naturalem ad Chriſti prædeſtinationem pertinere: quamuis in eo etiam errauit, quod hanc prædeſtinationem non tam ad Chriſtum, quam ad humanitatem retulit, tanquam ad proprium eius obiectum: humanitatem enim dixit prędeſtinatam fuiſſe ad hypoſtaticam vnionem cum verbo. Durandus vero abſolutè reijcit à termino prædeſtinationis Chriſti ipſam naturalem Dei filiationem, neque admittit, poſſe dici Chriſtum fuiſſe ad hunc terminum prædeſtinatum, niſi magna cum improprietate. Sed ad veritatis deciſionem vnica eſt concluſione reſpondendum.

§. 3. *Vnica concluſio.*

TErminus prædeſtinationis Chriſti eſt eſſe filium Dei naturalem, & ita verè, & propriè concedẽda eſt hæc propoſitio, Chriſtus in quantum homo prædeſtinatus eſt vt ſit filius Dei naturalis: ita tenet S. Tho. 3. p. q. 24. ar. 1. quem ſequuntur Caiet. & cæteri Thomiſtę, idem docent Riccard. in 3. d. 7. q. 3. ar. 2. Marſil. q. 7. ar. 2. & fere omnes Scolaſtici cum Mag. in 3. q. 7. Probatur primo teſtimonijs Sãctorũ Patrum Aug. lib. de præd. ſanct. c. 15. ita inquit: *Ipſũ dominum gloriæ in quantum homo factus eſt Dei filius prædeſtinatum eſſe didicimus:* & ſtatim ex illis verbis Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute,* ita colligit. *Prædeſtinatus eſt ergo Ieſus, vt qui futurus erat ſecundum carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute filius Dei.* Et Anſelm. explicans prædicta Paul. verba ſic ait. *Prædeſtinatus, ideſt, præordinatus à Deo Patre ſecundum humanitatem, hoc eſt, ſola gratia prædeſtinatus, vt qui futurus erat ſecundum carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute diuinitatis filius Dei.* Gloſa interlinealis eadem verba ſic exponit. *ſecundum quod homo, gratia ſola praelectus, vt ſit filius Dei.* Colligitur etiam ex Concilio Toleta. 11. in

pri-

Digitized by Google

profeſſione fidei, vbi de Chriſto dicitur, quod in quãtum de Maria Virg. eſt natus prædeſtinatus eſſe credendus eſt. Sed non eſt prædeſtinatus, vt ſit filius Dei adoptiuus, vt probauimus ſup. q. 1. Ergo vt ſit filius Dei naturalis. Patet conſequentia quia tantũ tribuitur ſuppoſitis prædeſtinatio in ordine ad aliquã filiationem Dei. Poteſt etiam probari ex verbis citat. Rom. 1. quæ ita intelligunt Auguſt. Anſelmus, Gloſa interlinea. An vero ex loco illo ita colligatur iſta cõcluſio, vt certa ſit ſecundum fidem, dicemus in ſolutione ad vltimum.

Secundo probatur ratione, quia Chriſto, in quantum homo eſt, conuenit ex gratia eſſe filium Dei naturalem, ſcilicet, ex gratia vnionis: ergo per prædeſtinationem, ergo eſſe filium Dei naturalem eſt terminus prædeſtinationis. Prima conſequentia patet, quia quod in tempore conuenit ex gratia, ab æterno eſt à Deo prædeſtinatum, ſed prædeſtinatio illa pertinet ad Chriſtum: ergo, &c. Secunda conſequentia probatur, quia eſſe filium Dei naturalem eſt ſummũ omnium, quæ ex gratia conueniunt Chriſto, in quantum eſt homo, vt ſupra probauimus: ergo eſt terminus ſuæ prædeſtinationis.

Sed ad plenam huius concluſionis intelligentiam notandum eſt primo, quòd eſſe filium Dei naturalẽ, niſi quid amplius addamus, neque eſſe alicuius prædeſtinationis terminus: quia nihil deſignat gratuitum, & ad liberalitatem pertinens: ſed ad naturalem neceſſitatem diuinæ generationis. Quocirca formalis terminus prædeſtinationis Chriſti, totum hoc dicit, ſcilicet, eſſe filium Dei naturalem ex vi gratiæ vnionis. Qua ratione ipſum eſſe naturalem filium Dei, modum induit gratuiti doni: an vero ad rationem formalem termini prædeſtinationis Chriſti formaliter ſpectet ipſa gratuita ratio, non conuenit inter omnes Theologos. Quidam. n. conditionem tm̃ requiſitam eſſe cenſent. Alij vero arbitrantur in ipſa formali termini prædeſtinationis eſſentia includi. Itaque in hac ſecunda opinione, filiatio Dei naturalis non eſt terminus prædeſtinationis Chriſti, niſi prout formaliter induit rationem gratuiti doni, & liberaliſſimi beneficij. Et hæc ſententia mihi gratior eſt, & probabilior, quia prædeſtinatio ex propria, & intrinſeca ſui ratione reſpicit bonum ex gratia de liberalitate conferendum.

Secundo eſt notandum: Terminum prædeſtinationis Chriſti dupliciter poſſe ſumi: primo in abſtracto, vt ſignificatur per hoc complexum, Filiatio naturalis Dei gratuita. Secundo in concreto, vt ſignificatur hoc modo: filius Dei naturalis ex gratia. Si priori modo ſumatur, terminus formalis & proprius prædeſtinationis Chriſti non includit formaliter humanitatem, ſed ipſum eſſe perſonale diuini verbi cum habitudine ad humanitatem, tamquam ad ſubſtantialem naturam, cui ex gratia communicatur. Si vero accipiatur poſteriori modo, non ſolum ipſum eſſe perſonale diuini verbi importat, ſed & humanam quoque naturam, diuino verbo perſonaliter vnitam. Vnde terminus prædeſtinationis Chriſti in concreto ſumptus eſt ipſemet Chriſtus, in abſtracto vero nequaquam, ſed ipſa verbi ſubſiſtentia humanitati per gratiam vnionis communicata: ita quod humanitas non ingrediatur intrinſecè ipſam formalem termini prædeſtinationis rationem, ſed potius ſe teneat ex parte obiecti, cui ſubſiſtentia verbi communicatur.

Ex hoc ſequitur, quod ſi loquamur de termino prædeſtinationis Chriſti, vt eſt terminus, Qui, & de obiecto, Quod, eiuſdem prædeſtinationis, ipſe Chriſtus eſt, & terminus, & obiectum prædeſtinationis ſuæ. Si vero de termino, Quo, & de obiecto, Quo, fiat ſermo, non ita coincidunt obiectum & terminus prædeſtinationis Chriſti. Terminus enim, Quo, eſt ipſa verbi ſubſiſtentia humanitati gratuito communicata. Obiectum autem Quo, eſt ipſa humanitas, prout ipſi communicatur verbi ſubſiſtentiæ. Quocirca illi Theologi, qui obiectum & terminum prædeſtinationis Chriſti penitus confundunt, abſolutè, & abſque diſtinctione, aſſerentes ipſum Chriſtum vtramque & termini & obiecti prædeſtinationis rationem complecti, non exactè, & debitè loquuntur. Oportet enim rationem termini à ratione obiecti ſecernere, etſi in vno & eodem Chriſto vtraque coincidat ratio: dicendumque eſt, quod Chriſtus ratione humanitatis habet eſſe prędeſtinationis obiectum, quia ratione humanitatis prædeſtinatur, vt per gratiam vnionis ſit naturalis Dei filius. Itaq; licet ratione humanitatis non habeat quod ſit Dei filius, habet tamen quod ſit Dei filius per gratiam vnionis, non quod ipſa humanitas aliqua ratione ſit filia, aut conferat Chriſto diuinam filiationem: Sed conſtituit Chriſtum quaſi ſubiectum capax, vt ei per gratiam competat illamet naturalis Dei filiatio, quæ diuino verbo ſecundum ſe conſiderato purè naturalis eſt & neceſſaria: & quoniam diuina filiatio (vt dixi) in præcedenti notabili, non aliter eſt, neque eſſe poteſt prædeſtinationis Chriſti terminus, niſi prout formaliter induit rationem gratuiti doni, idcirco humanitas ſimpliciter eſt prima, & fundamentalis ratio, ex qua Chriſtus habet vt ſit ſuæ prædeſtinationis obiectum. Eſſe namque obiectum prędeſtinationis ad indigentiam pertinet: res enim quæ tam perfecta eſt, & ab omni indigentia tam elongata, vt nulla ei poſſet fieri gratia, nullaque gratuitæ perfectionis acceſſio, minimè poteſt eſſe alicuius prædeſtinationis obiectum. Econtra autem de prædeſtinationis termino dicendum arbitror, nimirum, quod prima & formalis ratio, ex qua Chriſto competit terminum prædeſtinationis eſſe, non eſt humanitas, ſed ipſamet verbi ſubſiſtentia, quatenus propter ſuã excellentiam & infinitatẽ apta nata eſt ſeipſam communicare per gratiã vnionis extraneæ naturæ communicatione ſubſtãtiali. His adnotatis, & ſuppoſitis ad ſolutionem argumentorũ oportet procedamus.

§. 4. *Soluuntur argumenta in oppoſitum, & diffusè ſoluitur primum, & referuntur, & impugnantur diuerſa ſolutiones.*

PRimum argumentum præcipuam huius dubitationis difficultatem continet: magnumque proinde Theologis ſemper faceſſit negotium, cuius exactam ſolutionem, vt liberè dicam, neque legi, neque audiui: referam breuiter ſolutiones, quæ à diuerſis aſſignantur Theologis, ſimulque inſinuabo, quid in earum qualibet mihi diſpliceat, deinde pro-

priam ſolutionem aperiam. Tentabo enim ego aliquid aliorum dictis addere, vt experiar ſi fortaſſis rei punctum attingam.

Prima ſolutio eſt illa, cuius meminit Durandus, falſo eam S. Thom. imponens; Aſſerit hæc ſolutio, quod vnione hypoſtatica humanitatis ad Verbum ſuppoſita, ex vi prædeſtinationis conſequutum fuit, vt hæc propoſitio, Chriſtus eſt filius Dei naturalis, eſſet vera. Itaq; ipſa realis vnio humanitatis ad Verbum habuit rationem obiecti præſuppoſiti: & veritas propoſitionis inde conſequens rationem termini.

Hæc tamen ſolutio, primum eſt impertinens, & ad Nominalium doctrinam pertinet, qui de vocibus potius, quam de rebus tractarunt. Nos enim in præſentia de re diſſerimus, quæ fundamentum eſt veritatis propoſitionis, & non de formali eius veritate. Deinde falſa eſt etiam, & improbabilis illa ſolutio, quatenus habet, quod obiectum prædeſtinationis præſuppoſitum, eſt ipſa humanitatis vnio ad Verbum, & quod veritas enunciationis prædictæ eſt ipſe prædeſtinationis terminus. Quod hoc ſit falſum patet, Terminus prædeſtinationis non neceſſario eius obiectum conſequitur, ſed gratia prædeſtinantis ei competit: at præſuppoſita reali vnione humanitatis ad Verbum, neceſſario ſequitur illius propoſitionis veritas, & non aliqua ſpeciali Dei gratia indiget, vt ſequatur: ergo falſa eſt aſſignata ſolutio.

Secunda ſolutio quam adhibet Caiet. 3. p. q. 24. ar. 2. aſſerit, quod quamuis ſecundum rem, non fuerit prius Chriſtum eſſe hominem, quam Chriſtus inquantum homo fuerit per gratiam vnionis naturalis Dei filius, in apprehenſione tamen intellectus, prius potuit concipi Chriſtus, ſeu Deus homo, ſecundum quandam rationem communem, quam conciperetur diſtinctè, & in particulari inquantum filius Dei naturalis. Nam cum incarnatio Verbi duobus modis poſſit intelligi facta, vno modo ſecundum quod de facto contingit, & vt catholica docet fides, nimirum, per hypoſtaticã vnionem humanitatis ad Verbum: alio modo per quandam vnionem affectiuam, quam confinxerunt hæretici, præſertim Neſtoriani, potuit intellectus concipere Verbum incarnatum in communi, in abſtractione ab his duobus modis incarnationis: quo ſuppoſito, inquit Caieta. quod Chriſtus conceptus illo prædicto communi conceptu, præſuppoſitus fuit ad prædeſtinationem qua in particulari prædeſtinatus eſt, vt eſſet naturalis Dei filius ſecundum hypoſtaticam vnionem. Et Chriſtus ſecundum communem illam rationem conceptus, fuit obiectum prædeſtinationis, & in particulari cõſideratus naturalis Dei filius per gratiam vnionis, termini rationem habuit.

Iſta ſententia multis grauiſſimis diſplicuit, & nõnulli quidem eam impugnant quibuſdam argumentis ſatis debilibus, imo & impertinentibus, ex ratione generis, & differentiæ deſumptis; à quibus argumentis conſulto abſtinebo, tum quia logicam potius quam Theologiam redolent, tum præcipuè quia nullius ſunt difficultatis, & momenti. Ex triplici ergo capite hanc ſolutionem vrgeo.

Primo, quia modus ille incarnationis ab hæreticis confictus, ab ipſis quidem appellari potuit incarnatio, à diuino autem intellectu minime valuit ſub ratione incarnationis concipi: quoniam illa affectiua vnio Verbi ad hominem, nihil habere potuit cũ incarnatione commune, neq; eſſe poſſet alterius rationis, ab illa vnione, quæ eſt ſecundum gratiam: & ita illa affectiua vnio adoptiuum filium Dei, & non naturalem conſtituere poſſet, quod neq; ipſi Neſtoriani hæretici diffitebantur: ergo non potuit eſſe in diuino intellectu, illa communis incarnationis conceptio à Caiet. conficta.

Secũdo. Prædeſtinatio eſt opus ſpecialiſsimę prouidentiæ: ergo tam terminus, quàm obiectum prædeſtinationis, debent in particulari conſiderari, & non ſecundum rationem communem, indeterminatam, & confuſam.

Tertio. Illud eſt obiectum prædeſtinationis, cui ex vi prædeſtinationis tribuitur illud bonum, quod rationem termini ſibi vendicat, ſed eſſe verum Dei filium, qui eſt terminus prædeſtinationis Chriſti, non conuenit Chriſto ſecundum illam communem rationem conſiderato: ergo Chriſtus ſic in communi conceptus non fuit obiectum prædeſtinationis, qua prædeſtinatus eſt, vt eſſet naturalis Dei filius: atque adeo etiam ſi admittamus illam communem conceptionem in intellectu diuino, adhuc reſtat inquirendum, & explicandum, an præceſſerit, & quomodo præceſſerit Chriſti prædeſtinationis obiectum.

Tertia ſolutio, Caietani ſolutione prætermiſſa, dicit, quod obiectum prædeſtinationis Chriſti, eſt hic homo, deſignata Chriſti humanitate in ſuppoſito, in abſtractione à ſuppoſito creato humanitatis proprio, & à ſuppoſito diuino increato. Putant enim huius ſolutionis Auctores quod ſi hæc eadem Chriſti humanitas, quæ nunc eſt in diuino ſuppoſito, ſubſiſteret in ſuppoſito proprio, & ſibi connaturali, ſimpliciter eſſet idẽ homo, qui modo eſt Chriſtus, propter omnimodam humanitatis identitatem. Quo ſuppoſito dicunt, quod huic homini in abſtractione à ſuppoſito creato, & increato, per gratiam vnionis potuit competere, quod eſſet naturalis Dei filius, atque adeo, rationem habuit obiecti prædeſtinationis Chriſti in diuino intellectu ad eius prædeſtinationem præſuppoſiti. Prius enim diuinus intellectus concepit hunc hominem ſecundum abſtractionem prædictam, quam illum prædeſtinauerit, vt eſſet naturalis Dei filius.

Hanc ſolutionem reprobant alij Theologi, & meo iudicio, non immeritò, quamuis non omnes firmis rationibus eam confirment. Quidam enim, ob id eam falſam eſſe contendunt, quia inquiunt, Illa cognitio, qua Deus ante prædeſtinationem Chriſti præconcepit hunc hominem, abſtrahendo à ſuppoſito creato, & increato, non pertinuit ad ſcientiam viſionis, quia per hanc ſcientiam res illæ dumtaxat cognoſcuntur, quæ determinatum eſſe habent, vel habebunt in aliqua temporis differentia, in qua ille homo ſic in communi conſideratus, neque habuit, neque habebit eſſe: Obiectum autem prædeſtinationis præſupponi debet ad prædeſtinationem præcognitum per viſionis ſcientiam; inſufficiens ergo eſt illa aſſignata ſolutio.

Hæc tamen argumẽtatio forſan eſt inualida. Eſſet quidẽ efficax, ſi ſermo fieret de obiecto prædeſtinationis, quę terminũ reſpicit accidẽtalẽ: at in prędeſtinatione

natione

Digitized by Google

natione, quæ eſt ad eſſe ſubſtantiale, tanquã ad proprium terminũ, non eſt neceſſaria præcognitio obiecti ad viſionis ſcientiam ſpectans, imo videtur talis præcognitio impoſſibilis. Alter ergo impugnatur illa ſolutio: primo, illa cognitio, qua cognoſceretur hic homo ſm̃ abſtractionem prædictam, confuſa eſt, & indeterminata: ergo non eſt conueniens prædeſtinationi Chriſti, quę eſt ſpecialiſſima prouidentia, res in ſingulari, & in athomo conſiderans, & prædefiniens. Reſpõdẽt præfatæ ſolutionis Authores, quod illa præconceptio, idcirco non eſt indeterminata, & cõfuſa, quia, vt paulo ante dicebatur idẽ homo eſſet, ſi natura illa ſingularis humana proprio & naturali terminaretur ſuppoſito, etſi in ſuppoſito diuino, & increato ſubſiſteret, vt ſubſiſtit de facto. Cæterũ hæc doctrina non facilis apparet intelligentiæ; incredibile eſt. n. quod variatis ſuppoſitis propter ſolã naturæ identitatẽ, tam eſſet vnus & idem homo, vt vnico, & eodem ſingulariſſimo cõceptu cõprehenderetur. Eſſet quidem vnus homo ratione humanitatis, ſed quia ſingularitas numerica non tam à forma, quam à materia deſumitur, eſſent ſimpliciter duo homines propter ſuppoſitorum diuerſitatẽ, quæ cõparatione ad naturã, modum quendam ſortiuntur materialem. Quæ ratio procederet, etiam ſi vtrumq; ſuppoſitum creatum eſſet, & ab ipſa natura in ſua penderet ſubſiſtentia: ſed habet tñ ſpecialiorem vim in ſuppoſitis, quorũ alterũ eſt increatum, & in ſua ſubſiſtentia ab humanitate independens ipſam ad ſuum eſſe perſonale trahens: alterum vero creatum, & ab ipſa intrinſecè pendens natura. Et vrgeo preſsius rẽ iſtam. Supponamus, quod modo humanitas relicta à Verbo ſubſiſteret in ſuppoſito creato, quod appellaretur Petrus. Bene ſequeretur Chriſtus eſt hic homo, Petrus eſt hic idẽ homo: ergo Petrus eſt Chriſtus. Conſequens eſt abſurdum dictu: ergo & antecedens eſt falſum, non pro maiori, vt patet: ergo pro minori. Præterea, vel cum concipitur hic homo, deſignatur ſola humanitas, vel ſuppoſitum in humanitate ſubſiſtens. Primum dici non poteſt, quia humanitas nõ eſt homo, ſed forma & natura hominis: ſi vero ſm̃ dicitur: ergo ſi confuſionem, & indeterminationẽ velimus fugere, neceſſum eſt, quod deſignetur in particulari ſuppoſitum creatũ, aut vero increatum; & ſi increatum deſignetur, iam præſupponitur prædeſtinationis terminus in eius obiecto: nam hic homo, vt deſignat increatum ſuppoſitum in humana natura ſubſiſtens, filius Dei naturalis eſt. Si autẽ deſignetur creatum ſuppoſitum, non poterit probabiliter dici, quod in illo conceptu præſupponitur obiectum prędeſtinationis Chriſti, quia ſuppoſito creato nullatenus poteſt competere eſſe naturalem Dei filium per hypoſtaticam vnionem, qui eſt vltimus prædeſtinationis Chriſti terminus: ergo illa ſolutio nulla poteſt veritate ſubſiſtere.

Sed tandem ipſam impugno eodem argumento, quo Caiet. ſolutionem confutaui. Illi homini ſic prǫcõcepto in abſtractione à ſuppoſito creato, & increato, nequit in tempore conuenire terminus prædeſtinationis Chriſti, nempè, naturalis Dei filiatio, quod adeo notũ cunctis eſt, vt ſuperuacaneum ſit eius probationi intendere: ergo non eſt ipſum Chriſti prędeſtinationis obiectum. Atq; adeo ſupereſt adhuc exponere, quo pacto obiectum prædeſtinationem anteceſſerit, ſaltem in æterna Dei præconceptione.

Eſt quarta ſolutio, aliuſq; quartus dicendi modus, ab alijs Theologis minimè indoctis excogitatus, & probatus, qui aſſerit, obiectũ prædeſtinationis Chriſti fuiſſe hunc hominẽ, prout hic homo, vt deſignat ſuppoſitũ diuinum ſubſiſtẽs in natura humana, quatenus humanitati confert eſſe ſuppoſitale, cõſtituitq; hunc hominem, non vero dat illi, quod ſit naturalis Dei filius, ſed hoc ei cõpetit ex ſpeciali diuinæ prædeſtinationis gratia: quam Chriſtus deſignauit. Io. c. 10. illis verbis, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, &c.* Quam ſanctificationem Hyla. lib. 7. de Trinit. expoſuit de prædeſtinatione: inquit. n. ſanctificationẽ iſtam explicuiſſe Paul. Rom. 1. illis verbis. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnẽ, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis.* Chriſtus ergo, inquiunt, illo cõceptu præſcitus, obiectũ fuit prædeſtinationis Chriſti ad prædeſtinationẽ præſuppoſitũ: quod obiectum ad ſcientiã viſionis attinuit: ita quod prius natura ſm̃ exequutionis ordinẽ intelligimus prǫextitiſſe Chriſtum in ratione ſuppoſiti diuini, ſimul & humani, quã qđ ille homo Chriſtus naturalis eſſet Dei filius.

Hic tamen dicendi modus mihi nullam præfefert probabilitatis apparentiam; & ſi alijs me doctioribus poſſit forſan apparere probabilis. Et argumẽtor aduerſus illũ. Primo, hic modus dicendi non euitat difficultatem, de qua eſt controuerſia, qm̃ illud ſuppoſitum, quod prædicta ſentẽtia dicit fuiſſe obiectũ prædeſtinationis Chriſti in diuina viſionis ſcientia præſuppoſitum, nõ potuit habere eſſe, niſi ex vi prædeſtinationis: nã cum eſſet effectus ſupernaturalis ordinis, imo & ordinem gratiæ tranſcendens nõ potuit in tempore exequutionem accipere: niſi ex vi prædeſtinationis æternæ. De hoc igitur prædeſtinationis termino inquiro, quodnam fuerit obiectum ad eius prædeſtinationem præſuppoſitum, quod inexplicatum reliquit illa ſolutio, & idcirco vt minimum inſufficientiæ vitio laborat.

Secundo ſic argumentor. Vel ſubſiſtentia diuina, qua ille homo ſubſiſtit, eſt ſubſiſtentia eſſentialis toti Trinitati cõis: vel eſt ſubſiſtentia perſonalis, & relatiua diuini verbi. Primum dici non poteſt, quia certa fide credendum eſt, vnionẽ non fuiſſe factam immediatè ad diuinã naturam: ac proinde neq; ad abſolutam, & eſſentialem ſubſiſtentiam, quæ cum cõis ſit tribus perſonis, non eſt ſubſiſtentia perſonalis, neq; ſuppoſiti conſtitutiua. Si vero dicatur ſm̃, tunc argumentum inſurgit violentum, vt apparet contra prædictam ſententiã, quod fit in hunc modum: non ſtat, quod illud ſuppoſitum humanũ ſubſiſtat verbi ſubſiſtentia, quin ſit filius Dei naturalis: ergo illi ſuppoſito ſic ſubſiſtenti, & vt præcognito à Deo ipſa verbi ſubſiſtentia conſtituto, nõ ex gratia, ſed ex neceſſitate naturali cõpetit, quod ſit naturalis Dei filius. Euidẽs apparet conſequentia: nam quod neceſſario alicui conuenit, ita vt neq; per abſolutã Dei potentiam impediri poſſit, improprijſſimè, imo & falſiſſimè dicitur ex ſpeciali Dei gratia competere: rurſus, illi ſuppoſito humano ſubſiſtentia verbi relatiua ſubſiſtenti non cõpetit ex Dei gratia eſſe naturalem Dei filium: ergo neq; ei competit ex vi prædeſtinationis. Patet hæc conſequentia ex dictis, ex quibus conſtat, bonum quod ex prædeſtinatione conuenit, ex prædeſtinantis gratia cõuenire, & non ex debito, & neceſſitate naturæ, aut ex alio quouis iuſtitiæ titulo. Hoc

Digitized by Google

argumentum diluere conantur aſſignatæ ſolutionis authores: ſed an ſoluant ignoro, tiam & in ſtatuenda ſolutione præfata, & in hoc argumento ſoluẽdo ſũma cum obſcuritate procedunt, quod forſan illis contingit, quia hæc tam recõdita difficultas maioris claritatis non eſt capax: verum quia fortaſſis modum iſtum dicendi ad probabilem, & intelligibilem formam paulo poſt reducemus: Idcirco non fortiori brachio aduerſus illum decertare decreui; & ne tota argumentorum vis obſcuritate potius quam difficultate conſiſtat. Sed priuſquam de hac re agamus, duos alios dicendi modos referamus oportet.

Eſt igitur quintus modus dicẽdi, ſeu quinta primi argumenti ſolutio, quæ aſſerit ad proprium prædeſtinationis Chriſti terminũ non præſupponi ſuppoſitum humanum: ſed præſupponi & diuinũ verbum, & humanitatẽ, non vt actu illi perſonaliter copulatã, ſed vt iam iam copulandam. i. sm̃ quod in inſtãti incarnationis humanitas ordine naturæ aſſumptinni præintelligitur, nõ vt exiſtens propria exiſtentia, ſed vt habens propriũ eſſe eſſentiale diuino verbo vnibile, & à quo ipſum verbũ verè poterit denominaro ſuppoſitũ humanum. Hic modus dicendi nonnulla poſſet cũ probabilitate defendi, ex eo, quod hæc prędeſtinatio terminatur ad primũ eſſe ſubſtantiale, vt ad formalem & propriũ terminum: atq; adeo nõ eſt neceſſe, quod præſupponat aliud, quã ea quæ habẽt vicem quaſi partium cõponentiũ illud totũ, cui ex vi prædeſtinationis cõpetit diuinũ eſſe verbi; cõpetitq; verum eſſe, & naturalem Dei filiũ: ſed nihilominus in eo valde deficit iſta ſolutio, quod nõ aſsignat obiectum cui fiat gratia prædeſtinationis huius. i. cui ex gratia cõpetat naturalem eſſe Dei filium, qm̃ humanitati quomodocumq; præintellectę, nequit competere, quod ſit Dei filia, neq; per naturam, neq; per gratiam: diuino autem verbo competit quidem verum eſſe Dei filium, non tñ ex gratia, ſed ex naturali neceſsitate, ex vi nimirum generationis naturalis. Oportebat ergo, vt huius ſolutionis Authores explicarent nobis & obiectum prædeſtinationis Chriſti, illud nempè, quod ex prædeſtinationis gratia eſt naturalis Dei filius, & modum quo præſupponitur ad hanc tantam ſuſcipiendam gratiam.

Eſt ſexta ſolutio, ſeu ſextus dicẽdi modus, qui omnibus retro poſitis apparet facilior, & expeditior ad enodandã primi argum. difficultatem, qui proinde multis doctiſſimis eſt gratus, & cæteris plauſibilior: cuius expoſitionem doctè proſequitur Medi. 3. p. q. 24. ar. 1. Aſſerit iſte dicendi modus: quod obiectum prędeſtinationis Chriſti eſt ipſemet Chriſtus apprehenſus ab intellectu diuino, vt poſſibilis. Et in hac apprehenſione, & cõceptione præſupponitur ad terminũ prædeſtinationis, qui eſt ipſe Chriſtus, vt actu exiſtens: Et quidem Chriſto vt concepto per modũ paſſibilis magna fuit gratia, vt coſtitueretur in actuali exiſtentia, quæ fuit ei facta ex vi prædeſtinationis: ſicut Petro per diuinum intellectum apprehenſo vt poſſibili, gratia fit, etſi naturalis ordinis, in eo quod ad actualem deducatur exiſtentiã. Hic dicendi modus multis poſſet impugnari: ſed breuiter ſic aduerſus illum argumẽtor. Chriſtus poſſibilis & Chriſtus exiſtens idẽ prorſus Chriſtus eſt: ergo ſi Chriſto exiſtenti nulla ſit prædeſtinationis gratia, in hoc, quod ſit filius Dei naturalis, neq; etiã Chriſto poſsibili fieri poteſt hæc gratia. Dices, quod licet ſit vnus & idẽ Chriſtus, diuerſum tñ habet modum & ſtatũ, prout conſideratur vt poſſibilis, & prout actualiter exiſtit: & propter hãc modalem diuerſitatẽ contingere poteſt, quod Chriſto vt poſsibili fiat gratia, Chriſto vero vt exiſtenti nequaquã. Contra hanc ſolutionẽ dupliciter inſto. Primo, tota gratia, quæ põt fieri Chriſto vt poſsibili conſiderato, non conſiſtit in hoc, qđ ſit naturalis Dei filius, nã hoc totum cũprehenditur in conceptu Chriſti, quo vt poſsibilis concipitur, ſed in hoc tm̃, quod actualiter exiſtat, at gratia prędeſtinationis Chriſti nõ potiſsimum cõſiſtit in hoc, quod eſt, actualiter Chriſtum exiſtere, ſed in hoc, quod eſt eſſe naturalẽ Dei filiũ: ergo inſufficienter exponitur prædeſtinationis Chriſti gratia, per hoc ꝙ eſt Chriſtum vt conceptũ per modũ poſsibilis ſub actuali cõſtitui exiſtentia. Secundo, res vt conſiderata ſub modo, & ſtatu poſsibilitatis non eſt capax alicuius gratię ſuſcipiendæ: ſed tota gratia, quę illi fit in actuali eius productione, in ipſo termino productionis eſt cõſideranda. Certũ eſt. n. quod creaturæ antequã ex nihilo prodirent, & quamdiu in Dei omnipotentia latebant, non erant ſimpliciter capaces beneficij cuiuſpiam: ſed totum beneficiũ creationis ſuſceperunt in ipſo creationis termino: ergo Chriſto, vt cõcepto per modũ poſsibilis, & vt in ſtatu poſsibilitatis cõſiderato, nulla fuit facta prædeſtinationis gratia: rurſus, vt in termino ſuæ productionis non erat obiectũ gratię ſuſcipiendæ, ſed fuit potius ipſummet beneficiũ collatum, vt inquit, aſsignata ſolutio: ergo Chriſtus pro nullo ſtatu, neq; poſsibilitatis, neq; actualis exiſtẽtię, habuit ſimpliciter rationẽ obiecti prædeſtinationis.

§. 5. *Propria ſolutio Authoris ſtatuitur.*

SEx has, quas retulimus primi argumenti ſolutiones ex aliorũ tranſcripſimus doctrina, & mente, quas tñ expugnauimus ſufficienter, minuſq;, niſi decipimur, probabiles reddidimus. Quocirca æquitatis ratio poſtulat, vt noſtrum quoq; ſenſum alieno nos iudicio exponamus. Sit ergo ſolutio ſeptima, ad cuius intelligentiã duo ſunt ad memoriam reuocanda ex multis, quæ hactenus diximus. Alterum eſt id, quod pertinet ad Chriſti compoſitionem, quam diximus proprijſsimè conſiſtere in quadam mutua, & alterna humanitatis à diuinitate, & diuinitatis, ſeu diuini ſuppoſiti ab humanitate acceptione: ita quod verbum in diuinitate ſubſiſtens accipit à diuinitate, quod ſit ſuppoſitum humanũ, & verus homo. Humanitas vero accipit à diuinitate, ſeu vt formalius loquamur, à diuino verbi ſuppoſito, quod ſubſtantialiter exiſtat, ita vt homo ſit Deus, veruſq; Dei filius.

Alterũ ergo, quod eſt ad memoriã reuocandũ, eſt illud, quod aduertimus circa concluſ. dubitat. huius, nẽpe, quod licet Chriſtus ſit terminus, Qui, prædeſtinationis ſuæ, ſit etiã obiectum, Quod, prædeſtinationis eiuſdem; in ipſo tñ Chriſto diſtinguenda eſt ratio termini à rõnè obiecti. Humanitas quippè ratio eſt obiectiua, appellariq; poteſt proinde obiectũ, Quo, ſubſiſtentia aũt verbi perſonalis, conſiderata prout eſt apta nata conferri humanitati, & prout eſt de facto collata liberaliter, & gratuito, ipſa eſt ratio termini prædeſtinationis Chriſti, & poteſt etiã vocari terminus, Quo, Chriſtus autem, quia vtramq; rationẽ in concreto ſumptã cõplectitur, & eſt obiectũ, Quod, & terminus, Qui, prædeſtinationis ſuæ.

His ad memoriam reuocatis, vlterius eſt aduertẽdum,

Digitized by Google

dum, quod prius ordine rationis, imo & naturæ, intelligimus in Chriſto præcedere id, quod primũ diximus pertinere ad eius compoſitionem. Volo dicere, quod in myſterio incarnationis Chriſti, prius intelligimus Deum humanatũ, quam hominem deificatum. i. prius naturæ, ſeu rationis ordine factũ eſt, quod verbum eſſet ſuppoſitũ humanũ, eſſetq; verus homo, quod accepit ab humanitate ſibi aſſumpta, quam quod homo, ipſumq; humanum ſuppoſitum eſſet verus Deus, naturaliſq; Dei filius: quod fuit ſũmum bonum, ſupremumq; beneficiũ, quod in Chriſti compoſitione humanitas à diuinitate ſuſcepit: ſeu vt cum omni rigoris proprietate loquamur: humanitas fuit ratio ipſi Chriſto, vt hoc tm̃, tamq; excellens bonum à diuino verbo ſuſciperet. Hæc veritas non obſcurè inſinuata fuit à S. Euang. Io. in ipſis noſtri prothematis verbis. *Verbum caro factum eſt, &c. Et vidimus gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre, &c.* Priora. n. illa verba, *Verbũ caro factũ eſt,* illud deſignant, quod nos prius in hoc myſterio cõtigiſſe dicebamus, nimirũ, Verbum eſſe carnem, eſſe hominẽ, eſſeq; ſuppoſitum humanum. Poſteriora autem verba aliud ſm̃ oſtendunt, nempè, hominẽ naturalẽ eſſe Dei filium. *Et vidimus*, inquit Euang. *gloriã eius, gloriã quaſi vnigeniti à Patre.* Illa particula, Et, cõcomitantiam, & conſequentiã denotat; eumq; reddit ſenſum: quod quia Verbũ caro factũ eſt. i. humanũ ſuppoſitum per carnis aſſumptionẽ fuit conſtitutũ, conſecutũ fuit hoc tm̃ beneficium in natura humana, vt homo eſſet vnigenitus Patris filius, ita vt licuiſſet nobis in hoĩe videre ipsã vnigeniti patris gloriã, .i. gloriã, quæ ſoli naturali Dei filio potuit eſſe propria. Hãc. n. vim habẽt illa verba: Gloriã quaſi vnigeniti à Patre. Illa. n. dictio, Quaſi, nõ diminutionẽ, ſed adæquationem, & connaturalitatem potius denotat, quod non eſt inconſuetum in literis ſacris, vt apertis exemplis demõſtrat Martinus Martinez lib. 8. hypotheposẽ. c. 8. Et quod hoc iuxta phraſim latinam verum ſit, & ad amplectendum, docuit Lauren. Valla in adnot. ad hunc locum Ioan. c. 1.

Ex his colligo ſolutionem ad primũ huius dubitationis argumentum, & dico, quod Diuinũ Verbum, vt ſuppoſitum humanum, ſicut ordine executionis, vt modo dicebam, fuit prius in myſterio incarnationis, ita & fuit ordine naturæ præſuppoſitum per modum obiecti prædeſtinationis ad proprium eius terminum, ſcilicet, ad hoc, quod humanũ illud ſuppoſitum verus eſſet Deus, vnigenituſq; Dei filius, quod fuit primo intentum à Deo in profundiſſimo incarnationis ſacramento: ac proinde ſicut primum in intentione, ita & vltimũ in exequutione fuit. Et quidem quod exequutione fuerit vltimum, ex his, quæ ante diximus, relinquitur manifeſtum, aut ſaltẽ probabiliter explicatum: quod vero primo fuerit adeo intentum colligo primũ ex eo, quod Patres, præſertim Athan. & Cyril. paſſim repetunt diuinum Verbum non propter ſe. i. propter bonum aliquod ipſi diuino ſuppoſito cõparandũ: ſed propter exaltationem humanæ naturę carnem fuiſſe factũ: ergo quod primo Deus in Chriſti prædeſtinatione intendit, nõ fuit quod verbum eſſet homo, ſuppoſitumq; humanũ, quod videbatur ad ipſum verbũ attinere: hoc. n. per incarnationẽ Verbum ab humanitate ſuſcepit; ſed primo, & præcipuè intentum adeo fuit, vt homo eſſet Deus, naturaliſq; Dei filius, in quo humanitas ſupremam, & cõſummatã exaltationem accepit: colligo præterea ex illo Paul. 1. Cor. 2. *Dei ſapientiam, quam prædeſtinauit Deus in gloriam noſtrã.* Suppono probabilem ſatis eſſe intelligentiã, quæ affirmat Paulum hoc loco nomine ſapientiæ Chriſtum vt hominem deſignaſſe, de qua re dixi ſuperius in hac quæſt. Qua intelligentia ſuppoſita, id quod contendimus, manifeſtè deducitur ex his verbis: nã quid aliud deſignat Chriſtum in gloria noſtra prædeſtinatũ, quã quod in Chriſti prædeſtinatione id fuerit potiſſimũ Dei intentum, vt tam excellens humanitati deferretur honor, ad tantumq; & dignitatis, & gloriæ eueheretur faſtigiũ, vt homo verus eſſet Deus, veruſque & naturalis diuini Patris filius? Dixit autem Paul. in gloriam noſtram, vt inſinuaret, gloriã hominis Chriſti fuiſſe gloriã capitis noſtri, in quo nos omnes glorificati ſumus, & ad eximiam excellentiam euecti: nihil enim ſibi proprium Chriſtus vt homo habet; ſed omnia in commodum noſtrum accepit: quod Magnus Athan. in Concio. 2. 3. & 4. contra Arian. tertio quoque verbo opportuna importunitate inculcat.

Neq; vero cuiquam mirũ eſſe debet, quod Deus non vt vltimũ & principale intenderit per ſacrũ incarnationis myſterium, vt Verbũ fieret homo, ſuppoſitumq; conſtitueretur humanum, cũ humanitas nihil poſſet Verbo conferre, ſed potius ſi Verbũ diminutionis eſſet capax illud poſſet minuere, eiuſq; gloriam, & maieſtatem obſcurare: ob quam cauſam Paul. ad Phil. 2. dicebat. Quod *cum Chriſtus in forma Dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualẽ Deo.* i. cum eſſet in excellentia diuini verbi conſtitutus, Patri perfectè ſimilis, ac proinde coæqualis, ſemetipsũ exinaniuit formam ſerui accipiens habitu inuentus vt homo. Ecce quã gloriã ſibi acquiſiuit Verbũ cũ caro factum eſt, nimirum, vt exinanitum, & vt mancipium quoddam poſſet reputari; quare vltimum Dei Chriſtum prædeſtinantis intentum non plane fuit, vt Deus eſſet homo, ſed è cõtra, vt homo eſſet Deus: & vt hanc tantam gloriã homini potuiſſet accreſcere ipſum diuinũ Verbum ſub noſtra ſe humanitate conſtituens, ab eaq; humani ſuppoſiti denominationem accipiens, rationẽ induit non termini prædeſtinationis huius, ſed rationem potius obiecti

Sed iam difficultates ex hac doctrina inſurgentes nos irruere feſtinant, quarum illa eſt maxima, & ad quam reducuntur omnes: quod hoc ſuppoſito prædeſtinationis obiecto, nimirum, quod verbũ ſit ſuppoſitum humanum, nõ ex gratia, ſed ex omnimoda neceſſitate conſequutũ fuit, quod homo verus eſſet Deus, & vnigenitus Dei filius. Nõ ergo hoc poſterius potuit habere ratione termini pdeſtinationis Chriſti, illo priori præſuppoſito vt prædeſtinationis obiecto. Millies hãc cõſequẽtiã ex eo probauimus, qđ terminus prædeſtinationis ex gratia, & nõ ex naturali debito cõpetat oportet ipſi obiecto pdeſtinationis.

Sed ſecundam huic primæ adiungo difficultatem. Nam vtramq; aduerſus quartum modum dicendi, quem ad probabilem ſenſum reducere conor, paulo ſuperius informatã; Eſt ergo difficultas ſecunda, quod illud primum, quod ego appellaui prædeſtinationis Chriſti obiectum, cum fuerit opus ſupernaturalis ordinis, ſummæq; in ordine ſupernaturali excellentiæ, non potuit non eſſe alicuius prædeſtinationis terminus: ergo reſpectu eius reſtat nobis explicare, quodnam fuerit præſuppoſitum obiectum.

A ſecun-

Digitized by Google

A ſecunda difficultate exordiri decreui huius rei explicationem, quoniam hac via facilior erit intelligentiæ aditus. Reſpondeo igitur poſteriori difficultati, quod vt ſuperius dixi, non eſt abſolutè, & cũ proprietate cõcedendum, quod Deus fuerit prædeſtinatus, vt eſſet homo, eo quod nulla ei in hoc facta fuit gratia, aut fieri potuit. Vnde illud primum quod in Chriſti incarnatione diſtinguimus. ſ. Verbũ eſſe ſuppoſitum humanum, propriè nõ eſt terminus prædeſtinationis cuiuſpiam; atq; adeo neq; oportet ibi diſtinguere rationem obiecti à termino, qui prædeſtinationi præſupponatur: nam ſi aliquod eſſet obiectum, illud deberet eſſe Deus, cui humanitas cõtulit eſſe ſuppoſitũ humanum: at cum Deo nulla in hoc fuerit facta gratia, non poteſt dici ipſum Deum obiecti rationem induiſſe. Quocirca hoc quod eſt Deum eſſe hominem, ſeu Verbũ eſſe ſuppoſitum humanũ, eſt quidem prædeſtinatum eadem prædeſtinatione, qua prædeſtinatus eſt Chriſtus, vt eſſet naturalis Dei filius; ſed eſt tñ prædeſtinatum, non in ratione alicuius termini, ſed vt eſſet proprium obiectum prędeſtinationis eiuſdẽ, itaq; hac excellenti, & mirabili prędeſtinatione non ſolum eius terminus, ſed & ipſum quoq; obiectum conſtant: ordine tñ quodam, obiectum namq; ad terminũ præſupponitur. Et hoc quidem ſumma fuit huius ineffabilis prædeſtinationis excellentia, quod ad ipſam pertinuit, vt ſuum obiectum non præſupponeret, ſed efficeret: ad eum modum quo intellectus noſter hanc habet excellentiã, inter alias, ſupra oẽs potentias, ꝙ propter vim agentem qua pollet, ſuum formale efficiat obiectũ, illumināndo phantaſmata, educendoq; intelligibiles ſpecies, in quibus ratio entis, & veri, ſeu quidditatis rei materialis in vniuerſali, & in ſeparatione à ſingulari materia ipſi intellectui præſentatur, & obijcitur. Itaq; intellectus humanus & ſuum efficit obiectum, & circa illud operatur, propriamq; habet actionem. Sic ergo intellectus diuinus ſm̃ quod rationem prædeſtinantis exercuit, & ipſum prædeſtinationis effecit obiectum, & terminũ eiuſdem prædeſtinationis ei per gratiam accommodauit. Et quidem tam excellens terminus, quem habuit prędeſtinatio Chriſti, tale expoſcebat obiectum, quod non ex inferiori deſumeretur ordine, ſed ex vi eiuſdem prædeſtinationis conſtitueretur: Et hoc ſufficere videtur dixiſſe ad poſteriorem difficultatem euacuandam.

Sed ſecunda iam inſtat difficultas, quæ nos vehementius premit. Cui libenter concedo antecedens quod aſſumit, nimirũ, quod præſuppoſito quod verbum fuit homo, humanumq; ſuppoſitum neceſſario conſequebatur, vt illudmet ſuppoſitum humanũ naturalis eſſet Dei filius: nego tñ inde ſequi, quod ibi non interueniret gratia ad prædeſtinationem ſufficiens: quod ex duobus oſtendo. Primo, qm̃ illa neceſſitas, ex qua ſuppoſitũ illud humanum naturalis eſt Dei filius, non prouenit ex humanitate, etenim ſi naturalis Dei filiatio ad Chriſti humanitatem referatur, non niſi ex ſumma gratia ei potuit competere: ſed tota neceſſitas referenda eſt ad ſuppoſitum diuinum in ipſa humanitate ſubſiſtens. At cũ ratio obiecti prædeſtinationis Chriſti non ex ſuppoſito, ſed ex humanitate ſumatur, neque illud ſuppoſitum fuerit eatenus prædeſtinationis obiectum, quatenus diuinum ſuppoſitũ in diuina ſubſiſtens natura, ſed prout humanum ſuppoſitum eſt ſubſiſtens in natura humana, idcirco prædicta neceſſitas non impedit gratiam, quæ inter prædeſtinationis terminum, & proprium eius obiectum, ſm̃ formalem obiecti rationem conſideratum, reperitur. Secundo, eandem gratiam ad prædeſtinationem ſufficientem, colligo ex eo, quod licet præſuppoſito quod verbum eſſet homo, ſuppoſitumq; humanum, neceſſario ſequeretur prædeſtinationis Chriſti terminus, tota tñ illa neceſſitas reducebatur ad gratiam, vt ad primũ totius prædeſtinationis Chriſti fundamẽtum: ad eam, videlicet, quę fuit in illa voluntate, qua Deus tm̃ decreuit honorẽ conferre humanæ naturæ, quod ſtatuit ſe facturum, vt homo eſſet Deus: qm̃ vero humana natura non erat obiectum aptum, & idoneum, cui hoc tm̃ beneficiũ conferretur, licet eſſe poſſet formalis ratio conſtitutiua talis obiecti: idcirco ex vi voluntatis eiuſdẽ adinuenit Deus obiectum, cui tm̃ illud, tamq; liberaliſſimum beneficium conferendum eſſet, quod ſane obiectum, ipſum fuit diuinum Verbum, vt humanũ ſuppoſitum, & vt in natura humana ſubſiſtens. Vnde licet ex hoc obiecto, quatenus eſt obiectum, quod, oriretur prædicta neceſſitas, non inde tñ licet inferre, quod reſpectu obiecti, Quo, non ſaluetur illa liberalitas, & gratia diuina, ex qua totum hoc ſacrum incarnationis opus primam ſui duxit originem: ſic adeo vt veriſsimè dicamus, quod Chriſto, vt homini non neceſſitate aliqua, ſed ex gratia vnionis cõpetit eſſe naturalẽ Dei filium. Afferri poteſt ſimile ad huius rei explicationem (etſi non poſſit non eſſe valde deficiens) cum quis ad finem intentum aſſequendũ aſſumit medium adeo efficax, vt illo poſito neceſſario ſequatur finis, illa neceſſaria finis cõſequutio ſimpliciter eſt libera, quamuis ſm̃ quid, & ex ſuppoſitione ſit neceſſaria: eo quod talis neceſſitas pendet ex voluntate libera, qua agens ſua libertate ſeipſum determinauit ad illum finem inquirendum, & ex libera finis intentione, & quæſiuit, & appoſuit tam efficax medium, cui neceſſario reſponderet ipſa finis aſſequutio: ita proportionabiliter in præſentia dico, quod ex illa gratioſa Dei voluntate, qua voluit humanitatem ad ſummam excellentiam euehere, (noſtro loquẽdi more) ortum habuit, quod Deus illud adinueniret prædeſtinationis obiectum, in quo humanitas tm̃ illud aſſequeretur bonũ. Non dico, quod humanitas fuerit prædeſtinata, nã prædeſtinatio ad obiectum, quod, eſt referenda, ſed humanitas eſt ratio, ob quam illa prædeſtinatio illi obiecto fuit accõmodata. Præterea aduertendum eſt ad pleniorem ſolutionis huius intelligentiam, non eſſe mirum, quod terminus prædeſtinationis Chriſti ſimul conueniat obiecto & neceſſario, & liberè: tum quia obiectum, quod, & terminus, qui, coincidunt in Chriſti prædeſtinatione, ex quo oritur neceſſitas prædicta, obiectum autem, & terminus, quo, diſtinguuntur, vt ex dictis circa cõcluſionem conſtat, & ex hoc oritur libertas, & gratia, quæ interuenit in conſequutione termini: tum etiam quia terminus prædeſtinationis Chriſti ſimul eſt filiatio naturalis, & gratuitũ donũ, qua ratione naturalis filiatio neceſſario competit Chriſto, qui non poteſt non eſſe filius Dei naturalis, eſt autem gratuitũ donum, quatenus reſpondet gratiæ vnionis: & hac ratione Chriſtus, vt homo, ꝑ gratiã vnionis naturalis eſt Dei filius. Cum igitur in formali prædeſtinationis termino, vtraq; illa implicetur ratio & naturalitatis, & gratiæ, non mirum, quod

ſequatur

ſequatur neceſſario, poſito prædeſtinationis obiecto, & ſimul inuoluatur ibi ratio gratuita comparatione ad humanam naturam: ex qua tanquã ex prima formali radice Verbum, prout eſt humanum ſuppoſitũ habuit eſſe prædeſtinationis obiectum. Ex his facilia patet ſolutio ad primum argumentum principale, cui cõcedimus, quod prius ordine rationis Deus per ſcientiã viſionis præſciuit, & præuidit obiectũ prædeſtinationis Chriſti, quã eius terminum: ſicut prius ordine rationis contigit in tempore, quod Verbum fieret caro, eſſetque humanum ſuppoſitum, quam quod homo eſſet Deus, vnigenituſque Dei filius.

§.6. *Soluitur ſecundum argum. principale.*

AD ſecundum argumentum reſpondetur, obiectum, Quod, prædeſtinationis Chriſti, includere quidem terminum prędeſtinationis eiuſdem, imo ſimpliciter coincidunt terminus, Qui, & obiectũ, Quod, prædeſtinationis huius. At non eadem eſt ratio termini, & ratio obiecti: neq; idem eſt obiectum, Quo, & terminus, Quo, vt conſtat ex his, quæ in ſecundo notabili diximus circa concluſionẽ præſentis dubij. Et hoc ſufficientiſſimum eſt ad ſaluandã diſtinctionem inter obiectum, & terminum, & ad ſaluãdã anteceſſionẽ obiecti reſpectu termini. Quæ anteceſſio non eſt neceſſe, quod ſit ſm̃ proprietatẽ purẽ realem, ſed ſatis fuerit prioritas rationis in re ipſa fundamentum habens; iuxta hanc doctrinam bene procedit ſolutio inter arguendum aſsignata, quæ tota ad hoc reducitur, quod Chriſtus ſm̃ quod homo eſt huius prædeſtinationis obiectum: ſm autem, quod eſt naturalis Dei filius, habet quod ſit eius terminus. i. ab humanitate, vt à prima formali radice hẽt quod ſit obiectum, & à diuina verbi ſubſiſtentia, prout humanitati communicata rationem termini. Ad impugnationem vero dicitur, quod quamuis non poſſet concedi hæc propoſitio niſi in ſenſu valde materiali, Chriſtũ ſm quod homo eſt naturalis Dei filius, hæc autem Chriſtus ſm quod homo eſt per gratiã vnionis naturalis Dei filius, abſolutè eſt cõcedenda, vt ſupra q. 1. in dubio in quo de adoptione diſſerui, cum Caiet. dixi: Etenim licet humanitas non ſit ratio, ob quam Chriſto conueniat abſolutè eſſe naturalẽ Dei filium, eſt tamẽ ratio, propter quam ei conuenit per gratiam vnionis. Chriſtus enim non niſi ex humanitate habet, quod ſit huius gratiæ ſuſcipiendæ capax. Ad vltimum quod in eodem argumento obijcitur, Reſpõdeo, quod Chriſtus prout ſumitur in illa propoſitione accepta in ſenſu ibidem expoſito, non eſt obiectum ineffabilis prædeſtinationis huius, quia ſenſus ille materialis eſt, & eius veritas non fundatur in gratia vnionis, ſed in identitate ſuppoſiti eiuſdem importati per ſubiectum, & prædicatum.

§.7. *Soluitur tertium argum. principale.*

AD tertium argumentum reſpondeo, quod cum in termino prædeſtinationis Chriſti duo importentur, videlicet filiatio Dei naturalis, & gratuita eiuſdem filiationis conuenientia ad ipſum prædeſtinationis obiectum: primum quidem conuenit Chriſto ratione diuini ſuppoſiti, ſm vero ratione humanitatis: vnde humanitas reſpectu huius ſecundi formaliter concurrit, & non eſt ſola conditio, non quidem quod ſit forma, ex qua oriatur talis prædeſtinationis, aut termini prædeſtinati conuenientia: ſed qđ Chriſtus eius ratione habet, quod ſit obiectum proportionatum tali prædeſtinationi, & eius termino, non entitatiuè conſiderato, ſed in formali ratione termini prædeſtinationis, nimirũ, prout ex dono, & gratia conuenit ipſi Chriſto. Eſt autem humanitas conditio reſpectu primi. ſ. reſpectu termini ſm eſſe entitatiuum accepti, vt eſt filiatio Dei naturalis: nam filiatio naturalis, vt ſic, non competit Chriſto, neq; competere poteſt ratione humanitatis tanquam ex forma. Cæterum quod eadẽmet filiatio per gratiam cõueniat Chriſto, ex humanitate tanquã ex formali ratione competit. Sed notandum, quod cũ dicimus humanitatem eſſe conditionem, vt Chriſto cõueniat filiatio naturalis, non loquimur conſiderando formaliter ipſum conuenientiæ modum, quo ex vi prædeſtinationis ei competit. Nam ad hunc modum per ſe & formaliter concurrit humanitas ex parte Chriſti, prout eſt obiectũ, ſicut & hic modus per ſe, & formaliter ſe tenet ex parte termini prædeſtinationis; ſed loquimur conſiderando ipſam filiationem naturalem ſm propriam ſui rationem, quæ per ſolã generationem naturalem apta nata eſt cõuenire ſubiecto cui cõpetit, ad quam conuenientiam humanitas minime poteſt concurrere formaliter, ſed concurrit tñ vi conditio ex parte ſubiecti ſe tenẽs, vt Chriſtus ſm quod homo dici poſſit ſpecificatiuè filius Dei naturalis, in hoc videlicet ſenſu, ꝙ Chriſtus in natura humana ſubſiſtens naturalis eſt Dei filius. Præterea notandum, quod cum prędeſtinatio formaliter importet actionem quæ per ſe, & ex propria ſui ratione reſpicit terminum ex gratia conferendum, hinc fit, qđ tam prædeſtinationis obiectum, quã terminus formaliter debẽt conſiderari, quatenus ad rationem liberalis, & gratuitæ donationis pertinent; ita quod terminus formaliter importat rationẽ doni ex gratia conferẽdi, obiectum vero rem aptam natã ſuſcipere ipſum beneficium, & donum: & hoc quidem prouenit ex ipſa quaſi generica ratione prædeſtinationis: & qm̃ differentiæ contrahentes genus ſub eius poteſtate continentur, idcirco omnes ſpecies prædeſtinationis, & oĩa quæ ad earum ſpecificas rõnes ſpectãt, ſiue ex parte ſubiecti, ſiue ex parte termini ſe teneãt, neceſſum eſt pertineant ad rationem gratuitæ donationis, ad modũ expoſitum. Ex his tandem ad argumentum tertium reſpondetur, quod humanitas formaliter ſe hẽt, & intrinſecè in Chriſto, vt ipſum conſtituat proportionatũ prædeſtinationis obiectũ, hoc ita poſtulante ipſa rõe, & quaſi generica prædeſtinationis ratione, quæ reſpicit per ſe terminum ſub modo gratuito, id eſt, ex dono, & gratia conferendum.

§.8. *Soluitur quartum argũm. principale.*

AD quartũ argumẽtum, cui S. Th. ſufficientiſſime reſpondit 3. p. q. 24. ar. 1. ad 3. qui etiam videndus eſt ead. 3. p. q. 16. ar. 7. breuiter ſ[illegible] per negationem conſequentiæ. Eaque eſt differentia ratio inter propoſitiones in antecedenti aſſumptas, & iſtam, de qua loquimur. ſ. Chriſtus eſt prædeſtinatus, quod in illis, Chriſtus, qui in vtraque ponitur à parte ſubiecti, materialiter ſumitur, videlicet, pro ſuppoſito: & ob id ſunt ſimpliciter falſæ. In iſta aũt propoſitione, Chriſtus, ſumitur formaliter. ſ. pro verbo, vt ſubſiſtit in humanitate, & ob id eſt vera, & propria.

Ali-

Digitized by Google

Aliter reſpondent alij, videlicet, quod ſi Chriſtus ad actum prædeſtinationis referatur, humanitas ratio formalis eſt, qua Chriſtus ſubijcitur prędeſtinationi: ſi vero ad terminum ipſius prædeſtinationis comparetur, nimirum, ad eſſe naturalem filium Dei, ſola eſt conditio. Probabilis ſolutio, & non oīno aliena à S. Th. 3. p. q. 24. ar. 2. ad 1. Sed quod diximus placet.

§. 9. *Soluitur diffusè vltimum argumentum principale, & referuntur varia interpretationes illius teſtimonij Rom. 1.* Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.

VLtimum argumentum poſtulat, vt breuiter exponamus, nū ex illis Paul. verbis Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, &c.* colligatur Chriſti prædeſtinatio à nobis in hoc dubio explicata. De quo teſtimonio varia ſunt Patrū interpretamēta. Et primo quidem non oēs conueniunt in vna, eademq; lectione: Patres. n. Græci, quos nōnulli interpretes Latini ſequuntur, non legunt. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei*: ſed qui declaratus, & demonſtratus eſt filius Dei, &c. Ita legunt Chryſoſt. Theoph. Ecumenins ſuper eund. locum. Damaſce. lib. 4. c. 19. inſinuat Cyrill. lib. 1. de fide ad Reginas. Sequuntur hāc lectionem Caiet. Faber, Stapulenſis, & Sanctes Pagninus. Huic lectioni fauere poſſet verbum Grȩcum, quod ibidem habetur.

Sed quamuis non diſſiteamur, quod verbū græcè reſpondens non tam formaliter deſignet, idē quod Prædeſtino, quam id quod importat verbū, Deſtino, verbum. n. quod grȩcè habetur, eſt, oryzo, idem pollens, quod definio, ſeu declaro: nihilominus tñ negari non debet noſtri vulgaris interpretis verſionē veritati eſſe conſentaneā, & vim huius vocis ſufficiēter expreſſiſſe. In qua re Eraſmus (qui vulgatæ noſtræ editioni non admodū fuit affectus) nobis apertè fauet, inquit. n. quod quamuis verbum, Deſtino, quod adæquatè reſpondet verbo græco, Oryzo, ex vi ſignificationis verbalis non idē ſignificet, quod prædeſtino: nā hoc poſterius verbum propter illam propoſitionem, Præ, manifeſtam deſignat antecesſionē. Sed tñ re ipſa verbū, Deſtino, ſimilē denotat antecesſionem rei, quæ deſtinatur reſpectu eius boni, & termini ad quē deſtinatur: eo quod deſtinare, inquit Eraſmus, hoc loco nō eſt idem quod Mittere. Sed eſt definire, ſeu animo decernere de re futura: atq; adeo re ipſa idem fieret ſenſus, ſi legeretur, Deſtinatus filius Dei in virtute, &c. atq; ſic legendo, Prædeſtinatus filius Dei, &c. Similiſq; antecesſio ad futurum terminū deſignatur. Vnde latinus interpres optima rōne ductus vertit, Prȩdeſtinatus, vt formalius exprimeret antecesſionem iſtam, attendens potius ad rei explicationem, quā ad ſignificationem verbalem vocis græcæ: Et hanc lectionem antiquā eſſe in latinis verſionibus non diſſitetur Eraſmus in adnot. ad hoc 1. cap. Epiſt. ad Rom. vbi inquit Origen. qui græcè ſcripſit agnouiſſe ex latinis codicibus, & exemplaribus hāc lectionem fuiſſe iam olim in frequenti vſu apud latinos Patres. Et quidem multa poſſemus referre ex ſacris ſcripturis teſtimonia, ex quibus conſtaret, qđ verbo, Oryzo, grȩco rñdet aptè apud latinos verbū, Prædeſtino, q̄ teſtimonia facilè videri poſſunt apud Adamum, in explicatione huius loci Paul. Et apud antiquiſſimos Theologos in vſu fuit ipſam diuini intellectus diffinitionem, prædeſtinationē appellare, quod aduertit Magn. Diony. c. 5. de diuinis nominibus circa fin. inquiēs, quod diuinas voluntates eorū, quæ ſunt diffinitrices Theologia prȩdeſtinationes vocat. Igitur ſtatuamus lectionē vulgatam ſequēdam eſſe, quod nobis neceſſariū eſt ita ſentire; primo quidem propter graue Concil. Trid. præſcriptū in ſeſſ. 4. quo in lectionibus, concionibus, &c. vulgata editio ſequenda proponitur: cȩteriſq; omnibus antefertur. Et deniq; pro authentica habenda definitur. Deinde ſecundo, qm̄ grauiſſimi, & antiquiſſimi Patres, *Prædeſtinatus filius Dei, &c.* legerunt: ita legit Tertul. lib. contra Praxeā. Ambr. & Hier. ſupra hunc locū Aug. lib. 1. de prædeſt. Sanct. c. 13. & lib. 2. c. vlt. & lib. 12. de Trin. c. 6. tract. 105. in Io. Hylar. lib. 7. de Trinit. Irene. lib. 3. aduerſus hæreſes, c. 31. & 32. & Athanaſ. lib. de aſſump. hominis, quos ſequuntur recentiores Patres. Damaſce. loc. cit. Bernar. lib. 5. de conſideratione ad Eugen. Anſel. in hunc Paul. locum, & alij quamplures ſacrorum Bibliorum interpretes. Sed hac lectione ſuppoſita, non in eodem ſenſu locus iſte ab omnibus eius interpretibus explicatur.

Prima explicatio, quam refert Caieta. hunc Paul. locum verſans, ita interpungit hanc Pauli orationē, vt poſt verbum, Prædeſtinatus, addat coma, ita vt non fiat ſenſus, quod Chriſtus ſit prædeſtinatus filius Dei, ſed quod abſolutè Chriſtus prædeſtinatus dicatur, non explicando terminum, ad quē prædeſtinatus fuerit, ſitq; ſenſus iſte. Chriſtus qui eſt prædeſtinatus, eſt filius Dei in virtute. Sed iſta interpretatio omnino eſt explodenda, quia nulla auctoritate fulcitur: apud nullum. n. nec antiquum, neq; modernū auctorem repetitur Caiet. et ſi eam non improbauit, neq; probauit tamen, neq; ſcimus vnde illam hauſerit.

Secunda expoſitio eſt, quod prædeſtinatio referatur ad humanitatē, quæ prædeſtinata eſt ad vnionem hypoſtaticā cum Dei filio. Placuit Haymoni, & Hugoni Victorino ſuper hunc locum hæc intelligentia, ſed merito diſplicuit, S. Th. 3. p. q. 24. a. 1. ad 2. Nā cū humanitas nullatenus filia Dei vocari poſsit, nulla cū proprietate poteſt dici obiectū huius prædeſtinationis, de qua hic loquitur Pau. quidquid ſit de prædeſtinatione ad vnionē hypoſtaticam, de qua re ſuperius in hoc dubio mentē meā expoſui, negatiuæ ſñiæ adhærens ſi proprietas eſt ſeruāda. Sed cōtrariæ ſñię ſuā quoq; probabilitatē relinquo, dū tñ non procedat de pdeſtinatione, de qua hic à S. Paul. fit ſermo.

Tertia explicatio dicit terminū prædeſtinationis huius, qua Paul. dicit Chriſtū fuiſſe prædeſtinatum, non eſſe filiationē ipſam Dei naturalem, ſed eſſe alia quæ in textu ſequuntur, nimirū, virtutē, & potentiā, ſm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum: vnde ſenſus eſt, quod Chriſtus fuit prædeſtinatus filius Dei in virtute, &c. i. vt virtute, & potētia qua pollet, eo quod filius Dei eſt, nō vteretur ad oīa, ad quæ ipſa virtus, & omnipotentia Dei ſe poteſt extendere, videlicet, ad mūdi creationē, eius annihilationē, & ſimilia, ſed vteretur illa ſm ſpiritum ſāctificationis. i. ſm exigētiam ſanctitatis ſpiritualis, qua Chriſtus nos in hoc ſtatu ſanctificat, & hoc amplius explicuit Paul. ſequentib. verbis. ſ. ex reſurrectione

mor-

mortuorum. Quæ verba duplicem habent ſenſum. Primus, quod Chriſtus reſurgendo à mortuis ſpiritũ ſanctificationis ad nos demiſit, quē nobis ſua promeruerat paſſione, & morte: nam mortuus fuit propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtrã: & ante reſurrectionem Chriſti Spiritus ſãcti affluentia minime perbenit ad homines, iuxta illud, Io. 7. *Nondum. n. erat Spiritus datus, quia Ieſus nõ erat glorificatus.* Secundus eſt, quod Chriſtus perfecta ſanctificatione nos ſãctificaturus eſt, qualis erit poſt corporũ reſurrectionem. Qua ſanctificatione Chriſtus primum ſemetipſum ſanctificauit propria virtute filij Dei à mortuis reſurgẽs, & eadẽ virtute nos quoq; à morte ſuſcitans perfectè ſanctificabit: iuxta hanc expoſitionem terminus prædeſtinationis Chriſti nõ eſt eſſe Dei filium, ſed eſt exercitiũ, & exequutio poteſtatis filij Dei, ſm̃ accommodationem ad opus redemptionis noſtræ. Hæc expoſitio, quam proſequitur Caietan. ſuper hunc Paul. locum, non diſplicuit Auguſt. In quadam expoſitione inchoata Epiſtol. ad Rom. quã iudicauit Cyril. lib. 1. de fide ad Reginas, & eadem inſinuarunt Hier. & Primaſius, qui dicunt Chriſtum prædeſtinatum eſſe, vt prior omnibus reſurgeret, & filijs Dei viam reſurrectionis aperiet.

Hæc expoſitio nullam continet improbabilitatẽ, ſed ob id non videtur exacta, quod ſecundum eam non ſaluatur ratio prædeſtinationis ſimpliciter. Etenim prædeſtinatio ſimpliciter eſt ad bonum excellentiſſimum, & maximum, quod in ipſo prædeſtinato reperitur, vt ex ſuperius in hac quæſt. dictis conſtare poterit. In Chriſto autem potiſſimum, & excellẽtius bonum non eſt exercitium prædictum virtutis, & poteſtatis diuinæ in negotio humanæ reparationis exhibitum, hoc enim bonum extrinſecum fuit Chriſto: ſed ipſa naturalis Dei filiatio maximum & excellentiſſimũ bonum Chriſti eſt. Cum ergo Chriſtus ſit primus, & princeps prædeſtinatorum omniũ, recta ratio poſtulat, vt non prædeſtinationem ſecundum quid, ſed prædeſtinationem ſimpliciter, eamq; exactam, & perfectiſſimam ei Paul. accommodauerit in hoc loco, vbi ex profeſſo videtur de Chriſti prædeſtinatione tractaſſe.

Eadem ratione quoq; infirmatur expoſitio alia, quam adhibuit Anſelmus, & deſumpſit ex Auguſt. loco nunc citato, quæ aſſerit, quod terminus prædeſtinationis Chriſti à Paulo hic deſignatus non eſt eſſe filium Dei naturalem, ſed eſſe filium Dei ex reſurrectione mortuorum cum virtute ſanctificatiua hominum. Iuxta quē modũ Paul. ad Eph. 1. vocat Chriſtum primogenitũ ex mortuis. Et Pater Chriſtũ alloquens. Pſal. 2. propter reſurrectionem qua per modum cuiuſdã nouæ regenerationis ex mortuis reſurrexit, ita ei dixit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, (nam hunc locũ de reſurrectione explicuit Paul. act. 13.) Hæc, inquam intelligentia prædicta quoque infirmitate laborat: ſed ſpeciali etiam argumento poteſt impugnari. Ex eo, videlicet, quod non poteſt accommodari textui, niſi aliqua fiat violentia verborum contexturæ: Nã inter illud, *Prædeſtinatus eſt filius Dei*, & illa verba, *Ex reſurrectione mortuorũ*, mediant verba alia, quæ videntur obſtare prædictæ explicationi. Impropriè enim Paul. ea ibi interpoſuiſſet, ſi proprius prædeſtinationis Chriſti terminus in reſurrectione ex mortuis conſtituebatur.

Eſt alia quinta explicatio, quæ fatetur Chriſtum prædeſtinatũ eſſe filium Dei, ita quod diuina filiatio fuit terminus prædeſtinationis eius, nõ tamen prout eſt in re ipſa, nam hoc, inquit, hæc interpretatio, non ex vi prædeſtinationis, ſed per naturam competit Chriſto: ſed prout eſt in opinione, & notitia hominum. Itaq; ſenſus eſt, Chriſtum prædeſtinatũ fuiſſe, vt cognoſceretur eſſe verus, & naturalis Dei filius. Quod Pau. ſignificauit per hoc, quod eſt eſſe Dei filium: ſequens modum loquendi ſcripturarum, in quibus tunc aliquid fieri dicitur, cum primum innoteſcit, & manifeſtatur, vt Matt. vltim. Chriſtus dixit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, id eſt, manifeſtata eſt meę poteſtatis authoritas. Hoc fuit in ſubſtantia Græcorum Patrum interpretamentum. Cui ex Patribus Latinis apertè ſubſcripſit Ambroſ. nec refragatur Glo. ord. & ex Scholaſticis authorib. illud probauerunt Dur. & Palud. locis citatis.

Verum huic explicationi opponi primum poteſt obiectio illa, quæ duas præcedẽtes explicationes debilitat. Deinde opponimus illi, quod non ſeruat omnem proprietatem, quæ quantum fieri poterit in ſcripturarũ interpretationibus eſt ſeruanda. Etenim modus iſte explicandi ſcripturã, vt res dicantur fieri cum primum apparent, & innoteſcunt, figuratus eſt, & minus proprius: ergo cum huic Pauli teſtimonio propriam poſſimus accommodare intelligentiam, illa erit amplectenda, & præferenda cæteris, quæ minorem ſeruant improprietatem.

Igitur ſexta & vltima Pauli teſtimonij explicatio ea eſt, vt Chriſtus ſm̃ quod homo prædeſtinatus ſit naturalis Dei filius: ita vt Chriſtus in quantũ homo ſit obiectum, terminus vero ſit eſſe filius Dei naturalis. Alia vero, quæ adduntur ibi à Paulo. ſ. *In virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis, &c.* deſignãt aliquid extrinſecum prædeſtinationi, ipſam tñ conſequens, illud, nimirũ, quod ad officiũ Chriſti, prout redemptoris, & ſaluatoris ſpectat: quod in ſanctificandis animabus, & ſuſcitandis corporibus, ſub quo comprehenditur perfecta & animæ, & corporis glorificatio, ſimpliciter conſiſtit. Verũ eſt, quod illa verba, *In virtute, &c.* poſſent etiã pertinere ad intrinſecum prædeſtinationis terminum, ſi intelligantur in hoc ſenſu, in virtute. i. cũ potentia & poteſtate ęquali potentiæ, & poteſtati Patris. Et tunc cætera, quæ ſequuntur ad ſanctificationem, & reſurrectionẽ mortuorũ ſpectantia, ſm̃ actualem eorum exercitiũ, extrinſecè ſe habent ad formalẽ prædeſtinationis terminum, intrinſecè vero, ſi cõſiderentur vt præhabita, & præcontenta in ipſa Chriſti potentia, & virtute. Hæc intelligentia familiaris ſemper fuit Auguſt. locis ſuperius cit. & alijs quãplurimis. Ex Patribus Gręcis Athan. in lib. de aſſumptione hominis apertiſſimè eã probauit, vt ex verbis, quæ ſuperius in hac q. retuli conſtare poterit. Et oẽs ferè Patres latini qui legunt *Prædeſtinatus*, huic interpretationi fauẽt: ſed præſertim Bern. loco cit. & Beda ſuper hunc Paul. locum, quam intelligentiã ſequuntur cũ gl. ord. graues quidã ſacrorũ Bibliorum interpretes. Adamus. Carthuſ. & alij nõ pauci. Ex ſcholaſticis Authoribus ferè omnes in hanc propendunt intelligentiã, quãuis eorũ nonnulli non conueniant in modo explicato à S. Th. 3. p. q. 24. ar. 5. Sed in ſubſtantia oẽs conueniunt in hoc, quod filiatio Dei naturalis rationem habuit

ter-

Digitized by Google

termini in Chriſti prædeſtinatione. Videndi ſunt Scholaſtici cum ſuo Magiſtro in 3. d 7. & 10. & Alex. Alenſ. 3. p. q. 3. memb. 2. & 3. Marſ. 3. p. q. 2. ar. 1.

Et hæc ſufficiant dixiſſe ad prædicti teſtimonij S. Pau. intelligentiam habẽdam, ex quibus ad 5. & vlt. argum. Reſpondetur, negando S. Th. doctrinam in noſtra concluſ. propoſitã, & in hoc dubio explicatã, non colligi ex prædicto Pauli teſtimonio. Quanta vero in noſtra concluſ. & S. Th. doctrina ſit certitudo non facilè dixerim. Nam cum tot ſint præfato teſtimonio à grauiſſimis Patribus interpretationes adhibitæ, durum apparet, graui cenſura coercere contrariam noſtræ concluſionis ſententiam. Sed nihilominus adeo hæc vltima intelligentia Paul. teſtimonij cõmunis eſt, & viris grauiſſimis probata, vt nõ poſſit non aliqua eſſe temeritas eam reijcere, & contrariũ noſtræ concluſioni, quæ ei innititur, & in ea fundatur, docere. Ita videntur ſentire Mag. Med. loc. cita. & alij docti moderni, quibus libenter aſſentior, & hactenus de iſto dubio.

SECTIO IV. DVBITATIO III.

Vtrum prædeſtinatio Chriſti fuerit noſtra prædeſtinationis meritoria cauſa.

§. 1. *Præmittuntur aliqua notab. pro intelligentia dubitationis.*

CVm omnia, quæ ad Chriſtum vt hominem ſpectant, citra vllam eius iniuriam, imo & ſumma cum ipſius gloria, ad noſtram poſſimus, imo & debeamus ſpiritualem vitã transferre, quod inter alios Patres plurimis & magnificis verbis Magnus Athanaſ. expreſsit, tum alias, tum præcipuè in lib. de incarnat. Chriſti: vbi inter alia inquit, Quod *tota natiuitatis, mortiſq; Chriſti ratio ad noſtri requiſitionem, recuperationemq; ſpectat.* Et in lib. de incarnat. verbi ſic ait. *Quapropter vilitatem, inopiamq; in ſe ſuſcepit, vt nobis opulentiam ſuam largiretur: illius. n. paſsio noſtra eſt impaſsibilitas, illius mors noſtra immortalitas, & illius fletus noſtra lætitia, eiuſq; ſepultura noſtra reſurrectio eſt, illius baptiſma noſtra ſanctificatio eſt, & illius vibices noſtra eſt ſanitas, nam vibicibus illius ſanati ſumus, & pax noſtra illius diſciplina, & illius ignominia noſtra gloria eſt. Vnde gloriam petit in noſtri gloriam, his verbis, Glorifica me pater gloria illa quã apud te eſt, quam habebam apud te antequam mundus exiſteret: nos enim ſumus qui in illo glorificamur, & illius deſcenſus noſter eſt aſcenſus.* Rationẽq; huius, paucis interpoſitis, ſubdit. *Mebra enim, inquit, illius ſumus, & multa iſta membra vnum corpus ſunt, quod ipſum eſt ipſa Eccleſia, quemadmodum Apoſt. ad Gal. ſcribit, vos omnes non niſi vnum eſtis in Chriſto Ieſu.* Hæc Athan. Cum hæc, inquam, ita ſe habeant, poſtquam de Chriſti prædeſtinatione nõnulla diximus in præcedentibus dubijs, non aliud quam operæpretium faciemus, ſi hanc eandem Chriſti prædeſtinationem ad nos quoque, ad noſtramq; prædeſtinationem in hoc tertio dubio transferamus. Nam qui natus eſt propter natiuitatem animarum noſtrarum, & in deſtructionem ſpiritualis mortis noſtræ mortuus eſt, cur non quoq; propter noſtram prædeſtinationem prædeſtinatus cenſeri debet? Quod non aliud intellexiſſe crediderim. S. Atha. cum poſt verba ſuperius citata, mox ita concludit. *Omnes igitur in ſe Deo commendat, ita quoque cum dicit Prouerb. 8. Dominus cõdidit me in primordio viarum ſuarum. de Eccleſia dicit, quæ in ipſo conditur, non enim operator omnium creatura aut opus eſſe poterit, ſed opus in operatore renouatur, prout Paulus indicat ad Coloſſ. 2. Illius opus ſumus conditi in Chriſto Ieſu.* Ecce quemadmodum Sanct. & Doctiſs. hic Pater æternam Chriſti prædeſtinationẽ, quam Spiritus ſanctus Prou. 8. verbis illis Dominus *condidit*, ſeu *creauit me, &c.* declarauit, & expreſsit, ad Eccleſiam in Chriſto, vt in ſuo capite prædeſtinatam retulit. Et hoc quidem nõ niſi mirabili conſequutione effecit. Nam poſtquam eximia eruditione docuit ſpiritualia bona, quæ ad noſtram poterant prædeſtinationem pertingere, nobis per Chriſtum euenifſe, Theologico, grauiſſimoque diſcurſu intulit, ipſam quoque noſtram prædeſtinationem ad æternam prædeſtinationem Chriſti referendam eſſe: ita vt ſicut humana Chriſti vita ob id noſtra dicitur vita, quia tota vita noſtra ex humana Chriſti natiuitate pendet, & ipſa temporalis Chriſti natiuitas in ſpiritualem & æternam vitam noſtram fuit à Deo deſtinata: ita quoq; æterna Chriſti prædeſtinatio noſtra prædeſtinatio merito cenſenda ſit, quia prædeſtinatio noſtra ex Chriſti prædeſtinatione pendet, & in eam tanquã in ſui cauſam reducitur, & ipſa Chriſti prædeſtinatio in prædeſtinationem noſtram, in eiuſq; exequutionem profundiſsimo diuinæ ſapientiæ conſilio inuenta fuit, & inſtituta.

Neſcio plane, an iſtæ Magni Athanaſij diſcurſus illis placeret Theologis, qui huius Thomiſticæ, imo & verè Theologicæ conſequutionis vim non callentes contemnunt, videlicet, Chriſtus, ſeu Chriſti prædeſtinatio cauſa eſt omnium effectuum prædeſtinationis noſtræ: ergo & eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis. Aduerſus quos Theologos in præſentia nõ libet diſputare, quia vt hanc negent conſequentiam, multa immiſcent ad ordinem cuiuſdam generalis prouidentiæ ſpectantia: de quibus non niſi prolixa diſputatione eſſet agendum, quam à noſtro præſenti tractatu alienam eſſe iudicaui, & ob id ad lib. de orig. gratiæ reponendam duxi.

Quocirca in præſenti diſputatione hãc conſequẽtiam, & eius vim ex cõi Theologorũ doctrina præſupponamus, & ſupponamus non eo tendere diſputationem præſentẽ, vt examinemus radicitus: num Chriſti prædeſtinatio cauſa fuerit prædeſtinationis noſtræ, prout noſtra prædeſtinatio deſignat actũ diuini intellectus, quo nos in æternam prædeſtinauit ſalutem, & gloriam. Superius breuiter inſinuaui, quod ſi de actu prædeſtinationis ſecundum rem ipſã ſermo fiat, haudquaquam res iſta in dubitationẽ verti poteſt, nullus enim tam inſanę mentis erit, vt dixit S. Th. qui vel leuiter fuerit ſuſpicatus actum diuini intellectus creatam, aliquam habuiſſe cauſam. Si vero eadem æterna Dei prædeſtinatio, ea ratione conſideretur, quatenus creaturas, ideſt homines prędeſtinatos reſpicit, nullam proprie cauſam habet, aut habere poteſt, nihil tamen repugnat, quod ex parte creaturarum aliqualis eius aſsignetur ratio, ſecundaria, nimirum, & minus principalis, vel, vt loquar formalius, quod diuina ſiue intellectus, ſiue voluntatis operatio, quatenus in aliquod bonum creatũ fertur,

fertur, ſit ratio intellectui diuino homines prædeſtinandi, v.g. quod amor Chriſti, & meritorum eius fuerit Deo ratio prædeſtinandi homines: & in hoc ſenſu procedit noſtra præſens quæſtio, vel ſi mauis ſenſus q.eſt. Num Chriſti prædeſtinatio fuerit cauſa omnium effectuũ prædeſtinationis noſtræ, ſiue inde ſumma cum formalitate ſequatur, ſiue non ſequatur, eam fuiſſe noſtræ prædeſtinationis cauſam.

In huius dubitationis elucidationem, multa eſſent neceſſario dicenda, prolixaque foret texenda diſputatio, niſi q.5. ad eius finem explicatum dederimus, quo pacto Chriſtus, & gloriam, & gratiam, & omnia quæ ad gratiæ conſequutionem quidpiam nobis côferunt, de iuſtitiæ rigore promeruiſſet: quare in præſentia decertandum non erit cum illis auctoribus, qui dixerunt, Chriſtum non meruiſſe nobis, vel fidẽ, vel diſpoſitiones remotas ad gratiam, vel quidpiam huiuſmodi: ſed ſupponendũ eſt eos falſo in hac parte docuiſſe, & quod ſi aliud non obſtiterit, minimè negari poterit, Chriſti prædeſtinationem noſtræ prædeſtinationis extitiſse cauſam.

Sed & illud non poſſum breuiter non aduertere, non ſatis rationabiliter Lud. à Mol. loc. infra cit. ob id dixiſse Chriſti prædeſtinationem non fuiſse ſimpliciter noſtræ prædeſtinationis cauſam, quia nõ meruit nobis ea bona, quæ ad naturæ ordinem ſpectant: etenim ſi de his bonis loquatur, quæ poſſunt habere rationem effectus prædeſtinationis noſtræ, induuntque rationem mediorum ad finem ipſius prædeſtinationis aſsequendum, falſiſſimum eſt, id quod præſupponitur, Chriſtum, ſcilicet nõ promeruiſse nobis huiuſmodi naturalia bona: nam certè meruit nobis illa quæcunque, & qualiacunque ſint: nam meruit totũ illud, quod ingreditur prædeſtinationis noſtri ordinem, ſub eadem ratione qua ipſum ingreditur, quod neque prædictus auctor abſolutè videtur negare: ſi verò de bonis naturalibus inſtituatur ſermo, quæ præſuppoſitiuè tantum ad ordinem gratiæ prædeſtinationis ſe habent, fateor Chriſtum hæc bona minimè promeruiſse: ſed hinc nullatenus inferri valet Chriſti prædeſtinationem non fuiſse noſtræ prædeſtinationis cauſam: quoniam hęc bona ſic conſiderata non formaliter ingrediuntur noſtræ prædeſtinationis ordinem.

His ergo prætermiſſis, præſens noſtra diſputatio in eorũ tantũ explicationẽ verſabitur, quæ ſpecialiorẽ difficultatẽ in hac dubitatione continẽt: ſed priuſquam argumẽta proponã, ex quibus tota quæſtionis difficultas pendet, præſupponendũ eſt, in præſentia minimè diſputari, de cauſa materiali, aut vero formali intrinſeca: certum eſt enim Chriſtum, aut prædeſtinationem eius nec materialem eſse, neque formalem cauſam prædeſtinationis noſtræ; vtraq; enim hæc cauſalitas magnam imperfectionem importat: ſtrictè tamen de formali cauſa intrinſeca loquor, quoniã minimè negare intendo Chriſti prædeſtinationem exemplarem cauſam eſse prædeſtinationis noſtræ, quam cauſam formalem eſse extrinſecã, facilè ego cũ Ariſt. & peritiſſimis alijs Philoſ. concedo. Et quidem prædeſtinationem Chriſti exemplarem cauſam eſse prædeſtinationis noſtræ non multũ habet difficultatis, ſed plurimum veritatis certiſſimæ, cum Pau. Rom. 8. dixerit, *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*. Quæ conformitas non ſolum ad Chriſtum, vt Deum; ſed etiam ad ipſum mer, vt hominem eſt intelligenda, vt nõ pauci ex grauiſſimis huius loci interpretibus adnotarunt.

Duæ aliæ ſuperſunt cauſæ, finalis, videlicet, & efficiens, ſub qua meritoria comprehenditur, de quibus hæc dubitatio difficultatẽ poteſt habere: ſed de cauſa finali puto me ſatis dixiſse in 1. art. præceden. q.6. ex quibus conſtabit legenti, Chriſtum prædeſtinatũ eſſe, vt eſſet finis non ſolum humanæ prædeſtinationis, ſed & angelicæ: imo & totius conſtitutionis vniuerſi: quæ res vt minimum in eo ſenſu vera debet cẽſeri, quod licet ante decretũ prædeſtinationis Chriſti, Deus tam ordinem naturæ, quam ordinem gratię diſpoſuerit, eo ipſo tamen quod Deus Chriſtũ prędeſtinauit, vtrumque ordinem, & naturæ, & gratiæ in ipſum, & in eius retulit gloriam: reuiſat lector quæ ibi diximus, non enim animus eſt ab eis recedere: ſed illis præſuppoſitis, ad vlteriora in hac diſputatione progrediamur.

Ex quibus illud etiã poterit lector colligere, quod ſolet in dubitationem verti: num Chriſtus primus ſit prædeſtinatorum omnium prædeſtinatus, ex ibidem enim aſſertis certa deductione inferri poterit, Chriſtum primũ eſſe omnium prædeſtinatorum, ſi de humana tãtũ prædeſtinatione loquamur: primus enim homo prædeſtinatus ipſe Chriſtus fuit, quod & in Scoti ſentẽtia, & in S. Th. doctrina omnes tenemur fateri: ſi verò ad Angelos fiat cõparatio, non tam certum eſt, Chriſti prędeſtinationẽ anteceſſiſse prædeſtinationẽ Angelorum; eſt tamẽ illud valde probabile, tantaq; probabilitate pollet, quãta modus ille, quem ibidem adhibuimus ad explicãdã S. Th. doctrinam: quo diximus decretũ prædeſtinationis Chriſti fuiſſe primum decretũ in genere finalis cauſæ, quod Deus habuit reſpectu omnium, quę per diuinã ſapiẽtiam; & potentiam in tempore ſunt efficienda, ſiue ad ordinem naturæ, ſiue ad ordinem gratiæ pertineant.

De cauſa ergo efficienti duntaxat pręſens inſtat diſputatio; verum de efficientia phyſica ſatis diximus quæſt. præcedenti art. 2. quocirca de cauſalitate meritoria ſupereſt in præſentia differamus, Num Chriſtus ab æterno prædeſtinatus, cauſa fuerit noſtræ prędeſtinationis meritoria.

§. 2. *Proponuntur argumenta pro parte negatiua.*

SEntentiã negatiuã ſuadeo primũ, his argumentis. Primo, Chriſtus nõ fuit cauſa meritoria ſuę incarnationis, quod fuit à nobis in q.5. demonſtratũ: ſed incarnatio Chriſti eſt potiſſimus noſtræ prædeſtinationis effectus: ergo Chriſtus nõ meruit oẽs effectus noſtrę prædeſtinationis: & ex cõſequẽti neq; meruit prædeſtinationẽ noſtrã. Minor probatur, incarnatio Chriſti (ſub qua cõprehendimus paſſionem, & mortem, & omnia eius merita) fuit medium ordinatum ad noſtram ſalutem, & gloriam, qui eſt finis prędeſtinationis noſtræ, ſed media ordinata ad finem noſtræ prædeſtinationis, ſunt effectus ipſius prædeſtinationis, eius virtute prędefiniti, & prœordinati: ergo, &c.

Secundum argumentũ. Etſi contendat quiſpiam, incarnationem Chriſti non fuiſſe mediũ ad noſtram ſalutẽ ordinatum, ſed habere potius rationem cuiuſdam vniuerſalis cauſæ, noſtrę ſalutis effectricis: non poteſt tamẽ negare quin fuerit maximũ Dei benefi-

 cium,

cium, quod fuit à Deo in noſtrã saluiē collarum: ſed omnia beneficia, quæ nobis data ſunt à Deo, quibus perueniamus ad ſaluiē çternam, ſunt noſtræ prædeſtinationis effectus: ergo, &c. Probo minorem, ex illa Auguſtiniana prædeſtinationis definitione, nimirũ, quod *eſt præparatio beneficiorũ Dei, quibus certiſsimè ſaluantur, quotquot ſaluantur.* Ergo omnia beneficia, dę quibus affirmat propoſitio minor, ſunt effectus diuina prædeſtinatione præparati, & diſpoſiti.

Tertium argumentum. Applicatio qua Chriſtus quoad efficaciam ſua merita prædeſtinatis applicuit, effectus fuit prædeſtinationis ipſorum: hanc autem applicationem Chriſtus non meruit, ſicut neque ſua promeruit merita: ergo Chriſtus nõ omnes effectus noſtræ prædeſtinationis meruit, & ex cõſequenti neque ipſam prędeſtinationē. Maior probatur, hęc cauſalis eſt falſa, Quia Chriſtus ſua merita efficaciter applicuit Petro, ob id Petrus eſt prædeſtinatus: hęc autē veriſſima, Quia Deus ab æterno prædeſtinauerat Petrum, idcirco Chriſtus ei ſua efficaciter applicuit merita: ergo ex vi prædeſtinationis noſtræ, vt ex cauſa præordinante, & prædefiniente ortũ habuit prędicta meritorum Chriſti applicatio. Probo antecedens, Et primo, quod prior illarum propoſitio ſit falſa, patet, quia ſi illa eſſet vera, cõcedendum foret, quod tota hominũ prædeſtinatio ex humana Chriſti volũtate tãquã ex primo principio originata fuiſſet, illiq; eſſent prędeſtinati, & nõ alij, quibus Chriſtus ex libera ſua volũtate propria applicuiſſet merita: ita quod ex hac applicatione tota prædeſtinatio prodijſſet, cuius oppoſitũ ſacræ literæ inſinuant manifeſtè, quoties totũ prædeſtinationis, & prędeſtinatorum negotium ad diuinũ propoſitũ, & ad beneplacitum diuinæ voluntatis reuocant. Quod verò poſterior propoſitio ſit veriſſima, probatur. Illius particularis applicationis humana Chriſti volũtas nõ eſt prima cauſa, ergo aliã priorem ſupponit, hæc autē alia eſſe nequit præter volũtatem Dei Petrum eligentis, & prædeſtinatis ad gloriam: ergo, &c. Confirmatur primo ex eo quod ipſe Chriſtus Ioan. 17. dicebat, *Ego pro eis rogo, quos dediſti mihi.* Oratio autem qua hic Chriſtus orauit, fuit efficax; nam, vt ex textu liquet, orationē iſtam non pro omnibus fudit Chriſtus: ergo electio Dei circa prædeſtinatos præcedens, qua Deus ipſos pręelegit, vt membra Chriſto capiti perſeueranter incorporanda, fuit cauſa ob quam Chriſtus pro ipſis ſpecialiter oraret, & ſua eis applicuerit merita.

Confirmatur ſecũdo. Applicatio meritorũ Chriſti facta Patribus antiquis, nõ fuit ab ipſo Chriſto facta, ſed immediatè ex Dei voluntate: ſed illa applicatio maximè attinuit ad prędeſtinationē illorum, fuitq; vnum ex pręcipuis beneficijs, quæ ipſis Deus ad ęternam ſalutem aſſequendam contulit: ergo Chriſtus non fuit eorum prædeſtinationis cauſa. Et eadem ratione dicendum erit, non fuiſſe cauſam prædeſtinationis aliorum hominum: eadem enim de omnium hominum prædeſtinatione habenda eſt ratio.

Quartum argumentum. Quod Deus in particulari hunc hominem prędeſtinauerit, & ad æternã vitam elegerit, non ex volũtate Chriſti, neque eius meritis, ſed ex ſola Dei voluntate ortum habuit: ſed ad prędeſtinationem per ſe pertinet hæc particularis electio, quo iſti homines in particulari præ cæteris fuerint electi: ergo Chriſtus non meruit hominum prędeſtinationem. Antecedens probatur, & primũ de meritis ſic oſtendo: Merita Chriſti æqualiter ſe habuerũt ad omnes homines; pro omnibus enim Chriſtus paſſus eſt, & mortuus: ergo ex meritis Chriſti non poteſt ſumi ratio illius particularis præelectionis, qua vnus præ alio, ad vitam fuit æternã electus. De voluntate itidem probatur: Chriſtus inquantum Redemptor, ſecundũ ſe ęqualiter ſe habuit ad omnes, nam vnum, & idē pretium pro omnium libertate exhibuit: ergo cum voluntas Chriſti, fuerit Redemptoris voluntas, non potuit ex ea prędicta electionis diuerſitas promanare.

Confirmatur primo ex illo, quod dicebat Chriſtus Patri Io. 17. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dediſti.* Duo ſunt in his verbis ponderanda: Alterum, quod Chriſtus fatetur, Patrem ei diſcipulos dediſſe, qui omniũ electorum perſonã gerebant, quo autem alio modo dedit, niſi quatenus illos præelegit cęteris, & Chriſto vt membra capiti incorporauit? Alterũ eſt, quod Chriſtus ſimiliter fatetur, quod electi, quos ipſe accepit, prius fuerant Patris: *tui*, inquit, *erant*, &c. non autem alia ratione erant Patris, ſecundum eum modum, de quo loquitur Chriſtus, niſi propter ſpecialem electionem, qua ipſos præ alijs ad vitã elegit.

Confirmatur ſecundo ex illo Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram, aut ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo:* regnum eſſe quibuſdam hominibus ſpecialiter paratum, ipſam prędeſtinationem, & ſpecialem præelectionem ipſorum ad vitam æternam deſignat.

Quintum argumentum. Quod Deus in particulari præordinauerit media ſingularia, & determinata: quibus prędeſtinati ad ęternam perueniant vitam, non à Chriſti voluntate proceſſit, ſed ex ſolo Dei beneplacito. Quod non obſcurè videtur colligi ex illo Pauli ad Epheſ. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus:* ergo non omnia, quæ ad noſtram prędeſtinationem pertinent, ad Chriſti merita, ad eiuſque voluntatem ſunt referenda, & ex conſequenti Chriſtus non eſt meritoria noſtræ prædeſtinationis cauſa.

In oppoſitum eſt, quod dicit Paulus ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.*

In hoc dubio illud primum ſupponendũ eſt, nos in pręſentia nõ de prędeſtinatione in communi loqui, vt ad Angelos, & homines ſe extendit: ex dictis enim quęſt. pręced. dubio vltimo conſtat, Chriſtum non fuiſſe cauſam meritoriã prædeſtinationis Angelicæ, probauimus enim nullatenus eis gratiam, & eſſentialem gloriam meruiſſe: quocirca de ſolis hominibus diſſeritur, & agitatur hæc præſens difficultas.

Secundo ſupponamus oportet, quòd in pręſentia pro eodem reputatur Chriſti prædeſtinationem cauſam eſſe noſtræ prædeſtinationis meritoriã, & quod Chriſtus ſit meritoria noſtrę prędeſtinationis cauſa: vnde indifferenter vtroque dicendi modo in huius quęſt. progreſſu vtemur, nam eadem prorſus eſt difficultatis ratio. In qua difficultate diuerſa Theologorum reperies arbitramenta: nam licèt omnia ad duas reducantur ſententias, quarum altera affirmat, & altera negat, diuerſitatem tamen in modo explicandi reperimus, ex qua explicationum diuerſitate diuerſas opiniones confingere neceſſarium eſt.

§.3.

§.3. *Proponuntur Theologorum ſententiæ.*

EST igitur prima ſententia, quæ abſolutè negat, Chriſtum fuiſſe meritoriā noſtræ prædeſtinationis cauſam, ita cenſent illi omnes Theologi ſuperius in quæſt. 5. citati, verſus eius finē, qui putauerunt Chriſtum non meruiſſe nobis fidem, aut diſpoſitiones ad gratiam; & loquuntur ſanè cōſequenter, nam ſi nō meruit omnes prædeſtinationis effectus, neque ipſam potuit prædeſtinationem promereri.

Secunda ſententia docet in alio extremo, Chriſti prędeſtinationem eſſe ſimpliciter noſtrę prędeſtinationis meritoriā cauſam, promeruiſſeq; Chriſtum prædeſtinatis vniuerſos ſuę prędeſtinationis effectus, ita docēt S. Th. 3. par. q. 24. art. 4. & in 3. diſt. 10. q. 3. quęſtiunc. 3. S. Bonau. ead. diſt. 2. p. q. 2. Durand. ead. diſt. q. 3. Albertus Mag. ibi art. vlt. Palud. q. vltima, Andreas à Vega lib. 4. in Conc. Trid. c. 5. Alex. Alen. 3. par. q. 3. memb. 5. & ex S. Th. diſcipulis non pauci, quibus nouiſſimè acceſſit Medina 3. par. q. 24. art. 4. Ex illis Theologis, qui Chriſtum ante peccati pręuiſionem prædeſtinatum eſſe cenſuerunt, huic adhæſerunt ſententiæ, quamuis Scotus in contrariam viſus ſit inclinare in 3. diſt. 19.

Tertia ſententia dicit duo: Alterum eſt, Chriſtus per ſua merita nō fuit cauſa prædeſtinationis noſtrę quoad integrū ſupernaturalem eiuſdem prædeſtinationis effectum. Hoc aſſertum probant ex eo, quod Chriſtus non meruit incarnationem ſuam, quæ, vt Aug. lib. 1. de præd. ſanct. c 15. docuit, ex nullis promanauit meritis, neque verò propria merita promeruit: quæ duo, effectus ſunt prædeſtinationis noſtræ. Alterum verò eſt, Chriſtus cauſa fuit noſtræ prædeſtinationis meritoria, quoad omnes effectus alios ſupernaturales, ſiue intrinſecè aliquid in prædeſtinatis ponant, vt fides, gratia, diſpoſitiones ad gratiam, auxilia pręuenientia, &c. ſiue extrinſecè coadiuuent ad ęternæ vitæ conſecutionem, vt miracula, prędicatio Euāgelij, orationes ſanctorum, vt oratio, qua S. Stephanus impetrauit Pauli conuerſionē, & qua B. Monica filij ſui Auguſtini auocationem ab hæreſi Manichæorum, & conuerſionem ad veram Chriſti fidem, & Eccleſiam, &c. Non deſunt Theologi, & quidem non pauci, qui merita Chriſti coarctant ad effectus ſupernaturales, qui in prædeſtinatis aliquid intrinſecū ponunt: ſed hi audiendi non ſunt, iniuriā enim irrogāt præclariſſimis Chriſti meritis, & infinito eorum valori; horum Theologorum ſententiam promptū erit refellere legenti, quæ diximus ſupra q. 5. art. 3. dubio vltimo, quare de iſta ſententia neque verbum addam vllum. Sed ad tertiam hanc redeamus opinionem, quæ graues habet patronos. Inter nouiores Theologos eam nouiſſimè in lucem edidit Ludouicus à Molina in libro, qui inſcribitur Concordia lib. arb. cum gratiæ donis q. 23. a. 4. & 5. diſput. 2.

Quarta ſententia tria dicit: Primum, Chriſtus meruit dilectionem, qua Deus omnes prædeſtinatos efficaci, & abſoluta volūtate dilexit ad æternā vitam. Patet, quia Chriſti merita pręuiſa fuerūt à Deo prius rationis ordine, quàm abſoluta voluntate aliquos homines in particulari ad æternam vitam diligeret: ergo ex amore Chriſti, & ex vi meritorum eius ipſos dilexit. Patet hæc conſequentia, quoniam Chriſti merita ob ſui amplitudinem, & infinitatem extendere ſe potuerunt ad hoc dilectionis efficacis bonum promerendum.

Secundum dicit, Chriſtus non meruit electionem prædeſtinatorum, ſecundum quod fuit electio, qua iſti in particulari ſunt ad vitā præ alijs electi. Patet, quia huius prępelectionis, nulla vt inter arguēdū dicebamus, ex ipſis Chriſti meritis ratio potuit deſumi.

Tertium tādem dicit, quod abſolutè fateri debemus, Chriſtum cauſam fuiſſe meritoriam prædeſtinationis noſtræ. Hæc ſententia ſic expoſita colligitur ex Franc. Cart. lib. de prædeſt. diſcurſu 11.

Ad has ſententias reducuntur aliæ, ſi quæ ſunt in hac difficultate, & inter ſoluendum argumenta adnotabimus alia quæ occurrerint, in quibus à ſemetipſis diſſentiunt Theologi, ij præſertim, qui ſuo iure debent in ſcholis Theologorum audiri.

Ad huius controuerſiæ deciſionem præſupponendum eſt ex 1. par. q. 23. prędeſtinationem actum eſſe diuini intellectus practici, quo efficaci directione in finem ex voluntate participata prædefinit, & præordinat media, quæ ad finis aſſecutionē ſunt neceſſaria: & per quæ media prędeſtinatus infallibiliter finē aſſequetur vltimum: præſupponit autem prędeſtinatio ex parte voluntatis duos actus circa prędeſtinatū. Primus eſt dilectio, qua Deus ipſū abſoluta, & efficaci volūtate ad vltimum bonū ęternam. ſ. vitā dilexit. Secundus eſt electio, qua prę alijs is, qui prędeſtinandus eſt, eligitur ad æternā vitam, ita quod Deus quaſi ſpretis, & contemptis alijs hominibus non prædeſtinandis, eos, qui prædeſtinandi ſunt, ſpeciali beneuolentia proſequitur, ipſoſq; ad vitam æternam eligit: non quod in ipſis reperiat ſpecialis electionis, & prędeſtinationis cauſam, ſed cum omnes in eadem ſorte conſtitutos videat, illos tamen relinquit, & hos ſpontanea voluntate aſſumit, ita vt præelecti non poſſint non cum Regio Vate dicere: *Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael Regis noſtri.* Expendendum eſt illud verbum, *Domini,* denotat enim aſſumptionem, & præelectionem à Deo factam in prædeſtinatis, vt à vero bonorū cęleſtium Domino, qui nulli faciens iniuriā, poteſt de ſuo facere quicquid ei placitū fuerit, ita quod ijs cum effectu cęleſtem vult gloriā cōferre: alios verò in perpetuū à cœleſti regno, glorioſiſq; ſedibus elongatos, & exules permanere permittit. Hic comparatiuā electionem, qui eſt proximus actus ex parte voluntatis ad prędeſtinationem, quæ, vt dixi, actus eſt intellectus, deſignauit Paul. Rom. 9. in illa celebri comparatione inter duos fratres Iacob, & Eſau facta, quā ex Malach. c. 1. deſumpſit: *Cum nihil,* inquiens, *boni, aut mali egiſſent, non ex operibus ſed ex vocanti dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Hinc ſequitur, quod ad examinādam propoſitam in hoc dubio difficultatem, num. ſ. Chriſtus noſtræ fuerit prædeſtinationis cauſa, non eſt neceſſe explicare, & definire, an Chriſtus cauſa fuerit meritoria dilectionis prędeſtinatorum: nam etſi ſupponamus nullatenus ad Chriſtum electionē, ſeu dilectionem prędeſtinatorū attinuiſſe, adhuc cōmodè ſaluari poſſet, ipſum fuiſſe meritoriā noſtræ prædeſtinationis cauſam: ſi meruit omnia media, omniaq; ſupernaturalia beneficia, quæ Deus actu prædeſtinationis diſpoſuit, & in particulari prædefiniuit, vt per ipſa, & ex ipſis cum effectu æternam ſalutem conſequamur: vnde

in hoc dubio, non tam de dilectione, & electione prædeſtinatorum, quàm de eorum prædeſtinatione inſtituitur ſermo; ſed dicemus tamen de omnibus ad doctrinæ complementum, etſi compendioſiori qua potuerimus reſolutione.

Sed eſt præterea aduertendum, quod ante prædictos, quos annumerauimus volũtatis actus, qui ipſum prædeſtinationis actũ anteuertunt, aliam operationẽ diuinæ voluntatis ratione à prædictis diſtinctã, commentantur grauiores Theologi, ex qua veluti à primo ſemine, primoq; initio, totus inchoauit prædeſtinationis ordo: fuit autem hęc operatio, illa voluntas qua Deus abſolutè voluit, non totam humanã deſerere naturam, & in perpetuum æterna vita priuatam relinquere, ſed voluit potius illi ſufficiens remedium afferre, & parare, quo poſset ad tantum supernę felicitatis bonum & aſsurgere, & peruenire, niſi per ipſam ſteterit. De hac voluntate conueniunt communiter Theologi, eam minimè ad Chriſti merita ſpectaſse: quoniam ex ea ortum habuit incarnatio Chriſti, qua ratione Chriſtus in remedium peccati, & in reparationem humani generis, prædeſtinatus fuit in carne venturus; quocirca hæc voluntas ad ſolam Dei miſericordiam, ad eiuſque voluntatem duntaxat eſt reducenda. His ſuppoſitis.

§.4. *Prima concluſio.*

ABſolutè concedendum eſt, Chriſtum meruiſse prædeſtinationem noſtram. Probatur primo ex illo Pau. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate.* Hęc Pauli verba duo nobis inſinuãt, imo & explicãt: Alterum, quod Deus in Chriſto nos elegit, ita quod electio ratione prędeſtinationẽ anteuertens in Chriſto fuit, & in virtute meritorũ eius. Alterum verò, quod media quibus perueniendũ eſt ad ęternam vitam, ex Chriſto, & eius meritis ſunt habenda: hoc enim ſecundum deſignant verba illa, *vt eſſemus ſancti*, &c. ſanctitas enim vera ex charitate proueniens, vniuerſa media quibus ad æternã vitam diſponimur, comprehendit. Probatur ſecundò ex verbis immediatè ſequentibus in eodem capite: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum*, illa dictio *in*, finalem importat cauſam; fuit enim Chriſtus noſtræ prædeſtinationis finis: illa verò particula *per*, cauſam denotat meritoriã, quod ex Conc. Trid. ſeſs. 6. c. 6. facilè erit colligere: nam cum Chriſtum cauſam eſse noſtræ ſalutis meritoriã ſancta Synod. docere intenderet, vtitur hac particula *Per*, *Per redemptionem*, inquit, *quæ eſt in Chriſto Ieſu*. vnde grauiſſimi Auctores, per Chriſtum, ita interpretantur, ideſt, per Chriſti merita, ſic Athanaſius, ſic Auguſtinus, ſicq; S. Thomas, Caietanus, & alij nõ pauci. Et quod de tota prædeſtinatione, & non de aliquo particulari eius effectu hæc Pauli teſtimonia ſint intelligenda, patet: Primum, quia Paulus vbicunque de prędeſtinatione, aut diuina electione loquitur, his nominibus .ſ. prædeſtinatione, & electione, totũ complectitur prædeſtinationis noſtrę negotiũ. Ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*, &c. vbi continuò ſubiunxit, quaſi explicans id totum quod prędeſtinatio virtute cõplectitur, *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, hos & magnificauit*; in quibus verbis omnes prędeſtinationis effectus à primo vſque ad vltimũ cõprehendit. Deinde idipſum colligitur ex ijs, quæ Paul. mox addidit in cit. teſtimonio ad Eph. 1. *Secundum*, inquit, *propoſitum voluntatis ſuæ*. Prędeſtinationẽ noſtram, quã per Chriſtum eſse dixerat, ad ipſum diuinę voluntatis propoſitũ, his verbis immediatè ſubiunctis reuocauit. At certum eſt, quod non particularis quiſpiã effectus, ſed totus ipſe prędeſtinationis ordo ad propoſitũ diuinæ voluntatis pertinet: ergo totũ etiam prædeſtinationis negotium, ex mẽte Pauli, Chriſti meritis eſt tribuendum. Confirmatur, ſi nõ de tota prędeſtinatione, ſed de quibuſdam eius effectibus prædicta Pauli verba eſsent intelligenda, ſequeretur, quod non ſoli Chriſto cõpeteret cauſam eſse prędeſtinationis humanæ, ſed etiã cõcedi poſset, quod vnus homo cauſa eſt aliquando prædeſtinationis alterius, v. g. quod S. Stephanus fuit cauſa prædeſtinationis Pauli, & S Monica prædeſtinationis Auguſtini, quoniam meruerunt aliquem effectum ad prædeſtinationẽ pertinentem, vt ſuperius dicebam; at conſequens non eſt admittendum: ergo, &c.

Secundo probatur concluſio. Chriſtus meruit nobis omnes effectus prædeſtinationis noſtrę, meruitq; omnia media quibus ad ſalutem prædeſtinati perueniunt, vt ex his, quæ diximus q. 5. verſus finẽ ſupereſt manifeſtum. Et ex illo loco Paul. ad Epheſ. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto*, & ex alijs plurimis ſcripturæ ſacræ teſtimonijs ibidem deduximus: At qui meretur omnes effectus prædeſtinationis, totum ipſum integrum prædeſtinationis ordinem meretur: certè ſi Petrus omnes eos ſibi meruiſſet prædeſtinationis effectus, quos ei Chriſtus promeruit, abſolutè diceretur ſuæ prædeſtinationis cauſa. Confirmatur ex eodem illo Paul. teſtimonio. *Qui benedixit nos in Chriſto, omni benedictione ſpirituali*. Prædeſtinatio eſt potiſſima ſpiritualis benedictio, qua Deus nos benedixit: ergo in Chriſto, & per Chriſtum nos prædeſtinauit: alias enim ſi potiſſima benedictio nobis fuit ſine Chriſto conceſsa, non debuiſſet Paul. vti illa vniuerſali loquutione, inquiens, *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto*. Hanc benedictionem de qua loquimur, per Chriſtum fuiſſe nobis communicatam, deduxerunt non obſcurè ex hoc teſtimonio grauiſſimi Patres in eius expoſitione. Athan. Hiero. Chryſoſt. Theoph. & Auguſt. lib. 1. de præd. ſanct. c. 17. & 18.

§.5. *Secunda concluſio.*

CHriſtus meruit nobis dilectionẽ efficacem, qua nos Deus in vitã æternam dilexit. Hæc dilectio prędeſtinationẽ anteceſſit in Dei voluntate, vt explicuimus in his, quę ante primã concluſionẽ adnotauimus. Non loquimur in hac concluſione de actu ipſo diuinæ voluntatis entitatiuè ſumpto, ſed reſpectiuè ad nos cõſiderato, vt à principio huius dubij animaduertimus, idq; aſserimus præſenti cõcluſione, Deum ex amore Chriſti, & præuiſione meritorum eius homines prædeſtinandos amaſse, & efficaci voluntate eis voluiſse gloriã conferre, vt Chriſti mẽbra eſsent, & fratres, eſsetq; Chriſtus eorum caput, & in multis fratribus primogenitus. Probatur ergo concluſio, primo ex illo Pauli teſtimonio ſæpè pro concluſione præcedenti citato, *Elegit nos in ipſo*, &c. vbi Paulus

loqui

Digitized by Google

loqui de efficaci electione nulli poteſt eſſe dubium, nam ſequentia verba.ſ. *vt eſſemus ſancti, &c.* id manifeſte indicant, quod & nonnulli ex Patribus ad finem concl. præce. cit. ſuper eundem locum animaduerterunt ſpeciatim Aug. quod autem ille modus dicendi, *Elegit nos in Chriſto*, meritoriam cauſam denotet, patet, tum ex ſimilibus verbis, quibus vtitur Paul. in eodẽ cap. quæ ſine dubio meritoriam denotãt cauſam, *gratificauit nos*, inquit, *in dilecto filio ſuo*. Conſtat.n. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Chriſtum meritoriam cauſam eſſe gratificationis noſtræ, & certè communiter Patres dum hoc teſtimonium verſant; de cauſa meritoria illud interpretantur, quamuis neque cauſam finalem negent. Secundo probatur ex illo Ioa. 17. *dilexiſti eos ſicut, & me dilexiſti*, inquit Chriſtus, quę verba tractans Hyer. 2. contra Iouinia. inquit, *Ideo nos diligit, quia filium dilexit pater*. Ecce dilectio filij ratio fuit diuinę Patris voluntati, diligẽdi nos, quod autẽ fuerit ratio ad cauſam meritoriã pertinẽs, patet, quia Pater dilexit filium, non vtcũq; ſed vt Redemptorem noſtrum, & auctorem ſalutis & fidei noſtrę, & quatenus pro nobis ſatisfecit, & nobis meruit; placuerũt.n. Patri, & Chriſtus, & omnia eius opera; ergo non potuit ibi non interuenire rõ meriti reſpectu dilectionis noſtrę. Probatur prętereà ex illo 2. ad Thim. 1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta, ſecundum propoſitum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſæcularia*. Hoc autem propoſitum, & hæc gratia quæ ante tempora ſecularia in diuina extiterunt voluntate, ipſam Dei electionem ſeu dilectionem important, qua nos Deus efficaciter ad æternam vitam elegit.

Ratione probatur concluſio. Chriſti merita fuerit præuiſa à Deo, antequam in particulari homines prædeſtinandos ad vitam æternam amore efficaci diligeret. Sed Chriſti meritis debebatur, vt Deus ipſum Chriſtum non relinqueret ſolum in cæleſtium bonorum poſſeſſione conſtitutum, ſed ei fratres, & cohæredes adiungeret, quibus ipſe vt primogenitus, & Dominus præficeretur; ergo ita credendum eſt de facto contigiſſe, quod Deus intuitu meritorũ Chriſti, eos omnes qui tandem prædeſtinati fuerunt, abſoluta voluntate ad ęterna bona, & elegit, & dilexit. Confirmatur, quoniam ita dicere nihil derogat gratiæ, liberalitati, & miſericordiæ diuinæ, quam cum hominibus vſus fuit in efficaci eorũ electione, & dilectione ad æternam ſalutẽ, quod ex multis, quæ diximus ad fin. q. 5. conſtare poterunt, & ex alia parte hoc dicere, præclaram affert Chriſto, vt homini dignitatẽ, & gloriam; ergo rationabile eſt ita & ſentire & dicere, pręſertim cũ & nobis ſit quoque maxime glorioſũ, nã quod propter Chriſtũ caput noſtrũ, & primogenitum fratrem, vniuerſa nobis euenerint bona, valde eſt nobis honorificum, & glorioſum.

Sed ad exactiorem concluſionis intelligentiam, aduertendum eſt, quod cum dicimus Deum elegiſſe prædeſtinatos ad vitã, dupliciter poteſt hæc electio conſiderari. Primo per reſpectum ad gloriam tantũ, ita quod prædeſtinati eatenus duntaxat electi dicantur, quatenus voluit eis Deus illum vltimum, & excellẽtem finem conferre, in quo ſenſu etiam ſi Deus omnibus hominibus abſoluta voluntati, & efficaci hoc tantum voluiſſe bonum, diceretur elegiſſe omnes homines ad vitam æternam, quoniam omnia, quæ ad finem referũtur habent rationem mediorũ, atque adeo eorum volitio ad finem electio cenſetur, & in hoc ſenſu coincidunt electio, & dilectio hominum ad æternam vitam, & de iſta electione, & dilectione præſens concluſio à me fuit ſtatuta. Secundo modo poteſt conſiderari electio prædeſtinatorum, nõ ſolum reſpectu æternę vitæ, ſed etiam reſpectiue ad alios homines, quos Deus ad excellentiſſimũ hoc bonum efficaci voluntate non dilexit, ſed decreuit permittere eos deficere, & à medijs, & à fine tantoque bono in ęternũ priuari: qua ratione prędeſtinati fuerũt præ illis ad vitam electi, & diuina prælectio hoc modo conſiderata, induit formaliorem electionis rationem. Electio namque formaliſſime ſumpta non ſolum eſt mediorum ad finem, ſed quamdam comparatiuam pręelectionẽ inter ipſa media denotat, ita quod vnum medium alteri pręferatur in ordine ad finem, & vnum prę altero eligatur, in hoc poſteriori ſenſu non procedit noſtra concluſio, & ſeq. concl. hunc verſabimus ſenſum, iuxta quem vocabimus dilectionem prędeſtinatorum electionem comparatiuam, vt non ſit neceſſe amplius ad hanc diſtinctionem recurrere.

§. 6. *Tertia concluſio.*

CHriſtus meruit electionem comparatiuam prędeſtinatorum, nõ materialiter, ſed formaliter ſumptam. Hęc concluſio aduerſatur quartæ opinioni, quæ videtur totaliter à Chriſti meritis hanc comparatiuam prædeſtinatorum electionem excludere: ſed non eſt admodum facile noſtram hanc concluſionem explicare, & tueri, nam multa vrgent aduerſus illam in fauorem quartæ ſententiæ. Primum, ꝙ Paul. ad Eph. 1. in teſtimonio citato, ſimul prędeſtinationem noſtram Chriſti meritis tribuit, & propoſito voluntatis diuinæ, quod non alia ratione factum eſſe videtur, niſi quoniã ipſamet dilectio, qua Deus nos ad ęternam vitam propter Chriſti merita efficaci voluntate dilexit, qua ratione fuit comparatiua electio, ad ipſum Dei beneplacitum, eiuſque voluntatis propoſitum poterit duntaxat reuocari. Deinde pugnat illud Ioan. 17. vbi Apoſ. prędeſtinatos dicit ſibi datos à Patre, quod non ob aliud dictum eſſe apparet, niſi quia prædicta illorum electio, non ex ipſo Chriſto, & eius meritis ortum habuit, ſed ex ſola patris voluntate, qui eos prę alijs ad vitam elegit. Ob quam cauſam, & ipſe Chriſtus Math. 20. dexteram, aut ſiniſtram ſedem in regno cęleſti conferre, non ſibi adſcripſit, ſed ſoli paternæ poteſtati detulit. Ad idem pertinet illud Iſai. *Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Dominus*. Quem locum Paul. ad Hebr. in perſona Chriſti dictum eſſe interpretatur. Fauent Auguſ. trac. 106. in Ioa. & Chryſoſt. hom. 80. in Ioa. Qui Patres non obſcure inſinuant, ob prędictam paternę voluntatis dilectionem, prędeſtinatos dici datos Chriſto à Patre. Denique & illud non parum vrget; quod non ſatis rationabiliter affirmari videtur, quod totum negotium prędeſtinationis, & prędictę electionis hominum, non primum in diuinam, ſed in humanam Chriſti volũtatem reuocetur, ita quod diuina voluntas eos homines prętulerit alijs, ad ęternæ vitæ conſequutionem, quos ipſa humana Chriſti voluntas primũ prętulit. Sic adeo, vt initium huius

com-

Digitized by Google

comparatiuę electionis ex humana Chriſti voluntate fuerit deſumptum. Hęc & alia huiuſcemodi quartam illam opinionem corroborant, & noſtram videntur labefactare concluſionem, quam tamen vt tueantur quidam doctiſſimi in hunc modum interpretantur, videlicet, quod quemadmodum Deus in ordine naturę, prima eſt, & vniuerſaliſſima omnium effectuum cauſa, nullum tamen in his inferioribus naturalem producit effectum, niſi dependenter à cauſis ſecundis, non quod ipſa ſua virtute, & influxu à ſecundis cauſis pendeat; ſed quod ita diſpoſuit naturalem effectuum cauſalitatem, vt ipſius primę cauſę concurſus non aliter attingeret effectuum naturalium productionem, quam vt prius accommodatus ad cauſas ſecundas, & earum concurſui attemperatus, & quaſi modificatus in ipſis cauſis ſecũdis, quod totum fecit Deus, vt aſſumendo ſecundas cauſas, vt ſibi coadiutrices, & ipſas, & totum naturę ordinem ſummopere dignificaret. Ita, inquiunt, in ordine gratię, Deus prima ſimpliciter, & vniuerſaliſſima cauſa nullum erga prędeſtinatos influxum habere voluit, niſi per Chriſtum, & eius merita: ita vt eſſet Chriſti meritis accõmodatus, & veluti modificatus in ipſis priuſquã ipſos prædeſtinatos pertingeret. Cõſtituit. n. Deus Chriſtũ, vt cauſam vniuerſalẽ, & excellentem ſuorum meritorum radijs fulgentem, & virtute ſupra totũ gratiæ ordinem prædominantem: ſolẽ namq; iuſtitię ipſum in Eccleſię effecit, eximiaque cum excellentia toti cęleſti orbi præpoſuit.

Hæc tamen interpretatio, & noſtræ concluſionis intelligentia, præclare accommodatur toti humanæ prædeſtinationis negotio, ſecundum exequutionis ordinem conſiderato: ad illam tamen comparatiuã prædeſtinatorum electionem, quæ non ad exequutionis, ſed ad intentionis ordinem ſpectat, qua ratione accommodari poſſit, ego plane non video. Ibi. n. nullus intelligitur influxus, qui poſſit in cauſa ſecunda accommodari, & modificari, nam loquitur, an ſm̃ aliquem modum Chriſti merita concurrant ad illã determinatam comparatiuam electionem, prius ordine rationis, quam diuina voluntas talem electionem attingere; vel potius totus meritorum Chriſti concurſus intelligitur tali voluntatis Dei actione poſterior. Primum videtur impugnare ſufficientiſſime argumentis inſinuatis pro quarta ſententia, neq. videtur colligi poſſe ex ſimilitudine adducta ex ordine cauſarum naturalium, qui nullatenus pertinet ad intentionẽ Dei, ſed ad actualẽ exequutionẽ dũtaxat. Secundum vero videtur pugnare cum noſtra cõcluſione, & ſententiam quartam confirmare.

Igitur his omiſſis, ad eruendum noſtræ concluſionis ſenſum eius verbis inſinuatum reuertamur, in qua id volui dicere, negari non poſſe, quin comparatiua illa prædeſtinatorũ electio, ſi pure materialiter conſideretur. i. prout fuit huius hominis. v. g. Petri electiua, & illius, v. g. Pauli cõtentiua, non ex Chriſti voluntate, & eius meritis, ſed ex ſola Dei voluntate immediate proceſſerit, nam quod Chriſti merita Petro applicaretur, & non Paulo: ex ipſis meritis deſumi non potuit, ſed nihilominus id affirmauerim in concluſione, quod iſtamet comparatiua electio formaliter conſiderata, ex meritis Chriſti ex eiuſq. voluntate dimanauerit (more noſtro loquimur cum dimanationis, aut proceſſionis terminis vtimur) hoc aũt in eo conſiſtit, quod priuſquam Deus in particulari Petrum præ Paulo ad vitam elegerit, voluerítq; merita Chriſti Petro cum efficacia prodeſſe, quã efficaciã denegauit Paulo: præuiderat ipſa merita Chriſti, quibus Chriſtus meruerat, quod etſi non oẽs homines eligerentur, vt ex vi eorundem meritorum æternam cum effectu aſſequerentur vitam, eo quod diuinæ prouidẽtiæ rõ non patiebatur, neq; eius erat ſuauitati conſentaneum: aliqui tñ in particulari deſignarentur homines, in quibus eadẽ ipſa Chriſti merita ſuum effectum ſortirentur, ne ipſe Chriſtus maneret ſolus, eſſetq; redemptor abſq. vllis efficaciter redemptis, & ſine ſaluatis cũ effectu hominibus, relinqueretur Saluator, vt ex Iren. q. pręc. du. 1. retulimus, vnde cum intelligemus diuinam voluntatẽ applicari ad prædictam comparatiuam electionem, vere, & ſine improprietate dicimus talem applicationem proueniſſe ex Chriſti meritis, quæ ipſam exigebant: atq. adeo non immerito ipſa comparatiua electio formaliter conſiderata in ratione electionis cõparatiuæ Chriſti meritis; & eorum virtuti tribuitur, quamuis vt materialiter talem, aut talem hominum electum attigit, ſoli libertati voluntatis diuinę poſſit adſcribi. Afferamus exemplum, quod nõnullam, etſi deficientem, præſeferat huius rei ſimilitudinem. Cũ dominus ſeruo ſuo tradidit pecunias, vt eas inter pauperes ciuitatis diſtribuat, prçuidens non poſſe ad omnes pauperes ſummam illam pecuniarum pertingere, libere ipſius ſerui voluntati relinquit, vt in particulari eligat pauperes, quibus diſtribuat traditam ſibi pecuniam. Certum eſt, quod ſingularis illa pauperum electio, materialiter ſumpta, nõ domino, ſed ſeruo tribuenda eſt. Cęterum formaliter ad voluntatem tandem domini reuocatur, quia ſeruus in virtute voluntatis domini præcipientis, vt aliquos eligeret pauperes, & ex facultate erogandi eleemoſinam ſibi commiſſam à domino, ad prędictam ſingularem electionem faciendam ſe applicuit. Secludamus imperfectionem, & illis ſecluſis apparebit in exemplo accomodata ad noſtrum intentum ſimilitudo. Diuina. n. voluntas non aliter ſe applicuit ad illam comparatiuam electionem faciendam niſi quaſi præmota à Chriſti voluntate offerente ſua merita, vt in aliquibus efficaciam ſortirentur; & præuiſis ipſi Chriſti meritis, quæ ſunt ſpirituales diuitiæ, quibus Deus homines pauperrimos mire ditauit, & in cęleſti regno opulentiſſimos ciues effecit. Vnde ſicut in exemplo poſito pauperes quibus applicaretur eleemoſina, non ſoli ſeruo qui eos præ alijs elegit, gratias teneretur referre, ſed & domino; non ſolum quia ab ipſo diuitiæ emanarunt, ſed & quia prima fuit motiua illius pręelectionis cauſa ſm̃ formalem eius rõnẽ, ita & nos debemus Chriſto electionem noſtram etiã comparatiuam, quia fuit modo expoſito quaſi motiua cauſa electionis huius, quo circa prædeſtinatio noſtra non ſolum quoad exequutionem, ſed ẽt quoad intentionem Chriſto eſt tribuenda. Poſuit. n. pater in Chriſti manibus omnia quæ ad noſtram ſalutem pertinẽt, & quæ ad intẽtionẽ, & quæ ad exequutionẽ ſpectant, vt ex c. 13. Io. colligitur, atq. adeo oĩa Xp̃o, & eius meritis p̃deſtinari debẽt, etſi tãdẽ vniuerſa ad ipſũ Dei beneplacitũ ſint referẽda, quatenus ſic Deus dilexit mũdũ, vt filiũ ſuũ vnigenitum daret, vt oĩs q credit in ipſũ nõ pereat, ſed habeat vitam ęternam.

Illa

Digitized by Google

Illa argumenta, quæ dudum informauimus in fauorem opinionis quartæ ſolutionem habent ſufficiētiſſimam, ex eo quod comparatiua prædeſtinatorum electio materialiter conſiderata diuinę tantum volūtati eſt tribuenda, cuius ratione verificantur ſatis illa omnia, quæ in prædictis argumentis adduximus.

§. 7. *Quarta concluſio.*

EX eo, quod Chriſtus neque ſuam incarnationē neque ſua merita vllatenus promeruerit, non bene colligitur ipſum non eſſe totius noſtræ prædeſtinationis cauſam. Oppoſitum docuit opinio tertia, ſed authores opinionis ſecundæ hanc concluſionem conſtantiſſime affirmant; & probatur. Incarnatio Chriſti, eiuſque merita non ſunt effectus prædeſtinationis noſtræ, neq. intrant ordinem ipſius prædeſtinationis, ſed habent rationem cauſæ tenentis ſe ex parte Dei prædeſtinantis, & ipſam prædeſtinationē exequentis; ergo ex eo, quod Chriſtus ſuam incarnationem ſuaque merita non meruerit, non idcirco cū aliqua limitatione debet vocari noſtræ prædeſtinationis cauſa, cum vere meruerit omnes noſtræ prædeſtinationis effectus, imo vt ex dictis conſtat, amor quo Deus Chriſtum dilexit, & in eius meritis complacuit, ipſaque in ratione meritorū acceptauit, fuerit diuinæ voluntati ratio diligendi, & eligendi prędeſtinatos ad vitam, & ex cōſequenti, fuerit ēt ratio diuino intellectui practico ipſos formaliter prædeſtinandi. Antecedens probatur. Chriſtus cum ſuis meritis præuiſus eſt à Deo prius ordine rationis, quā quidquā tractaret de prædeſtinatorum electione, & de formali ipſorum prędeſtinatione, nam quamuis, noſtro loquēdi modo, Chriſti prædeſtinatio ortum habuerit ex voluntate, qua Deus voluit mederi humano generi, ipſumq. à peccati miſeria reparare, & eruere. Hæc tamen voluntas non fuit actus prædeſtinationis, neq; formaliter ad prædeſtinationem pertinuit, ſed antecedenter ſe habuit, & pręſuppoſitiue; quoniam non aliquem vel aliquos in particulari homines attigit, ſed in communi ipſum totum reſpexit humanum genus. Cum ergo Chriſtus cum ſuis meritis extra totū noſtræ prædeſtinationis ordinē pręintelligatur præſuppoſitus, ſicut & ipſa Dei prædeſtināis voluntas: ex eo quod Chriſtus ſuam prædeſtinationem, ſuam incarnationem, ſuaq. merita non promeruerit, inualida prorſus deductione colligitur, ipſum non ſimpliciter, & abſolute, & modis omnibus noſtram non meruiſſe prędeſtinationem.

Soluuntur argumenta propoſita initio dubitationis.

EX præiactis concluſionibus, ex præſuppoſitaq; doctrina, promptum erit cuique argumenta in partem negatiuam propoſita exactis ſolutionibus diluere, & primum quidem argumentum non eget ſolutione noua, nam ex quarta cōcl. ſolutū ſupereſt.

Secundum argumentum eadem ſolutione diluitur. Dico .n. quod cum Augu. prædeſtinationem ita definiuit, quod eſt beneficiorū Dei præparatio, &c. Non de vniuerſis beneficijs loquebatur, ſed de illis dumtaxat, quæ intrant ipſum prædeſtinationis ordinem; Chriſtus autem, & quæ ad ipſum pertinent, extrinſece ſe habent per modum effectiui principij, vbi obiter aduertat Theologus, quod licet Chriſti incarnatio abſque improprietate vlla poſſit appellari medium ad humani generis redemptionem, & ſalutem deſtinatum, eo quod ortum habuit ex voluntate illa Dei communi, qua Deus voluit humanæ naturę mederi, ipſamq; à peccato liberare, non hoc, aut illud humanum indiuiduum reſpiciens, ſed naturam ipsā non tamen debet appellari medium, ad finem prædeſtinationis ordinatum, formaliter ſumendo hunc finem prout eſt finis prędeſtinationis; eo quod Chriſti incarnatio non pręſuppoſuit huius finis intentionem, ſed potius è contra hæc intentio ipſius incarnationis præſcientiam, & meritorum Chriſti præuiſionem ſuppoſuit. Igitur Aug. de his beneficijs tantum loquebatur, quæ media ſunt ordinata ad ipſum prędeſtinationis finem formaliter ſumptum in ratione finis prędeſtinationis.

Sed poſſet ſecundo reſponderi, S. Aug. loqui de prędeſtinatione in communi, vt complectitur prædeſtinationem Chriſti, & noſtram, nam cum prędeſtinatio Chriſti fuerit prędeſtinatio capitis, noſtra autem ſit prędeſtinatio membrorum, quamuis ſint abſimiles rationis, & ſpeciei, quia terminus illius eſt filiatio Dei adoptiua, non irrationabiliter per modū vnius prædeſtinationis conſiderantur quandoq; ſicut caput & membra vnum conſtituunt: de hac igitur prædeſtinatione ſic in communi ſumpta forſan loquutus fuit Aug. & hanc dixit eſſe omnium beneficiorum Dei pręparationē; omnia cōprehendens beneficia, etiam illa quę per ſe ad ipſum incarnationis myſterium Chriſti ſpectant, & quidem prædeſtinatio ſic accepta, nullam aliam habere potuit cauſam, pręter vnicam Dei prædeſtināis volūtatem. Noſtra autem diſputatio de prædeſtinatione tantum membrorum, prout diſtinguitur à prędeſtinatione capitis, hactenus procedebat.

Ad tertium argumentum ſimpliciter eſt negandum antecedens. Ad probationem dicitur, quod illa propoſitio, quia Deus prædeſtinauit Petrum Chriſtus applicuit ei efficaciter ſua merita, eſt vera, ſi reddat ſenſum quaſi materialem; ſalſam vero ſi formalem ſenſum faciat. Volo dicere, quod formalis ratio applicationis meritorum Chriſti ad prędeſtinatos, non primum ex iſta prædeſtinatione ortum habuit, ſed potius ex ipſis meritis, ſeu quod idem eſt, ex voluntate Chriſti merentis, quæ ſuo iure poſtulauit, quod Deus in particulari aliquot eligeret homines, in quibus eius merita ſuum aſſequerentur effectum. Vnde particularis illa cōparatiua electio habuit tantum rationem conditionis requiſitę, & determinationis materię, circa quam fieret ipſa meritorum Chriſti applicatio, & in hoc ſenſu dixi, in illa propoſitione fieri ſenſum quaſi materialem, quatenus, videlicet, illa cauſalis, quia conditionem requiſitam ex parte materię ſe tenentem importat, quod non eſt ſufficiens, vt applicatio meritorum Chriſti effectus dici debeat prędeſtinationis noſtræ, quamuis ſine prædeſtinatione non eſſet. Non tamen ob id concedendum eſt, quod applicatio meritorum Chriſti in particulari cauſa fuerit prædeſtinationis noſtræ, quia talis applicatio non præceſſit prędeſtinationem, ſed præceſſerunt ipſa merita, cui debebatur comparatiua electio, qua ſuppoſita continuo ſequuta eſt ipſa determinata meritorum applicatio,

imo

imo exiſtimo, quod ſi ad rigoroſum meritorum Chriſti valorem attendamus poſſet Chriſtus determinate eligere homines, quibus ſua cum efficaci applicaret merita, & quibus proinde debita fieret ipſa Dei prędeſtinatio. Verum tamen determinatā hanc electionem Chriſtus reſeruauit, & quaſi commiſit Patri, qua extante, mox ipſe ſua applicuit merita. Neque cęſendum eſt diuinam voluntatem illa prius applicuiſſe, quam fuerint applicata à voluntate humana Chriſti: reliquit.n. diuina voluntas humanæ eius voluntati locum ſibi debitum in negotio redemptionis, & prædeſtinationis noſtræ. Ad confirmationem primam ex dictis circa tertiam concluſionem, & ex his ſimul, quæ nunc dicebamus, manifeſta relinquitur ſolutio, nimirum quod fuit conditio requiſita, & hoc quidem quaſi ex permiſſione humanæ Chriſti voluntatis, quæ hunc honorem ſuperiori voluntati diuinæ detulit, quod Chriſtus neque efficaci oratione oraret, niſi pro electis à Patre, neque alijs quam praelectis à diuina voluntate propria applicaret merita.

Ad ſecundam confirmationem. Non deſunt, qui inter prædeſtinatos veteris teſtamenti, & eos, qui ſequuti ſunt Chriſtum in teſtamento nouo, diſcrimen ſtatuant propter difficultatem inſinuatam hac confirmatione; & ita concludunt, Chriſtum cauſam extitiſſe prædeſtinationis ſanctorum noui teſtamenti, non autem eorum qui in veteri teſtamento ipſum anteceſſerunt. Verum cum Chriſtus cauſa fuerit meritoria omnium effectuum prædeſtinationis veterū Patrum, vt ad finem quintæ quæſt. oſtendimus, nulla eſt veroſimilis cauſa hanc differentiam inter ſanctos veteris, & noui teſtamenti confingendi: vnde ad confirmationem reſpondetur, quod ſicut Deus ab æterno intuitu meritorum Chriſti, quæ in tempore futura erant, & ſimiliter intuitu applicationis meritorū eius futuræ, prædeſtinauit in vno, & eodem, vt exiſtimo, rationis ſigno omnes quotquot elegit ad gloriā, ita & prædeſtinauit Patres veteris teſtamenti, vt ex meritis Chriſti iuſtificarentur, antequam ipſa extarent merita, & quamuis pro tunc cum actu eis applicabantur merita Chriſti futura, nondum eſſet poſita applicatio facta ab humana Chriſti voluntate, ſed immediate applicatio illa fieret à voluntate diuina, non tamen humana Chriſti voluntas excludēda eſt ab illa præapplicatione: quia diuina volontas illā applicationem fecit quaſi in Chriſti nomine. Intuebatur enim Deus approbationem, qua Chriſtus probaturus erat præapplicationem à Deo factam, & gratam eam erat habiturus. Vnde poſtquam Chriſtus venit gratam habens, & ratam præapplicationem illam antiquam, in genere morali fuit eius cauſa. Nā ratihabitio, vt habet regula iuris, retrotrahitur, & mandato comparatur. Quod ſi mandatum ibi non habuit locum, habuit tamen voluntarium, & ſpontaneum beneplacitum, quod ſi Deus non præuideret in Chriſto futuro, talem applicationem meritorum eius minime feciſſet, niſi alium modum prædeſtinādi homines decreuiſſet inſtituere. Cum ergo totum negotium prædeſtinationis, & iuſtificationis veterū Patrum Chriſti nomine à Deo geſtum fuerit, locum habuit ipſa humanæ voluntatis Chriſti ratihabitio, ex qua Chriſtus vere fuit moralis cauſa prædeſtinationis antiquorum Patrum.

Quartum argumētum facillime ex dictis ſoluitur; dico.n. quod licet Chriſtus fuerit vniuerſalis totius humani generis redemptor, meruit nihilominus, vt Deus aliquot homines in particulari ei daret in mēbra, & fratres, quibus ipſe ſua efficaciter applicaret merita, neq. hoc quidquam derogat vniuerſalitati redemptoris, ſed pertinet potius ad perfectiſſimam, & infinitam eius meriti rationem, ex qua electio cōparatiua deſumi debuit tamquam ex prima meritoria radice. Ne opus redemptionis ab ipſo Chriſto operatum inane eſſet, & ſuperuacaneum, ſi in illo particulari homine ſortiretur effectum. Particularis autem, & quaſi materialis prædeterminatio prædeſtinandorum ſoli diuinæ voluntati fuit reſeruata, quod ſatis eſt, vt verificentur ea, quæ in duabus confirmationibus huic quarto argumento ſuppoſitis continētur: neque oportet abundantiori ſolutione illis ſatiſfacere, ſed id tantum dictis addo, quod ita Chriſtus fuit vniuerſalis hominum redemptor, quod ſuppoſita, tamquam conditione neceſſaria, particulari, & comparatiua diuinæ voluntatis circa prædeſtinādos electione, ad ipſum Chriſtum, vt ad perfectum redemptorem attinuit particulariſſima ſuorum meritorum, & ſatisfactionum ad ipſos prælectos applicatio. Ob quam ſingulariſſimam à Chriſto factam applicationem Paul. ad Galat. 2. dicebat, *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*.

In vltimo argumento, quod diximus de prædeſtinatis quantum ad comparatiuam ipſorum electionem, proportionabiliter eſt dicendum de medijs, quæ Deus prædeſtinatis diſpoſuit, & præparauit, vt per ipſa æternam aſſequātur vitam. Itaque Chriſtus meruit a Patre, vt aliquot in particulari deſignaret media prælectis, quibus medijs ipſe Chriſtus vim ſuorum meritorum applicuit. Vtrumque.n. debebatur Chriſto, & quod aliquod determinarentur media, ne opus redemptionis eius fruſtraretur, & quod illa media nonniſi in ipſo Chriſto, & in eius meritis fundata vim obtinerent perducendi electos ab æternam vitam, quod non obſcure inſinuauit Hieronymus in illa verba Iſaię 55. Et voluntas Domini in manu eius dirigetur, & Pau. ad Ephe. 1. huic veritati fauet illis verbis, *Creati in operibus bonis in Chriſto Ieſu, quæ præparauit Deus, vt in ipſis ambulemus*.

Per illa verba, *Creatis in operibus bonis*, denotat Paulus opera, quæ Deus præparauit, vt in ipſis ambulemus ad vitam, in ipſo Chriſto totam vim ſuam, & virtutem obtinere, & merito id quidem, cum Chriſtus ipſe Io. 15. teſtante, *via* ſit, *veritas, & vita*, ſitque ipſe initium viarum Dei, in quibus euangelica veritas, quæ ipſe itidem Chriſtus eſt, mire ſplendeſcit, & quibus tandem prædeſtinati ad ipſum perueniunt Chriſtum, qui eſt ipſamet vita: qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſeculorum ſecula. Amen.

F I N I S.

Laus Deo, Beatæque Virginis Mariæ, & S. Dominici.

A01
1453689

Google

Digitized by Google

Digitized by Google